Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

Hanc Horatii Bent: Edit: commendat
Fabricius Bib: Lat: Tom 2: P 235. Sed quâ Ra
=one id faciat, Ipse videat; Nam quamvis
Multas Ingeniosas sane, & doctas Emendationes
profert, tam insolenter de seipso [illegible] p. tu
Instar Ironstri, Ingenio gloriatur, tam pri- co
=temptum de aliis loquatur, Ut non sine sup
=no fastidio apud omnes sanos audeat:
Quod ad Emendationes attinet, [illegible] Ra
Plerumq. habet MSS. & Codicum auctorit
=tem, p. ad Multas [illegible]: Habilioda
Nihil commemorat, Nisi to [illegible] voluit, si
mihi visum est Ideoq, omnibus placere nec
=se esse putat. Sed ne Italiam transgre
=diar; omnibus patendum esse Concedo, Ut aut
Nonnulla Castigationes nunquam sine
Laude defraudanda sint: Vid: Arist. Ant-
-Bent:

Digitized by Google

A. lat. a. 2615 m
B Heath 179
ga
A 2 138

D D
Rev Dr G. Heath.

Digitized by Google

9 a
A. L. 138

Q. HORATIUS FLACCUS

EX RECENSIONE

RICHARDI BENTLEII.



<36617184380018

<36617184380018

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. HORATIUS FLACCUS,

EX RECENSIONE & cum NOTIS

ATQUE

EMENDATIONIBUS

RICHARDI BENTLEII.



CANTABRIGIAE, MDCCXI.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

NOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO

VIRO

ROBERTO HARLEIO,

BARONI DE WIGMORE,

COMITI OXONII,

ET

COMITI MORTIMERO,

MAGNAE BRITANNIAE

THESAURARIO,

RICHARDUS BENTLEIUS.

Q. Horatius Flaccus, VIR NOBILISSIME, Lyricorum Latinorum olim ſummus, hodie ſolus; cum jam diu apud me non illiberali hoſpitio acceptus eſſet, ac tandem domo emigrare velle videretur; interrogatus Quo tenderet & Cujus in patroni aedes ſe recipere cogitaret;

a ille

Digitized by Google

ille enimvero, Se quantumvis humili genere natum Primoribus civitatis olim placuiſſe; *majoreſque nido pennas extendentem*, praeter Polliones, Meſſallas, alios, opibus honoribus ſtudiiſque praecellentes, etiam CILNIUM MAECENATEM (clariſſimum in omne aevum cariſſimumque Nomen) ſic conſuetudine ſua ſibi devinxiſſe, ut *Convictor* ei & *Sodalis* appellari meruerit: Huic hodie ſi aut ſimilis aut ſecundus quiſpiam commonſtrari ſibi poſſit; nihil prius ſe habiturum, quam ut illuc continuo advolet: Se quidem, ut ad domum quondam Palatinam ipſius literis Caeſaris accitum ſine ejus offenſione recuſaſſe, ita nunc ad AUGUSTA Penetralia verecundari accedere: Ceterum *cum magnis vixiſſe ſolitum* non poſſe jam *curata tam bene cute* ſenioque ſibi abſterſo humiliora ſectari; ſed, ut his forte temporibus (quamquam o!) Maecenati parem aliquem ſperare vix liceat, infra Polliones ſaltem nolle deſcendere. Miratus equidem ſum tam elegantem tamque paucorum hominum, atque necdum poſt tot elapſa ſaecula *quaeſitae* olim *meritis ſuperbiae* immemorem. Vultuque ego jam tum optata pollicente, Quin bono animo es, inquam, téque illi ipſi HARLEIO, quem jamdudum voto fingere atque ambire mihi videris, tradam & commendabo; illud prius & mea & publica voce dixiſſe auſus, Te omnia quae vel in Maecenate tuo tantopere praedicaſti, aut paria apud Hunc Noſtrum aut potiora reperturum. Nam ut externa illa primum memorem,

Digitized by Google

morem, Genus dico & Imagines; ſcimus Hunc, pariter atque Illum Tuum, *Equeſtri* quidem loco ortum, Gente vero in primis ſplendida ac vetuſta; quae & *Atavos* quoque *Reges* primordiis ſuis attingat; quae a multis retro ſaeculis ſaepe domi foriſque *magnis legionibus imperitarit*; quae nuſquam penitus intermiſſa per tot aetates claritudine non modo nobiliſſimas quaſque Regionum harum Familias cognatione ſibi junxerit; ſed & Galliae quoque, parte ſedem ſolumque mutante, HARLAEOS dederit proceres, tam Sagi illic quam Togae muneribus jam inde ſemper illuſtres. Ille quidem Tuus, *intra fortunam ſuam* & in Equeſtri Ordine ſubſtitiſſe contentus, majora conſequi vel nequiit vel non concupivit: Hunc Noſtrum, abnuentem quidem & moras injectantem, cum vota Civium Patriaeque diſcrimina, tum judicia REGINAE non ſaeculi modo ſui ſed omnium aetatum Optimae perpulerunt denique, ut Senatus inferioris Princeps jam tertium lectus ad Celſiſſimum Ordinem vel ſerus aſcenderet; inque titulos VERORUM *Oxonii* quondam *Comitum* & MORTIMERORUM *Baronum de Wigmore*, quos ſibi Conſanguineos in ſtemmate recenſet, non alienus adſciſceretur. Neque vero Sanguinis tantum, ſed & Doctrinae cauſſa aequum erat; ut ab Urbe bonis literis Muſiſque conſecrata Ipſe omnium literatorum Decus & Tutela cognomen ſuum duceret. Jam autem quam tu Tuo mirificam ſive Caeſaris ſeu Patrum Populive gratiam jure olim gratula-

Digitized by Google

tus es; cum, ut ex periculoso morbo recens convaluerat, tota cavea & orchestra *laetum theatris ter crepuit sonum:* hunc Suae dicam an Humanae gentis amorem si & Nostro non minorem obtigisse dixero; vel illa dies mihi testis erit, cum in ipsa Regia concilioque Procerum a sceleſtissimo omnium nec Britannae nationis sicario cultello percussus est: irrito quidem vulnere, sed haud dubie (nisi praesens Numen avertisset) letali ad praecordia futuro. Illa, inquam, dies, quam carus omnibus viveret, certissima dedit testimonia. Quo enim gemitu, qua hominum trepidatione, cum saucius ad penates suos lectica delatus est, primus ille nuntius accipiebatur? Qui erat civitatis habitus, qui singulorum animi; dum in arto diu salutis mortisque confinio (vix Sospitatore illo RADCLIVIO laetiora promittere auso) vita Illi dubia traheretur? communi tum in uno capite periculo vel ab aemulis & adversariis veras voces eliciente. Qui vero Ipsius interea vultus, quam sui consimilis? & ad recentem ictum interritus, & ad lentam ancipitemque curationem imperturbatus: tamquam vel *non doleret vulnus,* vel saltem ingens doloris pretium solatiumque secum ferret; cùm Ipsius pectore feliciter est interceptum, quod (ut credere par est) in sanctissimum REGINAE pectus quandoque destinabatur. Ubi primum vero incolumis ad curas publicas redibat; quo Ille occursu, qua adclamatione, quibus votis ominibusque, locis omnibus exceptus est? Quid notas ea tempestate

Digitized by Google

tempeſtate Principis voces, quid Senatus totius gratulationes commemorem? in Annales utique ituras, neque ſic ſubito fortuitoque ſermone nobis delibandas. Porro autem quas tua aetas in CILNIO naturae doctrinaeve dotes veris olim laudibus in caelum ferebat; ſublimem & erectam indolem, ingenium demerendis hominibus natum, vigore ac lenitate mixtiſſimum animum, maximarum curarum ſub altiſſimae quietis ſpecie capacem, diverſiſſima Reip. munia pari omnia facilitate felicitateque obeuntem, literarum denique cultum promtamque ſemper in eruditos munificentiam; parce tandem, Horati, metuere, ne ex illis, aut ſiqua illis majora ſunt, in HARLEIO quidquam deſideres. Quippe & Noſter ad ſumma omnia natura formatus, Patriſque optimi & ſapientiſſimi praeceptis innutritus, jam a teneris ferme unguiculis ea Sui documenta dedit; quibus tum protinus quantus hodie eſt ſperari ac praevideri potuerat. Quis enim vel tui meique loci, quos illa bonae mentis Soror ad labores quoſvis ſubeundos vel invitos quondam impulit, tam aſſidue acriterque liberalibus ſtudiis dedit operam, quam Ille ſponte in re Paterna tam praeclara & opulenta? Quis eorum, quibus id ſolum & negotio & victui eſt, tot quot Ille priſcorum annalium volumina, tot leges, ritus, foedera, bella gentium paceſque, verſavit manu memoriaque tenuit? Neque vero, quod in Tuo olim laudabas, *utriuſque* modo *linguae ſermones* edidicit; ſed Latinis Ille Graeciſque literis Hebraicas quoque junxit,

Digitized by Google

junxit, raro utique in illa fortuna ſanctoque inſtituto: quo & uſque eo provectus eſt, ut difficilia aliquot Sacri Codicis loca ex Iudaicis monumentis egregie illuſtraverit; quae tamen verecundus Sui aeſtimator in ſcriniis premit. Jam autem quid tibi ego Ejus indolem conſuetudinemque praedicem? Ubi laetior ſeveritas, aut gravitate temperatior comitas? Ubi pectus purius aut humanius; cui nec aerugo malignitaſve inolevit, neque contemtor ille animus commune nimis in tam alto faſtigio malum? Quis aut proſpera fert moderatius; aut, ſicubi caſu culpave aliena bene conſulta male ceſſerint, adverſa generoſius? Quid fidem dicam & taciturnitatem; quid orationem ſuadendi diſſuadendive ſemper potentem? Quid res pene diſſociabiles; tam ad ſubita & acuta caſuum velox ingenium, quam ubi in longinquum conſulendum eſt cautum atque providum; tam probis candideque agentibus nudum atque apertum, quam in verſutos & veteratores tectiſſimum & tutum undique? Unum ſcire licet ad juvanda Principis onera quaſi genitum & factum: qui legum juriſque patrii ſcientiſſimus idem & ſervantiſſimus, cum Principi imperii Vim, tum Civibus Libertatem publicam felici connubio junctas norit tueri. Quid porro quod tot negotia adminiſtrat, otianti pene ſimilis; ſub tanta occupationum mole vultu vitaque tranquillus; & deſperanda aliis agens, ſine ulla oſtentatione agendi. Quid quod remiſſionum horas & intervalla curarum, non Ille alea nec hiſtrionibus

Digitized by Google

ſtrionibus ceteriſve voluptatibus vulgi, ſed elegante & erudito otio ſolet diſpungere: teque, Flacce, identidem, nunc *rheda iter faciens*, nunc domi ad ſubciſiva temporum Sibi comitem evocabit. Poſtremo autem, quod pene ego primarium exiſtimo, non tu hodie, ut olim Maecenatianam, in ſterilem domum conceſſeris, & querelis *repudiiſque quotidianis* turbidam; ſed amore caſto concordem, pulchraque prole florentiſſimam: ubi ſpectare tibi & audire dabitur Iuventutis noſtrae Principes, Britanniaeque ſpem geminam, EDVARDUM HARLEIUM *Baronem de Wigmore*, GEORGIUMque HAIUM *Vicecomitem de Dupplin*; ingenuarum virtutum ambos, animique & ingenii vel in prima lanugine adultos; Fortunae autem in quam aluntur pluſquam capaces; Illum tanto Parente, Hunc Socero digniſſimum, qui & nunc tam ingenti Ejus imagine minime obſcurantur. Neque vero id te retardet, quod in ea (proh dolor) tempora devenimus, ubi ſciſſa diſſenſionibus odiiſque communitate (per eos maxime qui miniſtros ſe & adjutores Partium venditant) non virtute amplius ac bonis artibus, ſed clamoribus utrimque calumniiſque certatur. Ut enim olim, licet in Bruti quondam caſtris Tribunus, Maecenatis Auguſtique gratiam tenuiſti, nullo ea de cauſſa frigore imminutam: ita nec Noſter ſpeculabitur, utriſne tu ex Partibus an ex neutris nunc adveneris; Ipſe medius omnibuſque aequus, & egregio Publico compeſcens hinc vel inde nimios factio-

factioſoſque; qui tumultuando adipiſci flagitant, quae quiete & modeſtia jure ſibi deſperent; quive inita inter paucos potentiae ſocietate ceteris omnibus ad honores aditum intercludunt: pernicioſo ambitu (niſi primus Is eat obviam matureque occurrat) vel in ultima gladiorum aliquando erupturo. Sed haec paullo commotius: & meliora ominabimur. Tu vero, ſi Domus tibi, ſi Dominus, ſi Contubernales jam placent, i propere ac pede fauſto, *poſteramque* iſtam & recidivam *laudem* laetus capeſſe. Vix dici poteſt, VIR PRAESTANTISSIME, quam his vocibus accenſus gaudioque delibutus Horatius, non gradu, ſed curſu ad Te recta contenderit; adeo ut Commendatitias meas ſeu feſtinatione & ſtudio ſive ſui fiducia neglexerit accipere. Tu tamen, ſat ſcio, Ipſius quidem praecipue, ſed & Mea nonnihil gratia, cujus Notas Emendationeſque ſecum circumfert, in Tuorum eum numero habebis. Neque enim vereor, ne haec qualiacumque ſunt Noſtra Tibi iſto nomine viliora ſint, quod a mei Ordinis homine proficiſcantur. Ita nunc quidem quorundam importunitas totum gregem apud pleroſque in invidiam adduxit: verum alia Tibi mens eſt, alia morum via: nam & omni vita anteacta & nunc cum maxime auctoritatem ac fidem verbo veteri facis, *Qui bona fide* DEUM *colit, amat &* SACERDOTES. Obtinebunt igitur & haec Noſtra locum aliquem in Bibliotheca tua ampliſſima; qua (praeter parabiles illas Typographiae divitias) magno

Digitized by Google

magno ſumtu ſtudioque collegiſti vetuſtos omnium linguarum Codices MSStos Mille amplius & octingentos; atque incredibilem inſuper Membranarum vim, cum quos Rotulos tum quas Chartas appellamus; quorum illi ad Mille reor & quingentûm, hae ad tredecim Millium numerum facile aſſurgunt. Hic tibi Inſtrumentorum veterum, partim in Urbe, partim rure in avitis aedibus *Bramtoniae* Caſtello (quod ab EDVARDI uſque I aetate per BRYANUM HARLEIUM Equitem ad ſeros adhuc nepotes demiſſum eſt) theſaurus adſervatur: quotidiano quidem is auctu creſcens, & jam nunc multo ditior futurus; niſi ad alia damna per Civiles ſuperiore ſaeculo Tumultus caſtellis, templis, villis, nemoribuſque veſtris illata Bibliothecae quoque locupletiſſimae direptio acceſſiſſet. Macte ea virtute, VIR LITERATISSIME; deque omni Antiquitate, cujus tamquam ex naufragio tabulas conquiris undique & conſervas, perge bene mereri. Haec laudabilis Tua luxuries, haec honeſta avaritia eſt: haec Tibi inter tot egregia non in ultimis laudum erit, qua Tu aliorum ſeu immenſa villarum ſpatia, ſeu pictarum tabularum miracula, ſive pecunioſam ſenectam, & exaeques & antecellas. Neque vero de Vetuſtate ſolum, ſed & de praeſenti poſteraque aetate, ſicut mereris optime, ita porro mereberis: niſi (dictu nefas) deſciſcas atque degeneres ab inſitis Familiae virtutibus; quae potentiſſimae olim MORTIMERANAE domus cum ob ſanguinis conjunctionem tum ob viciniam amicitiis

Digitized by Google

implicata, ruinaeque ejus propinquitate patrimoniis ſuis magnam partem excuſſa, vel in acciſis tamen rebus fortunaeque priſtinae reliquiis egregios bello Duces & pace Senatores ſuis quemque temporibus Reip. praeſtitit. Quis enim, ut antiquiores praeteream, Proavo tuo THOMA Senatore ſapientior? cujus ſi ſanis olim conſiliis JACOBUS ille I ut aurem, ita & mentem commodaſſet, cum novae aulae lenociniis a rectis tutiſque abſtractus ad prava & ancipitia prolaberetur; non utique miſeranda illa & nefanda accidiſſent, quae CAROLUS filius religioſiſſimus Princeps poſtea perpeſſus eſt. Ille vero, praeſago jam tum futurorum animo, non rebus ſe civilibus immiſcere amplius voluit: ſed in agros ſe ſuos recipiens honeſtiſſimo in otio literataque ſenectute octogenarius ibi vixit. Interea tamen Avi tui ROBERTI *Militis de Balneis* praeclaris operis laboribuſque immo & periculis uſa Patria eſt; quippe qui in conventu Senatorum tum praeſens agebat, cum perditiſſima conjuratorum manus Curiam ipſam comitialem ſimul omni cum ſtirpe Regia & utriuſque Ordinis flore ac robore tantum non jam flammis involverat. Tum vero Parentem tuum EDVARDUM, fortiſſimum & integerrimum virum, quis ſatis digne proſequatur? *de Balneis* itidem *Militem*, ſed qui nobiliores *Vicecomitis* titulos delatos ſibi rejecerat, ſua ſatis & ingenita nobilitate conſpicuus. Is cum a CAROLO II *Dunkerkam* praeſidio militari tenendam accepiſſet; idque

Digitized by Google

idque agi videret, ut urbs iſta tam natura loci quam manu munitiſſima Gallo venderetur; principio ſumma vi in Senatu contendebat, & (fruſtra obnitente aula) in inferiore domo perfecerat, ut Lege lata, quo alienari ne umquam poſſet, in ditionem Regiam hereditarii juris redigeretur: neque poſtea vel terrore vel precibus vel pretio eoque ingenti perduci potuit, ut incepto deſiſteret urbemve traderet. Praefectura igitur amotus, & ſucceſſore ſibi miſſo Britanniam reverſus, id primum miranti Regi expoſuit, Quae in armamentariis & horreis & cetero apparatu habuerit, vel ſola majoris eſſe quam quanti Ille integram urbem emtori addixerat: tum deinde, non mediocrem numorum ſummam (decem millia pondo erant ſignati argenti) clam in ſubita obſidionis à ſe reſervatam, & in arca illic ferrata relictam: hanc ſibi Rex quamprimum advehi juberet, ne & iſta Gallo tam quaeſtuoſae mercaturae fieret acceſſio. *Heu pietas, heu priſca fides!* quantis exinde *Dunkerkam* proditam calamitatibus luimus! at Hujus ſi tum monitis obtemperatum fuiſſet; eam nobis opportunam hoſtibuſque infeſtam penes nos ſtantem haberemus, quam excidendam mox fore ſoloque aequandam pene ſumma jam votorum & inſtar triumphi eſt. Conſiliine tamen plus mirer, an ſingularis & in exemplis hodie memorandae abſtinentiae? Quam nullo negotio periculove ad ſe avertere potuit tam grandem pecuniam, eam Is recenti licet contumelia offenſior

Digitized by Google

inſperatam & intactam Principi exhibuit. Nihil igitur novum & non Paternum, VIR GENEROSISSIME, vel in ſumma tua integritate atque innocentia dediſti: nec ſane ego innatam Tibi pecuniae contemtionem, quantumlibet alioqui raram, in laudibus Tuis ponendam mihi cenſeo: qua tamen admirabili cum prudentia & ſagacitate conjuncta id nuper conſecutus es; ut Te unum Fiſco Regio praeſidere, ſibi civitas omnis plenius quam Tibi gratuletur. Te certe Aerarii frena moderante, numquam deerunt vel in his Numariae rei anguſtiis paratae civium voluntates; quoad omnes lentiſſimi Belli reliquiae proſpere ſepeliantur. Ecquando tamen & en umquam is dies illuceſcet, quo Europae per tot luſtra in ſe colliſae, neque proeliis ſolum ſed & peſtilentia exhauſtae, laetiſſimus ille PACIS vultus affulgeat; majori jam viventium parti numquam conſpectus? Enimvero in his armis juſtiſſime indutis, tam Principis auſpiciis quam fide Sociorum, tam Ducum conſiliis quam Militum virtute freti, felicem aliquando rerum exitum ſpe certa praecipimus. Quid mali tamen Ductoribus hoſtium non merito imprecemur? quibus etiam victis *bellum utile* eſt; qui in imperiis conſeneſcere cupiunt quantumvis infelicibus; qui toties fuſi ac fugati, caſtriſque & exercitibus atque urbibus exuti, certamen nihilominus trahunt, ut nobis vel vincendo damnoſum, ita ſuis ſibique exitiabile. Sed bene habet, quod ad ſeram ſupplicandi confeſſionem redacti

Digitized by Google

redacti a Clementiſſima REGINA pacem tandem expetunt. Quicumque ſane Peloponneſiaci vel Punici belli (quae diuturnitate cum hoc noſtro fere ſola certare poſſunt) eventus ſecum exputet; & exortos tum ſemper utrimque, qui aut prave pertinaces aut foede cauponantes coaleſcentem ſubinde pacem diſcuterent rumperentque, donec alterutrius demum partis vel internecione vel perpetua ſervitute ſit debellatum: is eandem hodie funeſtam fatalemque gentibus vecordiam jure extimeſcat; cum tam multos eſſe ubique videat, quibus longo uſu jam Bellum negotiatio eſt, & inter omnes pecuniarum vias quaeſtus uberrimus: his profecto vel aequiſſimis licet pactionibus quae tandem pax placere poterit? Accingere igitur, VIR SAPIENTISSIME, & in hac ancipiti tempeſtate quicquid virium in pectore condis excute & exprome. In Te omnium ora converſa ſunt, in Te arrecta expectatio eſt. Haec momenta Te unicum Teque totum expoſcunt. Hic Tibi utrimque pariter & in diverſa laborandum erit; ne qui nulla pace contenti erunt, utiliſſimam exturbent; neu (ut ſaepe alias) quorum arma vicerimus, eorum arte aſtutiaque in conditionibus vincamur. Tu vero utramque partem (neque vanum augurium eſt) pleniſſime exequéris; cum is ſis, quem neque callidiſſimus ludificari queat, nec turbulentiſſimus de recto propoſito dimovere. Adeſte igitur bono cum omine, optatiſſimae Iani Calendae; dignus profecto dies, quo Conventibus de re tanta

Digitized by Google

tanta indictis auſpicatum detur exordium; quo totus ille & inſequentes anni feliciter fauſteque decurrant; quo, in hac longa armorum ſerie res dudum deſitae & ſepultae, ſua Populis quies, ſuus Literis honos, ſua denique Commerciis praemia redintegrentur. Jam nunc fallor an clamores ego nauticos & ovantem ſtrepitum audire mihi videor; jam rates navalibus diripiuntur; jam merces variae convolant & regnator omnium Pannus; Tua VIR MAXIME providentia Tuiſque ventis ad Oceani ſinus ultimos & gravida pretioſis metallis arva convehendae. Ita quidem inique comparatum eſt; antiqua veneratione proſequimur, praeſentia livore deprimimus: aderit tamen tempus, cum omnia omnium inſtituta pulcherrimum hoc Tuum repertum fulgore ſuo praeſtinguet: in quo cum omnia prorſus mirifica ſint nihil magis tamen admirari ſubit quam ſaluberrimam Πειθαναγκην; qua & aere alieno fidem publicam liberaſti, idemque (quod homines ſua ſponte nunquam aggreſſi eſſent) ad Commerciorum incrementa Britannicaſque opes immenſum olim augendas blandiſſima neceſſitate convertiſti. Quid porro reſiduum eſt; niſi ut cum alios omnes jam longe poſt Te reliqueris, Tecum poſtea certamen inſtituas? En ſtadium, quod timide ingrediaris! En palma, quam difficillime auferas! Effice tamen, ſi poteris, ſive humana virtus id recipit, ut praeterita Tua venturis exſuperes. Inque his, ut ad mea me ſacra referam, reſpice oro rem Literariam; afflictam ſane atroci-

Digitized by Google

atrocitate licentiaque temporum, atque aegre admodum ex ingruentis barbariae diluvio caput feſſum exſerentem. Si quaeris ſubſcribi ſtatuïs PATER ACADEMIARUM; ſi dicto Principis fidem imples, quo LITERATORUM FAUTOR publice audiviſti; haec Te cura quandoque tangat: haec edera inter olivas tuas circum tempora Tibi ſerpat. Sic Te Deus Opt. Max. domumque Tuam diu ſoſpites conſervet: ſic quam hodie habes magnitudinem, illibatam ad ſepulchrum ſero deferas: ſic Tuos Tibi ſuperſtites habeas, Filium ac Filias parvuloſque duos ex filia Nepotes; quorum alter a matre adhuc dulce rubet, alter dimidiatis jam verbis Te Avum ſalutare geſtit; feſtivi ambo amabileſque, & expreſſiſſima Parentum effigies; quique mira natalium felicitate materno genere STAFFORDOS Angliae, paterno HAIOS Scotiae *Conſtabularios* complexi, id ſummi olim faſtigii Vocabulum ex utroque ſibi regno hereditarium ducunt. Vale, VIR NOBILISSIME, & feliciter rem gere. CANTABRIGIAE e Collegio S. TRINITATIS, MDCCXI ſexto Idus Decembres, ipſo HORATII die Natali.

VITA

Digitized by Google

Vita Q. HORATII FLACCI

Auctore C. Suetonio Tranquillo.

Q. Horatius Flaccus Venuſinus, patre, ut ipſe tradit, libertino & exactionum coactore; ut verò creditum eſt, ſalſamentario, cum illi quidam in altercatione exprobraſſet, *Quotiens ego vidi patrem tuum brachio ſe emungentem?* Bello Philippenſi excitus à M. Bruto Imperatore, tribunus militum meruit: victiſque partibus venia impetrata, ſcriptum Quaeſtorium comparavit. Ac primò Maecenati, deinde Auguſto inſinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, ſatis demonſtratur illo epigrammate, ubi inquit, *Ni te viſceribus meis, Horati, Plus jam diligo, tu tuum ſodalem Hinno me videas ſtrigoſiorem.* Sed multò magis extremis judiciis tali ad Auguſtum elogio, *Horatii Flacci, ut mei, memor eſto.* Auguſtus ei epiſtolarum officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem ſcripto ſignificat: *Ante ipſe ſcribendis epiſtolis amicorum ſufficiebam; nunc occupatiſſimus & infirmus, Horatium noſtrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab iſta paraſitica menſa ad hanc Regiam, & nos in epiſtolis ſcribendis juvabit.* Ac ne recuſanti quidem aut ſuccenſuit quicquam, aut amicitiam ſuam ingerere deſiit. Exſtant epiſtolae, ex quibus argumenti gratia pauca ſubjeci: *Sume tibi aliquid juris apud me, tanquam ſi convictor mihi fueris: recte enim & non temere feceris; quoniam id uſus mihi tecum eſſe volui, ſi per valetudinem tuam fieri poſſet.* Et rurſus; *Tui qualem habeo memoriam, poteris ex Septimio quoque noſtro audire: nam incidit, ut illo coram fieret à me tui mentio. Neque enim, ſi tu ſuperbus amicitiam noſtram ſpreviſti, ideo nos quoque ἀντιπερηφανεύωμεν.* Praeterea ſaepe inter alios jocos *putiſſimum penem* & *homuncionem lepidiſſimum* appellat; uuaque & altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus uſque adeo probavit, manſuraque perpetuo * ut non modo Saeculare carmen componendum injunxerit; ſed & Vindelicam victoriam Tiberii Druſique privignorum; eumque coëgerit propter hoc, tribus Carminum libris ex longo intervallo quartum addere; poſt Sermones quoque lectos, nullam ſui mentionem habitam ita ſit queſtus: *Iraſci me tibi ſcito, quod non in pleriſque ejuſmodi ſcriptis mecum potiſſimum loquaris. An vereris ne apud poſteros tibi infame ſit, quod videaris familiaris nobis eſſe?* Expreſſitque Eclogam, cujus initium eſt,

Cum tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora, Caeſar.

Habitu corporis brevis fuit atque obeſus; qualis à ſe ipſe & in Satiris deſcribitur, & ab Auguſto hac epiſtola; *Pertulit ad me Dionyſius libellum tuum, quem ego, ut accuſem te, quantuluſcumque eſt, boni conſulo. Vereri autem mihi videris ne majores libelli tui ſint, quam ipſe es: ſed ſi tibi ſtatura deeſt, * unde eſt. Itaque licebit in ſextariolo ſcribas, cum circuitus voluminis tui ſit ‡ ὀπισθόνπαξ, ſicut eſt ventriculi tui.* Vixit plurimum in ſeceſſu ruris ſui Sabini aut Tiburtini; domuſque ejus oſtenditur circa Tiburni luculum. Venerunt in manus & Elegi ſub titulo ejus, & Epiſtola proſa oratione quaſi commendantis ſe Maecenati; ſed utraque falſa puto. Nam elegi vulgares, epiſtola obſcura; quo vitio minime tenebatur. Natus eſt Sexto Idus Decembres, L. Cotta & L. Torquato coſſ. Deceſſit Quinto Calendas Decembres, C. Marcio Cenſorino, & C. Aſinio Gallo coſſ. poſt VII & quinquageſimum annum; herede Auguſto palam nuncupato, cum urgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas. Humatus & conditus eſt extremis Eſquiliis juxta Maecenatis tumulum.

PRAEFATIO

Digitized by Google

PRAEFATIO AD LECTOREM.

PAUCA *sunt, Lector benevole, de quibus certiorem te fieri velim, priusquam Horatium meo munere, nisi fallor, meliorem nunc cultioremque in manus tibi sumseris. Cum ante aliquot annos provinciae cuidam admotus essem; ubi aliena negotia, curaeque molestissimae per caput quotidie salientes, severiora omnia studia de manibus mihi excusserant: constitui mecum, ne Musarum me amorumque veterum oblivio prorsus caperet, amoeniorem quempiam Scriptorem edendum mihi sumere, levioris operae materiaeque, quae animum tranquillum & defaecatum non tam requireret, quam efficeret: quaeque horis subcisivis edolari, & mille interpellationes sine gravi damno pati posset. Ante alios autem placuit* HORATIUS; *non quod in eo plura, quam in alio fere quovis seu Latino sive Graeco, restituere me & emendare posse confiderem; sed quod is omnium veterum maxime vel merito suo vel genio quodam & placendi sorte in manibus hominum pectoribusque haereret. Formam vero & institutum operis sic mihi definivi terminisque his circumscripsi; ut ea sola attingerem, quae ad sanitatem sinceritatemque Lectionis pertinerent: cetera illa pluraque, quae ad Historiam & Mores antiquos grandem illam Commentariorum silvam & instrumentum spectarent, prorsus praeterirem. Per me quidem eruditis viris, qui in illo stadio decurrerunt, suus honos salvus esto: utilissimam sane operam navarunt; quae, nisi ab illis occupata foret, jam nunc necessario impendenda esset de integro; sine qua aditum tibi patere ad haec Nostra frustra speraveris. Sic enim se res habet: diffusa illa lectio & eruditio, veterisque totius Latii & Graeciae notitia, quae in illa studiorum materie totum constituit, in hac Nostra partis duntaxat infimae & initiorum apparatusque locum obtinet. Omnia quippe tibi ista in numerato esse prius oportet, quam de*

Digitized by Google

quovis Scriptore ſine dementiſſimae temeritatis nota cenſuram agere audeas: eſt & peracri inſuper judicio opus; eſt ſagacitate & ἀγχινοίᾳ; eſt, ut de Ariſtarcho olim praedicabant, divinandi quadam peritia & μαντικῇ: quae nulla laborandi pertinacia vitaeve longinquitate acquiri poſſunt, ſed naturae ſolius munere naſcendique felicitate contingunt. Inde eſt, quod, cum in ceteris diſciplinis eventus laboribus votiſque reſpondeat; contra in hac Critices palaeſtra, ex tam multis, qui libris ſtudiiſque inſeneſcentes per integram vitam hoc ſaxum volverunt, exſtiterunt oppido pauci, qui ſperatum ſibi apud poſteros nomen nanciſci valuerunt. Et tamen, ne id forte neſcias, longe longeque difficilius eſt hodie, quam ſuperioribus erat annis, emendationes conſcribere. Ita omnia illa, quae ex ſcriptorum Codicum collatione clare & ultro ſe ingerebant, praerepta jam ſunt & anticipata: neque quidquam fere reſiduum eſt, niſi quod ex intima ſententiae vi & orationis indole ſolius ingenii ope ſit eruendum. Plura igitur in Horatianis his curis ex conjectura exhibemus, quam ex Codicum ſubſidio; &, niſi me omnia fallunt, plerumque certiora: nam in variis Lectionibus ipſa ſaepe auctoritas illudit, & pravae emendaturientium prurigini abblanditur; in conjecturis vero contra omnium Librorum fidem proponendis & timor pudorque aurem vellunt, & ſola ratio ac ſententiarum lux neceſſitaſque ipſa dominantur. Quid quod, ſi ex uno alterove Codice diſcrepantem aliis ſcripturam expromas, fruſtra es ſi unico duobuſve teſtibus adverſus centum fidem facere poſtulas; niſi tot argumentis muniveris, quae vel ſola pene ſine Codicis teſtimonio ei rei probandae ſufficere poſſint. Noli itaque Librarios ſolos venerari; ſed per te ſapere aude, ut ſingula ad orationis ductum ſermoniſque genium exigens ita demum pronunties ſententiamque feras. Enimvero haud animi me fallit, tot in Flacco emendationes iniquis oculis pleroſque aſpecturos, nec niſi vi & ingratiis receptas tam diu lectiones vetereſque avias ſibi revelli paſſuros. Quippe in aliis auctoribus minus ſibi tritis pro libitu id fieri

non

Digitized by Google

non aegre tulerint; in hoc, quem jam inde a pueritia dies noctesque verſarunt, quemque intus & in cute ſe noviſſe opinati ſunt, tot jam menda detegi, tot abſurda ſenſuque caſſa redargui, quaſi convicium ſibi factum interpretabuntur. Horum ego ut praejudicio & ἀνθολκῇ occurrerem; fuſe pleraque & prolixe praeter morem meum in adnotationibus deduxi: ut vel indignantes ac reluctantes cum rationum pondere tum exemplorum numero obruerem, inque meam tandem ſententiam vel obtorto eos collo traherem. Hoc rogo in memoria habeat eruditior Lector & acutior; ſiquando forte, cum duobus verbis rem pervinci potuiſſe putet, ex longo tractu adnotationis faſtidium eum ceperit. Non raro tamen etiam data opera brevior contractiorque fui; partim taedio ut fieri ſolet furtim obrepente, partim conſulto viribus parcens & quae in promtu mihi erant opes diſſimulans: ut ne ubique judiciis hominum diffidere viderer, utque ſtolidi & ad depugnandum parati ſe in laqueos inopinantes inducrent, riſum jocumque naſutioribus daturi. Qualiacumque vero haec ſunt, aeſtivis tantum menſibus (ita tamen ut uno alteroque biennio fuerint prorſus intermiſſa) & primo impetu ac calore ſine lima curiſve ſecundis deſcripta, ſic madida fere charta (ut nemini hic meorum non compertiſſimum eſt) ad typographos deferebantur. Neque enim aut animus aut otium erat calamiſtris illa inurere; nec tanti emerim jejunam illam obſcurae diligentiae laudem; ac pudebat praeterea nugis calamique luſibus pondus velle addere, & ἐπὶ φακῇ quod aiunt μύρον: ſic tamen, uti ſpero, ut nec ſermonis puritatem, nec ordinis lumen, neque rationum vim & perſpicuitatem vel in his αὐτοσχεδίοις deſideres. Porro autem, ut ſcias quibus opibus inſtructus periculoſae huic me operae accinxerim; praeter vetuſtos illos codices Lambino, Pulmanno, Cruquio, Torrentio, Berſmanno, Statio, *aliiſque verſatos olim & excuſſos, aderant & mihi Membranae veteres minime poenitendae. Vetuſtiſſimum ſane exemplar annorum facile* DCCC, *cui tamen Epiſtolarum & Sermonum pars magna deerat, ſuppeditavit & huc tranſmiſit*

miſit praeſtantiſſimus Graevius ὁ μακαείτης; *poſt cujus obitum in Bibliothecam* Sereniſſimi Electoris Palatini *cum reliqua ejus libraria ſupellectile conceſſit. Alterum ſupparis aetatis in Bibl.* Leidenſi *contulerat* ὁ χειλιχώταλος Nicolaus Heinſius, *ut &* Zulichemianum *annorum* DC: *quorum varias lectiones deſcriptas manu* Heinſii, *conjecturis quoque ejus identidem interpoſitis, diſertiſſimi Viri* Petri Burmanni *comitate nactus ſum.* Voſſiani, *prioribus illis optimis non inferioris, &* Markiani *qui Epiſtolas modo habet, lectiones ſerius paullo in manus venerunt, opera eruditi juvenis* Abrahami Franckii *in Batavia deſcriptae. Ex Britannicis, quos omnes ipſi oculis uſurpavimus, palmam facile aufert Codex Collegii* Reginenſis *Oxonii,* DCC *annorum & ab omni parte integer: poſt hunc Liber e Bibliotheca* Regiae Societatis *Londini, alter* Petrenſis Domus *Cantabrigiae, tertius Collegii* Magdalenenſis *Oxonii, quartus Viri ornatiſſimi* Rogeri Galei, *quintus Reverendi admodum Epiſcopi* Elienſis, *qui ſub initiis Typographiae ſcriptus eſt eadem plane manu ac alter e Collegio* Regio *Cantabrigiae, qui falſo praeconio* Bembinus *venditatur. Praeter hos & alii plures acceſſerunt, qui partem tantummodo Horatianorum operum continebant;* Battelianus, *ex Muſeo Cl.* Joannis Battely *Archidiaconi nuper Cantuarienſis, cui Epiſtolae omnes, & Sermones aliquot libri* II^di *deſunt; alter e Bibliotheca* Regia, *Sermones & Epiſtolas Artemque complexus, cui plane geminus eſt ab eodem Librario deſcriptus in Collegio* Magdalenenſi *Oxonii. Eadem fere habent tria exemplaria ex Collegio noſtro* S. Trinitatis; *Carmina vero & Epodos* Bodleiani *duo &* Vigornienſis; *Artem autem Poeticam* Vigornienſis *alter &* Digbeanus *Oxonii, &* Moreti *liber a* Nic. Heinſio *olim collatus. Porro etiam vidimus, quas e Codice* Colbertino *Lutetiae varias exſcripſerat lectiones vir celeberrimus* Edvardus Bernardus, *& e* Franekerano *neſcio quis; verum uterque pauculas tantum & leviore cura. Hos omnes manu exaratos Codices, quos ſeu ipſi excuſſimus, ſive amicorum beneficio nunc primum literato orbi exhibemus,* Noſtrorum

Digitized by Google

ſtrorum *ſubinde vocabulo indicamus, ut & aliis editoribus ſollemne eſt: quod ideo hic monendum erat, ne cavillator aliquis cornicum hic oculos geſtiat configere. Neque vero Editiones vetuſtas omniumque principes negligendas mihi exiſtimavi,* Venetam *anni* MCCCCLXXVIII, *&* Argentinenſem Jacobi Locher *poetae laureati anni* MCCCCXCVIII; *quas Nobiliſſimi Viri* CAROLI Sunderlandiae Comitis *inſtructiſſima bibliotheca mihi ſuppeditavit; quarumque haec non ex exemplaribus Italis jamdudum editis, ſed ex manuſcriptis Germanicis expreſſa eſt. Acceſſerunt his ex Bibliotheca* Regiae Societatis, *altera Veneta anni* MCCCCXC, *in qua prima ut opinor Scholiaſtae Veteres* Acron *&* Porphyrion *comparuerunt; &* Acronis *exemplar ſcriptum, quod olim erat ſua aetate celeberrimi viri* Bilibaldi Pirckheimeri. *Ceterum ubicumque vel ex codicibus vetuſtis vel ex ingenio ſic clare verba reſtituimus, ut omnino in ipſum quem vocant Contextum ea recipi oporteret: ita caute & pudenter rem geſſimus, ut ne minimum quidem a probatiſſimis editionibus deflexum nobis ſit, quin receptam ſimul lectionem in ima pagina poſuerimus; adeo ut uno lector conſpectu tam novam hanc quam ſuperiores editiones non ſine magno ſuo commodo & voluptate contemplari queat. Ut enim ſtulta eorum ſuperſtitio eſt, qui nihil quicquam in Contextu novari volunt, manifeſtiſſimum ſit licet certiſſimumque; ita rurſus improbanda eſt & non ferenda aliorum fiducia, qui clam immutare quicquam & interpolare audent, neque lectorem de ea re vel verbo admonent. Cum autem prius ex his duobus Volumen, quo Poetae verba ſine commentario exhibentur, diu ante typis excuſum eſſet, quam Adnotationibus manum admoverem; vix aliter in tam ancipiti judicii alea, cum nondum mihi omnes Codicum copiae praeſto eſſent, evenire potuit, quam ut quaſdam lectiones prioribus omnibus probatas in Contextu ferri ſinerem, quas poſtea re accuratius perpenſa ejectas eſſe cuperem; contraque novas aliquot introducerem, quarum poſtea poeniteret. Ita Carmine* III *Libri primi* Siccis oculis *nimium patienter tuli; cujus loco, ſi res nunc integra*

Digitized by Google

integra esset, Rectis oculis *sine dubitatione substituere velim: rursus, pag.* 41. Aget, 118 Ilios, 119 Vultu & per, 136 Porrecta, 149 Secrevit. Aere dehinc quorum, 160 Quiddam, 170 Vellunt, 172 Sermo merus, 180 Censorque, 187 Utrasque Confusus, 201 Anni & Occupat, 217 Post vinum, 223 Romae, 224 Non mentiar, 244 Tendere, 258 Res, 264 Perdidit, 272 Sed rebus, *quae nunc imum folium occupant, ad sedes suas revocari cupiam. Tantum autem abest, ut occultandum mihi hoc aut erubescendum esse credam; ut ultro etiam lectori imputem, meque vineta mea caedendo ingenui candidique hominis nomen apud aequos judices habiturum esse confidam. Porro autem Orthographiae rationem instituí ad Augusti saeculi normam, quae ex Inscriptionibus, Numis, Vetustioribusque Membranis abunde constat, quamque & alii & praesertim* Nic. Heinsius *in* Virgilio *suo secutus est. Ergo praeter* Volgus, Divom, Inpius, Conpesco, *& cetera ejusmodi, Accusativos plurales, ubi Genitivi in* Ium *exeunt, in* Is *hic terminatos habes,* Urbis, Auris, Omnis: *quae omnia me in antiquioribus Flacci Codicibus reperisse fide optima testari possum. Neque vero, in Poetis praesertim, dissimulari id oportuit; cum, ut ex Gellio & aliunde notum est, judicium artificiumque scriptoris versusumque suavitas in illis terminationibus plerumque spectetur.* Carminum *vero, non* Odarum; Sermonum, *non* Satirarum *libros; atque in his singulos quosque Sermones* Eclogas *inscripsimus; & Membranarum & Grammaticorum veterum auctoritatem secuti.* Eclogarum *sane nomine Silvas suas appellavit Statius, Praefatione libri* III *&* IV; *quin & Flacci Epistolam Suetonius, Carmen vero Ausonius in praefatione Griphi,* Eclogam *nuncuparunt. Nimirum omni brevi Poematio id olim vocabulum indebatur; ut ex his Plinii constat Epist.* IV, 14. Unum illud praedicendum videtur, cogitare me has nugas inscribere, HENDECASYLLABI, qui titulus sola metri lege constringitur. Proinde sive Epigrammata, sive Idyllia, sive *Eclogas*, sive (ut multi) Poematia, seu quod aliud appellare malueris, licebit voces: ego tantum Hendecasyllabos praesto. *Porro ut Terentium ex* Calliopii, *Virgilium ex* Asterii *Cos. anno post Christum* CCCCXCIV, *Valerium Maximum ex* Helpidii Domnuli; *ita Flaccum ex* Mavortii *recensione hodie habemus. Sic enim in antiquioribus Codicibus, Leidensi Reginensi aliisque, post Epodos literis majusculis scriptum fertur:* VETTIUS AGORIUS BASILIUS MAVORTIUS V. C. ET INL. EXCOM. DOM. EXCONS. ORD. LEGI ET UT POTUI EMENDAVI. CONFERENTE MIHI MAGISTRO FELICE ORATORE URBIS ROMAE: *hoc est,* Vir Clarissimus & Inlustris, Excomite Domestico, Exconsule Ordinario. *Quis fuerit ille Magister* Felix, *qui eodem hic quo* Donatus *titulo honestatur* Oratoris Urbis Romae, *equidem nescio: at* Mavortius *is ipse est, qui Consul erat sine Collega anno post Christum* DXXVII: *unde*

Digitized by Google

unde Fasti egregie illustrari possunt, cum aliunde iste Mavortius *nulla alia re nisi cognomine solo innotescat. Jam vero & illud monendum est, Editiones principes & recentioris aetatis Codices alio ac nunc solemus ordine* Artem Poeticam *collocare, post Carmen nempe Saeculare ante Sermones & Epistolas: vetustiores vero omnes Membranas post Carminum libros* Artem *Epodis praeponere. Si quaeris, quisnam ex his ordo recte se habeat, seriemque temporum, quibus singula ab auctore edita sunt, rite conservet, vetustusne ille an medius an hodiernus; nullus profecto omnium. Magno quidem studio & acerrima contentione post* Tanaquilli Fabri *operam Clarissimi Viri* Dacerius Massonusque *in hanc arenam descenderunt; quorum equidem acumen & eruditionem in partibus laudo; in operis vero summa totoque constituendo rem eos infeliciter admodum gessisse censeo. Horum enim rationibus, & Carminibus & Epodis & Sermonibus Epistolisque scribendis uno ac eodem tempore vacavisse Nostrum necesse est; & singula quaeque poemata separatim in vulgus edidisse: quorum utrumque a vero alienum esse mihi pro comperto est. Quippe omnibus, qui ejusmodi Poemata scripserunt, id in more erat, ut non sparsas Eclogas, sed integros Libellos semel simulque in lucem ederent. Ita* Catullus *fecit, ut ex Epigrammate* I *constat,* Cui dono lepidum novum LIBELLUM: *ita* Tibullus, *quem vide Elegia* I *libri tertii, v.* 7 *&* 17. *ita* Propertius *Eleg.* I *librorum* II, III, *&* IV. *ut & Libri* II *Elegia* X, *v.* 25. *&* XIX, *v.* 39: *ita* Virgilius *Bucolica dedit, uti paret ex ultimo illo,* Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem: *ita* Naso *Amorum & Tristium & Ponticorum libros, ipso teste: ita* Statius *Silvas suas, ita* Martialis *Epigrammata, ut Praefationes eorum fidem faciunt: ita* Persius *Satiras;* Phaedrus *&* Avienus *Fabulas;* Ausonius, Prudentius, Sidonius, Venantiusque *sua Carmina; quod ex eorum Prologis abunde patet. Quid quaeris? Ipse quoque Horatius Libellos suos junctim editos aperte indicat; primum Carminum librum ex Prologo; secundum tertiumque ex Epilogis; Epodos ex illo* XIV, Inceptos olim promissum carmen Iambos Ad umbilicum adducere; *Sermonum priorem librum ex versu ultimo,* I puer atque meo citus haec subscribe LIBELLO; *posteriorem ex Prologo; priorem vero Epistolarum & ex Prologo & ex Epilogo. Quartum vero Carminum, & Epistolarum secundum* longo *post cetera* intervallo *emissos esse, plenissimum est* Suetonii *testimonium; quod qui aut refellere aut eludere conantur, inanem operam insumunt. His jam positis; primum Horatii opus statuo* Sermonum *librum* primum, *quem triennio perfecit intra annos aetatis* XXVI, XXVII, XXVIII; *postea* Secundum *triennio itidem, annis* XXXI, XXXII, XXXIII; *deinde* Epodos *biennio,* XXXIV *&* XXXV; *tum* Carminum *librum* primum *triennio,* XXXVI, XXXVII, XXXVIII; Secundum *biennio,* XL, XLI; Tertiumque *pariter biennio,* XLII, XLIII: *inde* Epistolarum primum *biennio,* XLVI, XLVII;

Digitized by Google

XLVII; *tum* Carminum lib. quartum *&* Saeculare *triennio*, XLIX, L, LI. *Postremo* Artem Poeticam *&* Epistolarum librum alterum, *annis incertis. Intra hos cancellos omnium poematiωn natales esse ponendos, & ex argumentis singulorum & ex Annalium fide constabit. Inde est, quod in Sermonibus & Epodis & Carminum primo,* Caesar *semper, nunquam* Augustus *dicitur; quippe qui id nomen consecutus est, anno demum Flacci* XXXIX; *in sequentibus vero passim* Augustus *appellatur. Inde est, quod in Sermonibus & Epodis* Juvenem *se ubique indicat; & quod sola Satirarum laude inclaruisse se dicit, ut Bucolicorum tum Virgilium (Serm.* I, 10. *v.* 46.) *nulla Lyricorum mentione facta. In ceteris autem singulis procedentis aetatis gradus planissimis signis indicat: idque tibi ex hac serie jam a me demonstrata jucundum erit animadvertere; cùm operibus Juvenilibus multa obscaena & flagitiosa insint; quanto annis provectior erat, tanto eum & poetica virtute & argumentorum dignitate gravitateque meliorem castioremque semper evasisse. Ceterum ubicumque viri doctissimi extra limites hic positos in adsignandis temporibus evagantur, toties illi in errores prolabuntur. Facile quidem mihi foret id in singulis ostendere; verum unum modo alterumve hic attingam, cetera tuae industriae relinquens. Libri* I *Carmen* 21, Dianam tenerae dicite Virgines, *perperam* Saeculare *vocant, & ad Horatii annum* XLIX *referunt; ringente Suetonio, qui tres Carminum libros* longo intervallo *eum annum praecessisse testatur. Atqui nihil quicquam hic de* Saecularibus *ludis proditur; sed aut ad Dianae aut Apollinis festum spectat, quorum illud mense Augusto, hoc Julio singulis annis celebrabatur. Eodem pertinet Catulli carmen* XXXV, Dianae sumus in fide; *quod* Saeculare *etiam a viris doctis pessime inscribitur; cum nihil ibi de* Saeculo *habeatur, isque diu diem obierit ante Ludos Augusti Saeculares. Tum &* II, 17, Ad Maecenatem aegrotum, *immani parachronismo ad Horatii annum* LV *ultra libri quarti tempora ablegant; idque levi & futili argumento, quod eo anno continua insomnia vexari coeperit Maecenas triennio ante diem fatalem. Quaesi vero non plus semel in tam longa vita aegrotaverit, quem Plinius major* VII, 51, perpetua febre *ab adolescentia laborasse tradidit. Illud vero in Sermone* VI, *libri* 2, Quid, militibus promissa Triquetra Praedia Caesar, an est Itala tellure daturus? *non, ut volunt, ad pugnam Actiacam annumque Flacci* XXXV *referendum erat, nec ad Philippensem annumve* XXIV: *quippe de agrorum divisione hic agitur, quae post* Siculam *de Pompeio victoriam & Lepidi deditionem in Campania alibique facta est, anno Flacci* XXXI, *ut disertis verbis narrat Dio p.* 456, 457, *Plutarchus Antonio p.* 941, *Paterculus* II, 81; *& Appianus p.* 1176. *Alia omnia pari facilitate refutari possent; sed his fuere & vale.*

ERRATA.

P. 83. Banduſie lege Banduſiae. 144 Ad amicos, l. amicum. 153 Praecamur. l. Precamur. 171 Teget l. Tepet, 276 Quique l. Quinque.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM
LIBER I.

I.

AD MAECENATEM.

MAECENAS atavis edite regibus,
O & praesidium & dulce decus meum:
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat, metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehere ad Deos:
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo
Quicquid de Libycis verritur areis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis conditionibus
Numquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi

V. 6. Vulg. EVEHIT.

Digitized by Google

Laudat rura ſui: mox reficit rates
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.
Eſt qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die
Spernit; nunc viridi membra ſub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput ſacrae.
Multos caſtra juvant, & lituo tubae
Permixtus ſonitus, bellaque matribus
Deteſtata. manet ſub Jove frigido
Venator, tenerae conjugis inmemor;
Seu viſa eſt catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretis Marſus aper plagas.
Me doctarum hederae praemia frontium
Dîs miſcent ſuperis; me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo: ſi neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod ſi me Lyricis vatibus inſeris,
Sublimi feriam ſidera vertice.

II.

Digitized by Google

II.

Ad Augustum.

Jam satis terris nivis atque dirae
Grandinis misit Pater, & rubente
Dextera sacras jaculatus arces
Terruit Urbem:
Terruit gentis, grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae nova monstra questae:
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montis;
Piscium & summa genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat columbis;
Et superjecto pavidae natarunt
Aequore damae.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Litore Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Vestae:
Iliae dum se nimium querenti
Jactat ultorem, vagus & sinistra
Labitur ripa, Jove non probante, uxorius amnis.
Audiet civis acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.

Quem vocet Divûm populus ruentis
Imperî rebus? prece qua fatigent
Virgines ſanctae minus audientem
Carmina Veſtam?
Cui dabit partis ſcelus expiandi
Juppiter? tandem venias, precamur,
Nube candentis humeros amictus
Augur Apollo:
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat & Cupido:
Sive neglectum genus & nepotes
Reſpicis auctor,
Heu nimis longo ſatiate ludo;
Quem juvat clamor, galeaeque leves,
Acer & Marſi peditis cruentum
Voltus in hoſtem.
Sive mutata juvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caeſaris ultor:
Serus in caelum redeas, diuque
Laetus interſis populo Quirini:
Neve te noſtris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat: hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps:
Neu ſinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caeſar.

V. 39. Vulg. MAURI

AD

III.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis praeter Iapyga;
Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.
Illi robur & aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristis Hyadas, nec rabiem Noti:
Quo non arbiter Hadriae
Major, tollere seu ponere volt freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turbidum, &
Infamis scopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabilis
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti,
Gens humana ruit per vetitum nefas.

V. 19 Vulg. Turgidum. 22. Dissociabili.

Audax

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem aetheria domo
Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aëra
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus ardui eſt.
Caelum ipſum petimus ſtultitia: neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

IV.

Ad Sestium.

Solvitur acris hiems grata vice veris & Favoni:
Trahuntque ſiccas machinae carinas.
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna:
Junctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede; dum gravis Cyclopum
Volcanus ardens viſit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terrae quem ferunt ſolutae.

V. 37. Vulg. Arduum. 8. Urit.

Nunc

Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agna, ſive malit haedo.
Pallida mors aequo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turris. ô beate Seſti,
Vitae ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulaeque Manes,
Et domus exilis Plutonia: quo ſimul meâris,
Nec regna vini ſortiere talis;
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis, & mox virgines tepebunt.

V.

Ad Pyrrham.

Quis multa gracilis te puer in roſa
Perfuſus liquidis urguet odoribus
Grato, Pyrrha, ſub antro?
Cui flavam religas comam,
Simplex munditiis? heu quoties fidem
Mutatoſque Deos flebit, & aſpera
Nigris aequora ventis
Emirabitur inſolens;
Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui ſemper vacuam, ſemper amabilem
Sperat, neſcius aurae
Fallacis. miſeri, quibus
Intentata nites. me tabula ſacer
Votiva paries indicat uvida

Suſpen-

Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

VI.

Ad Agrippam.

Scriberis Vario fortis & hoſtium
Victor, Maeonii carminis alite,
Qua rem cumque ferox, navibus aut equis,
Miles te duce geſſerit.
Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae ſtomachum cedere neſcii,
Nec curſus duplicis per mare Ulixei,
Nec ſaevam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia: dum pudor,
Inbelliſque lyrae Muſa potens vetat
Laudes egregii Caeſaris & tuas
Culpa deterere ingenî.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne ſcripſerit? aut pulvere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydiden ſuperis parem?
Nos convivia, nos proelia virginum,
Strictis in juvenes unguibus acrium,
Cantamus, vacui, ſive quid urimur,
Non praeter ſolitum leves.

V. 3. Vulg. Quam rem. 18. Sectis.

Ad

VII.

Ad Munatium Plancum.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimariſve Corinthi
Moenia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Inſignis, aut Theſſala Tempe.
Sunt quibus unum opus eſt intactae Palladis arces
Carmine perpetuo celebrare, &
Undique decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicet equis Argos diteſque Mycenas.
Me neque tam patiens Lacedaemon,
Nec tam Lariſſae percuſſit campus opimae,
Quam domus Albuneae reſonantis,
Et praeceps Anio, ac Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obſcuro deterget nubila caelo
Saepe Notus, neque parturit imbris
Perpetuo: ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero; ſeu te fulgentia ſignis
Caſtra tenent, ſeu denſa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyaeo

V. 5. Vulg. Palladis urbem. 7. Decerptae frondi. 9. Dicit. 10. Nec tam. 13. Et Tib. 17. Perpetuos.

Digitized by Google

Tempora populea fertur vinxiſſe corona,
Sic triſtis adfatus amicos:
Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus, ô ſocii comiteſque.
Nil deſperandum, Teucro duce, & auſpice Teucro:
Certus enim promiſit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes, pejoraque paſſi
Mecum ſaepe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus aequor.

VIII.

Ad Lydiam.

Lydia, dic per omnis
Te Deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere; cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque ſolis.
Cur neque militaris
Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque jam livida geſtat armis
Brachia, ſaepe diſco,
Saepe trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
Filium dicunt Thetidis ſub lacrimoſa Trojae

6. Vulg. Equitet. 7. Temperet.

Fune-

Digitized by Google

Funera; ne virilis
Cultus in caedem & Lycias proriperet catervas?

IX.

Ad Thaliarchum.

Vides, ut alta ſtet nive candidum
Soracte, nec jam ſuſtineant onus
Silvae laborantes, geluque
Flumina conſtiterint acuto.
Diſſolve frigus, ligna ſuper foco
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.
Permitte Divis caetera: qui ſimul
Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantis; nec cupreſſi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid ſit futurum cras, fuge quaerere; &
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Adpone: nec dulcis amores
Sperne puer, neque tu choreas.
Donec virenti canities abeſt
Moroſa; nunc & campus, & areae,
Leneſque ſub noctem ſuſurri
Conpoſita repetantur hora:
Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellae riſus ab angulo,

Digitized by Google

Pignuſque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

X.

Ad Mercurium.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus, & decorae
More palaeſtrae:
Te canam, magni Jovis & Deorum
Nuntium, curvaeque lyrae parentem;
Callidum, quicquid placuit, jocoſo
Condere furto.
Te, boves olim niſi reddidiſſes
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Riſit Apollo.
Quin & Atridas, duce te, ſuperbos,
Ilio dives Priamus relicto,
Theſſaloſque ignis, & iniqua Troiae
Caſtra fefellit.
Tu pias laetis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, ſuperis Deorum
Gratus, & imis.

XI.

Digitized by Google

XI.

Ad Leuconoen.

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Dî dederint, Leuconoe; nec Babylonios
Tentaris numeros. ut melius, quidquid erit, pati;
Seu pluris hiemes, seu tribuit Jupiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. sapias, vina liques, & spatio brevi
Spem longam reseces. dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

XII.

Ad Augustum.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem Deum? cujus recinet jocosa
Nomen imago,
Aut in umbrosis Heliconis oris
Aut super Pindo; gelidove in Haemo,
Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum labsus celerisque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Quid

Quid prius dicam ſolitis Parentis
Laudibus? qui res hominum ac Deorum,
Qui mare ac terras, variiſque mundum
Temperat horis.
Unde nil majus generatur ipſo;
Nec viget quidquam ſimile, aut ſecundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores,
Proeliis audax. neque te ſilebo,
Liber, & ſaevis inimica virgo
Beluis; nec te, metuende certa
Phoebe ſagitta.
Dicam & Alciden; pueroſque Ledae,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor;
Concidunt venti, fugiuntque nubes;
Et minax (ſic Dî voluere) ponto
Unda recumbit.
Romulum poſt hos prius, an quietum
Pompilî regnum memorem, an ſuperbos
Tarquinî faſces, dubito, an Catonis
Nobile letum.
Regulum & Scauros, animaeque magnae
Prodigum, Poeno ſuperante, Paullum

15. Vulg. Et ter. 20. Honores. Proeliis audax——Liber. 31. Quod sic vol. 38. Prodigum Paulum, sup. Poeno.

Gratus

Gratus insigni referam Camena,
Fabriciumque.
Hunc, & incomtis Curium capillis
Utilem bello tulit, & Camillum
Saeva paupertas, & avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit, occulto velut arbor aevo,
Fama Marcelli: micat inter omnis
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.
Ille seu Parthos Latio inminentis
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos orientis orae
Seras & Indos;
Te minor latum reget aequus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

XIII.

Ad Lydiam.

Cum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, lactea Telephi

V. 2. Cerea Telephi.

Laudas

Laudas brachia, vae, meum
Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa ſede manet: humor & in genas
Furtim labitur, arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Uror, ſeu tibi candidos
Turparunt humeros inmodicae mero
Rixae; ſive puer furens
Inpreſſit memorem dente labris notam.
Non, ſi me ſatis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Laedentem oſcula, quae Venus
Quinta parte ſui nectaris inbuit.
Felices ter & amplius,
Quos inrupta tenet copula; nec malis
Divolſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

XIV.

O Navis, referent in mare te novi
Fluctus? ô quid agis? fortiter occupa
Portum. nonne vides, ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri ſaucius Africo,
Antennaeque gemant: ac ſine funibus
Vix durare carinae
Poſſint imperioſius
Aequor?

V. 6. Vulg. MANENT.

Digitized by Google

Aequor? non tibi ſunt integra lintea;
Non Dî, quos iterum preſſa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,
Jactes & genus & nomen inutile:
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. tu, niſi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper ſollicitum quae mihi taedium,
Nunc deſiderium, curaque non levis,
Interfuſa nitentis
Vites aequora Cycladas.

XV.

Nerei vaticinium de excidio Trojae.

Pastor cum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hoſpitam;
Ingrato celeris obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae
Genti! jam galeam Pallas & aegida
Curruſque & rabiem parat.

Digitized by Google

Nequicquam Veneris praeſidio ferox
Pectes caeſariem, grataque feminis
Inbelli cithara carmina divides:
Nequicquam thalamo gravis
Haſtas & calami ſpicula Cnoſſii
Vitabis, ſtrepitumque, & celerem ſequi
Ajacem: tamen, heu ſerus, adulteros
Crinis pulvere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuae
Gentis, non Pylium Neſtora reſpicis?
Urguent inpavidi te Salaminius
Teucerque, & Sthenelus ſciens
Pugnae; ſive opus eſt imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen quoque
Noſces. ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre:
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Viſum parte lupum graminis inmemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.
Iracunda diem proferet Ilio
Matroniſque Phrygum claſſis Achillei.
Poſt certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

XVI.

Digitized by Google

XVI.

PALINODIA.

O Matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminoſis cumque voles modum
Pones iambis; ſive flamma,
Sive mari libet Hadriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem ſacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta
Si geminant Corybantes aera,
Triſtes ut irae: quas neque Noricus
Deterret enſis, nec mare naufragum,
Nec ſaevus ignis, nec tremendo
Juppiter ipſe ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho adpoſuiſſe noſtro.
Irae Thyeſten exitio gravi
Stravere; & altis urbibus ultimae
Stetere cauſae, cur perirent
Funditus, inprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.
Conpeſce mentem. me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventa
Fervor, & in celeris iambos

V. 8. Vulg. Sic gemi.

Digitized by Google

Miſit furentem: nunc ego mitibus
Mutare quaero triſtia; dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

XVII.

Ad Tyndaridem.

Velox amoenum ſaepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus, & igneam
Defendit aeſtatem capellis
Uſque meis, pluvioſque ventos.
Impune totum per nemus arbutos
Quaerunt latentis & thyma deviae
Olentis uxores mariti:
Nec viridis metuunt colubras,
Nec Martialis haeduleae lupos;
Utcumque dulci, Tyndari, fiſtula
Valles, & Uſticae cubantis
Levia perſonuere ſaxa.
Dî me tuentur: Dîs pietas mea
Et muſa cordi eſt. hic tibi Copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reducta valle caniculae
Vitabis aeſtus, & fide Teïa
Dices laborantis in uno
Penelopen vitreamque Circen.

V. 5. Vulg. Tutum. 9. Hoedilia. 14. Hinc tibi.

Hic

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces ſub umbra: nec Semeleïus
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia: nec metues protervum
Suſpecta Cyrum; ne male diſpari
Incontinentis injiciat manus,
Et ſcindat haerentem coronam
Crinibus, immeritamque veſtem.

XVIII.

Ad Varum.

Nullam, Vare, ſacra vite prius ſeveris arborem
Circa mite ſolum Tiburis, & moenia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus propoſuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines.
Quis poſt vina gravem militiam, aut paupertem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
Ac ne quis modici tranſiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata: monet Sithoniis non levis Euius;
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Diſcernunt avidi. non ego te, candide Baſſareu,
Invitum quatiam; nec variis obſita frondibus
Sub divum rapiam. ſaeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae ſubſequitur caecus amor ſui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

V. & Vulg. Arcne.

XIX.

Digitized by Google

XIX.

De Glycera.

Mater saeva Cupidinum,
Thebanaeque jubet me Semeles puer,
Et lasciva Licentia,
Finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore purius;
Urit grata protervitas,
Et voltus nimium lubricus aspici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit; nec patitur Scythas,
Et versis animosum equis
Parthum dicere, nec quae nihil attinent.
Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite, turaque
Bimi cum patera meri:
Mactata veniet lenior hostia.

XX.

Ad Maecenatem.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi; datus in theatro
Cum tibi plausus,

Clare

Clare Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae, simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Caecubum, & praelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

XXI.

In Dianam et Apollinem.

Dianam tenerae dicite virgines:
Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.
Vos laetam fluviis, & nemorum comam,
Quaecumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi:
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.
Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo & principe Caesare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

V. 5. Vulg. Carl. 5. Coma.

Digitized by Google

XXII.

Ad Aristium Fuscum.

Integer vitae, scelerisque purus
Non eget Mauris jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra;
Sive per Syrtis iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & ultra
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem:
Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit aesculetis;
Nec Jubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura;
Quod latus mundi nebulae malusque
Juppiter urguet:
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata;
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII.

Ad Chloen.

Vitas hinnuleo me similis, Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano
Aurarum & siluae metu.
Nam, seu mobilibus vepris inhorruit
Ad ventum foliis, seu virides rubum
Dimovere lacertae,
Et corde & genibus tremit.
Atqui non ego te, tigris ut aspera
Gaetulusve leo, frangere persequor
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

XXIV.

Ad Virgilium.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? praecipe lugubris
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urguet? cui Pudor, & Justitiae soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?

V. 5. Vulg. Veris. 6. Adventus. 8. Invenient. Multis.

Digitized by Google

Multis ille bonis flebilis occidit;
Nulli flebilior quam tibi, Virgili.
Tu frustra pius, heu non ita creditum,
Poscis Quintilium Deos.
Quod si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem;
Non vanae redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum: sed levius fit patientia,
Quicquid corrigere est nefas.

XXV.

Ad Lydiam.

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt: amatque
Janua limen,
Quae prius multum facilis movebat
Cardines. audis minus & minus jam,
Me tuo longam pereunte noctem,
Lydia, dormis?
Invicem moechos anus arrogantis
Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento.

V. 7. Vulg. Longas noctes.

Cum

Cum tibi flagrans amor, & libido,
Quae ſolet matres furiare equorum,
Saeviet circa jecur ulceroſum;
Non ſine queſtu,
Laeta quod pubes edera virente
Gaudeat, pulla magis atque myrto;
Aridas frondis hiemis ſodali
Dedicet Euro.

XXVI.

De Aelio Lamia.

Musis amicus, triſtitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis; quis ſub Arcto
Rex gelidae metuatur oræ,
Quid Tiridaten terreat unice
Securus. ô quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,
Pimpleï dulcis: nil ſine te mei
Poſſunt honores. hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio ſacrare plectro
Teque tuaſque decet ſorores.

V. 17. Vulg. Virenti. 20. Hebro. 9. Pimplea. 10. prosunt.

Digitized by Google

XXVII.

Ad Sodales.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare, Thracum est. tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino & lucernis Medus acinaces
Inmane quantum discrepat. impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.
Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Volnere, qua pereat sagitta.
Cessat voluntas? non alia bibam
Mercede. quae te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus, ingenuoque semper
Amore peccas. quicquid habes, age,
Depone tutis auribus. ah miser,
Quanta laboras in Charybdi!
Digne puer meliore flamma.
Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix inligatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII.

Te maris & terrae, numeroque carentis arenae
Menſorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera: nec quicquam tibi prodeſt,
Aerias tentaſſe domos animoque rotundum
Percurriſſe polum, morituro.
Occidit & Pelopis genitor conviva Deorum,
Tithonuſque remotus in auras,
Et Jovis arcanis Minos admiſſus: habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demiſſum; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora teſtatus, nihil ultra
Nervos atque cutem morti conceſſerat atrae;
Judice te, non ſordidus auctor
Naturae verique. ſed omnis una manet nox,
Et calcanda ſemel via leti.
Dant alios Furiae torvo ſpectacula Marti:
Exitio eſt avidum mare nautis:
Mixta ſenum ac juvenum denſentur funera: nullum
Saeva caput Proſerpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Oſſibus & capiti inhumato
Particulam dare. ſic, quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Heſperiis, Venuſinae

V. 18. Vulg. Avidis.

Plectan-

Plectantur ſilvae, te ſoſpite; multaque merces,
Unde poteſt, tibi defluat aequo
Ab Jove, Neptunoque ſacri cuſtode Tarenti.
Neglegis inmeritis nocituram
Poſtmodo te natis fraudem committere? fors &
Debita jura viceſque ſuperbae
Te maneant ipſum: precibus non linquar inultis;
Teque piacula nulla reſolvent.
Quamquam feſtinas, non eſt mora longa; licebit
Injecto ter pulvere curras.

XXIX.

Ad Iccium.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis; & acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus; horribiliſque Medo
Nectis catenas. quae tibi virginum,
Sponſo necato, barbara ſerviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis,
Doctus ſagittas tendere Sericas
Arcu paterno? quis neget arduis
Pronos relabi poſſe rivos
Montibus, & Tiberim reverti;
Cum tu coemtos undique nobilis
Libros Panaetî, Socraticam & domum
Mutare

V. 4. Vulg. Horribilique.

Digitized by Google

Mutare loricis Hiberis,
Pollicitus meliora, tendis?

XXX.

Ad Venerem.

O Venus regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Ture te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.
Fervidus tecum puer, & solutis
Gratiae zonis, properentque Nymphae,
Et parum comis sine te Juventas,
Mercuriusque.

XXXI.

Ad Apollinem.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? non opimae
Sardiniae segetes feracis;
Non aestuosae grata Calabriae
Armenta; non aurum, aut ebur Indicum;
Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.
Premant Calenam falce, quibus dedit
Fortuna, vitem; dives ut aureis

v. 9. Vulg. Calena. 10. Dives et aur.

Mer-

Mercator exſiccet culullis
Vina Syra reparata merce,
Dîs carus ipſis: quippe ter & quater
Anno reviſens aequor Atlanticum
Inpune. me paſcant olivae,
Me cichorea, leveſque malvae.
Frui paratis & valido mihi,
Latoe, dones; ac, precor, integra
Cum mente nec turpem ſenectam
Degere, nec cithara carentem.

XXXII.

Ad Lyram.

Poscimus, ſi quid vacui ſub antro
Luſimus tecum, quod & hunc in annum
Vivat & pluris, age dic Latinum,
Barbite, carmen:
Lesbio primum modulate civi;
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Litore navem,
Liberum & Muſas Veneremque & illi
Semper haerentem puerum canebat,
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.
O decus Phoebi, & dapibus ſupremi
Grata teſtudo Jovis, ô laborum

V. 15. Vulg. Pascunt. 18. Et prec. 1. Sub umbra.

Dulce

Dulce lenimen, mihi cumque ſalve
Rite vocanti.

XXXIII.

Ad Albium Tibullum.

Albi, ne doleas plus nimio memor
Inmitis Glycerae, neu miſerabilis
Decantes elegos, cur tibi junior
Laeſa praeniteat fide;
Inſignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor: Cyrus in aſperam
Declinat Pholoen: ſed prius Appulis
Jungentur capreae lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero.
Sic viſum Veneri; cui placet inpares
Formas atque animos ſub juga aënea
Saevo mittere cum joco.
Ipſum me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Hadriae
Curvantis Calabros ſinus.

XXXIV.

Parcus Deorum cultor & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiae
Conſultus erro; nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus

Digitized by Google

Cogor relectos. namque Dieſpiter,
Igni coruſco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantis
Egit equos volucremque currum:
Quo bruta tellus & vaga flumina,
Quo Styx, & inviſi horrida Taenari
Sedes, Atlanteuſque finis
Concutitur. valet ima ſummis
Mutare, & inſigne attenuat Deus,
Obſcura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit, hic poſuiſſe gaudet.

XXXV.

Ad Fortunam.

O Diva, gratum quae regis Antium,
Praeſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus; te dominam aequoris,
Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus aſper, te profugi Scythae,
Urbeſque, genteſque, & Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni:

Injuri-

V. 5. Vulg. Relictos. 13. Insignem.

Digitized by Google

Injurioſo ne pede proruas
Stantem columnam; neu populus frequens
Ad arma ceſſantis, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te ſemper anteit ſaeva Neceſſitas,
Clavos trabalis & cuneos manu
Geſtans aëna; nec ſeverus
Uncus abeſt, liquidumque plumbum.
Te Spes, & albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcumque mutata potentis
Veſte domos inimica linquis.
At volgus infidum, & meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis
Cum faece ſiccatis amici,
Ferre jugum pariter doloſi.
Serves iturum Caeſarem in ultimos
Orbis Britannos, & juvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.
Eheu, cicatricum & ſceleris pudet,
Fratrumque. quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefaſti
Liquimus? unde manum juventus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ô utinam nova

V. 30. Forte, Ultimos, Gro, Britannos.

Digitized by Google

Incude defingas retuſum in
Maſſagetas Arabaſque ferrum.

XXXVI.

Et ture & fidibus juvat
Placare, & vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidae Deos:
Qui nunc Heſperia ſoſpes ab ultima,
Caris multa ſodalibus,
Nulli plura tamen dividit oſcula,
Quam dulci Lamiae; memor
Actae non alio rege puertiae,
Mutataeque ſimul togae.
Creſſa ne careat pulchra dies nota:
Neu promtae modus amphorae,
Neu morem in Salium ſit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Baſſum Threïcia vincat amyſtide:
Neu deſint epulis roſae,
Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalin putris
Deponent oculos: nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Laſcivis ederis ambitioſior.

V. 39. Vulg. DIFFINGAS.

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII.

Ad Sodales.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis: dum Capitolio
Regina dementis ruinas,
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet inpotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria. sed ninuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus:
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem
Remis adurgens, (accipiter velut
Mollis columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Haemoniae) daret ut catenis
Fatale monstrum: quae generosius
Perire quaerens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentis
Classe cita reparavit oras.

V. 10. Forte, Opprobriorum quidl. 24. Forte, Penetravit. Ausa.

Digitized by Google

Auſa & jacentem viſere regiam
Voltu ſereno, fortis & aſperas
Tractare ſerpentis, ut atrum
Corpore conbiberet venenum,
Deliberata morte ferocior:
Saevis Liburnis ſcilicet invidens
Privata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

XXXVIII.

Ad Puerum.

Persicos odi, puer, apparatus:
Diſplicent nexae philyra coronae:
Mitte ſectari, roſa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil adlabores
Sedulus cura: neque te miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me ſub arta
Vite bibentem.

V. 6. Vulg. Curo.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI CARMINUM

LIBER II.

I.

AD ASINIUM POLLIONEM.

MOTUM ex Metello consule civicum,
Bellique causas, & vitia, & modos,
Ludumque Fortunae, gravisque
Principum amicitias, & arma
Nondum expiatis tincta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas, & incedis per ignis
Subpositos cineri doloso.
Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Insigne maestis praesidium reis,
Et consulenti Pollio curiae:
Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Jam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis auris: jam litui strepunt:

V. 5. Vulg. UNCTA.

Jam

Jam fulgor armorum fugacis
Terret equos, equitumque voltus.
Videre magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere ſordidos,
Et cuncta terrarum ſubacta,
Praeter atrocem animum Catonis.
Juno & Deorum quiſquis amicior
Afris, inulta ceſſerat inpotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthae.
Quis non Latino ſanguine pinguior
Campus ſepulcris inpia proelia
Teſtatur, auditumque Medis
Heſperiae ſonitum ruinae?
Qui gurges, aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore noſtro?
Sed ne relictis, Muſa procax, jocis,
Ceae retractes munera naeniae:
Mecum Dionaeo ſub antro
Quaere modos leviore plectro.

II.

Ad Crispum Sallustium.

Nullus argento color eſt avaris
Abdito terris; inimice lamnae

V. 21. Vulg. Audire. 2. Abditae.

Criſpe

Criſpe Salluſti, niſi temperato
Splendeat uſu.
Vivet extento Proculeius aevo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum agit penna metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.
Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam ſi Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Poenus
Serviat uni.
Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops;
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri ſolio Phraaten,
Diſſidens plebi, numero beatorum
Eximit virtus; populumque falſis
Dedocet uti
Vocibus: regnum & diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,
Quiſquis ingentis oculo inretorto
Spectat acervos.

V. 7. Vulg. Agit.

Digitized by Google

III.

Ad Dellium.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus ac bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia; moriture Delli,
Seu maestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum beatis
Interiore nota Falerni.
Qua pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis, & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo;
Huc vina, & unguenta, & nimium brevis
Flores amoenae ferre jube rosae:
Dum res, & aetas, & sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coemtis saltibus, & domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit:
Cedes; & exstructis in altum
Divitiis potietur heres.
Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, & infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.

V. 2. Vulg. In. boq.

Omnes

Digitized by Google

Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura, & nos in aeternum
Exsilium inpositura cumbae.

IV.

Ad Xanthiam.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu; prius insolentem
Serva Briseïs niveo colore
Movit Achillem:
Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae:
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta;
Barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore, & ademtus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.
Nescias an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes:
Regium certe genus, & Penatis
Maeret iniquos.
Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam; neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudenda.

V. 18. Vulg. Delectam.

Digitized by Google

Brachia, & voltum, teretiſque ſuras
Integer laudo: fuge ſuſpicari,
Cujus octavum trepidavit aetas
Claudere luſtrum.

V.

NONDUM ſubacta ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequare, nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus:
Circa virentis eſt animus tuae
Campos juvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aeſtum, nunc in udo
Ludere cum vitulis ſalicto
Praegeſtientis. tolle cupidinem
Inmitis uvae: jam tibi lividos
Diſtinguet Autumnus racemos,
Purpureo varius colore.
Jam te ſequetur (currit enim ferox
Aetas; & illi, quos tibi demſerit,
Adponet annos) jam proterva
Fronte petet Lalage maritum:
Dilecta, quantum non Pholoe fugax,
Non Chloris: albo ſic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiuſve Gyges:
Quem ſi puellarum inſereres choro,
Mire ſagacis falleret hoſpites

V. 24. Forte, CONDERE luſt.

Diſcri-

Digitized by Google

Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque voltu.

VI.

Ad Septimium.

Septimi Gadis aditure mecum, &
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, &
Barbaras Syrtis, ubi Maura semper
Aestuat unda;
Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae:
Sit modus lasso maris & viarum
Militiaeque.
Unde si Parcae prohibent iniquae;
Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.
Ille terrarum mihi praeter omnis
Angulus ridet: ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:
Ver ubi longum, tepidasque praebet
Juppiter brumas, & apricus Aulon
Fertilis Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus & beatae
Postulant arces: ibi tu calentem

Debita

V. 18. Vulg. Amicus. 19. Fertili.

Debita ſparges lacrima favillam
Vatis amici.

VII.

Ad Pompeium.

O Saepe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dîs patriis, Italoque caelo,
Pompei, meorum prime ſodalium?
Cum quo morantem ſaepe diem mero
Fregi, coronatus nitentis
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos & celerem fugam
Senſi, relicta non bene parmula;
Cum fracta virtus, & minaces,
Turpe, ſolum tetigere mento.
Sed me per hoſtis Mercurius celer
Denſo paventem ſuſtulit aëre:
Te rurſus in bellum reſorbens
Unda fretis tulit aeſtuoſis.
Ergo obligatam redde Jovi dapem;
Longaque feſſum militia latus
Depone ſub lauru mea; nec
Parce cadis tibi deſtinatis.
Oblivioſo levia Maſſico
Ciboria exple: funde capacibus

Unguenta

Unguenta de conchis. quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? non ego ſanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere eſt amico.

VIII.

Ad Barinen.

Ulla ſi juris tibi pejerati
Poena, Barine, nocuiſſet unquam;
Dente ſi nigro fieres, vel uno
Turpior ungui;
Crederem: ſed tu, ſimul obligaſti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo, juvenumque prodis
Publica cura.
Expedit matris cineres opertos
Fallere, & toto taciturna noctis
Signa cum caelo, gelidaque Divos
Morte carentis.
Ridet hoc, inquam, Venus ipſa; rident
Simplices Nymphae, ferus & Cupido,
Semper ardentis acuens ſagittas
Cote cruenta.
Adde, quod pubes tibi creſcit omnis.
Servitus creſcit nova: nec priores

Inpiae.

Inpiae tectum dominae relinquunt,
Saepe minati.
Te ſuis matres metuunt juvencis,
Te ſenes parci; miſeraeque, nuper
Virgines, nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

IX.

Ad Valgium.

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros; aut mare Caſpium
Vexant inaequales procellae
Uſque; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, ſtat glacies iners
Menſis per omnis; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu ſemper urgues flebilibus modis
Myſten ademtum; nec tibi Veſpero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente ſolem.
At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnis Antilochum ſenex
Annos; nec inpubem parentes
Troïlon, aut Phrygiae ſorores
Flevere ſemper. deſine mollium
Tandem querelarum; & potius nova

Cante-

Digitized by Google

Cantemus Auguſti tropaea
Caeſaris: & rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis, minores volvere vertices;
Intraque praeſcriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

X.

Ad Licinium.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urguendo; neque, dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo
Litus iniquum.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit tutus, caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Saepius ventis agitatur ingens
Pinus; & celſae graviore caſu
Decidunt turres; feriuntque ſummos
Fulgura montis.
Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene praeparatum
Pectus. informis hiemes reducit
Juppiter; idem
Submovet: non, ſi male nunc, & olim
Sic erit: quondam citharae tacentem

V. 12. Vulg. Fulmina. 18. Cithara.

Digitized by Google

Suſcitat muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.
Rebus anguſtis animoſus atque
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

XI.

Ad Quintium.

Quid bellicoſus Cantaber, & Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
Diviſus objecto, remittas
Quaerere; nec trepides in uſum
Poſcentis aevi pauca. fugit retro
Levis juventas & decor, arida
Pellente laſcivos amores
Canitie, facilemque ſomnum.
Non ſemper idem floribus eſt honor
Vernis; neque uno Luna rubens nitet
Voltu. quid aeternis minorem
Conſiliis animum fatigas?
Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes ſic temere, & roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque nardo
Potamus uncti? diſſipat Euius
Curas edacis. quis puer ocius

V. 9. Vulg. Honos.

Reſtin-

Digitized by Google

Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?
Quis devium ſcortum eliciet domo
Lyden? eburna dic age cum lyra
Maturet, incomtam Lacaenae
More comam religata nodo.

XII.

Ad Maecenatem.

Nolis longa ferae bella Numantiae,
Nec durum Hannibalem, nec Siculum mare
Poeno purpureum ſanguine, mollibus
Aptari citharae modis;
Nec ſaevos Lapithas, & nimium mero
Hylaeum; domitoſque Herculea manu
Telluris juvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: tuque pedeſtribus
Dices hiſtoriis proelia Caeſaris,
Maecenas, melius, ductaque per vias
Regum colla minacium.
Me dulcis dominae Muſa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentis oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia

V. 23. Vulg. Incomtum. 24. Nodum. 2. Dirum.

Digitized by Google

Ludentem nitidis virginibus, ſacro
Dianae celebris die.
Num tu, quae tenuit dives Achaemenes
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos?
Dum flagrantia detorquet ad oſcula
Cervicem; aut facili ſaevitia negat,
Quae poſcente magis gaudeat eripi;
Interdum rapere occupat.

XIII.

ILLUM, ô, nefaſto te poſuit die
Quicumque primum, & ſacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi;
Illum & parentis crediderim ſui
Fregiſſe cervicem, & penetralia
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis: ille venena Colcha,
Et quicquid uſquam concipitur nefas,
Tractavit; agro qui ſtatuit meo
Te triſte lignum, te caducum
In domini caput inmerentis.
Quid quiſque vitet, numquam homini ſatis
Cautum eſt in horas. navita Boſporum
Poenus perhorreſcit, neque ultra
Caeca timet aliunde fata:

W. 28, Vulg. OCCUPET. 1. ILLE ET nef. & COLCHICA.

Miles

Miles ſagittas & celerem fugam
Parthi; catenas Parthus & Italum
Robur: ſed inproviſa lecti
Vis rapuit rapietque gentis.
Quam paene furvae regna Proſerpinae,
Et judicantem vidimus Aeacum,
Sedeſque diſcretas piorum, &
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus;
Et te ſonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.
Utrumque ſacro digna ſilentio
Mirantur umbrae dicere: ſed magis
Pugnas & exactos tyrannos
Denſum humeris bibit aure volgus.
Quid mirum? ubi illis carminibus ſtupens
Demittit atras belua centiceps
Auris, & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
Quin & Prometheus, & Pelopis parens
Dulci laborem decipitur ſono:
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

(*) Forte, REDUCEM fugam. V. 38. Vulg. LABORUM.

AD

XIV.

Ad Postumum.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis & instanti senectae
Adferet, indomitaeque morti:
Non si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places inlacrimabilem
Plutona tauris; qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi
Conpescit unda, scilicet omnibus,
Quicumque terrae munere vescimur,
Enaviganda; sive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Hadriae;
Frustra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.
Visendus ater flumine languido
Cocytos errans, & Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor: neque harum, quas colis, arborum
Te, praeter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet

V 18. Vulg. Cocytus.

Digitized by Google

Absumet heres Caecuba dignior
Servata centum clavibus, & merò
Tinguet pavimentum superbo,
Pontificum potiore cenis.

XV.

Jam pauca aratro jugera regiae
Moles relinquent: undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu; platanusque caelebs
Evincet ulmos: tum violaria, &
Myrtus, & omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori:
Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. non ita Romuli
Praescriptum & intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum spernere caespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumtu jubentes, & Deorum
Templa novo decorare saxo.

Digitized by Google

XVI.

Ad Grosphum.

Otium Divos rogat in patente
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis, neque perpura venale, nec auro.
Non enim gazae, neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantis.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum;
Nec levis somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur aevo
Multa? quid terras alio calentis
Sole mutamus? patriae quis exsul
Se quoque fugit?
Scandit aeratas vitiosa navis
Cura; nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis, & agente nimbos
Ocior Euro.

V. 1. Vulg. Patenti.

Laetus

Laetus in praeſens animus, quod ultra eſt
Oderit curare, & amara lento
Temperet riſu. nihil eſt ab omni
Parte beatum.
Abſtulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit ſenectus:
Et mihi forſan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum, Siculaeque circum
Mugiunt vaccae; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctae
Veſtiunt lanae: mihi parva rura, &
Spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere volgus.

XVII.

Ad Maecenatem.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Dîs amicum eſt, nec mihi, te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum.
Ah, te meae ſi partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque, nec ſuperſtes
Integer? ille dies utramque

v. 26. Forte, Leni.

Digitized by Google

Ducet ruinam: non ego perfidum
Dixi ſacramentum: ibimus, ibimus,
Utcumque praecedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimaerae ſpiritus igneae,
Nec ſi reſurgat centimanus Gyges,
Divellet umquam: ſic potenti
Juſtitiae placitumque Parcis.
Seu Libra, ſeu me Scorpios aſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horae, ſeu tyrannus
Heſperiae Capricornus undae:
Utrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum. te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucriſque fati
Tardavit alas; cum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit ſonum:
Me truncus inlabſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextra levaſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum. reddere victimas
Aedemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

¥ 14. Vulg. GIGAS, vel GYAS.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa: neque Attali
Ignotus heres regiam occupavi:
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae.
At fides, & ingenî
Benigna vena est; pauperemque dives
Me petit: nihil supra
Deos lacesso, nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novaeque pergunt interire Lunae.
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus, & sepulcri
Immemor, struis domos:
Marisque Baiis obstrepentis urgues
Submovere litora,
Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
Revellis agri terminos, & ultra
Limites clientium
Salis avarus? pellitur paternos

In sinu ferens Deos
Et uxor & vir, sordidosque natos.
Nulla certior tamen,
Rapacis Orci sede destinata
Aula divitem manet
Herum. quid ultra tendis? aequa tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris: nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit, auro captus. hic superbum
Tantalum atque Tantali
Genus coërcet: hic levare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus atque non vocatus audit.

XIX.

In Bacchum.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite posteri)
Nymphasque discentis, & auris
Capripedum Satyrorum acutas.
Euoe! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur. euoe! parce Liber,
Parce, gravi metuende thyrso.
Fas pervicacis sit mihi Thyiadas,
Vinique fontem, lactis & uberes

v. 9. Est mihi Thyadas.

Cantare

Cantare rivos, atque truncis
Labſa cavis iterare mella:
Fas & beatae conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disjecta non leni ruina,
Thracis & exitium Lycurgi.
Tu flectis amnis, tu mare barbarum:
Tu ſeparatis uvidus in jugis
Nodo coërces viperino
Biſtonidum ſine fraude crinis.
Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum ſcanderet inpia,
Rhoetum retorſiſti leonis
Unguibus, horribilique mala:
Quamquam, choreis aptior & jocis
Ludoque dictus, non ſat idoneus
Pugnae ferebaris, ſed idem
Pacis eras mediuſque belli.
Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam; & recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

XX.

Ad Maecenatem.

Non uſitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera

V. 23 Vulg. Rhoecum.

Vates;

Digitized by Google

Vates; neque in terris morabor
Longius; invidiaque major
Urbis relinquam. non ego, Pauperum
Sanguis parentum, non ego quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo;
Nec Stygia cohibebor unda.
Jam jam residunt cruribus asperae
Pelles; & album mutor in alitem
Superne; nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.
Jam Daedaleo ocior Icaro,
Visam gementis litora Bospori,
Syrtisque Gaetulas, canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, &, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus, & ultimi
Noscent Geloni: me peritus
Discet Hiber, Rhodanique potor.
Absint inani funere naeniae,
Luctusque turpes, & querimoniae:
Conpesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

Q. HORA-

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI CARMINUM

LIBER III.

I.

ODI profanum volgus, & arceo.
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
Descendat in campum petitor;
Moribus hic meliorque fama
Contendat; illi turba clientium
Sit major: aequa lege necessitas
Sortitur insignis & imos;
Omne capax movet urna nomen.
Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem;
Non avium citharaeque cantus
Somnum

Somnum reducent. ſomnus agreſtium
Lenis virorum non humilis domos
Faſtidit umbroſamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Deſiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſollicitat mare,
Nec ſaevus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Haedi:
Non verberatae grandine vineae,
Funduſque mendax; arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta piſces aequora ſentiunt,
Jactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemtor
Cum famulis, dominuſque terrae
Faſtidioſus: ſed timor & minae
Scandunt eodem quo dominus: neque
Decedit aerata triremi, &
Poſt equitem ſedet atra cura.
Quod ſi dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum ſidere clarior
Delinit uſus, nec Falerna
Vitis, Achaemeniumque coſtum;
Cur invidendis poſtibus, & novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operoſiores?

AD

Digitized by Google

II.

Angustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat; & Parthos ferocis
Vexet eques metuendus hasta;
Vitamque sub divo, & trepidis agat
In rebus: illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, & adulta virgo
Suspiret, Eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem; quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.
Dulce & decorum est pro patria mori.
Mors & fugacem consequitur virum:
Nec parcit inbellis juventae
Poplitibus, timidove tergo.
Virtus, repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit aut ponit securis
Arbitrio popularis aurae.
Virtus, recludens inmeritis mori
Caelum, negata tentat iter via;
Coetusque vulgaris, & udam
Spernit humum fugiente penna.
Est & fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum·

V. 14. Vulg. Persequitur. 16. Timidoque.

Digitized by Google

Volgarit arcanae, ſub iſdem
Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaſelon. ſaepe Dieſpiter
Neglectus inceſto addidit integrum:
Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede Poena claudo.

III.

JUSTUM, & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non voltus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Jovis:
Si fractus inlabatur orbis,
Inpavidum ferient ruinae.
Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Eniſus arcis attigit igneas:
Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit;
Gratum elocuta conſiliantibus
Junone Divis: ILION, Ilion
Fatalis inceſtuſque judex,
Et mulier peregrina vertit
In:

V. 28. Vulg. FRAGILEMQUE. 29. PHASELUM. 6. JOVIS MANUS. 10. INNIXUS.

Digitized by Google

In pulverem; ex quo deſtituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Caſtaeque damnatum Minervae,
Cum populo & duce fraudulento.
Jam nec Lacaenae ſplendet adulterae
Famoſus hoſpes? nec Priami domus
Perjura pugnacis Achivos
Hectoreis opibus refringit.
Noſtriſque ductum ſeditionibus
Bellum reſedit. protinus & gravis
Iras & inviſum nepotem,
Troïa quem peperit ſacerdos,
Marti redonabo. illum ego lucidas
Inire ſedes, ducere nectaris
Succos, & adſcribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter ſaeviat Ilion
Romamque pontus; qualibet exſules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paridiſque buſto
Inſultet armentum, & catulos ferae
Celent inultae; ſtet Capitolium
Fulgens, triumphatiſque poſſit
Roma ferox dare jura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras; qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus:

V. 32. Vulg. TROICA.

Digitized by Google

Aurum inrepertum, & ſic melius ſitum
Cum terra celat, ſpernere fortior,
Quam cogere humanos in uſus
Omne ſacrum rapiente dextra.
Quicumque mundo terminus obſtitit,
Hunc tangat armis; viſere geſtiens
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.
Sed bellicoſis fata Quiritibus
Hac lege dico; ne nimium pii,
Rebuſque fidentes, avitae
Tecta velint reparare Trojae.
Trojae renaſcens alite lugubri
Fortuna triſti clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis & ſorore.
Ter ſi reſurgat murus aëneus,
Auctore Phoebo; ter pereat meis
Exciſus Argivis: ter uxor
Capta virum puerosque ploret.
Non hoc jocoſae conveniet lyrae:
Quo Muſa tendis? deſine pervicax
Referre ſermones Deorum, &
Magna modis tenuare parvis.

IV.

Digitized by Google

IV.

Ad Calliopen.

Descende caelo, & dic age tibia
Regina longum Calliope melos;
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus, citharave Phoebi.
Auditis? an me ludit amabilis
Insania? audire, & videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos & aquae subeunt, & aurae.
Me fabulosae Volture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliae,
Ludo fatigatumque somno,
Fronde nova puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsae nidum Acherontiae,
Saltusque Bantinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti:
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem & ursis; ut premerer sacra
Lauroque, conlataque myrto,
Non sine Dîs animosus infans.
Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Praeneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidae placuere Baiae.

Vestris

Veſtris amicum fontibus & choris,
Non me Philippis verſa acies retro,
Devota non extinxit arbor,
Nec Sicula Palinurus unda.
Utcumque mecum vos eritis; libens
Inſanientem navita Boſporum
Tentabo, & arentis arenas
Litoris Aſſyrii viator.
Viſam Britannos hoſpitibus feros,
Et laetum equino ſanguine Concanum:
Viſam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Caeſarem altum, militia ſimul
Feſſas cohortes reddidit oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene conſilium & datis, & dato
Gaudetis almae. ſcimus ut inpios
Titanas inmanemque turmam
Fulmine ſuſtulerit coruſco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum; & umbras regnaque triſtia,
Divoſque, mortaliſque turbas
Imperio regit unus aequo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi
Fidens juventus horrida brachiis,
Fratreſque tendentes opaco
Pelion inpoſuiſſe Olympo.

V. 38. Vulg. Abdidit. 44. Caduco. 46. Et urbes.

Sed

Sed quid Typhoeus & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion ſtatu,
Quid Rhoetus evolſiſque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra ſonantem Palladis aegida
Poſſent ruentes? hinc avidus ſtetit
Volcanus, hinc matrona Juno, &
Numquam humeris poſiturus arcum,
Qui rore puro Caſtaliae lavit
Crinis ſolutos, qui Lyciae tenet
Dumeta, natalemque ſilvam,
Delius & Patareus Apollo.
Vis conſilî expers mole ruit ſua:
Vim temperatam Dî quoque provehunt
In majus: îdem odere vires
Omne nefas animo moventis.
Teſtis mearum centimanus Gyges
Sententiarum, notus & integrae
Tentator Orion Dianae,
Virginea domitus ſagitta.
Injecta monſtris Terra dolet ſuis:
Maeretque partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum: nec peredit
Inpoſitam celer ignis Aetnam:
Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiae additus
Cuſtos: amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

V. 55. Vulg. RHOECUS. 69. GIGAS vel GYAS.

Digitized by Google

V.

CAELO tonantem credidimus Jovem
Regnare: praesens Divos habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.
Milesne Crassi conjuge barbara
Turpis maritus vixit? & hostium
(Proh curia, inversique mores!)
Consenuit socerorum in arvis
Sub rege Medo Marsus & Appulus,
Anciliorum & nominis & togae
Oblitus, aeternaeque Vestae,
Incolumi Jove & urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Foedis, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum,
Si non periret inmiserabilis
Captiva pubes. SIGNA ego Punicis
Adfixa delubris, & arma
Militibus sine caede, dixit,
Derepta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, & arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis

V. 8. Vulg. ARMIS. 10. Anciliorum, nominis.

Dam-

Digitized by Google

Damnum. neque amiſſos colores
Lana refert medicata fuco;
Nec vera virtus, cum ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis ſe dedidit hoſtibus:
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners; timuitque mortem
Hinc, unde vitam ſumeret aptius;
Pacem & duello miſcuit: ô pudor!
O magna Carthago, probroſis
Altior Italiae ruinis!
Fertur pudicae conjugis oſculum,
Parvoſque natos, ut capitis minor,
Ab ſe removiſſe, & virilem
Torvus humi poſuiſſe voltum:
Donec labantis conſilio Patres
Firmaret auctor numquam alias dato;
Interque maerentis amicos
Egregius properaret exſul.
Atqui ſciebat, quae ſibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obſtantis propinquos,
Et populum reditus morantem;
Quam ſi clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,

v. 33. Vulg. CREDIDIT. 37. HIC—INSCIUS. 43. A ſe.

Digitized by Google

Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedaemonium Tarentum.

VI.

Ad Romanos.

Delicta majorum inmeritus lues,
Romane, donec templa refeceris
Aedesque labentis Deorum, &
Foeda nigro simulacra fumo.
Dîs te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dî multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.
Jam bis Moneses, & Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, & adjeciſſe praedam
Torquibus exiguis renidet.
Paene occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus & Aethiops;
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere, & genus, & domos:
Hoc fonte derivata clades
Inque patres populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artibus:
Jam

V. 20. Vulg. In. patriam pop.

Digitized by Google

Jam nunc & inceſtos amores
De tenero meditatur ungui.
Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina: neque eligit,
Cui donet inpermiſſa raptim
Gaudia luminibus remotis:
Sed juſſa coram non ſine conſcio
Surgit marito; ſeu vocat inſtitor,
Seu navis Hiſpanae magiſter,
Dedecorum pretioſus emtor.
Non his juventus orta parentibus
Infecit aequor ſanguine Punico;
Pyrrhumque, & ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum:
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas, & ſeverae
Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſtis; ſol ubi montium
Mutaret umbras, & juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnoſa quid non inminuit dies?
Aetas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Digitized by Google

VII.

Ad Asterien.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii,
Thyna merce beatum,
Constantis juvenem fide
Gygen? ille notis actus ad Oricum
Post insana Caprae sidera, frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrimis agit.
Atqui sollicitae nuntius hospitae,
Suspirare Chloen, & miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.
Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis inpulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens:
Et peccare docentis
Fallax historias movet,
Frustra: nam scopulis surdior Icari
Voces audit, adhuc integer. at tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus justo placeat, cave.

V. 20. Forte, Pellax. 20. Vulg. Monet.

Quam-

Quamvis non alius flectere equum ſciens
Aeque conſpicitur gramine Martio,
Nec quiſquam citus aeque
Tuſco denatat alveo:
Prima nocte domum claude, neque in vias
Sub cantu querulae deſpice tibiae:
Et te ſaepe vocanti
Duram, difficilis mane.

VIII.

Ad Maecenatem.

Martiis caelebs quid agam Calendis,
Quid velint flores & acerra turis
Plena, miraris, poſituſque carbo in
Ceſpite vivo,
Docte ſermones utriuſque linguae.
Voveram dulcis epulas, & album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, feſtus
Corticem adſtrictum pice dimovebit
Amphorae, fumum bibere inſtitutae
Conſule Tullo.
Sume, Maecenas, cyathos amici
Soſpitis centum; & vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis eſto
Clamor & ira.

Mitte

Mitte civilis ſuper Urbe curas.
Occidit Daci Cotiſonis agmen:
Medus infeſtis ſibi luctuoſus
Diſſidet armis:
Servit Hiſpanae vetus hoſtis orae
Cantaber, ſera domitus catena:
Jam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Neglegens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere:
Dona praeſentis cape laetus horae, &
Linque ſeveras.

IX.

Ad Lydiam.

Donec gratus eram tibi,
Nec quiſquam potior brachia candidae
Cervici juvenis dabat;
Perſarum vigui rege beatior.
Lyd. Donec non aliam magis
Arſiſti, neque erat Lydia poſt Chloën;
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.
Hor. Me nunc Threſſa Chloë regit,
Dulcis docta modos, & citharae ſciens:
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata ſuperſtiti.

V. 19. Vulg. Infestus sibi luctuosis. 27. Rape. 5. alia Lyd.

LYD. Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti:
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.
HOR. Quid si prisca redit Venus,
Diductosque jugo cogit aëneo?
Si flava excutitur Chloe,
Rejectaeque patet janua Lydiae?
LYD. Quamquam sidere pulchrior
Ille est; tu levior cortice, & inprobo
Iracundior Hadria:
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

X.

AD LYCEN.

EXTREMUM Tanain si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro; me tamen asperas
Projectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat?
Sentis & positas ut glaciet nives
Puro numine Juppiter?
Ingratam Veneri pone superbiam;
Ne currente rota funis eat retro.

V. 28. Vulg. ORNITHI. 3. PORRECTUM. 6. SITUM. 7. Remugiat VENTIS? 8. PURO. 10. NE C. RETRO f. C. ROTA.

Non

Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.
O, quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus viola pallor amantium,
Nec vir Pieria pellice ſaucius
Curvat; ſupplicibus tuis
Parcas, nec rigida mollior aeſculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc ſemper erit liminis aut aquae
Caeleſtis patiens latus.

XI.

Ad Mercurium.

Mercuri, (nam te docilis magiſtro
Movit Amphion lapides canendo)
Tuque Teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis,
Nec loquax olim neque grata, nunc &
Divitum menſis & amica templis;
Dic modos, Lyde quibus obſtinatas
Adplicet auris:
Quae, velut latis equa trima campis,
Ludit exſultim metuitque tangi,
Nuptiarum expers & adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigris comiteſque ſilvas
Ducere, & rivos celeris morari.

Ceſſit

Digitized by Google

Ceſſit inmanis tibi blandienti
Janitor aulae
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, ſanieſque manet
Ore trilingui.
Quin & Ixion, Tityoſque voltu
Riſit invito: ſtetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde ſcelus atque notas
Virginum poenas, & inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,
Quae manent culpas etiam ſub Orco.
Inpiae, (nam quid potuere majus?)
Inpiae ſponſos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, & in omne virgo
Nobilis aevum:
SURGE, quae dixit juveni marito,
Surge, ne longus tibi ſomnus, unde
Non times, detur: ſocerum & ſceleſtas
Falle ſorores;
Quae, velut nactae vitulos leaenae,
Singulos (eheu) lacerant: ego illis

V 18. Forte, Caput, EXEATQUE.

Mollior nec te feriam, neque intra
Clauſtra tenebo.
Me pater ſaevis oneret catenis,
Quod viro clemens miſero peperci;
Me vel extremos Numidarum in agros
Claſſe releget.
I, pedes quo te rapiunt & aurae,
Dum favet nox & Venus: i ſecundo
Omine; & noſtri memorem ſepulcro
Scalpe querelam.

XII.

Ad Neobulen.

Miserarum eſt, nec amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere; aut exanimari metuentis
Patruae verbera linguae.
Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
Operoſaeque Minervae ſtudium aufert, Neobule,
Liparaei nitor Hebri;
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipſo melior Bellerophonte, neque pugno
Neque ſegni pede victus:
Catus idem per apertum fugientis agitato
Grege cervos jaculari, & celer arto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

V. 43. Vulg. Nec intra. 1. Nequr. 11. Alto. De Carmine XII. vide Notas.

XIII.

Digitized by Google

XIII.

Ad Fontem Bandusium.

O fons Bandusie, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis haedo;
Cui frons turgida cornibus
Primis & Venerem & proelia destinat,
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos,
Lascivi suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere: tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis inpositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

XIV.

De Reditu Augusti.

Herculis ritu modo dictus, ô plebs,
Morte venalem petiisse laurum
Caesar, Hispana repetit penatis
Victor ab ora.

V. 6. Vulg. Blandusiae.

 Unico

Digitized by Google

Unico gaudens mulier marito
Prodeat, caſtis operata ſacris;
Et ſoror cari ducis, & decorae
Supplice vitta
Virginum matres, juvenumque nuper
Soſpitum. vos ô pueri, & puellae
Jam virum expertae, male inominatis
Parcite verbis.
Hic dies vere mihi feſtus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Caeſare terras.
I pete unguentum, puer, & coronas,
Et cadum Marſi memorem duelli;
Spartacum ſi qua potuit vagantem
Fallere teſta.
Dic & argutae properet Neaerae,
Murreum nodo cohibente crinem:
Si per inviſum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit albeſcens animos capillus
Litium & rixae cupidos protervae.
Non ego hoc ferrem calidus juventa,
Conſule Planco.

V. 20. Vulg. JUSTIS operata DIVIS. 7. CLARI. 11. OMINATIS. 22. COMIBERE.

XV.

Digitized by Google

XV.

Ad Chlorin.

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiae fige modum tuae,
Famoſiſque laboribus:
Maturo propior deſine funeri
Inter ludere virgines,
Et ſtellis nebulam ſpargere candidis.
Non, ſi quid Pholoen ſatis,
Et te, Chlori, decet: filia rectius
Expugnat juvenum domos,
Pulſo Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Laſcivae ſimilem ludere capreae:
Te lanae prope nobilem
Tonſae Luceriam, non citharae decent,
Nec flos purpureus roſae,
Nec poti vetulam faece tenus cadi.

XVI.

Ad Maecenatem.

Inclusam Danaen turris aënea,
Robuſtaeque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiae munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris:

V. 10. Vulg. Thyas.

Digitized by Google

Si non Acriſium virginis abditae
Cuſtodem pavidum Juppiter & Venus
Riſiſſent: fore enim tutum iter & patens,
Converſo in pretium Deo.
Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa, potentius
Ictu fulmineo. concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demerſa exitio. diffidit urbium
Portas vir Macedo, & ſubruit aemulos
Reges muneribus. munera navium
Saevos inlaqueant duces.
Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. jure perhorrui
Late conſpicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.
Quanto quiſque ſibi plura negaverit,
Ab Dîs plura feret. nil cupientium
Nudus caſtra peto; & transfuga divitum
Partis linquere geſtio:
Contemtae dominus ſplendidior rei,
Quam ſi quicquid arat inpiger Appulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae, ſilvaque jugerum
Paucorum, & ſegetis certa fides meae,
Fulgente imperio fertilis Africae
Fallit ſorte beatior.

V. 13. Vulg. Excidio. 22. A Dis. 26. Non piger. 31. Fulgentem.

Quam-

Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
Nec Laeſtrygonia Bacchus in amphora
Langueſcit mihi, nec pinguia Gallicis
Creſcunt vellera paſcuis;
Inportuna tamen pauperies abeſt:
Nec, ſi plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam ſi Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. multa petentibus
Deſunt multa. bene eſt, cui Deus obtulit
Parca quod ſatis eſt manu.

XVII.

Ad Aelium Lamiam.

Aeli, vetuſto nobilis ab Lamo,
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos; & nepotum
Per memores genus omne faſtos
Auctore ab illo ducit originem,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps, & innantem Maricae
Litoribus tenuiſſe Lirim
Late tyrannus) eras foliis nemus
Multis, & alga litus inutili
Demiſſa tempeſtas ab Euro
Sternet; aquae niſi fallit augur

Annoſa.

v. 41. Vulg. Alyattici. 5. Ducis.

Annoſa cornix. dum potis, aridum
Conpone lignum: cras genium mero
Curabis, & porco bimeſtri,
Cum famulis operum ſolutis.

XVIII.

Ad Faunum.

Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos finis & aprica rura
Lenis incedas, abeaſque parvis
Aequus alumnis:
Si tener pleno cadit haedus anno,
Larga nec deſunt Veneris ſodali
Vina craterae; vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboſo pecus omne campo,
Cum tibi Nonae redeunt Decembres:
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum bove pagus:
Inter audacis lupus errat agnos:
Spargit agreſtis tibi ſilva frondes:
Gaudet inviſam pepuliſſe foſſor
Ter pede terram.

V. 13. Vulg. Potes.

XIX.

Digitized by Google

XIX.

Ad Telephum.

Quantum distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, & genus Aeaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio:
Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo praebente domum, & quota
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunae propere novae,
Da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus aut novem
Miscentor cyathis pocula commodis.
Qui musas amat inpares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tris prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis juncta sororibus.
Insanire juvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentis ego dexteras
Odi: sparge rosas: audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina, seni non habilis Lyco.

V. 12. Vulg. Miscentur.

Digitized by Google

Spiſſa te nitidum coma,
  Puro te ſimilem, Telephe, veſpero,
Tempeſtiva petit Rhode:
  Me lentus Glycerae torret amor meae.

XX.

Ad Pyrrhum.

Non vides quanto moveas periclo,
  Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura poſt paullo fugies inaudax
    Proelia raptor:
Cum per obſtantis juvenum catervas
Ibit inſignem repetens Nearchum:
Grande certamen, tibi praeda cedat
    Major, an illi.
Interim, dum tu celeris ſagittas
Promis, haec dentis acuit timendos,
Arbiter pugnae poſuiſſe nudo
    Sub pede palmam.
Fertur, & leni recreare vento
Sparſum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquoſa
    Raptus ab Ida.

V. 13. Vulg. Petit Chloe.

XXI.

Digitized by Google

Ad Amphoram.

XXI.

O nata mecum conſule Manlio,
Seu tu querelas, ſive geris jocos,
Seu rixam & inſanos amores,
Seu facilem, pia teſta, ſomnum:
Quocunque lectum nomine Maſſicum
Servas, moveri digna bono die;
Deſcende, Corvino jubente
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te neglegit horridus.
Narratur & priſci Catonis
Saepe mero incaluiſſe virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu ſapientium
Curas & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyaeo:
Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Vireſque; & addis cornua pauperi,
Poſt te nec iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, &, ſi laeta aderit, Venus,
Segneſque nodum ſolvere Gratiae,
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat aſtra Phoebus.

V. 10. Vulg. Negliget. 12. Calvisse. 19. Neque.

Digitized by Google

XXII.

In Dianam.

Montium custos nemorumque, Virgo,
Quae laborantis utero puellas
Ter vocata audis, adimisque leto,
Diva triformis;
Inminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

XXIII.

Ad Phidylen.

Caelo supinas si tuleris manus,
Nascente Luna, rustica Phidyle;
Si ture placaris & horna
Fruge Lares, avidaque porca;
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Robiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter & ilices,
Aut crescit Albanis in herbis,
Victima pontificum securim

V. 12. Vulg. Secures.

Cervice.

Digitized by Google

Cervice tinguet: te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium,
Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.
Inmunis aram si tetigit manus;
Non sumtuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penatis,
Farre pio, & saliente mica.

XXIV.

INTACTIS opulentior
Thesauris Arabum & divitis Indiae,
Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, & mare Apulicum:
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos; non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt, & rigidi Getae;
Inmetata quibus jugera liberas
Fruges & Cererem ferunt;
Nec cultura placet longior annua:
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.

V. 18. Vulg. MOLLIBIT.

Illic

Digitized by Google

Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum
Conjunx, nec nitido fidit adultero.
Dos eſt magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo foedere caſtitas:
Et peccare nefas, aut pretium eſt mori.
O quis, quis volet inpias
Caedes, & rabiem tollere civicam?
Si quaeret pater urbium
Subſcribi ſtatuis; indomitam audeat
Refrenare licentiam,
Clarus poſtgenitis: quatenus, heu nefas,
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.
Quid triſtes querimoniae,
Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges ſine moribus
Vanae proficiunt; ſi neque fervidis
Pars incluſa caloribus
Mundi, nec Boreae finitimum latus,
Durataeque gelu nives
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt aequora navitae.
Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis & facere & pati,
Virtutiſque viam deſerere arduae.

Vel

V. 25. Vulg. O QUISQUIS. 39. SOLO nives. 44. DESERIT.

Digitized by Google

Vel nos in Capitolium,
  Quo clamor vocat & turba faventium,
Vel nos in mare proximum
  Gemmas & lapides aurum & inutile,
Summi materiem mali,
  Mittamus. ſcelerum ſi bene poenitet.
Eradenda cupidinis
  Pravi ſunt elementa, & tenerae nimis
Mentes aſperioribus
  Firmandae ſtudiis. neſcit equo rudis
Haerere ingenuus puer,
  Venarique timet; ludere doctior,
Seu Graeco jubeas trocho,
  Seu malis vetita legibus alea:
Cum perjura patris fides
  Conſortem ſocium fallat & hoſpites,
Indignoque pecuniam
  Heredi properet. ſcilicet inprobae
Creſcunt divitiae: tamen
  Curtae neſcio quid ſemper abeſt rei.

XXV.

Ad Bacchum.

Quo me, Bacche, rapis tui
  Plenum? quae nemora, aut quos agor in ſpecus,
Velox mente nova? quibus
  Antris egregii Caeſaris audiar

V. 49. Vulg. Materiam. 54. Formandae. 60. Hoſpitem. Aeter-

Aeternum meditans decus
Stellis inſerere, & concilio Jovis?
Dicam inſigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. non ſecus in jugis
Edonis ſtupet Euias,
Hebrum proſpiciens, & nive candidam
Thracen, ac pede barbaro
Luſtratam Rhodopen; ac mihi devio
Rivos & vacuum nemus
Mirari libet. ô Naïadum potens,
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos.
Nil parvum, aut humili modo,
Nil mortale loquar. dulce periculum eſt,
O Lenaee, ſequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.

XXVI.

Ad Venerem.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non ſine gloria:
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Laevum marinae qui Veneris latus
Cuſtodit. hic, hic ponite lucida
Funalia, & vectis, & arcus
Oppoſitis foribus minaces.

O,

V. 9. Vulg. Exsomnis. 12. Ut mihi. 13. Ripas.

Digitized by Google

O quae beatam Diva tenes Cyprum, &
Memphin carentem Sithonia nive,
Regina, ſublimi flagello
Tange Chloen ſemel arrogantem.

XXVII.

Ad Galateam.

Inpios parrae recinentis omen
Ducat, & praegnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Foetaque volpes.
Rumpit & ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquom ſimilis ſagittae
Terruit mannos. ego cui timebo
Providus auſpex,
Antequam ſtantis repetat paludes
Imbrium divina avis inminentum,
Oſcinem corvum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix ubicumque mavis,
Et memor noſtri, Galatea, vivas:
Teque nec laevus vetat ire picus,
Nec vaga cornix.
Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion? ego quid ſit ater
Hadriae, novi, ſinus; & quid albus
Peccet Iapyx.

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

Hoſtium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis auſtri, &
Aequoris nigri fremitum, & trementis
Verbere ripas.
Sic & Europe niveum doloſo
Credidit tauro latus; at ſcatentem
Beluis pontum mediaſque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis ſtudioſa florum, &
Debitae Nymphis opifex coronae,
Nocte ſubluſtri nihil aſtra praeter
Vidit & undas.
Quae ſimul centum tetigit potentem
Oppidis Creten, PATER ô relictum
Filiae nomen, pietaſque, dixit,
Victa furore!
Unde, quo veni? levis una mors eſt
Virginum culpae. vigilanſne ploro
Turpe commiſſum? an vitio carentem
Ludit imago
Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? meliuſne fluctus
Ire per longos fuit, an recentis
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc juvencum
Dedat iratae, lacerare ferro &
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monſtri.

Impu-

V. 26. Vulg. Et ſcat. 39. Vitiis. 48. Tauri.

Digitized by Google

Inpudens liqui patrios penatis:
Inpudens Orcum moror. ô Deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones.
Antequam turpis macies decentis
Occupet malas, teneraeque ſuccus
Defluat praedae, ſpecioſa quaero
Paſcere tigris.
Vilis Europe, pater urguet abſens,
Quid mori ceſſas? potes hac ab orno
Pendulum zona bene te ſecuta e-
lidere collum.
Sive te rupes, & acuta leto
Saxa delectant; age, te procellae
Crede veloci: niſi herile mavis
Carpere penſum
Regius ſanguis, dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus, & remiſſo
Filius arcu:
Mox, ubi luſit ſatis, ABSTINETO,
Dixit, irarum calidaeque rixae;
Cum tibi inviſus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis eſſe neſcis?
Mitte ſingultus; bene ferre magnam
Diſce fortunam: tua ſectus orbis
Nomina ducet.

V. 60. Vulg. LAEDERE. V. 71. Forte, JAM tibi.

Digitized by Google

XXVIII.

Ad Lyden.

Festo quid potius die
Neptuni facias? prome reconditum,
Lyde, strenua Caecubum;
Munitaeque adhibe vim sapientiae.
Inclinare meridiem
Sentis; ac veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
Neptunum, & viridis Nereïdum comas:
Tu curva recines lyra
Latonam, & celeris spicula Cynthiae:
Summo carmine, quae Cnidon
Fulgentisque tenet Cycladas, & Paphum
Junctis visit oloribus,
Dicetur; merita Nox quoque naenia.

XXIX.

Ad Maecenatem.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,
Cum flore, Maecenas, rosarum, &
Pressa tuis balanus capillis

Jam-

V. 2. Vulg. Faciam. 14. Paphon.

Digitized by Google

Jamdudum apud me eſt. eripe te morae:
Ne ſemper udum Tibur & Aeſulae
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidae.
Faſtidioſam deſere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatae
Fumum & opes ſtrepitumque Romae.
Plerumque gratae divitibus vices,
Mundaeque parvo ſub lare pauperum
Cenae, ſine aulaeis & oſtro,
Sollicitam explicuere frontem.
Jam clarus occultum Andromedae pater
Oſtendit ignem; jam Procyon furit,
Et ſtella veſani Leonis,
Sole dies referente ſiccos.
Jam paſtor umbras cum grege languido
Rivumque feſſus quaerit, & horridi
Dumeta Silvani: caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu civitatem quis deceat ſtatus
Curas, & Urbi ſollicitus times,
Quid Seres & regnata Cyro
Bactra parent, Tanaiſque diſcors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus;
Ridetque, ſi mortalis ultra
Fas trepidat. quod adeſt, memento;

V. 17. Vulg. ANDROMEDES.

Con-

Digitized by Google

Conponere aequus: caetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruſcum
In mare, nunc lapides adeſos
Stirpiſque raptas & pecus & domos
Volventis una, non ſine montium
Clamore vicinaeque ſilvae;
Cum fera diluvies quietos
Inritat amnis. ille potens ſui
Laetuſque deget, cui licet in diem
Dixiſſe, VIXI: cras vel atra
Nube polum Pater occupato,
Vel ſole puro: non tamen inritum,
Quodcunque retro eſt, efficiet; neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens ſemel hora vexit.
Fortuna ſaevo laeta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem. ſi celeris quatit
Pennas; reſigno quae dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem ſine dote quaero.
Non eſt meum, ſi mugiat Africis
Malus procellis, ad miſeras preces
Decurrere, & votis paciſci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces

Addant

Addant avaro divitias mari.
Tum me biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura ferat, geminusque Pollux. 64

XXX.

EXEGI monumentum aere perennius,
Regalique situ pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo inpotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series & fuga temporum. 5
Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam. usque ego postera
Crescam laude recens; dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus, 10
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. sume superbiam
Quaesitam meritis, & mihi Delphica 15
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

V. 62. Vulg. TUNC. 64. FERET.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI CARMINUM

LIBER IV.

I.

AD VENEREM.

INTERMISSA, Venus, diu
Rurſus bella moves? parce precor, precor.
Non ſum qualis eram bonae
Sub regno Cinarae. deſine, dulcium
Mater ſaeva Cupidinum,
Circa luſtra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis: abi
Quo blandae juvenum te revocant preces.
Tempeſtivius in domum
Paulli, purpureis ales oloribus,
Comiſſabere Maximi;
Si torrere jecur quaeris idoneum.
Namque & nobilis, & decens,
Et pro ſollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
Late ſigna feret militiae tuae:
Et, quandoque potentior
Largi muneribus riſerit aemuli,
Alba-

V. 9. Vulg. DOMO. 18. LARGIS.

Digitized by Google

Albanos prope te lacus
Ponet marmoream ſub trabe citrea.
Illic plurima naribus
Duces tura; lyraque & Berecyntia
Delectabere tibia
Mixtis carminibus non ſine fiſtula.
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient humum.
Me nec femina, nec puer
Jam, nec ſpes animi credula mutui,
Nec certare juvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur heu! Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua ſilentio?
Nocturnis ego ſomniis
Jam captum teneo, jam volucrem ſequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubilis.

II.

Ad Antonium Iulum.

Pindarum quiſquis ſtudet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea

V. 22, 23. Vulg. Lyrae, Berecyntiae, Tibiae.

Digitized by Google

Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas,
Fervet, inmenſuſque ruit profundo
Pindarus ore;
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audacis nova dithyrambos
Verba devolvit, numeriſque fertur
Lege ſolutis:
Seu Deos, regeſve canit Deorum
Sanguinem, per quos cecidere juſta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae:
Sive, quos Elea domum reducit
Palma caeleſtis, pugilemve equumve
Dicit, & centum potiore ſignis
Munere donat:
Flebili ſponſae juvenemve raptum
Plorat, & vires animumque moreſque
Aureos educit in aſtra, nigroque
Invidet Orco.
Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quotiens in altos
Nubium tractus: ego, apis Matinae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem,
Plurimum circa nemus uvidique

Tiburis

V. 13. Vulg. REGESQUE.

Digitized by Google

Tiburis rivos operosa parvus
Carmina fingo.
Concines majore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet ferocis
Per sacrum clivom merita decorus
Fronde Sygambros:
Quo nihil majus melius ve terris
Fata donavere bonique Divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines laetosque dies, & Urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meae (si quid loquor audiendum)
Vocis accedet bona pars; &, O sol
Pulcher, ô laudande, canam, recepto
Caesare felix.
Isque dum procedit, Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis; dabimusque Divis
Tura benignis.
Te decem tauri totidemque vaccae,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre qui largis juvenescit herbis
In mea vota;
Fronte curvatos imitatus ignis
Tertium lunae referentis ortum,

V. 31. Vulg. Ripas. 45. Loquar. 49. Tuque, Procedis.

Digitized by Google

Qua notam duxit, niveus videri,
Cetera fulvus.

III.

Ad Melpomenen.

Quem tu, Melpomene, ſemel
Naſcentem placido lumine videris,
Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem; non equus inpiger
Curru ducet Achaico
Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Oſtendet Capitolio:
Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt,
Et ſpiſſae nemorum comae,
Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romae principis urbium
Dignatur ſuboles inter amabilis
Vatum ponere me choros:
Et jam dente minus mordeor invido.
O teſtudinis aureae
Dulcem quae ſtrepitum, Pieri, temperas;
O mutis quoque piſcibus
Donatura cycni, ſi libeat, ſonum:
Totum muneris hoc tui eſt,
Quod monſtror digito praetereuntium

Romanae

Romanae fidicen lyrae:
Quod ſpiro & placeo (ſi placeo) tuum eſt.

IV.

Drusi Laudes.

Qualem miniſtrum fulminis alitem
(Cui rex Deorum regnum in avis vagas
Permiſit, expertus fidelem
Juppiter in Ganymede flavo)
Olim juventas, & patrius vigor
Nido laborum propulit inſcium;
Vernique, jam nimbis remotis,
Inſolitos docuere niſus
Venti paventem: mox in ovilia
Demiſit hoſtem vividus impetus;
Nunc in reluctantis dracones
Egit amor dapis atque pugnae:
Qualemve laetis caprea paſcuis
Intenta, fulvae matris ab ubere
Jam lacte depulſum leonem,
Dente novo peritura, vidit:
Videre Raetis bella ſub Alpibus
Druſum gerentem Vindelici; quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia ſecuri
Dextras obarmet, quaerere diſtuli:
Nec ſcire fas eſt omnia: ſed diu

V. 17. Vulg. Rhoeti.

Late-

Digitized by Google

Lateque victrices catervae
Consiliis juvenis repressae
Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita sanctis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus; neque inbellem feroces
Progenerant aquilae columbam,
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae.
Quid debeas, ô Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, & Hasdrubal
Devictus, & pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea;
Dirus per urbis Afer ut Italas,
Ceu flamma per taedas, vel eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, & impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana Deos habuere rectos.
Dixitque tandem perfidus Hannibal;
CERVI, luporum praeda rapacium,

V. 24. Vulg. REVICTAE. 26. FAUSTIS. 31. NEC.

Secta-

Sectamur ultro, quos opimus
Fallere & effugere est triumphus.
Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Jactata Tuscis aequoribus sacra
Natosque maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbis,
Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedis, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem;
Monstrumve submisere Colchi
Majus, Echioniaeve Thebae.
Merses profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruit integrum
Cum laude victorem; geritque
Proelia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis, & fortuna nostri
Nominis, Hasdrubale interemto.
Nil Claudiae non perficiunt manus;
Quas & benigno numine Juppiter
Defendit, & curae sagaces
Expediunt per acuta belli.

V. 66. Vulg. Proruet. 67. Geretque. 73. Perficient.

Digitized by Google

V.

Ad Augustum.

Divis orte bonis, optime Romulae
Cuſtos gentis, abes jam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Inſtar veris enim voltus ubi tuus
Adfulſit populo; gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.
Ut mater juvenem, quem notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem ſpatio longius annuo
Dulci diſtinet a domo,
Votis ominibuſque & precibus vocat;
Curvo nec faciem litore demovet:
Sic deſideriis icta fidelibus
Quaerit patria Caeſarem.
Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit farra Ceres, almaque Fauſtitas:
Pacatum volitant per mare navitae:
Culpari metuit fides:
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperae:
Culpam poena premit comes.

Quis

V. 18. Vulg. Nutrit RURA.

Digitized by Google

Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis Germania quos horrida parturit
Foetus? incolumi Caesare, quis ferae
Bellum curet Hiberiae?
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina venit laetus, & alteris
Te mensis adhibet Deum:
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris; & Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.
LONGAS ô utinam, dux bone, ferias
Praestes Hesperiae; dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum sol Oceano subest.

VI.

AD APOLLINEM.

DIVE, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae, Tityosque raptor
Sensit, & Trojae prope victor altae
Phthius Achilles,
Ceteris major, tibi miles inpar;
Filius quamvis Thetidis marinae
Dardanas turris quateret tremenda
Cuspide pugnax.

V. 31. Vulg. REDIT.

Digitized by Google

Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut inpulsa cupressus euro,
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non inclusus equo Minervae
Sacra mentito, male feriatos
Troas & laetam Priami choreis
Falleret aulam;
Sed palam captis gravis, heu nefas heu!
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo:
Ni tuis flexus Veneriſque gratae
Vocibus Divom pater adnuisset
Rebus Aenaee potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutae fidicen Thaliae
Phoebe, qui Xantho lavis amne crinis,
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.
Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis, nomenque dedit poetae.
Virginum primae puerique claris
Patribus orti,
Deliae tutela Deae, fugacis
Lyncas & cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum;
Rite

V. 19. Vulg. LATENTES. 21. VICTUS.

Digitized by Google

Rite Latonae puerum canentes,
Rite creſcentem face Noctilucam,
Proſperam frugum, celeremque pronos
Volvere menſis.
Nupta jam dices; Ego Dîs amicum,
Saeculo feſtas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horatî.

VII.

Ad Torquatum.

Diffugere nives: redeunt jam gramina campis,
Arboribuſque comae:
Mutat terra vices; & decreſcentia ripas
Flumina praetereunt:
Gratia cum Nymphis geminiſque ſororibus audet
Ducere nuda choros.
Inmortalia ne ſperes, monet annus, & almum
Quae rapit hora diem.
Frigora miteſcunt zephyris: ver proterit aeſtas,
Interitura, ſimul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant caeleſtia lunae:
Nos ubi decidimus
Quo pater Aeneas, quo Tullus, dives & Ancus,
Pulvis & umbra ſumus.

V. 15. Vulg. Pius Aen.

Digitized by Google

Quis ſcit an adjiciant hodiernae craſtina ſummae
Tempora Dî ſuperi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.
Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria;
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Reſtituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:
Nec Lethaea valet Theſeus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

VIII.

Ad Censorinum.

Donarem pateras grataque commodus,
Cenſorine, meis aera ſodalibus:
Donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum: neque tu peſſima munerum
Ferres, divite me ſcilicet artium
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas;
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non haec mihi vis; nec tibi talium
Res eſt aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: carmina poſſumus
Donare, & pretium dicere muneri.

V. 9. Vulg. Non tibi.

Non

Non inciſa notis marmora publicis,
Per quae ſpiritus & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus; non celeres fugae
Rejectaeque retrorſum Hannibalis minae;
Non incendia Carthaginis inpiae,
Ejus qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides: neque
Si chartae ſileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. quid foret Iliae
Mavortiſque puer, ſi taciturnitas
Obſtaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus, & favor, & lingua potentium
Vatum divitibus conſecrat inſulis.
Dignum laude virum Muſa vetat mori:
Caelo Muſa beat. ſic Jovis intereſt
Optatis epulis inpiger Hercules:
Clarum Tyndaridae ſidus ab infimis
Quaſſas eripiunt aequoribus rates:
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

IX.

Ad Lollium.

Ne forte credas interitura, quae
Longe ſonantem natus ad Aufidum

Non?

Digitized by Google

Non ante volgatas per artes
Verba loquor ſocianda chordis;
Non, ſi priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque, & Alcaei minaces
Steſichorique graves Camenae:
Nec, ſi quid olim luſit Anacreon,
Delevit aetas: ſpirat adhuc amor,
Vivuntque conmiſſi calores
Aeoliae fidibus puellae.
Non ſola comtos arſit adulteri
Crinis & aurum veſtibus inlitum,
Mirata regaliſque cultus
Et comites, Helene Lacaena:
Primuſve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non ſemel Ilion
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve ſolus
Dicenda Muſis proelia: non ferox
Hector, vel acer Deïphobus gravis
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus:
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes inlacrimabiles
Urguentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro.
Paullum ſepultae diſtat inertiae
Celata virtus. non ego te meis
Chartis

V. 18. Vulg. Ilios.

Digitized by Google

Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Inpune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. est animus tibi
Rerumque prudens, & secundis
Temporibus dubiisque rectus;
Vindex avarae fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae:
Consulque non unius anni;
Sed, quotiens bonus atque fidus
Judex honestum praetulit utili &
Rejecit alto dona nocentium
Voltu, per obstantis catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque leto flagitium timet;
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

X.

Ad Ligurinum.

O crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens;
Insperata tuae cum veniet pluma superbiae,

Et

V. 31. Vulg. Sileri. 43. Vultu, et per.

Digitized by Google

Et quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
Nunc & qui color est puniceae flore prior rosae,
Mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam:
Dices heu! quotiens te in speculo videris alterum,
QUAE mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?

XI.

AD PHYLLIDEM.

EST mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
Est ederae vis
Multa, qua crinis religata fulges:
Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis avet inmolato
Spargier agno:
Cuncta festinat manus: huc & illuc
Cursitant mixtae pueris puellae:
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris quibus advoceris
Gaudiis; Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem:
Jure sollemnis mihi, sanctiorque
Pene natali proprio; quod ex hac
Luce

V. 5. Vulg. LIGURINUM.

Digitized by Google

Luce Maecenas meus adfluentis
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuae ſortis juvenem puella
Dives & laſciva, tenetque grata
Compede vinctum.
Terret ambuſtus Phaëthon avaras
Spes: & exemplum grave praebet ales
Pegaſus, terrenum equitem gravatus
Bellerophonten,
Semper ut te digna ſequare; &, ultra
Quam licet ſperare nefas putando,
Diſparem vites. age, jam meorum
Finis amorum,
(Non enim poſthac alia calebo
Femina) condiſce modos, amanda
Voce quos reddas: minuentur atrae
Carmine curae.

XII.

Ad Virgilium.

Jam veris comites, quae mare temperant,
Inpellunt animae lintea Thraciae:
Jam nec prata rigent, nec fluvii ſtrepunt
Hiberna nive turgidi:
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, & Cecropiae domus

Digitized by Google

Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum eſt ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Cuſtodes ovium carmina fiſtula;
Delectantque Deum, cui pecus & nigrae
Colles Arcadiae placent.
Adduxere ſitim tempora, Virgili:
Sed preſſum Calibus ducere Liberum
Si geſtis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina mercberis.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis adcubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quae ſi properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tinguere poculis,
Plena dives ut in domo.
Verum pone moras & ſtudium lucri;
Nigrorumque memor dum licet ignium,
Miſce ſtultitiam conſiliis brevem:
Dulce eſt deſipere in loco.

XIII.

Ad Lycen.

Audivere, Lyce, Dî mea vota, Dî
Audivere, Lyce. ſis anus, & tamen

V. 11. Vulg. Et nigri 16. Merebere.

Vis

Digitized by Google

Vis formoſa videri,
Ludiſque & bibis inpudens:
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum ſollicitas. ille virentis &
Doctae pſallere Chiae
Pulchris excubat in genis.
Inportunus enim tranſvolat aridas
Quercus, & refugit te, quia luridi
Dentes, te quia rugae
Turpant & capitis nives.
Nec Coae referunt jam tibi purpurae,
Nec cari lapides tempora, quae ſemel
Notis condita faſtis
Incluſit volucris dies.
Quo fugit Venus? heu! quove color? decens
Quo motus? quid habes illius, illius
Quae ſpirabat amores,
Quae me ſurpuerat mihi?
Felix poſt Cinaram, notaque & artium
Gratarum facies: ſed Cinarae brevis
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulae temporibus Lycen:
Poſſent ut juvenes viſere fervidi,
Multo non ſine riſu,
Dilabſam in cineres facem.

V. 14. Vulg. CLARI.

Digitized by Google

XIV.

Ad Augustum.

Quae cura Patrum, quaeve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguſte, virtutes in aevum
Per titulos memoreſque faſtus
Aeternet? ô, qua ſol habitabilis
Inluſtrat oras, maxime principum,
Quem legis expertes Latinae
Vindelici dicere nuper,
Quid Marte poſſes. milite nam tuo
Druſus Genaunos, inplacidum genus,
Breunoſque velocis, & arces
Alpibus inpoſitas tremendis
Dejecit acer plus vice ſimplici.
Major Neronum mox grave proelium
Conmiſit, inmaniſque Raetos
Auſpiciis pepulit ſecundis:
Spectandus in certamine Martio
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis,
Indomitus prope qualis undas
Exercet Auſter, Pleiadum choro
Scindente nubes; inpiger hoſtium
Vexare turmas, & frementem
Mittere equum medios per ignis.

V. 10. Vulg. 20. Indomitas.

Sic

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qua regna Dauni praefluit Appuli,
Cum ſaevit, horrendamque cultis
Diluviem minitatur agris;
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vaſto diruit impetu,
Primoſque & extremos metendo
Stravit humum, ſine clade victor:
Te copias, te conſilium, & tuos
Praebente Divos. nam tibi, quo die
Portus Alexandrea ſupplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus,
Laudemque & optatum peractis
Imperiis decus adrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis,
Meduſque & Indus, te profugus Scythes
Miratur, ô tutelâ praeſens
Italiae dominaeque Romae.
Te fontium qui celat origines
Niluſque, & Iſter, te rapidus Tigris,
Te beluoſus qui remotis
Obſtrepit Oceanus Britannis,
Te non paventes funera Galliae,
Duraeque tellus audit Hiberiae:
Te caede gaudentes Sygambri
Conpoſitis venerantur armis.

V. 26. Vulg. Qui. 28. Meditatur. 49. Paventis.

Digitized by Google

XV.

Augusti Laudes.

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas & urbis increpuit lyra;
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. tua, Caesar, aetas
Fruges & agris rettulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus, & vacuum duellis
Janum Quirini clausit, & ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
Injecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artis;
Per quas Latinum nomen & Italae
Crevere vires, famaque, & imperî
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Caesare, non furor
Civilis aut vis exiget otium;
Non ira, quae procudit ensis,
Et miseras inimicat urbes.
Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia; non Getae,
Non Seres infidive Persae,
Non Tanain prope flumen orti.

Nosque

Digitized by Google

Noſque & profeſtis lucibus & ſacris,
Inter jocoſi munera Liberi,
Cum prole matroniſque noſtris
Rite Deos prius adprecati,
Virtute functos more patrum duces,
Lydis remixto carmine tibiis,
Trojamque & Anchiſen & almae
Progeniem Veneris canemus.

Q. HORATII FLACCI EPODON LIBER.

I.

Ad Maecenatem.

IBIS Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,
Paratus omne Caeſaris periculum
Subire, Maecenas, tuo?
Quid nos, quibus te vita ſi ſuperſtite
Jocunda; ſi contra, gravis?
Utrumne juſſi perſequemur otium,
Non dulce, ni tecum ſimul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non mollis viros?

V. 5. Vulg. Vita Sit.

Feremus

Feremus: & te vel per Alpium juga
Inhoſpitalem & Caucaſum,
Vel occidentis uſque ad ultimum ſinum
Forti ſequemur pectore.
Roges, tuum labore quid juvem meo
Inbellis ac firmus parum?
Comes minore ſim futurus in metu,
Qui major abſentis habet:
Ut adſidens inplumibus pullis avis
Serpentium adlabſus timet
Magis relictis; non uti ſit auxilî
Latura plus praeſentibus.
Libenter hoc & omne militabitur
Bellum in tuae ſpem gratiae:
Non ut juvencis inligata pluribus
Aratra nitantur mea;
Pecuſve Calabris ante ſidus fervidum
Lucana mutet paſcuis:
Neque ut ſupini villa candens Tuſculi
Circaea tangat moenia.
Satis ſuperque me benignitas tua
Ditavit: haud paravero,
Quod aut avarus ut Chremes terra premam;
Diſcinctus aut perdam ut nepos.

V. 17. Vulg. Sum. 21. Non ut adsit. 26. Meis. 28. Pascua. 29. Nec ut supernl.

Digitized by Google

II.

VITAE RUSTICAE LAUDES.

BEATUS ille, qui procul negotiis,
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fenore?
Neque excitatur claſſico miles truci,
Nec horret iratum mare;
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos;
Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantis greges;
Inutiliſve falce ramos amputans,
Feliciores inſerit;
Aut preſſa puris mella condit amphoris;
Aut tondet infirmas ovis.
Vel, cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
Ut gaudet inſitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpurae,
Qua muneretur te, Priape, & te, pater
Silvane tutor finium!
Libet jacere modo ſub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine:

V. 5. Vulg. Nec. 13. Inutilesque. 18. Arvis.

Digitized by Google

Labuntur altis interim rivis aquae;
  Queruntur in ſilvis aves;
Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus,
  Somnos quod invitet leves.
At cum tonantis annus hibernus Jovis
  Imbris niveſque conparat,
Aut trudit acris hinc & hinc multa cane
  Apros in obſtantis plagas;
Aut amite levi rara tendit retia,
  Turdis edacibus dolos;
Pavidumve leporem, & advenam laqueo gruem,
  Jocunda captat praemia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
  Haec inter obliviſcitur?
Quod ſi pudica mulier in partem juvet
  Domum atque dulcis liberos,
Sabina qualis aut peruſta ſolibus
  Pernicis uxor Appuli;
Sacrum vetuſtis exſtruat lignis focum,
  Laſſi ſub adventum viri;
Claudenſque textis cratibus laetum pecus,
  Diſtenta ſiccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
  Dapes inemtas adparet;
Non me Lucrina juverint conchylia,
  Magiſve rhombus aut ſcari,
Si quos Eois intonata fluctibus
  Hiems ad hoc vertat mare.

Non

V. 35. Vulg. PAVIDUMQUE.

Digitized by Google

Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jocundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, & gravi
Malvae salubres corpori,
Vel agna festis caesa Terminalibus,
Vel hoedus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat pastas ovis
Videre properantis domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentis languido;
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentis Lares!
Haec ubi locutus fenerator Alfius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam;
Quaerit Calendis ponere.

III.

Ad Maecenatem.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit;
Edit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
Num viperinus his cruor

v. 69. Vulg. Relegit.

Incoctus herbis me fefellit, an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnis candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris inligaturum juga
Perunxit hoc Iasonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae:
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.
At si quid unquam tale concupiveris,
Jocose Maecenas, precor
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema & in sponda cubet.

IV.

Ad Maenam Pompeii libertum.

Lupis & agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Hibericis peruste funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, sacram metiente te viam
Cum bis trium ulnarum toga,

V. 8. Vulg: Bis ter uln.

Ut

Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumviralibus
Praeconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit?
Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contemto, sedet?
Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones atque servilem manum?
Hoc, hoc tribuno militum.

V.

In Canidiam venefican.

At ô Deorum quicquid in caelo regit
Terras & humanum genus,
Quid iste fert tumultus? & quid omnium
Voltus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
Lucina veris adfuit,
Per hoc inane purpurae decus precor,
Per inprobaturum haec Jovem:
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro belua?
Ut haec tremente questus ore constitit
Insignibus raptis puer,

V. 11. Vulg. Trementi.

Inpube-

Inpube corpus, quale poſſet inpia
Mollire Thracum pectora:
Canidia brevibus inplicata viperis
Crinis & incomtum caput,
Jubet ſepulcris caprificos erutas,
Jubet cupreſſus funebris,
Et uncta turpis ova ranae ſanguine,
Plumamque nocturnae ſtrigis,
Herbaſque, quas Iolcos atque Hiberia
Mittit venenorum ferax,
Et oſſa ab ore rapta jejunae canis,
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernalis aquas,
Horret capillis ut marinus aſperis
Echinus, aut Laurens aper.
Abacta nulla Veia conſcientia,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus:
Quo poſſet infoſſus puer
Longo die bis terque mutatae dapis
Inemori ſpectaculo;
Cum promineret ore, quantum exſtant aqua
Suſpenſa mento corpora:
Exeſa uti medulla, & aridum jecur
Amoris eſſet poculum;
Interminato cum ſemel fixae cibo
Intabuiſſent pupulae.

Non

v. 28. Vulg. CURRENS aper. 33. TERVE. 37. EXSUCTA.

Digitized by Google

Non defuiſſe maſculae libidinis
Ariminenſem Foliam,
Et otioſa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum:
Quae ſidera excantata voce Theſſala
Lunamque caelo deripit.
Hic inreſectum ſaeva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitrae,
Nox, & Diana, quae ſilentium regis,
Arcana cum fiunt ſacra;
Nunc, nunc adeſte: nunc in hoſtilis domos
Iram atque numen vertite:
Formidoloſis dum latent ſilvis ferae,
Dulci ſopore languidae:
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanae canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meae laborarint manus.
Quid accidit? cur dira barbarae minus
Venena Medeae valent?
Quibus ſuperbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam;
Cum palla, tabo munus inbutum, novam
Incendio nuptam abſtulit.
Atqui nec herba nec latens in aſperis
Radix fefellit me locis.

Indormit.

Digitized by Google

Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Aha! ſolutus ambulat veneficae
Scientioris carmine.
Non uſitatis, Vare, potionibus
(O multa fleturum caput!)
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marſis redibit vocibus:
Majus parabo: majus infundam tibi
Faſtidienti poculum.
Priuſque caelum ſidet inferius mari,
Tellure projecta ſuper,
Quam non amore ſic mei flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub haec puer jam non ut ante mollibus
Lenire verbis inpias;
Sed dubius unde rumperet ſilentium,
Miſit Thyeſteas preces.
VENENA, magnum fas nefaſque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira deteſtatio
Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire juſſus exſpiravero,
Nocturnus occurram furor;
Petamque voltus umbra curvis unguibus;
Quae vis Deorum eſt Manium:
Et inquietis adſidens praecordiis,
Pavore ſomnos auferam.

Vos

V. 71. Vulg. AH, AH. 80. PORRECTA. 81. MEO.

Digitized by Google

Vos turba vicatim hinc hinc & saxis petens
Contundet obscaenas anus.
Post insepulta membra different lupi
Et Esquilinae alites.
Neque hoc parentis heu mihi superstites
Effugerit spectaculum.

VI.

In Cassium Severum.

Quid inmerentis hospites vexas, canis,
Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanis, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nivis,
Quaecumque praecedet fera.
Tu cum timenda voce conplesti nemus,
Projectum odoraris cibum.
Cave, cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambae spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
An si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

Digitized by Google

VII.

Ad Populum Romanum.

Quo, quo ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Parumne campis atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?
Non ut ſuperbas invidae Carthaginis
Romanus arcis ureret;
Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus via:
Sed ut, ſecundum vota Parthorum, ſua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus;
Numquam niſi in diſpar feris.
Furorne caecos, an rapit vis acrior,
An culpa? reſponſum date.
Tacent: & albus ora pallor inficit;
Menteſque perculſae ſtupent.
Sic eſt: acerba fata Romanos agunt,
Sceluſque fraternae necis;
Ut inmerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

V. 12. Vulg. Unquam. 13. Carcus. 15. Ora pallor albus.

VIII.

Digitized by Google

VIII.

In anum libidinosam.

Rogare longo putidam te saeculo,
Vires quid enervet meas?
Cum sit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem senectus exaret;
Hietque turpis inter aridas nates
Podex, velut crudae bovis.
Sed incitat me pectus, & mammae putres,
Equina quales ubera;
Venterque mollis, & femur tumentibus
Exile suris additum.
Esto beata: funus atque imagines
Ducant triumphales tuum:
Nec sit marita quae rotundioribus
Onusta baccis ambulet.
Quid, quod libelli Stoici inter sericos
Jacere pulvillos amant?
Inliterati num minus nervi rigent?
Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
Ore adlaborandum est tibi.

Digitized by Google

IX.

Ad Maecenatem.

Quando ô repoſtum Caecubum ad feſtas dapes,
Victore laetus Caeſare,
Tecum ſub alta (ſic Jovi gratum) domo,
Beate Maecenas, bibam?
Sonante mixtis tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis Barbarum:
Ut nuper; actus cum freto Neptunius
Dux fugit uſtis navibus,
Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus (eheu poſteri negabitis)
Emancipatus feminae
Fert vallum & arma miles, & ſpadonibus
Servire rugoſis poteſt:
Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopium.
Ad hoc frementis verterunt bis mille equos
Galli, canentes Caeſarem:
Hoſtiliumque navium portu latent
Puppes ſiniſtrorſum citae.
Io Triumphe; tu moraris aureos
Currus, & intactas boves.
Io Triumphe; nec Jugurthino parem
Bello reportaſti ducem;

Neque

V. 1. Vulg. Quando repoſt. 5. Mixtum. 17. Ad hunc.

Digitized by Google

Neque Africanum, cui ſuper Carthaginem
Virtus ſepulcrum condidit.
Terra marique victus hoſtis Punico
Lugubre mutavit ſagum.
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non ſuis,
Exercitatas aut petit Syrtis noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores adfer huc, puer, ſcyphos;
Aut Chia vina aut Lesbia,
Vel, quod fluentem nauſeam coerceat,
Metire nobis Caecubum.
Curam metumque Caeſaris rerum juvat
Dulci Lyaeo ſolvere.

X.

In Maevium.

Mala ſoluta navis exit alite
Ferens olentem Maevium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
Auſter, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverſo mari,
Fractoſque remos differat.
Inſurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementis ilices.
Nec ſidus atra nocte amicum appareat,
Qua triſtis Orion cadit:
Quietiore

V. 25. Vulg. Africano. 34. Et Chia.

Digitized by Google

Quietiore nec feratur aequore
Quam Graia victorum manus;
Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In inpiam Ajacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis,
Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis ejulatio,
Preces & aversum ad Jovem;
Ionius udo cum remugiens sinus
Noto carinam ruperit.
Opima quod si praeda curvo litore
Projecta mergos juveris;
Libidinosus inmolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

XI.

Ad Pettium.

Petti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos, amore percussum gravi;
Amore, qui me praeter omnis expetit
Mollibus in pueris aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decutit.
Heu me, per Urbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui! conviviorum ut poeniter,
In quis amantem & languor & silentium
Arguit, & latere petitus imo spiritus!

Con-

v. 22. Vulg. Porrecta. 2. Perculsum. Vide Notas. 8. Et poen.

Digitized by Google

Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium, querebar adplorans tibi;
Simul calentis inverecundus Deus
Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quod si meis inaestuet praecordiis
Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia;
Desinet inparibus certare submotus pudor.
Ubi haec severus te palam laudaveram;
Jussus abire domum, ferebar incerto pede
Ad non amicos heu mihi postis & heu
Limina dura, quibus lumbos & infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitie amor Lyciſci me tenet:
Unde expedire non amicorum queant
Libera consilia, nec contumeliae graves;
Sed alius ardor aut puellae candidae,
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

XII.

QUID tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
Munera quid mihi, quidve tabellas
Mittis, nec firmo juveni, neque naris obesae?
Namque sagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer, ubi lateat sus.
Qui sudor vietis, & quam malus undique membris
Crescit odor! cum pene soluto

Indo-

V. 24. Vulg. MOLLITIA. 2. CUR mihi. 7. QUIS sudor.

Indomitam properat rabiem ſedare; neque illi
Jam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili; jamque ſubando
Tenta cubilia tectaque rumpit.
Vel mea cum ſaevis agitat faſtidia verbis:
INACHIA langues minus ac me:
Inachiam ter nocte potes; mihi ſemper ad unum
Mollis opus. pereat male, quae te
Lesbia quaerenti taurum monſtravit inertem:
Cum mihi Cous adeſſet Amyntas;
Cujus in indomito conſtantior inguine nervus,
Quam nova collibus arbor inhaeret.
Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
Cui properabantur? tibi nempe:
Ne foret aequalis inter conviva, magis quem
Diligeret mulier ſua, quam te.
O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acris
Agna lupos, capreaeque leones.

XIII.

AD AMICOS.

HORRIDA tempeſtas caelum contraxit; & imbres
Niveſq; deducunt Jovem: nunc mare, nunc ſilvae
Threïcio Aquilone ſonant. rapiamus, amice,
Occaſionem de die: dumque virent genua,
Et decet, obducta ſolvatur fronte ſenectus.
Tu vina Torquato move conſule preſſa meo.

Cetera

V. 9. Vulg. Nec. 2. De Metro vide Notas. 3. AMICI.

Digitized by Google

Cetera mitte loqui: Deus haec fortaſſe benigna
Reducet in ſedem vice. nunc & Achaemenio
Perfundi nardo juvat, & fide Cyllenea
Levare duris pectora ſollicitudinibus:
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno;
INVICTE, mortalis Dea nate puer Thetide,
Te manet Aſſaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus & Simois:
Unde tibi reditum certo ſubtemine Parcae
Rupere; nec mater domum caerula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

XIV.

AD MAECENATEM.

MOLLIS inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem ſenſibus,
Pocula Lethaeos ut ſi ducentia ſomnos
Arente fauce traxerim,
Candide Maecenas, occidis ſaepe rogando:
Deus, Deus nam me vetat
Inceptos, olim promiſſum carmen, Iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arſiſſe Bathyllo
Anacreonta Teïum,
Qui perſaepe cava teſtudine flevit amorem
Non elaboratum ad pedem.

V. 8. Vulg. ACHAEMENIA. 10. DIRIS.

Digitized by Google

Ureris ipſe miſer: quod ſi non pulchrior ignis
Accendit obſeſſam Ilion,
Gaude ſorte tua. me libertina, neque uno
Contenta, Phryne macerat.

XV.

Ad Neaeram.

Nox erat, & caelo fulgebat luna ſereno
Inter minora ſidera;
Cum tu magnorum numen laeſura Deorum
In verba jurabas mea,
Arctius atque edera procera adſtringitur ilex,
Lentis adhaerens brachiis:
Dum pecori lupus, & nautis infeſtus Orion
Turbarit hibernum mare,
Intonſoſque agitarit Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum:
O dolitura mea multum virtute, Neaera.
Nam ſi quid in Flacco viri eſt,
Non feret aſſiduas potiori te dare noctis;
Et quaeret iratus parem.
Nec ſemel offenſi cedet conſtantia formae,
Si certus intrarit dolor.
Et tu, quicumque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo;
Sis pecore & multa dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat,

Nec

V. 8. Vulg. Turbaret. 9. Agitaret. 15. Offensae. 17. At.

Digitized by Google

Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
Formaque vincas Nirea;
Eheu translatos alio maerebis amores:
Ast ego vicissim risero.

XVI.

Ad Populum Romanum.

Altera jam teritur bellis civilibus aetas;
Suis & ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer,
Novisve rebus infidelis Allobrox;
Nec fera caerulea domuit Germania pube,
Parentibusve abominatus Hannibal;
Impia perdemus devoti sanguinis aetas:
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus heu cineres insistet victor, & Urbem
Eques sonante verberabit ungula:
Quaeque carent ventis & solibus ossa Quirini
(Nefas videre) dissipabit insolens.
Forte quid expediat, communiter, aut melior pars,
Malis carere quaeritis laboribus?
Nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum
Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit & rapacibus lupis:

V. 6. Vulg. Novisque. 8. Parentibusque.

Digitized by Google

Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet ſuadere? ſecunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in haec: Simul imis ſaxa renarint
Vadis levata, ne redire ſit nefas:
Neu converſa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina;
In mare ſeu celſus procurrerit Apenninus,
Novaque monſtra junxerit libidine
Mirus amor; juvet ut tigris ſubſidere cervis,
Adulteretur & columba miluo;
Credula nec ravos timeant armenta leones;
Ametque ſalſa levis hircus aequora.
Haec & quae poterunt reditus abſcindere dulcis,
Eamus omnis exſecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege: mollis & exſpes
Inominata perprimat cubilia.
Vos quibus eſt virtus, muliebrem tollite luctum,
Etruſca praeter & volate litora.
Nos manet Oceanus circumvagus arva beata;
Petamus arva, divites & inſulas:
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et inputata floret uſque vinea;
Germinat & numquam fallentis termes olivae;
Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice; montibus altis
Levis crepante lympha deſilit pede.

V. 8. Vulg. FLAVOS.

Illic

Digitized by Google

Illic injussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Nec intumescit alta viperis humus:
Pluraque felices mirabimur; ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis;
Utrumque rege temperante caelitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus;
Neque inpudica Colchis intulit pedem:
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
Laborioſa nec cohors Ulixeï.
Nulla nocent pecori contagia: nullius astri
Gregem aestuosa torret inpotentia.
Juppiter illa piae secrêrat litora genti;
Ut inquinavit aere tempus aureum,
Aerea dehinc ferro duravit secula: quo nunc
Piis secunda, vate me, datur fuga.

XVII.

HORATIUS: CANIDIA.

JAM jam efficaci do manus scientiae;
Supplex & oro regna per Proserpinae,
Per & Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa caelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris,

v. 63. Vulg. SECREVIT. 65. AERE, dehinc——QUORUM. Citum--

Digitized by Google

Citumque retro ſolve, ſolve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereïum,
In quem ſuperbus ordinarat agmina
Myſorum, & in quem tela acuta torſerat.
Luxere matres Iliae addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem;
Poſtquam relictis moenibus rex procidit
Heu pervicacis ad pedes Achilleï.
Setoſa duris exuere pellibus
Laborioſi remiges Ulixeï,
Volente Circa, membra: tunc mens & ſonus
Relabſus, atque notus in voltus honor.
Dedi ſatis ſuperque poenarum tibi,
Amata nautis multum & inſtitoribus.
Fugit juventas; & verecundus color
Reliquit ora, pelle amicta lurida.
Tuis capillus albus eſt odoribus.
Nullum a labore me reclinat otium.
Urguet diem nox, & dies noctem: neque eſt
Levare tenta ſpiritu praecordia.
Ergo negatum vincor ut credam miſer,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marſa diſſilire naenia.
Quid amplius vis? ô mare, ô terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Neſſi cruore, nec Sicana fervida
Furens in Aetna flamma. tua, donec cinis

V. 11. Vulg. UNXERE. 17. CIRCE. 18. RELATUS. 22. OSSA. 30. MARE ET terra. 33. VIRENS. TU.

Injuri-

Digitized by Google

Injurioſis aridus ventis ferar,
Calet venenis officina Colchicis.
Quae finis? aut quod me manet ſtipendium?
Effare: juſſas cum fide poenas luam;
Paratus expiare, ſeu popoſceris
Centum juvencos, ſive mendaci lyra
Voles ſonari: tu pudica, tu proba
Perambulabis aſtra ſidus aureum.
Infamis Helenae Caſtor offenſus vicem,
Fraterque magni Caſtoris, victi prece,
Ademta vati reddidere lumina.
Et tu (potes nam) ſolve me dementia,
O nec paternis obſoleta ſordibus,
Neque in ſepulcris pauperum prudens anus
Novendialis diſſipare pulveres.
Tibi hoſpitale pectus, & purae manus;
Tuuſque venter Pactumeius; & tuo
Cruore rubros obſtetrix pannos lavit,
Utcumque fortis exſilis puerpera.
CANID. Quid obſeratis auribus fundis preces?
Non ſaxa nudis ſurdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus ſalo.
Inultus ut tu riſeris Cotyttia
Volgata, ſacrum liberi Cupidinis?
Et Eſquilini pontifex venefici
Inpune ut Urbem nomine inpleris meo?
Quid proderat ditaſſe Pelignas anus,
Velociuſve miſcuiſſe toxicum?

Sed

V. 35. Vulg. CALES. 42. VICR. 50. PARTUMEIUS. 60. PRODERIT.

Digitized by Google

Sed tardiora fata te votis manent:
Ingrata miſero vita ducenda eſt, in hoc,
Novis ut uſque ſuppetas laboribus.
Optat quietem Pelopis infidi pater,
Egens benignae Tantalus ſemper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti:
Optat ſupremo conlocare Siſyphus
In monte ſaxum: ſed vetant leges Jovis.
Voles modo altis deſilire turribus,
Modo enſe pectus Norico recludere;
Fruſtraque vincla gutturi nectes tuo,
Faſtidioſa triſtis aegrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques;
Meaeque terra cedet inſolentiae.
An quae movere cereas imagines,
(Ut ipſe noſti curioſus) & polo
Deripere lunam vocibus poſſim meis,
Poſſim crematos excitare mortuos,
Deſiderîque temperare pocula;
Plorem artis in te nil agentis exitum?

V. 62. Vulg. Si tard. 64. Doloribus. 65. Infidus. 72. Innectes. 78. & 79. Possum. 81. Poculum.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI
CARMEN SAECULARE.

PHOEBE, ſilvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, ô colendi
Semper & culti, date quae praecamur
Tempore ſacro:
Quo Sibyllini monuere verſus
Virgines lectas pueroſque caſtos
Dîs, quibus ſeptem placuere colles,
Dicere carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis & celas, aliuſque & idem
Naſceris, poſſis nihil urbe Roma
Viſere majus.
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genetyllis:
Diva, producas ſubolem; Patrumque
Proſperes decreta ſuper jugandis
Feminis, proliſque novae feraci
Lege marita:
Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,

V. 16. Vulg. GENITALIS.

Digitized by Google

Ter die claro totienſque grata
Nocte frequentis.
Voſque veraces cecinisſe Parcae,
Quod ſemel dictum ſtabilis per aevum
Terminus ſervet, bona jam peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum pecoriſque tellus
Spicea donet Cererem corona:
Nutriant foetus & aquae ſalubres
Et Jovis aurae.
Condito mitis placiduſque telo
Supplices audi pueros, Apollo:
Siderum regina bicornis audi,
Luna, puellas:
Roma ſi veſtrum eſt opus, Iliaeque
Litus Etruſcum tenuere turmae,
Juſſa pars mutare lares & urbem
Soſpite curſu:
Cui per ardentem ſine fraude Trojam
Caſtus Aeneas patriae ſuperſtes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis.
Dî, probos mores docilis juventae,
Dî, ſenectutis placidae quietem
Romulae genti date, remque prolemque
Et decus omne.
Quaeque vos bobus veneratur albis

V. 26. Vulg. Dictum EST, STABILISQUE RERUM. 45. DOCILI. 46. SENEC. Clarus TUTI. 49. QUIQUE.

Digitized by Google

Clarus Anchiſae Veneriſque ſanguis,
Inpetret; bellante prior, jacentem
Lenis in hoſtem.
Jam mari terraque manum potentem
Medus, Albanaſque timet ſecuris:
Jam Scythae reſponſa petunt, ſuperbi
Nuper & Indi:
Jam Fides, & Pax, & Honos, Pudorque
Priſcus, & neglecta redire Virtus
Audet; adparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur, & fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptuſque novem Camenis,
Qui ſalutari levat arte feſſos
Corporis artus,
(Si Palatinas videt aequus arces
Remque Romanam Latiumque) felix
Alterum in luſtrum meliuſque ſemper
Prorogat aevum.
Quaeque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curat; & votis puerorum amicas
Adplicat auris.
Haec Jovem ſentire Deoſque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus & Phoebi chorus & Dianae
Dicere laudes.

V. 51. Vulg. IMPERET. 53. MANUS POTENTES. 57. HONOR. 68. PROROGET. 71. CURET. 72. APPLICET.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI
SERMONUM
LIBER I.
ECLOGA I.

QUI fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa
Contentus vivat; laudet diversa sequentis?
O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navem jactantibus Austris,
Militia est potior. quid enim? concurritur: horae
Momento aut cita mors venit, aut victoria laeta.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventis clamat in urbe.
Caetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem
Delassare valent Fabium. ne te morer, audi
Quo rem deducam. si quis Deus, En ego, dicat,
Jam faciam quod voltis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc, mutatis discedite partibus. eia,
Quid statis? nolint. atqui licet esse beatis.

Quid

Quid causae est, merito quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet, neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
Praeterea (ne sic, ut qui jocularia ridens
Percurram: quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima:
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.)
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautaeque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut
Parvola, nam exemplo est, magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo
Quem struit haud ignara ac non incauta futuri.
Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quaesitis sapiens: cum te neque fervidus aestus
Demoveat lucro, nec hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid juvat inmensum te argenti pondus & auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod, si conminuas, vilem redigatur ad assem:
At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum:
Non tuus hoc capiet venter plus ac meus: ut si
Reticulum panis venalis inter onusto

V. 38. Vulg. PATIENS. 39. NEQUE hiems. 46. Plus QUAM meus. Forte

Forte vehas humero; nihilo plus accipias quam
Qui nil portarit. vel dic, quid referat intra
Naturae finis viventi, jugera centum an
Mille aret? At ſuave eſt ex magno tollere acervo.
Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?
Ut, tibi ſi ſit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho; & dicas, Magno de flumine malim
Quam ex hoc fonticulo tantundem ſumere. Eo fit,
Plenior ut ſi quos delectet copia juſto,
Cum ripa ſimul avolſos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quantum eſt opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, nec vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falſo,
NIL ſatis eſt, inquit: quia tanti, quantum habeas, ſis.
Quid facias illi? jubeas miſeram eſſe libenter,
Quatenus id facit: ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat; at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus a labris ſitiens fugientia captat
Flumina. quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians, & tamquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Neſcis quo valeat nummus, quem praebeat uſum?
Panis ematur, olus, vini ſextarius; adde
Quîs humana ſibi doleat natura negatis.
An

V. 55. Vulg. MALLEM. 59. QUANTO. 60. NEQUE vitam. 63. MISERUM.

Digitized by Google

An vigilare metu exanimem, noctiſque dieſque
Formidare malos fures, incendia, ſervos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.
At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te adfixit; habes qui
Adſideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suſcitet, ac natis reddat cariſque propinquis?
Non uxor ſalvum te volt, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Miraris, cum tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo praeſtet, quem non merearis, amorem?
An, ſi cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis ſervareque amicos,
Infelix operam perdas; ut ſi quis aſellum
In campo doceat parentem currere frenis?
Denique ſit finis quaerendi: cumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus; & finire laborem
Incipias, parto quod avebas: ne facias quod
Ummidius, qui tam (non longa eſt fabula) dives
Ut metiretur nummos, ita ſordidus ut ſe
Non umquam ſervo melius veſtiret, ad uſque
Supremum tempus ne ſe penuria victus
Opprimeret metuebat: at hunc liberta ſecuri
Diviſit medium, fortiſſima Tyndaridarum.
Quid mî igitur ſuades? ut vivam Maenius aut ſic
Ut Nomentanus? Pergis pugnantia ſecum
Frontibus adverſis conponere? non ego avarum

V. 83. Vulg. Ac reddat natis. 88. At ſi. 94. Nec facias. 95. Quidam. Cum

Cum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Eſt inter Tanain quidam ſocerumque Viſellî:
Eſt modus in rebus; ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.
Illuc, unde abii, redeo. nemon' ut avarus
Se probet, ac potius laudet diverſa ſequentis?
Quodque aliena capella gerat diſtentius uber,
Tabeſcat? neque ſe majori pauperiorum
Turbae comparet? hunc atque hunc ſuperare laboret?
Sic feſtinanti ſemper locupletior obſtat:
Ut cum carceribus miſſos rapit ungula currus;
Inſtat equis auriga ſuos vincentibus, illum
Praeteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contentus tempore, vita
Cedat uti conviva ſatur, reperire queamus.
Jam ſatis eſt: ne me Criſpini ſcrinia lippum
Conpilaſſe putes, verbum non amplius addam.

ECLOGA II.

AMBUBAIARUM collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones; hoc genus omne
Maeſtum ac ſollicitum eſt cantoris morte Tigellî:
Quippe benignus erat. contra hic, ne prodigus eſſe
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem depellere poſſit.
Hunc ſi perconteris, avi cur atque parentis
Praeclaram ingrata ſtringat malus ingluvie rem,

Omnia

V. 105. Vulg. QUIDDAM. 120. LIPPI.

Digitized by Google

Omnia conductis coëmens obſonia nummis:
Sordidus, atque animi quod parvi nolit haberi,
Reſpondet. laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fuſidius vappae famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives poſitis in fenore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exſecat; atque
Quanto perditior quiſque eſt, tanto acrius urguet:
Nomina ſectatur, modo ſumta veſte virili
Sub patribus duris, tironum. Maxime, quis non,
Juppiter, exclamat, ſimul atque audivit? At in ſe
Pro quaeſtu ſumtum facit hic. Vix credere poſſis
Quam ſibi non ſit amicus: ita ut pater ille, Terentî
Fabula quem miſerum gnato vixiſſe fugato
Inducit, non ſe pejus cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quaerat, Quo res haec pertinet? Illuc:
Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.
Malchinus tunicis demiſſis ambulat: eſt qui
Inguen ad obſcaenum ſubductis uſque facetus:
Paſtillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
Nil medium eſt. ſunt qui nolint tetigiſſe, niſi illas,
Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte:
Contra alius nullam, niſi olente in fornice ſtantem.
Quidam notus homo cum exiret fornice; Macte
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis.
Nam ſimul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes aequum eſt deſcendere, non alienas
Permolere uxores. Nolim laudarier, inquit,
Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.

V. 25. Vulg. Malthinus. 27. Gorgonius. 30. Olenti.

Digitized by Google

Audire eſt operae pretium, procedere recte
Qui moechos non voltis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara, cadat dura inter ſaepe pericla.
Hic ſe praecipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem caeſus: fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos:
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut cuidam teſtis caudamque ſalacem
Demeterent ferro. jure omnes. Galba negabat.
Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda!
Libertinarum dico: Salluſtius in qua
Non minus inſanit, quam qui moechatur. at hic ſi,
Qua res, qua ratio ſuaderet, quaque modeſte
Munifico eſſe licet, vellet bonus atque benignus
Eſſe; daret quantum ſatis eſſet, nec ſibi damno
Dedecorique foret. verum hoc ſe amplectitur uno,
Hoc amat & laudat: Matronam nullam ego tango.
Ut quondam Marſaeus amator Originis, ille
Qui patrium mimae donat fundumque laremque,
Nil fuerit mî, inquit, cum uxoribus umquam alienis.
Verum eſt cum mimis, eſt cum meretricibus: unde
Fama malum gravius, quam res, trahit. an tibi abunde
Perſonam ſatis eſt, non illud, quicquid ubique
Officit, evitare? bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum eſt ubicumque. quid inter
Eſt in matrona, ancilla, peccesne togata?
Villius in Fauſta Sullae gener, hoc miſer uno

V. 38. Vulg. Moechis. 46. Demeteret ferrum. 48. In quas. 63. Peccesne. No-

Nomine deceptus, poenas dedit uſque ſuperque
Quam ſatis eſt; pugnis caeſus, ferroque petitus,
Excluſus fore, cum Longarenus foret intus.
Huic ſi, mutonis verbis, mala tanta videnti
Diceret haec animus: Quid vis tibi? numquid ego a te
Magno prognatum depoſco conſule cunnum,
Velaturnque ſtola, mea cum conferbuit ira?
Quid reſponderet? Magno patre nata puella eſt.
At quanto meliora monet, pugnantiaque iſtis
Dives opis natura ſuae! tu ſi modo recte
Diſpenſare velis, ac non fugienda petendis
Inmiſcere. tuo vitio, rerumne labores,
Nil referre putas? quare, ne poeniteat te,
Deſine matronas ſectarier: unde laboris
Plus haurire mali eſt, quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic, inter niveos viridiſque lapillos
Sit licet, ô Cerinthe, tuo tenerum eſt femur, aut crus
Rectius: atque etiam melius perſaepe togatae eſt.
Adde huc, quod mercem ſine fucis geſtat; aperte
Quod venale habet, oſtendit; neque ſi quid honeſti eſt,
Jactat habetque palam, quaerit quo turpia celet.
Regibus hic mos eſt, ubi equos mercantur; opertos
Inſpiciunt: ne ſi facies, ut ſaepe, decora
Molli fulta pede eſt; emtorem ducat hiantem,
Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.
Hoc illi recte. tu corporis optima Lyncei
Contemplare oculis; Hypſaea caecior, illa

V. 81. Vulg Sit licet HOC, Cerinthe, TUUM. 82. Deeſt EST. 84. NEC. 88. INDUCAT. 90. NE cor. opt. LYNCEIS. 91. CONTEMPLERE

Quae mala ſunt, ſpectas. O crus, ô brachia! verum
Depugis, naſuta, brevi latere, ac pede longo eſt.
Matronae, praeter faciem, nil cernere poſſis;
Caetera, ni Catia eſt, demiſſa veſte tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, (nam te
Hoc facit inſanum) multae tibi tum officient res;
Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitae;
Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla
Plurima, quae invideant pure adparere tibi rem.
Altera nil obſtat: Cois tibi pene videre eſt
Ut nudam; ne crure malo, ne ſit pede turpi:
Metiri poſſis oculo latus. an tibi mavis
Inſidias fieri, pretiumque avellier, ante
Quam mercem oſtendi? LEPOREM venator ut alta
In nive ſectetur, poſitum ſic tangere nolit:
Cantat, & adponit, MEUS eſt amor huic ſimilis: nam
Tranſvolat in medio poſita, & fugientia captat.
Hiſcine verſiculis ſperas tibi poſſe dolores,
Atque aeſtus, curaſque gravis e pectore tolli?
Nonne, cupidinibus ſtatuat natura modum quem,
Quid latura, ſibi quid ſit dolitura negatum,
Quaerere plus prodeſt; & inane abſcindere ſoldo?
Num, tibi cum faucis urit ſitis, aurea quaeris
Pocula? num eſuriens faſtidis omnia praeter
Pavonem rhombumq;? tument tibi cum inguina, num, ſi
Ancilla aut verna eſt praeſto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego: namque parabilem amo venerem, facilemque.

V. 92. Vulg. SPECTES. 106. SECTATUR. 110. PELLA. 111. STATUIT. IL-

Digitized by Google

Illam, Post paullo, Sed pluris, Si exierit vir,
Gallis: Hanc, Philodemus, ait sibi, quae neque magno
Stet pretio; nec cunctetur, cum est jussa venire.
Candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa,
Nec magis alba velit, quam det natura, videri.
Haec, ubi suppositit dextro corpus mihi laevum,
Ilia & Egeria est: do nomen quodlibet illi.
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat;
Janua frangatur; latret canis; undique magno
Pulsa domus strepitu resonet: ne pallida lecto
Desiliat mulier; miseram se conscia clamet;
Cruribus haec metuat, doti haec deprensa, egomet mî.
Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo;
Ne nummi pereant, aut puga, aut denique fama.
Deprendi miserum est: Fabio vel judice vincam.

Ecloga III.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos:
Ut numquam inducant animum cantare rogati;
Injussi numquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quicquam proficeret: si conlibuisset, ab ovo
Usque ad mala iteraret, Io Bacche, modo summa
Voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
Currebat fugiens hostem; persaepe velut qui
Junonis sacra ferret: habebat saepe ducentos,

V. 122. Vulg. Neque. 129. Vepallida. 131. Doti depr. 7. Citaret. Saepe

Saepe decem ſervos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens; modo, Sit mihi menſa tripes, &
Concha ſalis puri, & toga quae defendere frigus
Quamvis craſſa queat. decies centena dediſſes
Huic parco, paucis contento; quinque diebus
Nil erat in loculis. noctes vigilabat ad ipſum
Mane; diem totum ſtertebat. nil fuit umquam
Sic impar ſibi. nunc aliquis dicat mihi, Quid tu?
Nullane habes vitia? Imo alia, & fortaſſe minora.
Maenius abſentem Novium cum carperet: Heus tu,
Quidam ait, ignoras te, an ut ignotum dare nobis
Verba putas? Egomet mî ignoſco, Maenius inquit.
Stultus & inprobus hic amor eſt, dignuſque notari.
Cum tua praevideas oculis male lippus inunctis;
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? at tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rurſus & illi.
Iracundior eſt paullo: minus aptus acutis
Naribus horum hominum: rideri poſſit, eo quod
Ruſticius tonſo toga defluit, & male laxus
In pede calceus haeret. at eſt bonus, ut melior vir
Non alius quiſquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc ſub corpore. denique teipſum
Concute, numqua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala. namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.
Illuc praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipſa haec
Delectant;

V. 20. Vulg. Haud. fort. 25. Pervideas oc. mala.

Digitized by Google

Delectant; veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus, & isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater ut gnati, sic nos debemus, amici
Si quod sit vitium, non fastidire. strabonem
Adpellat Paetum pater; & Pullum, male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus: hunc Varum, distortis cruribus; illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit: frugi dicatur. ineptus
Et jactantior hic paullo est: concinnus amicis
Postulat ut videatur. at est truculentior atque
Plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
Caldior est: acris inter numeretur. opinor,
Haec res & jungit, junctos & servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare. probus quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo ille:
Tardo ac cognomen pingui damus. hic fugit omnis
Insidias, nullique malo latus obdit apertum;
Cum genus hoc inter vitae versemur, ubi acris
Invidia, atque vigent ubi crimina: pro bene sano
Ac non incauto, fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis & est; (qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas) ut forte legentem
Aut tacitum impediat quovis sermone molestus:
Communi sensu plane caret, inquimus. eheu
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!

V. 40. Vulg. AGNAE. 57. ILLI. 58. Tardo, cog. 60. VERSETUR. 63. At est. 65. IMPELLAT.

Nam

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt,
Qui minimis urguetur. amicus dulcis, ut aequum eſt,
Cum mea compenſet vitiis bona: pluribus hiſce
(Si modo plura mihi bona ſunt) inclinet, amari
Si volet. hac lege, in trutina ponetur eadem.
Qui, re tuberibus propriis offendat amicum,
Poſtulat; ignoſcet verrucis illius. aequum eſt,
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,
Caetera item nequeunt ſtultis haerentia; cur non
Ponderibus moduliſque ſuis ratio utitur? ac, res
Ut quaeque eſt, ita ſuppliciis delicta coërcet?
Si quis eum ſervom, patinam qui tollere juſſus
Semeſos piſcis tepidumque ligurrierit jus,
In cruce ſuffigat; Labeone inſanior inter
Sanos dicatur. quanto hoc furioſius atque
Majus peccatum eſt? paullum deliquit amicus,
Quod niſi concedas, habeare inſuavis: acerbus
Odiſti & fugis, ut Ruſonem debitor aeris;
Qui niſi, cum triſtes miſero venere Calendae,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto jugulo hiſtorias, captivus ut, audit.
Conminxit lectum potus, menſave catillum
Evandri manibus tritum dejecit: ob hanc rem,
Aut poſitum ante mea quia pullum in parte catini
Suſtulit eſuriens, minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? quid faciam, ſi furtum fecerit, aut ſi
Prodiderit conmiſſa fide, ſponſumve negarit?
Quîs

V. 74. Vulg. IGNOSCAT. 82. Forte, LABIENO. 86. DRUSONEM. 91. Forte, TORTUM.

Digitized by Google

Quîs paria eſſe fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum eſt: ſenſus moreſque repugnant,
Atque ipſa utilitas, juſti prope mater & aequi.
Cum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae poſt fabricaverat uſus:
Donec verba, quibus voces ſenſuſque notarent,
Nominaque invenere: dehinc abſiſtere bello,
Oppida coeperunt munire; & ponere leges,
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Cauſſa: ſed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos venerem incertam rapientis more ferarum
Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.
Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi faſtoſque velis evolvere mundi.
Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum,
Dividit ut bona diverſis, fugienda petendis:
Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
Qui teneros caulis alieni infregerit horti,
Et qui nocturnus ſacra Divûm legerit. adſit
Regula, peccatis quae poenas inroget aequas:
Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.
Nam, ut ferula caedas meritum majora ſubire
Verbera, non vereor: cum dicas eſſe pares res
Furta latrociniis; & magnis parva mineris
Falce reciſurum ſimili te, ſi tibi regnum

V. 116. Vulg. Fregerit. 117. Divum ſacra.

Permittant homines. ſi dives, qui ſapiens eſt,
Et ſutor bonus & ſolus formoſus & eſt rex:
Cur optas quod habes? Non noſti quid pater, inquit,
Chryſippus dicat. ſapiens crepidas ſibi numquam
Nec ſoleas fecit: ſutor tamen eſt ſapiens. Quî?
Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus eſt modulator; ut Alfenus vafer, omni
Abjecto inſtrumento artis clauſaque taberna,
Tonſor erat: ſapiens operis ſic optimus omnis
Eſt opifex ſolus, ſic rex. Vellent tibi barbam
Laſcivi pueri; quos tu ni fuſte coërces,
Urgueris turba circum te ſtante, miſerque
Rumperis & latras, magnorum maxime regum.
Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
Rex ibis; neque te quiſquam ſtipator, ineptum
Praeter Criſpinum, ſectabitur; & mihi dulces
Ignoſcent, ſi quid peccâro ſtultus, amici:
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatuſque magis vivam te rege beatus.

ECLOGA IV.

EUPOLIS, atque Cratinus, Ariſtophaneſque poetae,
Atque alii, quorum comoedia priſca virorum eſt,
Si quis erat dignus deſcribi, quod malus ac fur,
Quod moechus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus; multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus,

V. 128. Vulg. QUO? 132. SUTOR erat. 133. EST op., ſic rex ſolus. VELLUNT. 134. NISI. 140. PECCAVERO. 3. AUT fur. Mutatis.

Digitized by Google

Mutatis tantum pedibus numeriſque; facetus,
Emunctae naris, durus conponere verſus:
Nam fuit hoc vitioſus; in hora ſaepe ducentos,
Ut magnum, verſus dictabat ſtans pede in uno:
Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus, atque piger ſcribendi ferre laborem;
Scribendi recte: nam, ut multum, nil moror. ecce
Criſpinus nummo me provocat: Accipe, ſi vis,
Accipe jam tabulas: detur nobis locus, hora,
Cuſtodes: videamus uter plus ſcribere poſſit.
Dî bene fecerunt, inopis me quodque puſilli
Finxerunt animi, raro & perpauca loquentem:
At tu concluſas hircinis follibus auras,
Uſque laborantis dum ferrum emolliat ignis,
Ut mavis, imitare. beatus Fannius, ultro
Delatis capſis & imagine: cum mea nemo
Scripta legat volgo recitare timentis, ob hanc rem,
Quod ſunt quos genus hoc minime juvat; utpote pluris
Culpari dignos. quemvis media elige turba;
Aut ab avaritia, aut miſera ambitione laborat.
Hic nuptarum inſanit amoribus, hic puerorum:
Hunc capit argenti ſplendor: ſtupet Albius aere:
Hic mutat merces ſurgente a ſole, ad eum quo
Veſpertina teget regio: quin per mala praeceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine; ne quid
Summa deperdat metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt verſus, odere poëtam.

V. 14. Vulg. Minimo. 15. Accipiam tab. 18. Loquentis. 20. Molliat. 25. Erue. 26. Ob avaritiam. 33. Poëtas.

Digitized by Google

Foenum habet in cornu: longe fuge. dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico:
Et quodcumque ſemel chartis inleverit, omnis
Geſtiet a furno redeuntis ſcire lacuque,
Et pueros & anus. Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus eſſe poëtis,
Excerpam numero: neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis; neque ſi qui ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.
Idcirco quidam, Comoedia necne poëma
Eſſet, quaeſivere: quod, acer ſpiritus ac vis
Nec verbis nec rebus ineſt; niſi quod pede certo
Differt ſermoni, ſermo eſt merus. At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos inſanus amica
Filius, uxorem grandi cum dote recuſet;
Ebrius & (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus. Numquid Pomponius iſtis
Audiret leviora, pater ſi viveret? ergo
Non ſatis eſt puris verſum perſcribere verbis;
Quem ſi diſſolvas, quivis ſtomachetur eodem
Quo perſonatus pacto pater. his, ego quae nunc,
Olim quae ſcripſit Lucilius, eripias ſi
Tempora certa modoſque, & quod prius ordine verbum
Poſterius facias, praeponens ultima primis; [eſt,
Non (ut ſi ſolvas, POSTQUAM DISCORDIA TETRA

V. 38. Vulg. POETAS. 41. SI QUIS. 48. Sermo merus.

BELLI

BELLI FERRATOS POSTIS PORTASQUE REFREGIT)
Invenias etiam disjecti membra poëtae.
Hactenus haec: alias juſtum ſit necne poëma,
Nunc illud tantum quaeram; meritone tibi ſit
Suſpectum genus hoc ſcribendi. Sulcius acer
Ambulat & Caprius, rauci male, cumque libellis;
Magnus uterque timor latronibus: at bene ſi quis
Et vivat puris manibus; contemnat utrumque.
Ut ſis tu ſimilis Caelî Birrîque latronum;
Non ego ſim Caprii neque Sulcî: cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quîs manus inſudet volgi Hermogeniſque Tigellî:
Nec recitem quicquam, niſi amicis, idque coactus;
Non ubivis, coramve quibuſlibet. in medio qui
Scripta foro recitent, ſunt multi; quique lavantes:
Suave locus voci reſonat concluſus. inanis
Hoc juvat, haud illud quaerentis, num ſine ſenſu,
Tempore num faciant alieno. Laedere gaudes,
Inquit, & hoc ſtudio pravus facis. Unde petitum
Hoc in me jacis? eſt auctor quis denique eorum
Vixi cum quibus? abſentem qui rodit amicum;
Qui non defendit, alio culpante; ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non viſa poteſt; commiſſa tacere
Qui nequit; hic niger eſt: hunc tu, Romane, caveto.
Saepe tribus lectis videas cenare quaternos;
E quibus unus amet quavis aſpergere cunctos,

V. 68. Vulg. Et puris vivat. 69. BYRRHIQUE. 70. CAPRÏ. 73. NON RECITO CUIQUAM. 87. AVET. 79. INQUIS.

Praeter

Praeter eum qui praebet aquam: poſt, hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis & urbanus liberque videtur,
Infeſto nigris: ego ſi riſi, quod ineptus
Paſtillos Rufillus olet, Gargonius hircum,
Lividus & mordax videor tibi? mentio ſiqua
De Capitolini furtis injecta Petillî
Te coram fuerit; defendas, ut tuus eſt mos:
Me Capitolinus convictore uſus amicoque
A puero eſt, cauſaque mea permulta rogatus
Fecit; & incolumis laetor quod vivit in Urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. Hic nigrae ſuccus loliginis, haec eſt
Aerugo mera: quod vitium procul afore chartis,
Atque animo prius, ut ſi quid promittere de me
Poſſum aliud vere, promitto. liberius ſi
Dixero quid, ſi forte jocoſius; hoc mihi juris
Cum venia dabis. inſuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo quod mi ipſe paraſſet:
Nonne vides, Albî ut male vivat filius, utque
Barus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. a turpi meretricis amore
Cum deterreret: Scetani diſſimilis ſis.
Ne ſequerer moechas, conceſſa cum venere uti
Poſſem: Deprenſi non bella eſt fama Treboni,
Aiebat: ſapiens, vitatu quidque petitu
Sit

V. 92. Vulg. Gorgonius. 109. Forte, Ut qui panis inops. 112. Sectani.

Digitized by Google

Sit melius, cauſſas reddet tibi: mî ſatis eſt, ſi
Traditum ab antiquis morem ſervare, tuamque,
Dum cuſtodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem poſſum. ſimul ac duraverit aetas
Membra animumque tuum, nabis ſine cortice. Sic me
Formabat puerum dictis: & ſive jubebat
Ut facerem quid; Habes auctorem, quo facias hoc:
Unum ex judicibus ſelectis objiciebat:
Sive vetabat; An hoc inhoneſtum & inutile factu
Necne ſit, addubites, flagret rumore malo cum
Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut aegros
Exanimat, mortiſque metu ſibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria ſaepe
Abſterrent vitiis. ex hoc ego ſanus ab illis,
Perniciem quaecumque ferunt: mediocribus, & quîs
Ignoſcas vitiis, teneor. fortaſſis & iſtinc
Largiter abſtulerit longa aetas, liber amicus,
Conſilium proprium. neque enim, cum lectulus aut me
Porticus excepit, deſum mihi: Rectius hoc eſt:
Hoc faciens vivam melius: ſic dulcis amicis
Occurram: hoc quidam non belle: numquid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile? Haec ego mecum
Conpreſſis agito labris. ubi quid datur otî,
Inludo chartis. hoc eſt mediocribus illis
Ex vitiis unum: cui ſi concedere noles,
Multa poetarum veniet manus, auxilio quae
Sit mihi (nam multo plures ſumus) ac veluti te
Judaei, cogemus in hanc concedere turbam.

V. 119. Vulg. Possim. 140. Nolis. 141. Veniat.

ECLOGA

Ecloga V.

Egressum magna me accepit Aricia Roma
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus: inde Forum Appî,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum: minus est gravis Appia tardis.
Hic ego, propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cenantis haud animo aequo
Exspectans comites. jam nox inducere terris
Umbras, & caelo diffundere signa parabat.
Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere. Huc adpelle: trecentos inseris: ohe
Jam satis est. Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. mali culices, ranaeque palustres
Avertunt somnos. absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta, atque viator
Certatim: tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Jamque dies aderat, nil cum procedere lintrem
Sentimus: donec cerebrosus prosilit unus,
Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat. quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimur, Feronia, lympha.
Millia tum pransi tria repimus; atque subimus
In-

V. 7. Vulg. Deterrima. 15. Absentem cantat. 20. Cum nil. 24. Lavimus.

Digitized by Google

Inpoſitum ſaxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas, optimus atque
Cocceius, miſſi magnis de rebus uterque
Legati; averſos ſoliti conponere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Inlinere. interea Maecenas advenit, atque
Cocceius, Capitoque ſimul Fonteius, ad unguem
Factus homo; Antonî, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Luſco praetore libenter
Linquimus, inſani ridentes praemia ſcribae,
Praetextam, & latum clavom, prunaeque batillum.
In Mamurrarum laſſi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.
Poſtera lux oritur multo gratiſſima: namque
Plotius & Varius Sinueſſae, Virgiliuſque
Occurrunt; animae, qualis neque candidiores
Terra tulit, neque quîs me ſit devinctior alter.
O qui conplexus, & gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jocundo ſanus amico.
Proxima Campano ponti quae villula, tectum
Praebuit; & parochi, quae debent, ligna ſalemque.
Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Luſum it Maecenas, dormitum ego Virgiliuſque:
Namque pila lippis inimicum & ludere crudis.
Hinc nos Cocceii recipit pleniſſima villa,
Quae ſuper eſt Caudî cauponas. nunc mihi paucis
Sarmenti ſcurrae pugnam Meſsîque Cicirri,
Muſa, velim memores: & quo patre natus uterque

V. 52. Vulg. Cicirri.

Digitized by Google

Contulerit lites. Meſsî clarum genus Oſci:
Sarmenti domina exſtat. ab his majoribus orti
Ad pugnam venere. prior Sarmentus; Equi te
Eſſe feri ſimilem dico. Ridemus: & ipſe
Meſſius, Accipio: caput & movet. O, tua cornu
Ni foret exſecto frons, inquit, quid faceres; cum
Sic mutilus miniteris? at illi foeda cicatrix
Setoſam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus,
Paſtorem ſaltaret uti Cyclopa, rogabat:
Nil illi larva aut tragicis opus eſſe cothurnis.
Multa Cicirrus ad haec: Donaſſet jamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat: ſcriba quod eſſet,
Nihilo deterius dominae jus eſſe. rogabat
Denique, cur umquam fugiſſet; cui ſatis una
Farris libra foret, gracili ſic, tamque puſillo.
Prorſus jocunde cenam producimus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum; ubi ſedulus hoſpes
Pene, macros, arſit, turdos dum verſat in igni.
Nam vaga per veterem dilabſo flamma culinam
Volcano, ſummum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cenam, ſervoſque timentis
Tum rapere, atque omnis reſtinguere velle videres.
Incipit ex illo montis Appulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus; & quos
Numquam erepſemus, niſi nos vicina Trivici
Villa recepiſſet, lacrimoſo non ſine fumo,

V. 60. Vulg. MINITARIS. 65. CICERRUS. 67. DETER: NIHILO. 70. PROXIMUS. 72. PE. ARS. MAC. DUM TUR. V. IN IGNE.

Udo

Digitized by Google

Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem ſtultiſſimus uſque puellam
Ad mediam noctem exſpecto: ſomnus tamen aufert
Intentum veneri: tum inmundo ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculant, ventremque ſupinum.
Quattuor hinc rapimur viginti & millia rhedis,
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt,
Signis perfacile eſt. venit viliſſima rerum
Hic aqua; ſed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut ſoleat humeris portare viator:
Nam Canusî lapidoſus; aquae non ditior urna.
[Qui locus a forti Diomede eſt conditus olim.]
Flentibus hic Varius diſcedit maeſtus amicis.
Inde Rubos feſſi pervenimus; utpote longum
Carpentes iter, & factum corruptius imbri.
Poſtera tempeſtas melior, via pejor, ad uſque
Barî moenia piſcoſi. dein Gnatia lymphis
Iratis exſtructa dedit riſuſque jocoſque:
Dum flamma ſine tura liqueſcere limine ſacro
Perſuadere cupit. credat Judaeus Apella,
Non ego. namque Deos didici ſecurum agere aevum;
Nec, ſi quid miri faciat natura, Deos id
Triſtis ex alto caeli demittere tecto.
Brundiſium longae finis chartaeque viaeque.

V. 93. Vulg. HINC. 97. DEHINC.

Digitized by Google

ECLOGA VI.

NON, quia, Maecenas, Lydorum quicquid Etruſcos
Incoluit finis, nemo generoſior eſt te;
Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarent;
Ut plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.
Cum referre negas, quali ſit quiſque parente
Natus, dum ingenuus: perſuades hoc tibi vere,
Ante poteſtatem Tullî atque ignobile regnum,
Multos ſaepe viros nullis majoribus ortos
Et vixiſſe probos, amplis & honoribus auctos:
Contra, Laevinum, Valerî genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulſus fugit, unius aſſis
Non umquam pretio pluris licuiſſe, notante
Judice, quo noſti, populo: qui ſtultus honores
Saepe dat indignis, & famae ſervit ineptus;
Qui ſtupet in titulis & imaginibus. quid oportet
Vos facere, a volgo longe longeque remotos?
Namque eſto: populus Laevino mallet honorem
Quam Decio mandare novo: Cenſorne moveret
Appius, ingenuo ſi non eſſem patre natus?
Vel merito, quoniam in propria non pelle quieſſem.
Sed fulgente trahit conſtrictos gloria curru
Non minus ignotos generoſis. quo tibi, Tilli,

V. 4. Vulg. IMPERITARINT. 13. FUIT. 15. QUEM NOSTI. 18. NOS. LONGE LATEQUE. 20. CENSORQUE. 24. TULLI.

Sumere

Sumere depoſitum clavom, fierique tribuno?
Invidia adcrevit, privato quae minor eſſet.
Nam ut quiſque inſanus nigris medium inpediit crus
Pellibus, & latum demiſit pectore clavum;
Audit continuo; Quis homo hic, aut quo patre natus?
Ut ſi qui aegrotet quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formoſus; eat quacumque, puellis
Injiciat curam quaerendi ſingula; quali
Sit facie, ſura, quali pede, dente, capillo:
Sic qui promittit, civis, Urbem ſibi curae,
Imperium fore, & Italiam, & delubra Deorum;
Quo patre ſit natus, num ignota matre inhoneſtus,
Omnis mortalis curare & quaerere cogit.
Tune Syri, Damae, aut Dionyſî filius, audes
Dejicere e ſaxo civis, aut tradere Cadmo?
At Novius collega gradu poſt me ſedet uno:
Namque eſt ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paullus,
Et Meſſalla videris? at hic, ſi ploſtra ducenta,
Concurrantque foro tria funera, magna ſonabit
Cornua quod vincatque tubas: ſaltem tenet hoc nos.
Nunc ad me redeo libertino patre natum:
Quem rodunt omnes libertino patre natum:
Nunc, quia ſum tibi, Maecenas, convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Diſſimile hoc illi eſt: quia non, ut forſit honorem
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum;
Praeſertim cautum dignos adſumere, prava

V. 29. Vulg. Hic est? 31. Et cup. 47. Quia, Maecenas, tibi sim.

Ambi-

Ambitione procul. felicem dicere non hoc
Me poſſunt, caſu quod te ſortitus amicum:
Nulla etenim tibi me fors obtulit. optimus olim
Virgilius, poſt hunc Varius, dixere quid eſſem.
Ut veni coram; ſingultim pauca locutus,
(Infans namque pudor prohibebat plura profari)
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro: reſpondes (ut tuus eſt mos)
Pauca: abeo: & revocas nono poſt menſe, jubeſque
Eſſe in amicorum numero. magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi ſecernis honeſtum,
Non patre praeclaro, ſed vita & pectore puro.
Atqui ſi vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendoſa eſt natura, alioqui recta; (velut ſi
Egregio inſperſos reprendas corpore naevos)
Si neque avaritiam, neque ſordis, aut mala luſtra
Objiciet vere quiſquam mihi; purus & inſons,
(Ut me collaudem) ſi & vivo carus amicis;
Cauſa fuit pater his: qui macro pauper agello
Noluit in Flavî ludum me mittere; magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes Idibus aera:
Sed puerum eſt auſus Romam portare, docendum
Artis, quas doceat quivis eques atque ſenator
Semet prognatos. veſtem ſervoſque ſequentis,

V. 53. Vulg. Possum. 54. Mimi te. 68. Ac mala.

In

Digitized by Google

In magno ut populo, ſi qui vidiſſet; avita
Ex re praeberi ſumtus mihi crederet illos.
Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnis
Circum doctores aderat. quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) ſervavit ab omni
Non ſolum facto, verum opprobrio quoque turpi:
Nec timuit, ſibi ne vitio quis verteret olim,
Si praeco parvas, aut (ut fuit ipſe) coactor
Mercedes ſequerer; neque ego eſſem queſtus. ad haec
Laus illi debetur, & a me gratia major. [nunc
Nil me poeniteat ſanum patris hujus: eoque
Non, ut magna dolo factum negat eſſe ſuo pars,
Quod non ingenuos habeat claroſque parentes,
Sic me defendam. longe mea diſcrepat iſtis
Et vox & ratio. nam ſi natura juberet
A certis annis aevum remeare peractum,
Atque alios legere ad faſtum quoſcumque parentes
Optaret ſibi quiſque: meis contentus, honeſtos
Faſcibus & ſellis nollem mihi ſumere; demens
Judicio volgi, ſanus fortaſſe tuo: quod
Nollem onus, haud umquam ſolitus, portare moleſtum.
Nam mihi continuo major quaerenda foret res,
Atque ſalutandi plures; ducendus & unus
Et comes alter, uti ne ſolus ruſve peregreve
Exirem; plures calones atque caballi
Paſcendi; ducenda petorrita. nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel ſi libet uſque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.

V. 79. Vulg. Si quis. 87. Ob hoc nunc.

Obji-

Objiciet nemo ſordis mihi, quas tibi, Tilli,
Cum Tiburte via praetorem quinque ſequuntur
Te pueri, laſanum portantes oenophorumque.
Hoc ego commodius, quam tu, praeclare ſenator,
Millibus atque aliis vivo. quacumque libido eſt,
Incedo ſolus: percontor quanti olus, ac far:
Fallacem Circum, veſpertinumque pererro
Saepe forum: adſiſto divinis: inde domum me
Ad porri & ciceris refero laganique catinum.
Cena miniſtratur pueris tribus: & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet: adſtat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana ſupellex.
Deinde eo dormitum; non ſollicitus, mihi quod cras
Surgendum ſit mane, obeundus Marſya, qui ſe
Voltum ferre negat Noviorum poſſe minoris.
Ad quartam jaceo: poſt hanc vagor, aut ego lecto,
Aut ſcripto quod me tacitum juvet. unguor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Aſt ubi me feſſum ſol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio Campum luſumque trigonem.
Pranſus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domeſticus otior. haec eſt
Vita ſolutorum miſera ambitione gravique.
His me conſolor, victurum ſuavius, ac ſi
Quaeſtor avus, pater atque meus, patruuſque fuiſſet.

V. 107. Vulg. TULLI. 126. FUGIO RABIOSI TEMPORA SIGNI. 131. FUISSENT.

ECLOGA

Digitized by Google

Ecloga VII.

Proscripti Regis Rupilî pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus & lippis notum & tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam litis cum Rege molestas;
Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem;
Confidens, tumidusque; adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
Ad Regem redeo. postquam nihil inter utrumque
Convenit: hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. inter
Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors:
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit. duo si discordia verset inertis;
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco: discedat pigrior, ultro
Muneribus missis. Bruto praetore tenente
Ditem Asiam, Rupilî & Persî par pugnat, uti non
Conposîti melius cum Bitho Bacchius. in jus
Acres procurrunt; magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam: ridetur ab omni
Conventu: laudat Brutum, laudatque cohortem:
Solem Asiae Brutum adpellat, stellasque salubris
Adpellat comites, excepto Rege: Canem illum,

V. 15. Vulg. Vexet. 20. Compositus.

Digitized by Google

Inviſum agricolis ſidus, veniſſe: ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quo rara ſecuris.
Tum Praeneſtinus ſalſo multoque fluenti
Expreſſa arbuſto regerit convicia; durus
Vindemiator, & invictus, cui ſaepe viator
Ceſſiſſet magna conpellans voce cuculum.
At Graecus, poſtquam eſt Italo perfuſus aceto,
Perſius exclamat: Per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui reges conſueſti tollere, cur non
Hunc Regem jugulas? operũ hoc, mihi crede, tuorum eſt.

ECLOGA VIII.

OLIM truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber, incertus ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum. Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coërcet,
Obſcaenoque ruber porrectus ab inguine palus:
Aſt inportunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis conſidere in hortis.
Huc prius anguſtis ejecta cadavera cellis
Conſervus vili portanda locabat in arca.
Hoc miſerae plebi ſtabat commune ſepulcrum,
Pantolabo ſcurrae, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne ſequeretur.
Nunc licet Eſquiliis habitare ſalubribus, atque
Aggere in aprico ſpatiari; qua modo triſtes
Albis

V. 28. Vulg. MULTUMQUE. 34. CONSUERIS. 15. QUO.

Digitized by Google

Albis informem ſpectabant oſſibus agrum.
Cum mihi non tantum fureſque feraeque ſuetae
Hunc vexare locum curae ſunt atque labori,
Quantum carminibus quae verſant atque venenis
Humanos animos. has nullo perdere poſſum
Nec prohibere modo; ſimul ac vaga luna decorum
Protulit os, quin oſſa legant herbaſque nocentis.
Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, paſſoque capillo,
Cum Sagana majore ululantem. pallor utramque
Fecerat horrendas aſpectu. ſcalpere terram
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt: cruor in foſſam cum fuſus, ut inde
Manes elicerent, animas reſponſa daturas.
Lanea & effigies erat, altera cerea: major
Lanea, quae poenis conpeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat, ſervilibus ut quae
Jam peritura modis. Hecaten vocat altera, ſaevam
Altera Tiſiphonen. ſerpentis atque videres
Infernas errare canes; lunamque rubentem,
Ne foret his teſtis, poſt magna latere ſepulcra.
Mentior at ſi quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum; atque in me veniat mictum atque cacatum
Julius, & fragilis Pediatia, furque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbrae cum Sagana reſonârint triſte & acutum?
Utque lupi barbam variae cum dente colubrae

V. 25. Vulg. UTRASQUE. 28. CONFUSUS. 32. UTQUE. 38. VENIANT. 41. RESONARENT.

Abdiderint furtim terris, & imagine cerea
Largior arſerit ignis? & ut non teſtis inultus
Horruerim voces Furiarum & facta duarum?
Nam, diſploſa ſonat quantum veſica, pepedi
Diffiſſa nate ficus. at illae currere in Urbem:
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno riſuque jocoque videres.

Ecloga IX.

Ibam ut forte via Sacra, ſicut meus eſt mos,
Neſcio quid meditans nugarum, totus in illis:
Adcurrit quidam notus mihi nomine tantum;
Arreptaque manu, Quid agis, dulciſſime rerum?
Suaviter, ut nunc eſt, inquam; & cupio omnia quae vis.
Cum adſectaretur; Numquid vis? occupo. at ille,
Noris nos, inquit: docti ſumus. Hic ego, Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Miſere diſcedere quaerens,
Ire modo ocius, interdum conſiſtere, in aurem
Dicere neſcio quid puero. cum ſudor ad imos
Manaret talos; O te, Bolane, cerebri
Felicem, aiebam tacitus. cum quidlibet ille
Garriret; vicos, urbem laudaret; ut illi
Nil reſpondebam: Miſere cupis, inquit, abire,
Jamdudum video: ſed nil agis; uſque tenebo:
Proſequar hinc, quo nunc iter eſt tibi. Nil opus eſt te
Circumagi: quendam volo viſere non tibi notum:

Trans-

V. 1. Vulg. Ibam forte. 11. Bollane. 16. Persequar.

Digitized by Google

Trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.
Nil habeo quod agam, & non sum piger; usque sequar te.
Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit onus. incipit ille:
Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere pluris
Aut citius possit versus? quis membra movere
Mollius? invideat quod & Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: Est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus? Haud mihi quisquam:
Omnis composui. Felices! nunc ego resto.
Confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit mota divina anus urna:
Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra:
Garrulus hunc quando consumet cumque: loquacis,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.
Ventum erat ad Vestae, quarta jam parte diei
Praeterita: & casu tunc respondere vadatus
Debebat; quod ni feciſſet, perdere litem.
Si me amas, inquit, paullum hic ades. Interream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura:
Et propero, quo scis. Dubius sum, quid faciam, inquit;
Tene relinquam, an rem. Me sodes. Non faciam, ille:
Et praecedere coepit. ego, ut contendere durum
Cum victore, sequor. Maecenas quomodo tecum;
Hinc repetit, paucorum hominum, & mentis bene sanae:

V. 30. Vulg. DIVINA MOTA. 36. VADATO. 42. DURUM EST.

Nemo

Nemo dexterius fortuna eſt uſus: haberes
Magnum adjutorem, poſſet qui ferre ſecundas,
Hunc hominem velles ſi tradere: diſpeream, ni
Submoſſes omnis. Non iſto vivitur illic,
Quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla eſt,
Nec magis his aliena malis: nil mî officit, inquam,
Ditior hic, aut eſt quia doctior: eſt locus uni-
Cuique ſuus. Magnum narras, vix credibile. Atqui
Sic habet. Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus eſſe. Velis tantummodo, quae tua virtus,
Expugnabis: & eſt qui vinci poſſit; eoque
Difficilis aditus primos habet. Haud mihi deero:
Muneribus ſervos corrumpam; non, hodie ſi
Excluſus fuero, deſiſtam; tempora quaeram;
Occurram in triviis; deducam. nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus. Haec dum agit, ecce
Fuſcus Ariſtius occurrit, mihi carus, & illum
Qui pulchre noſſet. conſiſtimus. Unde venis? &
Quo tendis? rogat, & reſpondet. vellere coepi,
Et prenſare manu lentiſſima brachia, nutans,
Diſtorquens oculos, ut me eriperet. male ſalſus
Ridens diſſimulare: meum jecur urere bilis.
Certe neſcio quid ſecreto velle loqui te
Aiebas mecum. Memini bene; ſed meliore
Tempore dicam: hodie triceſima ſabbata. Vis tu
Curtis Judaeis oppedere? nulla mihi, inquam,
Relligio eſt. At mî: ſum paullo infirmior, unus
Multorum: ignoſces: alias loquar. Hunccine ſolem
Tam

V. 48. Vulg. VIVIMUS. 69. VIN' TU. 70. UNQUAM.

Digitized by Google

Tam nigrum ſurrexe mihi? fugit inprobus, ac me
Sub cultro linquit. caſu venit obvius illi
Adverſarius: &, Quo tu, turpiſſime? magna
Inclamat voce, &, Licet anteſtari? ego vero
Oppono auriculam. rapit in jus: clamor utrimque,
Undique concurſus. ſic me ſervavit Apollo.

ECLOGA X.

NEMPE inconpoſito dixi pede currere verſus
Lucilî. quis tam Lucilî fautor inepte eſt,
Ut non hoc fateatur? at idem, quod ſale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem. [ſic
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque caetera: nam
Et Laberî mimos, ut pulchra poëmata, mirer.
Ergo non ſatis eſt riſu diducere rictum
Auditoris: & eſt quaedam tamen hic quoque virtus:
Eſt brevitate opus, ut currat ſententia, neu ſe
Inpediat verbis laſſas onerantibus auris:
Et ſermone opus eſt modo triſti, ſaepe jocoſo;
Defendente vicem modo rhetoris atque poëtae;
Interdum urbani parcentis viribus, atque
Extenuantis eas conſulto. ridiculum acri
Fortius & melius magnas plerumque ſecat res.
Illi, ſcripta quibus Comoedia priſca viris eſt,
Hoc ſtabant, hoc ſunt imitandi: quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit, neque ſimius iſte,
Nil praeter Calvom & doctus cantare Catullum.

V. 76. Vulg. EXCLAMAT.

At

At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miſcuit. O ſeri ſtudiorum! quîne putetis
Difficile & mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? At ſermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota ſi conmixta Falerni eſt.
Cum verſus facias: teipſum percontor, an & cum
Dura tibi peragenda rei ſit cauſſa Petillî?
Scilicet oblitus patriaeque patriſque Latini,
Cum Pedius cauſſas exſudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiſcere petita
Verba foris malis, Canuſini more bilinguis?
Atqui ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
Verſiculos; vetuit tali me voce Quirinus
Poſt mediam noctem viſus, cum ſomnia vera:
In ſilvam non ligna feras inſanius, ac ſi
Magnas Graecorum malis inplere catervas.
Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput; haec ego ludo,
Quae neque in Aede ſonent, certantia judice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum ſpectanda theatris.
Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta
Eludente ſenem, comis garrire libellos
Unus vivorum, Fundani: Pollio regum
Facta canit pede ter percuſſo: forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum
Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.
Hoc erat, experto fruſtra Varrone Atacino,

V. 27. Vulg. LATINE. 32. ME TALI. 38. NEC.

Atque

Atque quibuſdam aliis, melius quod ſcribere poſſem,
Inventore minor: neque ego illi detrahere auſim
Haerentem capiti cum multa laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, ſaepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. age, quaeſo,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Accî?
Non ridet verſus Enni gravitate minores?
Cum de ſe loquitur, non ut majore reprenſis.
Quid vetat & noſmet Lucilî ſcripta legentis
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Verſiculos natura magis factos & euntis
Mollius, ac ſi quis, pedibus quid claudere ſenis
(Hoc tantum) contentus, amet ſcripſiſſe ducentos
Ante cibum verſus, totidem cenatus? Etruſci
Quale fuit Caſsî rapido ferventius amni
Ingenium; capſis quem fama eſt eſſe libriſque
Ambuſtum propriis. fuerit Lucilius, inquam,
Comis & urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis & Graecis intacti carminis auctor,
Quamque poëtarum ſeniorum turba: ſed ille,
Si foret hoc noſtrum fato dilatus in aevum,
Detereret ſibi multa: recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur: & in verſu faciendo
Saepe caput ſcaberet, vivos & roderet unguis.
Saepe ſtilum vertas, iterum quae digna legi ſint
Scripturus: neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. an tua demens

V. 49. Vulg. MULTA CUM.

Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est equitem mihi plaudere: ut audax,
Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat, cimex Pantilius, aut cruciet, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigellî?
Plotius, & Varius, Maecenas, Virgiliusque,
Valgius, & probet haec Octavius, optimus atque
Fuscus; & haec utinam Viscorum laudet uterque:
Ambitione relegata, te dicere possum,
Pollio; te, Messalla, tuo cum fratre; simulque
Vos Bibule, & Servi; simul his te, candide Furni;
Conpluris alios, doctos ego quos & amicos
Prudens praetereo: quibus haec, sunt qualiacumque,
Adridere velim; doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.
I puer, atque meo citus haec subscribe libello.

V. 78. Vulg. Crucier. 86. Bibuli. 88. Sint.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI
SERMONUM
LIBER II.

ECLOGA I.

SUNT quibus in Satira videar nimis acer, & ultra
Legem tendere opus: ſine nervis altera, quicquid
Conpoſui, pars eſſe putat, ſimiliſque meorum
Mille die verſus deduci poſſe. Trebati,
Quid faciam, praeſcribe. Quieſcas. Ne faciam, inquis,
Omnino verſus? Aio. Peream male, ſi non
Optimum erat: verum nequeo dormire. Ter uncti
Tranſnanto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto;
Inriguumque mero ſub noctem corpus habento.
Aut, ſi tantus amor ſcribendi te capit, aude
Caeſaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntis cuſpide Gallos,
Aut labentis equo deſcribit volnera Parthi.
Attamen & juſtum poteras & ſcribere fortem,
Scipiadam ut ſapiens Lucilius. Haud mihi deero,
Cum res ipſa feret: niſi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Caeſaris aurem:

V. ro. Vulg. RAPIT. 15. DESCRIBAT.

Digitized by Google

Cui male ſi palpere, recalcitret undique tutus.
Quanto rectius hoc, quam triſti laedere verſu
Pantolabum ſcurram, Nomentanumve nepotem?
Cum ſibi quiſque timet; quamquam eſt intactus, & odit.
Quid faciam? ſaltat Milonius, ut ſemel icto
Acceſſit fervor capiti, numeruſque lucernis.
Caſtor gaudet equis; ovo prognatus eodem,
Pugnis. quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum
Millia. me pedibus delectat claudere verba,
Lucilî ritu, noſtrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana ſodalibus olim
Credebat libris; neque, ſi male ceſſerat, uſquam
Decurrens alio, neque ſi bene: quo fit ut omnis
Votiva pateat veluti deſcripta tabella
Vita ſenis. ſequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps:
Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus,
Miſſus ad hoc, pulſis (vetus eſt ut fama) Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hoſtis;
Sive quod Appula gens, ſeu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. ſed hic ſtilus haud petet ultro
Quemquam animantem, & me veluti cuſtodiet enſis
Vagina tectus: quem cur deſtringere coner,
Tutus ab infeſtis latronibus? ô pater & rex
Juppiter, ut pereat poſitum robigine telum,
Nec quiſquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commorit, (melius non tangere, clamo)
Flebit, & inſignis tota cantabitur urbe.

V. 20. Vulg. Recalcitrat. 23 Nomentanumque. 31. Gesserat.

Cervius

Cervius iratus leges minitatur & urnam;
Canidia Albucî, quibus eſt inimica, venenum;
Grande malum Turius, ſi quid ſe judice certes.
Ut, quo quiſque valet, ſuſpectos terreat; utque
Imperet hoc natura potens, ſic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit; unde, niſi intus
Monſtratum? Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem; nil facict ſceleris pia dextera: mirum
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos:
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: ſeu me tranquilla ſenectus
Exſpectat, ſeu mors atris circumvolat alis;
Dives, inops; Romae, ſeu, fors ita juſſerit, exſul;
Quiſquis erit vitae, ſcribam, color. O puer, ut ſis
Vitalis metuo; & majorum ne quis amicus
Frigore te feriat. Quid? cum eſt Lucilius auſus
Primus in hunc operis conponere carmina morem,
Detrahere & pellem, nitidus qua quiſque per ora
Cederet, introrſum turpis; num Laelius, & qui
Duxit ab oppreſſa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offenſi? aut laeſo doluere Metello,
Famoſiſque Lupo cooperto verſibus? atqui
Primores populi arripuit populumque tributim;
Scilicet uni aequus virtuti atque ejus amicis.
Quin ubi ſe a volgo & ſcena in ſecreta remorant
Virtus Scipiadae & mitis ſapientia Laeli;
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti. quicquid ſum ego, quamvis

v. 49. Vulg. Si quis. Certet. 65 Aut qui.

Infra

Infra Lucilî cenſum ingeniumque; tamen me
Cum magnis vixiſſe invita fatebitur uſque
Invidia; & fragili quaerens inlidere dentem,
Offendet ſolido: niſi quid tu, docte Trebati,
Diſſentis. Equidem nihil hinc diffingere poſſum.
Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negotî
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt
Judiciumque. Eſto: ſi quis mala. ſed bona ſi quis
Judice condiderit laudatus Caeſare? ſi quis
Opprobriis dignum laceraverit, integer ipſe?
Solventur riſu tabulae: tu miſſus abibis.

ECLOGA II.

QUAE virtus & quanta, boni, ſit vivere parvo,
(Nec meus hic ſermo eſt; ſed quae praecepit Ofellus
Ruſticus, abnormis Sapiens, craſſaque Minerva)
Diſcite, non inter lances menſaſque nitentis;
Cum ſtupet inſanis acies fulgoribus, & cum
Adclinis falſis animus meliora recuſat:
Verum hic inpranſi mecum diſquirite. Cur hoc,
Dicam, ſi potero. male verum examinat omnis
Corruptus judex. leporem ſectatus, equove
Laſſus ab indomito; vel (ſi Romana fatigat
Militia adſuetum graecari) ſeu pila velox,
Molliter auſterum ſtudio fallente laborem,
Seu te diſcus agit, pete cedentem aëra diſco:

V. 79. Vulg. HIC DEFENDERE. 84. LAUDATUR. 85. LACERAVERIT. V. 2. QUEM.

Cum

Cum labor expulerit faſtidia; ſiccus, inanis
Sperne cibum vilem: niſi Hymettia mella Falerno,
Ne biberis, diluta. foris eſt promus, & atrum
Defendens piſcis hiemat mare: cum ſale panis
Latrantem ſtomachum bene leniet. unde putas, aut
Quî partum? non in caro nidore voluptas
Summa, ſed in teipſo eſt. tu pulmentaria quaere
Sudando. pinguem vitiis albumque neque oſtrea,
Nec ſcarus, aut poterit peregrina juvare lagoïs.
Vix tamen eripiam, poſito pavone, velis quin
Hoc potius quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis, & picta pandat ſpectacula cauda:
Tamquam ad rem attineat quicquam. num veſceris iſta,
Quam laudas, pluma? cocto num adeſt honor idem?
Carne tamen quamvis diſtat nihil, hac magis illa;
Inparibus formis deceptum te patet. eſto.
Unde datum ſentis, lupus hic, Tiberinus, an alto
Captus hiet? pontiſne inter jactatus, an amnis
Oſtia ſub Tuſci? laudas, inſane, trilibrem
Mullum; in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt.
Ducit te ſpecies, video. quo pertinet ergo
Proceros odiſſe lupos? quia ſcilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus.
Jejunus raro ſtomachus volgaria temnit.
Porrectum magno magnum ſpectare catino
Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. at vos
Praeſentes, Auſtri, coquite horum obſonia. quamquam

V. 14. Vulg. Extuderit. 21. Nec. Putet.

Digitized by Google

Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum; cum rapula plenus
Atque acidas mavolt inulas. necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis,
Nigrisque est oleis hodie locus. haud ita pridem
Gallonî praeconis erat acipensere mensa
Infamis. quid? tum rhombos minus aequora alebant?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido;
Donec vos auctor docuit praetorius. ergo
Si quis nunc mergos suavis edixerit assos;
Parebit pravi docilis Romana juventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
Judice. nam frustra vitium vitaveris illud;
Si te alio pravus detorseris. Avidienus,
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhaeret,
Quinquennis oleas est, & silvestria corna;
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum; &
Cujus odorem olei nequeas perferre (licebit
Ille repotia, natalis, aliosve dierum
Festos albatus celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, & horum
Utrum imitabitur? hac urguet lupus, hac canis, aiunt.
Mundus erit, qua non offendat sordibus, atque
In neutram partem cultûs miser. hic neque servis,
Albucî senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit; nec sic ut simplex Naevius, unctam
Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.

V. 48. Vulg. Aequor Alebat. 55. Pravum. 65. Qui non offendit. Accipe

Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque ſecum
Adferat. in primis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini, credas, memor illius eſcae
Quae ſimplex olim tibi ſederit. at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis;
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita. vides, ut pallidus omnis
Cena deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque adfligit humo divinae particulam aurae.
Alter, ubi dicto citius curata ſopori
Membra dedit, vegetus praeſcripta ad munia ſurgit.
Hic tamen ad melius poterit tranſcurrere quondam;
Sive diem feſtum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus: ubíque
Accedent anni, tractari mollius aetas
Inbecilla volet. tibi quidnam accedet ad iſtam,
Quam puer & validus praeſumis, mollitiem? ſeu
Dura valetudo inciderit, ſeu tarda ſenectus.
Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia naſus
Illis nullus erat; ſed, credo, hac mente, quod hoſpes
Tardius adveniens vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus conſumeret. hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tuliſſet.
Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupet humanam? grandes rhombi, patinaeque
Grande ferunt una cum damno dedecus. adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,

V. 79. Vulg. AFFIGIT. 85. Anni ET. 95. OCCUPAT.

Digitized by Google

Et fruſtra mortis cupidum; cum deerit egenti
As, laquei pretium. Jure, inquit, Trauſius iſtis
Jurgatur verbis: ego vectigalia magna,
Divitias habeo tribus amplas regibus. Ergo,
Quod ſuperat, non eſt melius quo inſumere poſſis?
Cur eget indignus quiſquam, te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deûm? cur, inprobe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
Uni nimirum tibi recte ſemper eunt res.
O magnus poſthac inimicis riſus! uterne
Ad caſus dubios fidet ſibi certius? hic qui
Pluribus aſſuerit mentem corpuſque ſuperbum;
An qui contentus parvo metuenſque futuri,
In pace, ut ſapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas: puer hunc ego parvus Oſellũ
Integris opibus novi non latius uſum,
Quam nunc acciſis. videas metato in agello
Cum pecore & gnatis fortem mercede colonum,
Non ego, narrantem, temere edi luce profeſta
Quicquam, praeter olus fumoſae cum pede pernae.
Ac mihi ſeu longum poſt tempus venerat hoſpes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus; bene erat, non piſcibus urbe petitis,
Sed pullo atque hoedo: tum penſilis uva ſecundas
Et nux ornabat menſas, cum duplice ficu.
Poſt hoc ludus erat cupa potare magiſtra.
Ac venerata Ceres, ita culmo ſurgeret alto,
Explicuit vino contractae ſeria frontis.

V. 99. Vulg. Inquis, trasius. 106. Recte tum. ſemper erunt. 118. Ac m. cum. 123. Culpa. 124. Ut culmo. Saeviat

Digitized by Google

Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus; [vos,
Quantum hinc inminuet? quanto aut ego parcius, aut
O pueri, nituiſtis, ut huc novus incola venit?
Nam **propriae** telluris herum natura neque illum,
Nec **me**, nec quemquam ſtatuit. nos expulit ille;
Illum **aut** nequities aut vafri inſcitia juris,
Poſtre**mum** expellet certe vivacior heres.
Nunc **ager** Umbreni ſub nomine, nuper Oſelli
Dictus **erat**: nulli proprius; ſed cedit in uſum
Nunc **mihi**, nunc alii. quocirca vivite fortes,
Fortia**que** adverſis opponite pectora rebus.

ECLOGA III.

SI raro ſcribes, ut toto non quater anno
Membranam poſcas, ſcriptorum quaeque retexens,
Iratus tibi, quod vini ſomnique benignus
Nil dignum ſermone canas: quid fiet? at ipſis
Saturnalibus huc fugiſti ſobrius. ergo
Dic aliquid dignum promiſſis. incipe. nil eſt.
Culpantur fruſtra calami, inmerituſque laborat
Iratis natus paries Dîs atque poëtis.
Atqui voltus erat multa & praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepiſſet villula tecto.
Quorſum pertinuit ſtipare Platona Menandro,
Eupolin Archilocho? comites educere tantos?
Invidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere, miſer. vitanda eſt inproba Siren

V. 132. Vulg. POSTREMO. 134. ERIT. CEDET. 1. SIC raro SCRIBIS. 4. AB ipſis. 12. ARCHILOCHUM.

Digitized by Google

Desidia; aut quicquid vita meliore parasti
Ponendum aequo animo. Dî te, Damasippe, Deaeque
Verum ob consilium donent tonsore. sed unde
Tam bene me nosti? Postquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta est; aliena negotia curo,
Excussus propriis. olim nam quaerere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere;
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset:
Callidus huic signo ponebam millia centum:
Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram: unde frequentia Mercuriale
Inposuere mihi cognomen compita. Novi;
Et miror morbi purgatum te illius. Atqui
Emovit veterem mire novus; ut solet, in cor
Trajecto lateris miseri capitisve dolore:
Ut lethargicus hic cum fit pugil, & medicum urguet.
Dum ne quid simile huic, esto ut libet. O bone, ne te
Frustrere: insanis & tu, stultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam,
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam, male re gesta, cum vellem mittere operto
Me capite in flumen; dexter stetit, &, Cave faxis
Te quicquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit in te

V. 27. Vulg. Et morbi miror. 29. Capitisque. 39. Urget. Solo;

Digitized by Google

Solo; nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala ſtultitia, & quemcumque inſcitia veri
Caecum agit, inſanum Chryſippi porticus & grex
Autumat. haec populos, haec magnos formula reges,
Excepto ſapiente, tenet. nunc accipe quare
Deſipiant omnes, aeque ac tu, qui tibi nomen
Inſano poſuere. velut ſilvis, ubi paſſim
Palantis error certo de tramite pellit,
Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit; unus utrique
Error, ſed variis inludit partibus: hoc te
Crede modo inſanum; nihilo ut ſapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. eſt genus unum
Stultitiae, nihilum metuenda timentis; ut ignis,
Ut rupis fluvioſque in campo obſtare queratur:
Alterum & huic varium & nihilo ſapientius, ignis
Per medios fluvioſque ruentis. clamet amica
Mater, honeſta ſoror, cum cognatis pater, uxor,
Hic foſſa eſt ingens, hic rupes maxima; ſerva:
Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Cum Ilionam edormit; Catienis mille ducentis,
Mater, te adpello, clamantibus. huic ego volgus
Errori ſimilem cunctum inſanire docebo.
Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo:
Integer eſt mentis Damaſippi creditor? eſto:
Accipe, quod numquam reddas mihi, ſi tibi dicam;
Tune inſanus eris, ſi acceperis? an magis excors
Rejecta praeda, quam praeſens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio: non eſt ſatis: adde Cicutae

V. 60. Vulg. Fusius. 62. Vulgum.

Nodoſi

Nodoſi tabulas centum, mille adde catenas:
Effugiet tamen haec ſceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in jus malis ridentem alienis;
Fiet aper, modo avis, modo ſaxum, &, cum volet, arbor.
Si male rem gerere inſani, contra bene ſani eſt;
Putidius multo cerebrum eſt (mihi crede) Perillî
Dictantis, quod tu numquam reſcribere poſſis.
Audire, atque togam jubeo componere, quiſquis
Ambitione mala, aut argenti pallet amore;
Quiſquis luxuria, triſtive ſuperſtitione,
Aut alio mentis morbo calet: huc propius me,
Dum doceo inſanire omnis, vos ordine adite.
Danda eſt ellebori multo pars maxima avaris:
Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem.
Heredes Staberî ſummam incidere ſepulcro;
Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum arbitrio Arrî, &
Frumenti quantum metit Africa. Sive ego prave,
Seu recte; hoc volui: ne ſis patruus mihi. Credo
Hoc Staberî prudentem animum vidiſſe. Quid ergo
Senſit, cum ſummam patrimoni inſculpere ſaxo
Heredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, & cavit nihil acrius: ut, ſi
Forte minus locuples uno quadrante periret,
Ipſe videretur ſibi nequior. omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulchris
Divitiis parent; quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus. Sapienſne? Etiam & rex,
Et

V. 74 Vulg. *Inſani eſt*, c. b. ſani. 86. Et *deeſt*.

Digitized by Google

Et quicquid volet. hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnae laudi fore. Quid ſimile iſti
Graecus Ariſtippus? qui ſervos projicere aurum
In media juſſit Libya; quia tardius irent
Propter onus ſegnes. uter eſt inſanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite reſolvit.
Si quis emat citharas, emtas conportet in unum,
Nec ſtudio citharae, nec Muſae deditus ulli;
Si ſcalpra & formas non ſutor; nautica vela
Averſus mercaturis: delirus & amens
Undique dicatur merito. quî diſcrepat iſtis,
Qui nummos aurumque recondit, neſcius uti
Conpoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum?
Si quis ad ingentem frumenti ſemper acervum
Projectus vigilet cum longo fuſte; neque illinc
Audeat eſuriens dominus contingere granum;
Ac potius foliis parcus veſcatur amaris:
Si, poſitis intus Chii veteriſque Falerni
Mille cadis, nihil eſt, tercentum millibus, acre
Potet acetum: age, ſi & ſtramentis incubet unde-
Octoginta annos natus, cui ſtragula veſtis,
Blattarum ac tinearum epulae, putreſcat in arca:
Nimirum inſanus paucis videatur; eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
Dîs inimice ſenex, cuſtodis? ne tibi deſit:
Quantulum enim ſummae curtabit quiſque dierum,
Unguere ſi caulis oleo meliore, caputque

v. 108. Vulg. Quid. 112. Porrectus.

Coepe-

Coeperis inpexa foedum porrigine? quare,
Si quidvis ſatis eſt, perjuras, ſurripis, aufers
Undique? tun' ſanus? populum ſi caedere ſaxis
Incipias, ſervoſve tuo quos aere pararis;
Inſanum te omnes pueri, clamentque puellae.
Cum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
Incolumi capite es? quid ni? neque enim hoc facis Argis,
Nec ferro ut demens genetricem occidis Oreſtes.
An tu reris eum occiſa inſaniſſe parente?
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo eſt habitus male tutae mentis Oreſtes,
Nil ſane fecit quod tu reprehendere poſſis:
Non Pyladen ferro violare, auſuſve ſororem eſt
Electram: tantum maledicit utrique, vocando
Hanc furiam, hunc aliud, juſſit quod ſplendida bilis.
Pauper Opimius argenti poſiti intus & auri,
Qui Veientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla vappamque profeſtis,
Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus; ut heres
Jam circum loculos & clavis laetus ovanſque
Curreret. hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: menſam poni jubet, atque
Effundi ſaccos nummorum, accedere pluris
Ad numerandum: hominem ſic erigit. addit & illud;
Ni tua cuſtodis, avidus jam haec auferet heres.
Men' vivo? Ut vivas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?

V. 129. Vulg. Tuos. 134. Quid enim? neque tu hoc. 133. Occidit. 139. Est *deeſt.* Deficient

Deficient inopem venae te, ni cibus atque
Ingens accedit ſtomacho fultura ruenti.
Tu ceſſas? Agedum, ſume hoc ptiſanarium oryzae.
Quanti emtae? Parvo. Quanti ergo? Octuſſibus. Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis pereamve rapinis?
Quiſnam igitur ſanus? Qui non ſtultus. Quid avarus?
Stultus & inſanus. Quid? ſi quis non ſit avarus;
Continuo ſanus? minime. Cur, Stoice? Dicam.
Non eſt cardiacus, Craterum dixiſſe putato,
Hic aeger. recte eſt igitur, ſurgetque? negabit:
Quod latus, aut renes morbo tentantur acuto.
Non eſt perjurus, neque ſordidus. inmolet aequis
Hic porcum Laribus. verum ambitioſus & audax.
Naviget Anticyram. quid enim differt, balatrone
Dones quicquid habes, an numquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusî duo praedia, dives
Antiquo cenſu, gnatis divîſſe duobus
Fertur, & hoc moriens pueris dixiſſe vocatis
Ad lectum: Poſtquam te talos, Aule, nuceſque
Ferre ſinu laxo, donare, & perdere vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis abſcondere triſtem:
Extimui, ne vos ageret veſania diſcors;
Tu Nomentanum, tu ne ſequerere Cicutam.
Quare per Divos oratus uterque Penatis,
Tu cave ne minuas, tu ne majus facias id,
Quod ſatis eſſe putat pater, & natura coërcet.
Praeterea, ne vos titillet gloria, jure-

V. 154. Vulg. Accedat. 156. Octo assibus. 157. Pereamque. 163. Tententur. 167. Barathrone. 170. Haec. 172. Ludere.

Digitized by Google

Jurando obſtringam ambo: uter aedilis, fueritve
Veſtrum praetor, is inteſtabilis & ſacer eſto.
In cicere atque faba bona tu perdaſque lupinis,
Latus ut in circo ſpatiere, & aëneus ut ſtes;
Nudus agris, nudus nummis, inſane, paternis?
Scilicet ut plauſus, quos fert Agrippa, feras tu,
Aſtuta ingenuum volpes imitata leonem.
Ne quis humaſſe velit Ajacem, Atrida, vetas cur?
Rex ſum: nil ultra quaere plebeius: et aequam
Rem imperito. at ſi cui videor non juſtus; inulto
Dicere, quod ſentit, permitto. Maxime regum,
Dî tibi dent capta claſſem deducere Troja.
Ergo conſulere, & mox reſpondere licebit?
Conſule. Cur Ajax heros ab Achille ſecundus
Putreſcit, totiens ſervatis clarus Achivis:
Gaudeat ut populus Priami Priamuſque inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruere ſepulcro?
Mille ovium inſanus morti dedit, inclutum Ulixen
Et Menelaum una mecum ſe occidere clamans.
Tu cum pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam
Ante aras, ſpargiſque mola caput, inprobe, ſalſa;
Rectum animi ſervas? quorſum inſanus, quid enim Ajax
Fecit? cum ſtravit ferro pecus; abſtinuit vim
Uxore & gnato, mala multa precatus Atridis:
Non ille aut Teucrum, aut ipſum violavit Ulixen.
Verum ego, ut haerentis adverſo litore navis
Eriperem, prudens placavi ſanguine Divos.
Nempe tuo, furioſe. Meo, ſed non furioſus.

Qui

V. 184. Vulg. Aut aeneus. 188. quaero. 190. qua. 191. Reducere.

Digitized by Google

Qui ſpecies alias, veri ſceleriſque tumultu
Permixtas, capiet, commotus habebitur: atque
Stultitiane erret, nihilum diſtabit, an ira.
Ajax, cum inmeritos occidit, deſipit, agnos:
Tu, prudens ſcelus ob titulos cum admittis inanes,
Stas animo? & purum eſt, vitio tibi cum tumidum eſt [cor?
Si quis lectica nitidam geſtare amet agnam;
Huic veſtem, ut gnatae, paret ancillas, paret aurum;
Rufam aut Poſillam adpellet, fortique marito
Deſtinet uxorem; interdicto huic omne adimat jus
Praetor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.
Quid? ſi qui gnatam pro muta devovet agna,
Integer eſt animi? ne dixeris. ergo ubi prava
Stultitia, hic ſumma eſt inſania: qui ſceleratus,
Et furioſus erit: quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc, age, luxuriam & Nomentanum arripe mecum:
Vincet enim ſtultos ratio inſanire nepotes.
Hic ſimul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit, piſcator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tuſci turba inpia vici,
Cum ſcurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant. qui cum venere frequentes,
Verba facit leno: Quicquid mihi, quicquid & horum
Cuique domi eſt, id crede tuum; & vel nunc pete, vel cras.
Accipe, quid contra juvenis reſponderit aequus.
Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum

V. 211. Vulg. Ajax imm. DUM occ. 212. CUM p. ſ. ob t. adm. 216. PUSAM AUT PUSILLAM. 230. QUID TUM? 234. IN nive.

Digitized by Google

Cenem ego: tu piſcis hiberno ex aequore verris:
Segnis ego, indignus qui tantum poſſideam. aufer;
Sume; tibi decies: tibi tantundem: tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata.
Filius Aeſopi detractam ex aure Metellae
(Scilicet ut decies ſolidum abſorberet) aceto
Diluit inſignem baccam: quî ſanior, ac ſi
Illud idem in rapidum flumen jaceretve cloacam?
Quinti progenies Arrî, par nobile fratrum,
Nequitia & nugis pravorum & amore gemellum,
Luſcinias ſoliti inpenſo prandere coëmtas:
Quorſum abeant? ſanin' creta, an carbone notati?
Aedificare caſas, ploſtello adjungere mures,
Ludere par inpar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum; amentia verſet.
Si puerilius his ratio eſſe evincet amare;
Nec quicquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores: quaero, faciaſne quod olim
Mutatus Polemon? ponas inſignia morbi,
Faſciolas, cubital, focalia? potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas,
Poſtquam eſt inpranſi correptus voce magiſtri.
Porrigis irato puero cum poma, recuſat:
Sume, Catelle; negat: ſi non des, optet. amator
Excluſus quî diſtat? agit ubi ſecum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arceſſitus; & haeret
Inviſis foribus: Ne nunc, cum me vocat ultro,

V, 238. Vulg. CURRAT. 240. EXSORBERET. 246. SANI. NOTANDI. 259. OPTAT. Ac-
262. NEC VOCET.

Digitized by Google

Accedam? an potius mediter finire dolores?
Excluſit; revocat: redeam? non, ſi obſecret. ecce
Servus non paullo ſapientior: O here, quae res
Nec modum habet neque conſilium, ratione modoque
Tractari non volt. in amore haec ſunt mala: bellum,
Pax rurſum. haec ſi quis tempeſtatis prope ritu
Mobilia, & caeca fluitantia ſorte, laboret
Reddere certa ſibi; nihilo plus explicet, ac ſi
Inſanire paret certa ratione modoque.
Quid? cum Picenis excerpens ſemina pomis,
Gaudes, ſi cameram percûſti forte; penes te es?
Quid? cum balba feris annoſo verba palato,
Aedificante caſas quî ſanior? adde cruorem
Stultitiae, atque ignem gladio ſcrutare. modo, inquam,
Hellade percuſſa, Marius cum praecipitat ſe,
Cerritus fuit? an conmotae crimine mentis
Abſolves hominem, & ſceleris damnabis eundem,
Ex more inponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita ſiccus
Lautis mane ſenex manibus currebat, &, Unum
(Quid tam magnum? addens) unum me ſurpite morti,
Dîs etenim facile eſt, orabat; ſanus utriſque
Auribus atque oculis. mentem, niſi litigioſus,
Exciperet dominus, cum venderet. hoc quoque volgus
Chryſippus ponit fecunda in gente Menemî.
JUPPITER, ingentis qui das adimiſque dolores,
Mater ait pueri menſis jam quinque cubantis,
Frigida ſi puerum quartana reliquerit; illo

Mane

Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi ſtabit. Caſus medicuſve levarit
Aegrum ex praecipiti; mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concuſſa? timore Deorum.
Haec mihi Stertinius, ſapientum octavus, amico
Arma dedit, poſthac ne conpellarer inultus.
Dixerit inſanum qui me, totidem audiet; atque
Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.
Stoice, poſt damnum ſic vendas omnia pluris;
Quam me ſtultitiam (quoniam non eſt genus unum)
Inſanire putas? ego nam videor mihi ſanus.
Quid? caput abſciſſum manibus cum portat Agave
Gnati infelicis, ſibi tum furioſa videtur?
Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam inſanum: tantum hoc ediſſere, quo me
Aegrotare putes animi vitio. Accipe: primum
Aedificas; hoc eſt, longos imitaris, ab imo
Ad ſummum totus moduli bipedalis: & idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum & inceſſum: quî ridiculus minus illo?
An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum eſt,
Tantum diſſimilem, & tanto certare minorem?
Abſentis ranae pullis vituli pede preſſis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Belua cognatos eliſerit. illa rogare,
Quantane? num tantum, ſufflans ſe, magna fuiſſet?

V. 301. Vulg. QUA me STULTITIA. 303. DEMENS cum. 313. TANTO diff. Major
317. Num TANDEM, SE INFLANS, SIC.

Digitized by Google

Major dimidio. Num tantum? cum magis atque
Se magis inflaret; Non, ſi te ruperis, inquit,
Par eris. haec a te non multum abludit imago.
Adde poëmata nunc; hoc eſt, oleum adde camino;
Quae ſi quis ſanus fecit, ſanus facis & tu.
Non dico horrendam rabiem. Jam deſine. Cultum
Majorem cenſu. Teneas, Damaſippe, tuis te.
Mille puellarum, puerorum mille furores.
O major tandem parcas inſane minori.

ECLOGA IV.

UNDE, & quo Catius? Non eſt mihi tempus aventi
Ponere ſigna novis praeceptis; qualia vincant
Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.
Peccatum fateor, cum te ſic tempore laevo
Interpellarim: ſed des veniam bonus, oro.
Quod ſi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox:
Sive eſt naturae hoc, ſive artis, mirus utroque.
Quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem;
Utpote res tenuis, tenui ſermone peractas.
Ede hominis nomen; ſimul &, Romanus an hoſpes.
Ipſa memor praecepta canam: celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut ſucci melioris, & ut magis alma rotundis,
Ponere: namque marem cohibent calloſa vitellum.
Caule ſuburbano, qui ſiccis crevit in agris,
Dulcior: inriguo nihil eſt elutius horto.

V. 318. Vulg. TANTO. 2. VINCUNT. 10. AN Rom. 13. ALBA.

Si

Si veſpertinus ſubito te oppreſſerit hoſpes;
Ne gallina malum reſponſet dura palato,
Doctus eris vivam muſto merſare Falerno:
Hoc teneram faciet. pratenſibus optima fungis
Natura eſt: aliis male creditur. ille ſalubris
Aeſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quae legerit arbore ſolem.
Auſidius forti miſcebat mella Falerno,
Mendoſe: quoniam vacuis committere venis
Nil niſi lene decet. leni praecordia mulſo
Prolueris melius. ſi dura morabitur alvus;
Mitulus & viles pellent obſtantia conchae,
Et lapathi brevis herba; ſed albo non ſine Coo.
Lubrica naſcentes inplent conchylia lunae.
Sed non omne mare eſt generoſae fertile teſtae.
Murice Baiano melior Lucrina peloris:
Oſtrea Circaeis, Miſeno oriuntur echini:
Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum.
Nec ſibi cenarum quivis temere arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione ſaporum.
Nec ſatis eſt cara piſcis averrere menſa,
Ignarum quibus eſt jus aptius, & quibus aſſis
Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet.
Umber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus eſt, ulvis & arundine pinguis.
Vinea ſubmittit capreas non ſemper edulis.
Fecundae leporis ſapiens ſectabitur armos.

Piſci-

V. 19. Vulg. Misto. 37. Avertere. 41. Curvat. 44. Fecundi.

Digitized by Google

Piſcibus atque avibus quae natura & foret aetas,
Ante meum nulli patuit quaeſita palatum.
Sunt quorum ingenium nova tantum cruſtula promit.
Nequaquam ſatis in re una conſumere curam:
Ut ſi quis ſolum hoc, mala ne ſint vina, laboret;
Quali perfundat piſcis ſecurus olivo.
Maſſica ſi caelo ſubpones vina ſereno;
Nocturna, ſi quid craſſi eſt, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus: at illa
Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.
Surrentina vafer qui miſcet faece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo:
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Toſtis marcentem ſquillis recreabis & Afra
Potorem cochlea: nam lactuca innatat acri
Poſt vina ſtomacho: perna magis, ac magis hillis
Flagitat in morſus refici: quin omnia mavolt,
Quaecumque inmundis fervent adlata popinis.
Eſt operae precium duplicis pernoſcere juris
Naturam. Simplex e dulci conſtat olivo.
At pingui Miſcere mero muriaque decebit,
Non alia quam qua Byzantia putuit orca:
Hoc ubi confuſum ſectis inferbuit herbis,
Corycioque croco ſparſum ſtetit; inſuper addes
Preſſa Venafranae quod bacca remiſit olivae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia ſucco:
Nam facie praeſtant. Venucula convenit ollis:

V. 51. Vulg. Suffonas. 60. Vinum. 61. Malit. 65. Quod pingui miſc. 66. Putruit.

Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego faecem primus & allec,
Primus & invenior piper album cum ſale nigro
Incretum puris circumpoſuiſſe catillis.
Inmane eſt vitium, dare millia terna macello,
Anguſtoque vagos piſcis urguere catino.
Magna movet ſtomacho faſtidia; ſeu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit:
Sive gravis veteri craterae limus adhaeſit.
Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe, quantus
Conſiſtit ſumtus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias dare circum inlota toralia veſtis;
Oblitum, quanto curam ſumtumque minorem
Haec habeant, tanto reprehendi juſtius illis,
Quae niſi divitibus nequeant contingere menſis?
Docte Cati, per amicitiam Divoſque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocumque, memento.
Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta;
Non tamen interpres tantundem juveris. adde
Voltum habitumque hominis; quem tu vidiſſe beatus
Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
Non mediocris ineſt, fontis ut adire remotos,
Atque haurire queam vitae praecepta beatae.

V. 78. Vulg. Movent. 87. Nequeunt. 90. Referas memori.

Digitized by Google

ECLOGA V.

Hoc quoque, Tireſia, praeter narrata, petenti
Reſponde: quibus amiſſas reparare queam res
Artibus atque modis. quid rides? Jamne, doloſe,
Non ſatis eſt Ithacam revehi, patrioſque penatis
Aſpicere? O nulli quicquam mentite, vides, ut
Nudus inopſque domum redeam, te vate: neque illic
Aut apotheca procis intacta eſt, aut pecus. atqui
Et genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.
Quando pauperiem miſſis ambagibus horres;
Accipe, qua ratione queas diteſcere. turdus,
Sive aliud privum dabitur tibi; devolet illuc,
Res ubi magna nitet domino ſene. dulcia poma,
Et quoſcumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem guſtet venerabilior Lare dives:
Qui quamvis perjurus erit, ſine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.
Utne tegam ſpurco Damae latus? haud ita Trojae
Me geſſi, certans ſemper melioribus. Ergo
Pauper eris. Fortem hoc animum tolerare jubebo:
Et quondam majora tuli. tu protenus, unde
Divitias aeriſque ruam, dic, augur, acervos.
Dixi equidem, & dico. captes aſtutus ubique
Teſtamenta ſenum: neu, ſi vafer unus & alter
Inſidiatorem praeroſo fugerit hamo,

V. 3. Vulg. Doloso.

Digitized by Google

Aut ſpem deponas, aut artem inluſus omittas.
Magna minorve foro ſi res certabitur olim;
Vivet uter locuples ſine natis, inprobus, ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius eſto
Defenſor: fama civem cauſaque priorem
Sperne; domi ſi natus erit, fecundave conjunx.
Quinte, puta, aut Publi (gaudent praenomine molles
Auriculae) tibi me virtus tua fecit amicum:
Jus anceps novi: cauſas defendere poſſum:
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemtum caſſa nuce pauperet: haec mea cura eſt,
Ne quid tu perdas, neu ſis jocus. ire domum, atque
Pelliculam curare jube: ſi cognitor ipſe:
Perſta, atque obdura; ſeu rubra Canicula findet
Infantis ſtatuas, ſeu pingui tentus omaſo
Furius hibernas cana nive conſpuet Alpis.
Nonne vides (aliquis cubito ſtantem prope tangens
Inquiet) ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?
Plures adnabunt thunni, & cetaria creſcent.
Si cui praeterea validus male filius in re
Praeclara ſublatus aletur; ne manifeſtum
Caelibis obſequium nudet te, leniter in ſpem
Adrepe officioſus, ut & ſcribare ſecundus
Heres; &, ſi quis caſus puerum egerit Orco,
In vacuum venias. perraro haec alea fallit.
Qui teſtamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere, & tabulas a te removere memento:
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima ſecundo

Cera

Cera velit verſu: ſolus, multiſne coheres,
Veloci percurre oculo. plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem;
Captatorque dabit riſus Naſica Corano.
Num furis, an prudens ludis me, obſcura canendo?
O Laërtiade, quicquid dicam, aut erit, aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Quid tamen iſta velit ſibi fabula, ſi licet, ede.
Tempore quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demiſſum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit; forti nubet procera Corano
Filia Naſicae, metuentis reddere ſoldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas ſocero dabit, atque
Ut legat orabit: multum Naſica negatas
Accipiet tandem, & tacitus leget; invenietque
Nil ſibi legatum, praeter plorare, ſuiſque.
Illud ad haec jubeo: mulier ſi forte doloſa,
Libertuſve ſenem delirum temperet; illis
Accedas ſocius: laudes, lauderis ut abſens.
Adjuvat hoc quoque: ſed vincit longe prius ipſum
Expugnare caput. ſcribet mala carmina vecors?
Laudato. ſcortator erit? cave te roget: ultro
Penelopam facilis potiori trade. Putaſne,
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere curſu?
Venit enim (indignum) donandi parca juventus,
Nec tantum veneris, quantum ſtudioſa culinae.
Sic tibi Penelopa frugi eſt: quae, ſi ſemel uno

De-

V. 79. Vulg. Venit enim MAGNUM.

De ſene guſtarit tecum partita lucellum,
Ut canis a corio numquam abſterrebitur uncto.
Me ſene quod dicam factum eſt. anus inproba Thebis
Ex teſtamento ſic eſt elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres:
Scilicet, elabi ſi poſſet mortua; credo,
Quod nimium inſtiterat viventi. cautus adito:
Neu deſis operae, neve inmoderatus abundes.
Difficilem & moroſum offendes garrulus ultro.
Non etiam ſileas. Davus ſis comicus; atque
Stes capite obſtipo, multum ſimilis metuenti.
Obſequio graſſare: mone, ſi increbruit aura,
Cautus uti velet carum caput: extrahe turba
Oppoſitis humeris: aurem ſubſtringe loquaci.
Inportunus amat laudari? donec Ohe jam!
Ad caelum manibus ſublatis dixerit, urgue; &
Creſcentem tumidis infla ſermonibus utrem.
Cum te ſervitio longo curaque levarit;
Et certum vigilans, Quartae eſto partis Ulixes,
Audieris, heres: Ergo nunc Dama ſodalis
Nuſquam eſt? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?
Sparge ſubinde: &, ſi paullum potes inlacrimare, eſt
Gaudia prodentem voltum celare. ſepulcrum
Permiſſum arbitrio, ſine ſordibus exſtrue. funus
Egregie factum laudet vicinia. ſi quis
Forte coheredum ſenior male tuſſiet; huic tu
Dic, ex parte tua ſeu fundi, ſive domus ſit
Emtor, gaudentem nummo te addicere. ſed me
Impe-

V. 90. Vulg. OFFENDET. 100. QUARTAE SIT.

Digitized by Google

Imperiosa trahit Proserpina. vive, valeque.

ECLOGA VI.

HOC erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, & tecto vicinus jugis aquae fons,
Et paullum silvae super his foret. auctius atque
Dî melius fecere. bene est. nil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.
Si neque majorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem:
Si veneror stultus nihil horum, O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si urnam argenti fors quae mihi monstret! ut illi,
Thesauro invento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule: si, quod adest, gratum juvat: hac prece te oro,
Pingue pecus domino facias, & cetera praeter
Ingenium; utque soles, custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me in montis & in arcem ex Urbe removi,
Quid prius illustrem Satiris Musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster,
Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
Matutine pater, seu Jane libentius audis,
Unde homines operum primos vitaeque labores
Instituunt (sic Dîs placitum) tu carminis esto
Principium: Romam sponsorem me rapis: Eia,
Ne prior officio quisquam respondeat, urgue:

Sive

v. 4. Vulg. NIHIL. 10. FORS QUA. 23. ROMAE.

Sive Aquilo radit terras, ſeu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire neceſſe eſt.
Poſtmodo, quod mî obſit, clare certumque locuto,
Luctandum in turba, & faciendа injuria tardis.
Quid tibi vis, inſane, & quam rem agis? inprobus urguet
Iratis precibus. tu pulſes omne quod obſtat,
Ad Maecenatem memori ſi mente recurras.
Hoc juvat, & melli eſt; ne mentiar. at ſimul atras
Ventum eſt Eſquilias; aliena negotia centum
Per caput & circa ſaliunt latus. Ante ſecundam
Roſcius orabat ſibi adeſſes ad Puteal cras.
De re communi ſcribae magna atque nova te
Orabant hodie meminiſſes, Quinte, reverti.
Inprimat his cura Maecenas ſigna tabellis.
Dixeris, Experiar: Si vis, potes, addit, & inſtat.
Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere ſuorum
In numero: dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet, iter faciens; & cui concredere nugas
Hoc genus, Hora quota eſt? Threx eſt Gallina Syro par:
Matutina parum cautos jam frigora mordent:
Et quae rimoſa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus, ſubjectior in diem & horam
Invidiae noſter. ludos ſpectaverit una:
Luſerit in campo: Fortunae filius, omnes.
Frigidus a Roſtris manat per compita rumor:
Quicumque obvius eſt, me conſulit; O bone, (nam te

V. 28 Vulg. Turba, fac. 29. Quid vis, inſane, & QUAS RES agis. 32. NON ment. 48. SPECTAVERAT. 49. LUSERAT.

Scire,

Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet)
Numquid de Dacis audiſti? Nil equidem. Ut tu
Semper eris deriſor! At omnes Dî exagitent me,
Si quicquam. Quid? militibus promiſſa Triquetra
Praedia Caeſar, an eſt Itala tellure daturus?
Jurantem me ſcire nihil miratur, ut unum
Scilicet egregii mortalem altique ſilentî.
Perditur haec inter miſero lux; non ſine votis,
O rus, quando ego te aſpiciam? quandóque licebit,
Nunc veterum libris, nunc ſomno & inertibus horis,
Ducere ſollicitae jocunda oblivia vitae?
O quando faba Pythagorae cognata, ſimulque
Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?
O noctes, cenaeque Deûm! quibus ipſe meique
Ante Larem proprium veſcor, vernaſque procacis
Paſco libatis dapibus: cum, ut cuique libido eſt,
Siccat inaequalis calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis: ſeu quis capit acria fortis
Pocula; ſeu modicis uveſcit laetius. ergo
Sermo oritur, non de villis domibuſve alienis,
Nec male necne Lepos ſaltet: ſed quod magis ad nos
Pertinet, & neſcire malum eſt, agitamus; utrumne
Divitiis homines, an ſint virtute beati:
Quidve ad amicitias, uſus rectumne, trahat nos:
Et quae ſit natura boni, ſummumque quid ejus.
Cervius haec inter vicinus garrit anilis
Ex re fabellas. ſi quis nam laudat Arellî

V. 57. Vulg. MIRANTUR. 67. PROUT. 78. NAM SI QUIS.

Digitized by Google

Sollicitas ignarus opes; ſic incipit: Olim
Ruſticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepiſſe cavo, veterem vetus hoſpes amicum;
Aſper, & attentus quaeſitis; ut tamen artum
Solveret hoſpitiis animum. quid multa? neque ille
Sepoſiti ciceris, nec longae invidit avenae:
Aridum & ore ferens acinum, ſemeſaque lardi
Fruſta dedit, cupiens varia faſtidia cena
Vincere tangentis male ſingula dente ſuperbo:
Cum pater ipſe domus palea porrectus in horna
Eſſet ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc, Quid te juvat, inquit, amice,
Praerupti nemoris patientem vivere dorſo?
Vis tu homines urbemque feris praeponere ſilvis?
Carpe viam (mihi crede) comes: terreſtria quando
Mortalis animas vivunt ſortita, neque ulla eſt
Aut magno aut parvo leti fuga. quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jocundis vive beatus:
Vive memor, quam ſis aevi brevis. Haec ubi dicta
Agreſtem pepulere; domo levis exſilit: inde
Ambo propoſitum peragunt iter, urbis aventes
Moenia nocturni ſubrepere. jamque tenebat
Nox medium caeli ſpatium, cum ponit uterque
In locuplete domo veſtigia: rubro ubi cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos;
Multaque de magna ſupereſſent fercula cena,
Quae procul exſtructis inerant heſterna caniſtris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veſte locavit

Agre-

V. 83, Vulg. Illi. 92. Vin' tu.

Digitized by Google

Agreſtem; veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,
Continuatque dapes: necnon verniliter ipſis
Fungitur officiis, praelibans omne quod adfert.
Ille cubans gaudet mutata ſorte, boniſque
Rebus agit laetum convivam: cum ſubito ingens
Valvarum ſtrepitus lectis excuſſit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave; magiſque
Exanimes trepidare, ſimul domus alta Moloſſis
Perſonuit canibus. tum ruſticus, Haud mihi vita
Eſt opus hac, ait, & valeas: me ſilva cavuſque
Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur ervo.

ECLOGA VII.

JAMDUDUM auſculto; & cupiens tibi dicere ſervus
Pauca, reformido. Davuſne? Ita, Davus, amicum
Mancipium domino, & frugi: quod ſit ſatis, hoc eſt,
Ut vitale putes. Age, libertate Decembri
(Quando ita majores voluerunt) utere: narra.
Pars hominum vitiis gaudet conſtanter, & urguet
Propoſitum: pars multa natat, modo recta capeſſens,
Interdum pravis obnoxia. ſaepe notatus
Cum tribus annellis, modo laeva Priſcus inani,
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas:
Aedibus ex magnis ſubito ſe conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeſte:
Jam moechus Romae, jam mallet doctus Athenis
Vivere: Vertumnis, quotquot ſunt, natus iniquis.

V. 108. Vulg. VERNALITER. 109. PRAELAMBENS.

Digitized by Google

Scurra Volanerius, poſtquam illi juſta cheragra
Contudit articulos, qui pro ſe tolleret atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit: quanto conſtantior idem
In vitiis, tanto levius miſer, ac prior ille
Qui jam contento, jam laxo fune laborat.
Non dices hodie, quorſum haec tam putida tendant,
Furcifer? Ad te, inquam. Quo pacto, peſſime? Laudas
Fortunam & mores antiquae plebis; & idem,
Si quis ad illa Deus ſubito te agat, uſque recuſes:
Aut quia non ſentis, quod clamas, rectius eſſe;
Aut quia non firmus rectum defendis, & haeres,
Nequicquam coeno cupiens evellere plantam.
Romae rus optas: abſentem ruſticus Urbem
Tollis ad aſtra levis. ſi nuſquam es forte vocatus
Ad cenam, laudas ſecurum olus; ac, velut uſquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis amaſque,
Quod nuſquam tibi ſit potandum. juſſerit ad ſe
Maecenas ſerum ſub lumina prima venire
Convivam; Nemon' oleum fert ocius? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, fugiſque.
Mulvius & ſcurrae, tibi non referenda precati,
Diſcedunt. etenim fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem: naſum nidore ſupinor:
Inbecillus, iners, ſi quid vis; adde, popino.
Tu, cum ſis quod ego, & fortaſſis nequior, ultro
Inſectere, velut melior? verbiſque decoris
Obvolvas vitium? quid, ſi me ſtultior ipſo

Quin-

V. 34. Vulg. FERET.

Quingentis emto drachmis deprenderis? aufer
Me voltu terrere: manum ſtomachumque teneto,
Dum, quae Criſpini docuit me janitor, edo.
Te conjunx aliena capit, meretricula Davum:
Peccat uter noſtrum cruce dignius? acris ubi me
Natura incendit; ſub clara nuda lucerna
Quaecumque excepit turgentis verbera caudae,
Clunibus aut agitavit equum laſciva ſupinum,
Dimittit neque famoſum, neque ſollicitum, ne
Ditior aut formae melioris meiat eodem.
Tu, cum projectis inſignibus, annulo equeſtri
Romanoque habitu, prodis ex judice Dama
Turpis, odoratum caput obſcurante lacerna;
Non es quod ſimulas? metuens induceris, atque
Altercante libidinibus tremis oſſa pavore.
Quid refert, uri virgis ferroque necari
Auctoratus eas; an turpi clauſus in arca,
Quo te demiſit peccati conſcia herilis,
Contractum genibus tangas caput? eſtne marito
Matronae peccantis in ambo juſta poteſtas?
In corruptorem vel juſtior. illa tamen ſe
Non habitu, mutatve loco, peccatve ſuperne;
Cum te formidet mulier, neque credat amanti.
Ibis ſub furcam prudens, dominoque furenti
Committes rem omnem & vitam & cum corpore famam.
Evâſti? metues, credo, doctuſque cavebis:
Quaeres, quando iterum paveas, iterumque perire
Poſſis: ô totiens ſervus! quae belua ruptis,

V. 68. Vulg. CREDO, METUES.

Cum

Cum ſemel effugit, reddit ſe prava catenis?
Non ſum moechus, ais. neque ego, hercule, fur, ubi vaſa
Praetereo ſapiens argentea. tolle periclum,
Jam vaga proſiliet frenis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantiſque minor? quem ter vindicta quaterque
Inpoſita haud umquam miſera formidine privet?
Adde ſuper, dictis quod non levius valeat: nam
Sive vicarius eſt, qui ſervo paret, uti mos
Veſter ait; ſeu conſervus: tibi quid ſum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis ſervis miſer; atque
Duceris, ut nervis alienis mobile ſignum.
Quiſnam igitur liber? Sapiens: ſibi qui imperioſus;
Quem neque pauperies, neque mors, nec vincula terrent;
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis; & in ſeipſo totus; teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari;
In quem manca ruit ſemper fortuna. poteſne
Ex his, ut proprium, quid noſcere? quinque talenta
Poſcit te mulier, vexat, foribuſque repulſum
Perfundit gelida: rurſus vocat. eripe turpi
Colla jugo: Liber, liber ſum, dic age. non quis:
Urguet enim dominus mentem non lenis, & acris
Subjectat laſſo ſtimulos, verſatque negantem.
Vel cum Pauſiaca torpes, inſane, tabella;
Qui peccas minus atque ego, cum Fulvî Rutubaeque
Aut Placideiani contento poplite miror
Praelia, rubrica picta aut carbone, velut ſi

Re

V. 78. Vulg. Supradictis. 82. Lignum.

Digitized by Google

Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri? nequam & ceſſator Davus: at ipſe
Subtilis veterum judex, & callidus audis.
Nil ego, ſi ducor libo fumante: tibi ingens
Virtus atque animus cenis reſponſat opimis?
Obſequium ventris mihi perniciosius eſt cur?
Tergo plector enim: quî tu impunitior illa,
Quae parvo ſumi nequeunt, obſonia captas?
Nempe inamareſcunt epulae ſine fine petitae;
Inluſique pedes vitioſum ferre recuſant
Corpus. an hic peccat, ſub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat ſtrigili? qui praedia vendit,
Nil ſervile gulae parens habet? adde, quod idem
Non horam tecum eſſe potes, non otia recte
Ponere; teque ipſum vitas fugitivus & erro,
Jam vino quaerens, jam ſomno fallere curam:
Fruſtra: nam comes atra premit, ſequiturque fugacem.
Unde mihi lapidem? Quorſum eſt opus? Unde ſagittas?
Aut inſanit homo, aut verſus facit. Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

ECLOGA VIII.

UT Naſidieni juvit te cena beati?
Nam mihi convivam quaerenti, dictus here illic
De medio potare die. Sic, ut mihi numquam
In vita fuerit melius. Dic (ſi grave non eſt)
Quae prima iratum ventrem placaverit eſca.

V. 106. Vulg. CUM obſonia. 2. Quaerenti convivam. 4. DA, ſi grave. In

In primis Lucanus aper: leni fuit Auſtro
Captus, ut aiebat cenae pater; acria circum
Rapula, lactucae, radices, qualia laſſum
Pervellunt ſtomachum, ſiſer, allec, faecula Coa.
His ubi ſublatis, puer alte cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam perterſit, & alter
Sublegit quodcumque jaceret inutile, quodque
Poſſet cenantis offendere; ut Attica virgo
Cum ſacris Cereris, procedit fuſcus Hydaſpes
Caecuba vina ferens; Alcon, Chium maris expers.
Hic herus; Albanum, Maecenas, ſive Falernum
Te magis adpoſitis delectat; habemus utrumque.
Divitias miſeras! ſed quîs cenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, noſſe laboro.
Summus ego, & prope me Viſcus Thurinus, & infra
(Si memini) Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras:
Nomentanus erat ſuper ipſum; Porcius infra,
Ridiculus totas ſimul abſorbere placentas:
Nomentanus ad hoc, qui, ſi quid forte lateret,
Indice monſtraret digito. nam cetera turba,
Nos inquam, cenamus avis, conchylia, piſcis,
Longe diſſimilem noto celantia ſuccum:
Ut vel continuo patuit, cum paſſeris aſſi, &
Inguſtata mihi porrexerat ilia rhombi.
Poſt hoc me docuit melimela rubere, minorem
Ad lunam delecta. quid hoc interſit, ab ipſo
Audieris melius. tum Vibidius Balatroni;

Nos

V. 29. Vulg. Paſſeris, ATQUE. 30. PORREXERIT.

Digitized by Google

Nos, niſi damnoſe bibimus, moriemur inulti:
Et calices poſcit majores. vertere pallor
Tum parochi faciem, nil ſic metuentis ut acris
Potores: vel quod maledicunt liberius; vel
Fervida quod ſubtile exſurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, ſecutis omnibus: imi
Convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
Adfertur ſquillas inter muraena natantis
In patina porrecta. ſub hoc herus, Haec gravida, inquit,
Capta eſt; deterior poſt partum carne futura.
His mixtum jus eſt; oleo, quod prima Venafri
Preſſit cella; garo de ſuccis piſcis Hiberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur; cocto Chium ſic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud; pipere albo, non ſine aceto,
Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam:
Erucas viridis, inulas ego primus amaras
Monſtravi incoquere; inlotos Curtillus echinos,
Ut melius muria, quam teſta marina remittit.
Interea ſuſpenſa gravis aulaea ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos majus veriti, poſtquam nihil eſſe pericli
Senſimus, erigimur. Rufus poſito capite, ut ſi
Filius inmaturus obiſſet, flere. quis eſſet
Finis, ni ſapiens ſic Nomentanus amicum
Tolleret? Heu, Fortuna, quis eſt crudelior in nos

Digitized by Google

Te Deus? ut ſemper gaudes inludere rebus
Humanis! Varius mappa compeſcere riſum
Vix poterat. Balatro ſuſpendens omnia naſo,
HAEC eſt conditio vivendi, aiebat: eoque
Reſponſura tuo numquam eſt par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine diſtrictum; ne panis aduſtus,
Ne male conditum jus adponatur; ut omnes
Praecincti recte pueri comtique miniſtrent?
Adde hos praeterea caſus; aulaea ruant ſi,
Ut modo; ſi patinam pede labſus frangat agaſo.
Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adverſae nudare ſolent, celare ſecundae.
Naſidienus ad haec: Tibi Dî, quaecumque preceris,
Commoda dent; ita vir bonus es, convivaque *comis:*
Et ſoleas poſcit. tum in lecto quoque videres
Stridere ſecreta diviſos aure ſuſurros.
Nullos his maliem ludos ſpectaſſe: ſed illa
Redde, age, quae deinceps riſiſti. Vibidius dum
Quaerit de pueris, num ſit quoque fracta lagena,
Quod ſibi poſcenti non dentur pocula; dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone ſecundo:
Naſidiene, redis mutatae frontis, ut arte
Emendaturus fortunam. deinde ſecuti
Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
Membra gruis, ſparſi ſale multo non ſine farre,
Pinguibus & ficis paſtum jecur anſeris albi,
Et leporum avolſos, ut multo ſuavius, armos,

Quam

Quam ſi cum lumbis quis edit. tum pectore aduſto.
Vidimus & merulas poni, & ſine clune palumbis;
Suavis res, ſi non cauſas narraret earum, &
Naturas dominus: quem nos ſic fugimus ulti,
Ut nihil omnino guſtaremus; veluti ſi
Canidia adflaſſet, pejor ſerpentibus atris.

Q. HORATII FLACCI EPISTOLARUM

LIBER I.

EPISTOLA I.

Ad Maecenatem.

Prima dicte mihi, ſumma dicende camena,
Spectatum ſatis, & donatum jam rude, quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt aetas, non mens. Veianius, armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro;
Ne populum extrema totiens exoret arena.
Eſt mihi purgatam crebro qui perſonet aurem;
Solve ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.
Nunc itaque & verſus & cetera ludicra pono:

V. 94. Vulg. Velut illis. 95. Afris.

Digitized by Google

Quid verum atque decens, curo & rogo, & omnis in hoc
Condo, & conpono, quae mox depromere poſſim. [ſum:
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.
Nunc agilis fio, & merſor civilibus undis,
Virtutis verae cuſtos, rigiduſque ſatelles:
Nunc in Ariſtippi furtim praecepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, ſubjungere conor.
Ut nox longa, quibus mentitur amica; dieſque
Lenta videtur opus debentibus: ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae ſpem
Conſiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
Aeque pauperibus prodeſt, locupletibus aeque;
Aeque neglectum pueris ſenibuſque nocebit.
Reſtat, ut his ego me ipſe regam ſolerque elementis:
Non poſſis oculos quantum contendere Lynceus;
Non tamen idcirco contemnas lippus inungui:
Nec, quia deſperes invicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere cheragra.
Eſt quadam prodire tenus, ſi non datur ultra.
Fervet avaritia, miſeroque cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? ſunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator;

Nemo

V. 21. Vulg. LONGA vid. 28. OCULO. 32. QUODAM.

Digitized by Google

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Virtus eſt, vitium fugere; & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe. vides, quae maxima credis
Eſſe mala, exiguum cenſum, turpemque repulſam,
Quanto devites animi capitiſque labore.
Inpiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignis:
Ne cures ea, quae ſtulte miraris & optas,
Diſcere, & audire, & meliori credere non vis?
Quis circum pagos & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine pulvere palmae?
Vilius eſt auro argentum, virtutibus aurum.
O cives, cives, quaerenda pecunia primum eſt;
Virtus poſt nummos: haec Janus ſummus ab imo
Prodocet; haec recinunt juvenes dictata ſeneſque,
Laevo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto.
Eſt animus tibi, ſunt mores, eſt lingua fideſque:
Sed quadringentis ſex ſeptem millia deſint;
Plebs eris. at pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si recte facies. Hic murus aëneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.
Roſcia, dic ſodes, melior lex, an puerorum eſt
Naenia, quae regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis & decantata Camillis?
Iſne tibi melius ſuadet, qui, Rem facias; rem,
Si poſſis, recte; ſi non, quocumque modo rem;

V. 51. Vulg. Vilius arg. eſt auro. 55. PERDOCET. 57. ET lin. 58. Si quad—— DESUNT. Et praecedit Verſum 59. 62. EST deeſt. Ut.

Digitized by Google

Ut propius ſpectes lacrimoſa poëmata Pupî:
An qui, fortunae te reſponſare ſuperbae
Liberum & erectum, praeſens hortatur & aptat?
Quod ſi me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, ſic judiciis fruar iſdem;
Nec ſequar aut fugiam, quae diligit ipſe vel odit:
Olim quod volpes aegroto cauta leoni
Reſpondit, referam; Quia me veſtigia terrent,
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.
Belua multorum eſt capitum. nam quid ſequar, aut quem?
Pars hominum geſtit conducere publica: ſunt qui
Cruſtis & pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque ſenes, quos in vivaria mittant:
Multis occulto creſcit res fenore. verum
Eſto, aliis alios rebus ſtudiiſque teneri:
Iidem eadem poſſunt horam durare probantes?
Nullus in orbe ſinus Baiis praelucet amoenis,
Si dixit dives; lacus & mare ſentit amorem
Feſtinantis heri: cui ſi vitioſa libido
Fecerit auſpicium; cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. lectus genialis in aula eſt?
Nil ait eſſe prius, melius nil caelibe vita:
Si non eſt, jurat bene ſolis eſſe maritis.
Quo teneam voltus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? viden', ut mutat cenacula, lectos,
Balnea, tonſores; conducto navigio aeque
Nauſeat, ac locuples quem ducit priva triremis?
Si curatus inaequali tonſore capillos
Occur-

V. 76. Vulg. Es. 91. Ride. mutat. 94. Curtatus.

Digitized by Google

Occurro; rides. ſi forte ſubucula pexae
Trita ſubeſt tunicae, vel ſi toga diſſidet inpar;
Rides. quid, mea cum pugnat ſententia ſecum;
Quod petiit, ſpernit; repetit quod nuper omiſit;
Aeſtuat, & vitae diſconvenit ordine toto;
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis?
Inſanire putas ſollemnia me, neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A praetore dati; rerum tutela mearum
Cum ſis, & prave ſectum ſtomacheris ob unguem
De te pendentis, te ſuſpicientis amici.
Ad ſummam, ſapiens uno minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum;
Praecipue ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.

EPISTOLA II.

Ad Lollium.

Trojani belli ſcriptorem,, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneſte relegi:
Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento colliſa duello,
Stultorum regum, & populorum continet aeſtus.
Antenor cenſet belli praecidere cauſſam:
Quod Paris, ut ſalvus regnet vivatque beatus,

V. 95. Vulg. Occurri. 105. Respicientis. 4. Plenius. 10. Quid Paris? Cogi

Cogi poſſe negat. Neſtor componere litis
Inter Peliden feſtinat & inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque:
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, ſcelere, atque libidine, & ira,
Iliacos intra muros peccatur & extra.
Rurſum, quid virtus, & quid ſapientia poſſit,
Utile propoſuit nobis exemplar Ulixen:
Qui domitor Trojae, multorum providus urbis
Et mores hominum inſpexit; latumque per aequor,
Dum ſibi, dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum inmerſabilis undis.
Sirenum voces, & Circae pocula noſti:
Quae ſi cum ſociis ſtultus cupiduſque bibiſſet;
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors:
Vixiſſet canis inmundus, vel amica luto ſus.
Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopae, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus aequo operata juventus;
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum citharae ceſſantem ducere Somnum.
Ut jugulent hominem, ſurgunt de nocte latrones:
Ut teipſum ſerves, non expergiſceris? atqui
Si noles ſanus, curres hydropicus: & ni
Poſces ante diem librum cum lumine; ſi non
Intendes animum ſtudiis & rebus honeſtis;
Invidia vel amore vigil torquebere. nam cur,
Quae laedunt oculum, feſtinas demere; ſi quid

Eſt

V. 17. Vulg. Rursus. 31. Cessatum duc. curam. 32. Homines. 38. Oculos.

Digitized by Google

Eſt animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui coepit, habet. ſapere aude:
Incipe. qui recte vivendi prorogat horam,
Ruſticus exſpectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis aevum.
Quaeritur argentum, pueriſque beata creandis
Uxor; & incultae pacantur vomere ſilvae.
Quod ſatis eſt cui contingit, nihil amplius optet.
Non domus & fundus, non aeris acervus & auri
Aegroto domini deduxit corpore febris,
Non animo curas. valeat poſſeſſor oportet,
Si conportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit aut metuit; juvat illum ſic domus & res,
Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagrum,
Auriculas citharae collecta ſorde dolentis.
Sincerum eſt niſi vas; quodcumque infundis, aceſcit.
Sperne voluptates: nocet emta dolore voluptas.
Semper avarus eget: certum voto pete finem.
Invidus alterius macreſcit rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum. qui non moderabitur irae,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit & mens,
Dum poenas odio per vim feſtinat inulto.
Ira furor brevis eſt. animum rege. qui, niſi paret,
Imperat; hunc frenis, hunc tu conpeſce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magiſter
Ire, viam qua monſtret eques: venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,

V. 52. Vulg. PODAGRAM. 65. IRE VIAM, QUAM MONSTRAT.

Digitized by Google

Militat in ſilvis catulus. nunc adbibe puro
Pectore verba puer; nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt inbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu. quod ſi ceſſas, aut ſtrenuus anteis;
Nec tardum opperior, nec praecedentibus inſto.

EPISTOLA III.

Ad Julium Florum.

Juli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Auguſti privignus, ſcire laboro.
Thracane vos Hebruſque nivali compede vinctus;
An freta vicinas inter currentia terras;
An pingues Aſiae campi colleſque morantur?
Quid ſtudioſa cohors operum ſtruit? hoc quoque curo.
Quis ſibi res geſtas Auguſti ſcribere ſumit?
Bella quis & paces longum diffundit in aevum?
Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus,
Faſtidire lacus & rivos auſus apertos:
Ut valet? ut meminit noſtri? fidibuſne Latinis
Thebanos aptare modos ſtudet, auſpice Muſa?
An tragica deſaevit & ampullatur in arte?
Quid mihi Celſus agit? monitus, multumque monendus,
Privatas ut quaerat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo:
Ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum

Furti-

V. 4. Vulg. Turres. 6. Haec.

Digitized by Google

Furtivis nudata coloribus. ipſe quid audes?
Quae circumvolitas agilis thyma? non tibi parvum
Ingenium, non incultum eſt & turpiter hirtum.
Seu linguam cauſis acuis; ſeu civica jura
Reſpondere paras; ſeu condis amabile carmen:
Prima feres ederae victricis praemia. quod ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes;
Quo te caeleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc ſtudium parvi properemus & ampli;
Si patriae volumus, ſi nobis vivere cari.
Debes hoc etiam reſcribere, Si tibi curae eſt,
Quantae conveniat, Munatius; an male ſarta
Gratia nequicquam coit, & reſcinditur; ac vos
Seu calidus ſanguis, ſeu rerum inſcitia vexat,
Indomita cervice feros? ubicumque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus,
Paſcitur in veſtrum reditum votiva juvenca.

EPISTOLA IV.

Ad Albium Tibullum.

Albi, noſtrorum ſermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Caſſî Parmenſis opuſcula vincat?
An tacitum ſilvas inter reptare ſalubris,
Curantem quicquid dignum ſapiente bonoque eſt?
Non tu corpus eras ſine pectore. Dî tibi formam,

V. 22. Vulg. Nec turp. 30. Sit tibi curae,. 32. At vos.

Digitized by Google

Dî tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno?
Qui ſapere, & fari poſſit quae ſentiat; & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et domus, & victus, non deficiente crumena?
Inter ſpem curamque, timores inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.
Grata ſuperveniet, quae non ſperabitur, hora.
Me pinguem & nitidum bene curata cute viſes,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

EPISTOLA V.

Ad Torquatum.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis,
Nec modica cenare times olus omne patella;
Supremo te ſole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes, iterum Tauro diffuſa paluſtris
Inter Minturnas Sinueſſanumque Petrinum.
Si melius quid habes, arceſſe; vel imperium fer.
Jamdudum ſplendet focus, & tibi munda ſupellex.
Mitte leves ſpes, & certamina divitiarum,
Et Moſchi cauſſam. cras nato Caeſare feſtus
Dat veniam ſomnumque dies. inpune licebit
Aeſtivam ſermone benigno extendere noctem.
Quo mihi fortunam, ſi non conceditur uti?
Parcus ob heredis curam nimiumque ſeverus
Adſidet inſano. potare & ſpargere flores

V. 9. Vulg. Quam ſap. 11. Et mundus victus. 1. Archaicis. 11. Tendere. Inci-
12. Fortuna.

Digitized by Google

Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas designat? operta recludit:
Spes jubet esse ratas: ad proelia trudit inertem:
Sollicitis animis onus eximit: addocet artis.
Fecundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?
Haec ego procurare & idoneus imperor, & non
Invitus: ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget naris; ne non & cantharus & lanx
Ostendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet; ut coëat par,
Jungaturque pari. Butram tibi Septiciumque,
Et, nisi cena prior potiorque puella, Sabinum,
Detinet, adsumam. locus est & pluribus umbris:
Sed nimis arta premunt olidae convivia caprae.
Tu, quotus esse velis, rescribe; & rebus omissis
Atria servantem postico falle clientem.

EPISTOLA VI.

Ad Numicium.

Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaque quae possit facere & servare beatum.
Hunc solem, & stellas, & decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent. quid censes, munera terrae?
Quid, maris extremos Arabas ditantis & Indos?
Ludicra, quid, plausus & amici dona Quiritis?

V. 34. Vulg. Brutum tibi septimiumque.

Quo

Quo ſpectanda modo, quo ſenſu credis & ore?
Qui timet his adverſa, fere miratur eodem
Quo cupiens pacto: pavor eſt utrobique moleſtus:
Inproviſa ſimul ſpecies exterret utrumque:
Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatne; quid ad rem:
Si, quicquid vidit melius pejuſve ſua ſpe,
Defixis oculis, animoque & corpore torpet?
Inſani ſapiens nomen ferat, aequus iniqui;
Ultra quam ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.
I nunc, argentum & marmor vetus, aeraque & artis
Suſpice: cum gemmis Tyrios mirare colores:
Gaude, quod ſpectant oculi te mille loquentem:
Gnavus mane forum, & veſpertinus pete tectum;
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus, & (indignum; quod ſit pejoribus ortus)
Hic tibi ſit potius, quam tu mirabilis illi.
Quicquid ſub terra eſt, in apricum proferet aetas:
Defodiet condetque nitentia. cum bene notum
Porticus Agrippae, & via te conſpexerit Appî;
Ire tamen reſtat, Numa quo devenit & Ancus.
Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quaere fugam morbi. vis recte vivere? quis non?
Si virtus hoc una poteſt dare; fortis omiſſis
Hoc age deliciis. virtutem verba putes, &
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter:
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas:
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro &
Tertia ſuccedant, & quae pars quadret acervum.

Scili-

V. 22. Vulg. MUCIUS, INDIGNUM. 31. PUTAS, UT.

Digitized by Google

Scilicet uxorem cum dote, fidemque, & amicos,
Et genus, & formam, regina Pecunia donat;
Ac bene nummatum decorat Suadela Venuſque.
Mancipiis locuples, eget aeris Cappadocum rex.
Ne fueris hic tu. chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si poſſet centum ſcenae praebere rogatus,
Quî poſſum tot? ait: tamen & quaeram, & quot habebo,
Mittam. poſt paullo ſcribit, ſibi millia quinque
Eſſe domi chlamydum: partem, vel tolleret omnis.
Exilis domus eſt; ubi non & multa ſuperſunt,
Et dominum fallunt, & proſunt furibus. ergo,
Si Res ſola poteſt facere & ſervare beatum;
Hoc primus repetas opus, hoc poſtremus omittas.
Si fortunatum ſpecies, & gratia praeſtat;
Mercemur ſervum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere: Hic multum in Fabia valet, ille Velina:
Cui libet is faſcis dabit; eripietque curule
Cui volet inportunus ebur: Frater, Pater, adde:
Ut cuique eſt aetas, ita quemque facetus adopta.
Si bene qui cenat, bene vivit; lucet: eamus
Quo ducit gula: piſcemur, venemur, ut olim
Gargilius: qui mane plagas, venabula, ſervos
Differtum tranſire Forum Campumque jubebat;
Unus ut e multis populo ſpectante referret
Emtum mulus aprum. crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti; Caerite cera
Digni; remigium vitioſum Ithacenſis Ulixei:

V. 51. Vulg. Fodiat. 53. Cuilibet hic. 59. Forum Populumque.

Cui:

Digitized by Google

Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore jocisque
Nil est jocundum; vivas in amore jocisque.
Vive, vale. si quid novisti rectius istis;
Candidus inperti: si non, his utere mecum.

EPISTOLA VII.

Ad Maecenatem.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. atqui,
Si me vivere vis sanum recteque valentem;
Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam: dum ficus prima calorque
Designatorem decorat lictoribus atris:
Dum pueris omnis pater, & matercula pallet;
Officiosaque sedulitas, & opella forensis
Adducit febris, & testamenta resignat.
Quod si bruma nives Albanis inlinet agris;
Ad mare descendet vates tuus, & sibi parcet,
Contractusque leget: te dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, & hirundine prima.
Non, quo more pyris vesci Calaber jubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.
Jam satis est. At tu quantumvis tolle. Benigne.
Non invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.
Ut libet: haec porcis hodie comedenda relinques.

Prodi-

Digitized by Google

Prodigus & ſtultus donat quae ſpernit & odit:
Haec ſeges ingratos tulit & feret omnibus annis.
Vir bonus & ſapiens dignis ait eſſe paratus?
Nec tamen ignorat, quid diſtent aera lupinis?
Dignum praeſtabo me, etiam pro laude merentis.
Quod ſi me noles uſquam diſcedere; reddes
Forte latus, nigros anguſta fronte capillos:
Reddes dulce loqui: reddes ridere decorum, &
Inter vina fugam Cinarae maerere protervae.
Forte per anguſtam tenuis nitedula rimam
Repſerat in cumeram frumenti; paſtaque, rurſus
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra.
Cui muſtela procul, Si vis, ait, effugere iſtinc;
Macra cavum repetes artum, quem macra ſubiſti.
Hac ego ſi conpellor imagine, cuncta reſigno:
Nec ſomnum plebis laudo ſatur altilium, nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Saepe verecundum laudaſti: Rexque, Paterque
Audiſti coram, nec verbo parcius abſens:
Inſpice, ſi poſſum donata reponere laetus.
Haud male Telemachus proles patientis Ulixei;
Non eſt aptus equis Ithacae locus, ut neque planis
Porrectus ſpatiis, nec multae prodigus herbae:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent. mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut inbelle Tarentum.
Strenuus & fortis, cauſſiſque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam

V. 22. Vulg. PARATUM. 29. VULPECULA.

Digitized by Google

Dum redit, atque foro nimium distare Carinas
Jam grandis natu queritur; conspexit, ut aiunt,
Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra
Cultello proprios purgantem leniter unguis.
Demetri, (puer hic non laeve jussa Philippi
Accipiebat) abi, quaere, & refer; unde domo, quis,
Cujus fortunae, quo sit patre, quove patrono.
It, redit, & narrat, Volteium nomine Menam,
Praeconem, tenui censu, sine crimine natum,
Et properare loco & cessare, & quaerere & uti,
Gaudentem parvisque sodalibus & lare curto,
Et ludis & post decisa negotia Campo.
Scitari libet ex ipso, quodcumque refers. dic
Ad cenam veniat. non sane credere Mena:
Mirari secum tacitus. quid multa? Benigne,
Respondet. Neget ille mihi? Negat inprobus, & te
Neglegit, aut horret. Volteium mane Philippus,
Vilia vendentem tunicato scruta popello,
Occupat, & salvere jubet prior. ille Philippo
Excusare laborem & mercenaria vincla,
Quod non mane domum venisset; denique quod non
Providisset eum. Sic ignovisse putato
Me tibi, si cenas hodie mecum. Ut libet. Ergo
Post nonam venies: nunc i, rem strenuus auge.
Ut ventum ad cenam est; dicenda, tacenda locutus
Tandem dormitum dimittitur. hic ubi saepe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
Mane cliens, & jam certus conviva; jubetur

Rura

V. 56. Vulg. Notum. 58. Certo. 63. Negat.

Digitized by Google

Rura ſuburbana indictis comes ire Latinis.
Inpoſitus mannis, arvum caelumque Sabinum
Non ceſſat laudare. videt, ridetque Philippus:
Et ſibi dum requiem, dum riſus undique quaerit,
Dum ſeptem donat ſeſtertiá, mutua ſeptem
Promittit; perſuadet, uti mercetur agellum.
Mercatur. ne te longis ambagibus ultra
Quam ſatis eſt morer; ex nitido fit ruſticus, atque
Sulcos & vineta crepat mera: praeparat ulmos:
Inmoritur ſtudiis, & amore ſeneſcit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae;
Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando;
Offenſus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratuſque Philippi tendit ad aedis.
Quem ſimul aſpexit ſcabrum intonſumque Philippus;
Durus, ait, Voltei, nimis attentuſque videris
Eſſe mihi. Pol me miſerum, patrone, vocares;
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium dextramque Deoſque Penatis
Obſecro, & obteſtor; vitae me redde priori.
Qui ſemel aſpexit, quantum dimiſſa petitis
Praeſtent; mature redeat, repetatque relicta.
Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede, verum eſt.

V. 96. Vulg. SIMUL.

Digitized by Google

EPISTOLA VIII.

Ad Celsum Albinovanum.

Celso gaudere & bene rem gerere Albinovano,
Musa rogata, refer, comiti scribaeque Neronis.
Si quaeret, quid agam; dic, multa & pulchra minantem,
Vivere nec recte, nec suaviter: haud quia grando
Contuderit vitis, oleamve momorderit aestus;
Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris:
Sed quia mente minus validus quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum:
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno:
Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam:
Romae Tibur amem, ventosus, Tibure Romam.
Post haec, ut valeat; quo pacto rem gerat & se;
Ut placeat Juveni, percontare, utque cohorti.
Si dicet, Recte: primum gaudere, subinde
Praeceptum auriculis hoc instillare memento;
Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

EPISTOLA IX.

Ad Claudium Neronem.

Septimius, Claudi, nimirum intellegit unus,
Quanti me facias. nam cum rogat, & prece cogit
Scilicet, ut tibi se laudare & tradere coner,
Dignum

V. 5. Vulg. Oleamque.

Digitized by Google

Dignum mente domoque legentis honeſta Neronis;
Munere cum fungi propioris cenſet amici;
Quid poſſim, videt ac novit me valdius ipſo.
Multa quidem dixi, cur excuſatus abirem:
Sed timui, mea ne finxiſſe minora putarer,
Diſſimulator opis propriae, mihi commodus uni.
Sic ego, majoris fugiens opprobria culpae,
Frontis ad urbanae deſcendi praemia. quod ſi
Depoſitum laudas ob amici juſſa pudorem;
Scribe tui gregis hunc, & fortem crede bonumque.

EPISTOLA X.

AD FUSCUM ARISTIUM.

URBIS amatorem Fuſcum ſalvere jubemus
Ruris amatores; hac in re ſcilicet una
Multum diſſimiles: at cetera pene gemelli,
Fraternis animis: quicquid negat alter, & alter:
Adnuimus pariter: vetuli notique columbi,
Tu nidum ſervas; ego laudo ruris amoeni
Rivos, & muſco circumlita ſaxa, nemuſque.
Quid quaeris? vivo & regno, ſimul iſta reliqui
Quae vos ad caelum fertis rumore ſecundo.
Utque ſacerdotis fugitivus, liba recuſo;
Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturae ſi convenienter oportet,
Ponendaeque domo quaerenda eſt area primum;
Noviſtine locum potiorem rure beato?

V. 3. Vulg. AD cetera. Eſt:

Eſt, ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura
Leniat & rabiem Canis, & momenta Leonis,
Cum ſemel accepit ſolem furibundus acutum?
Eſt, ubi divellat ſomnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur ſilva columnas,
Laudaturque domus, longos quae proſpicit agros.
Naturam expelles furca; tamen uſque recurret,
Et mala perrumpet furtim faſtidia victrix.
Non, qui Sidonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiuſve medullis;
Quam qui non poterit vero diſtinguere falſum.
Quem res plus nimio delectavere ſecundae,
Mutatae quatient. ſi quid mirabere, pones
Invitus. fuge magna. licet ſub paupere tecto
Reges & regum vita praecurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat; donec minor in certamine longo
Inploravit opes hominis, frenumque recepit:
Sed poſtquam violens victo diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehit inprobus; atque
Serviet aeternum, quia parvo neſciet uti.
Cui non conveniet ſua res, ut calceus olim

Si

V. 24. Vulg. Expellas. 37. Victor violens. 40. Vehet.

Digitized by Google

Si pede major erit, ſubvertet; ſi minor, uret.
Laetus ſorte tua vives ſapienter, Ariſti:
Nec me dimittes incaſtigatum, ubi plura
Cogere quam ſatis eſt, ac non ceſſare videbor.
Imperat aut ſervit collecta pecunia cuique,
Tortum digna ſequi potius quam ducere funem.
Haec tibi dictabam poſt fanum putre Vacunae;
Excepto, quod non ſimul eſſes, cetera laetus.

EPISTOLA XI.

Ad Bullatium.

Quid tibi viſa Chios, Bullati, notaque Lesbos?
Quid concinna Samos? quid Croeſi regia Sardis?
Smyrna quid, & Colophon? majora minorane fama?
Cunctane prae Campo & Tiberino flumine ſordent?
An venit in votum Attalicis ex urbibus una?
An Lebedum laudas, odio maris atque viarum?
Scis, Lebedus quid ſit: Gabiis deſertior atque
Fidenis vicus: tamen illic vivere vellem;
Oblituſque meorum, obliviſcendus & illis,
Neptunum procul e terra ſpectare furentem.
Sed neque qui Capua Romam petit imbre lutoque
Aſperſus, volet in caupona vivere; nec qui
Frigus collegit, furnos & balnea laudat,
Ut fortunatam plene praeſtantia vitam:
Nec ſi te validus jactaverit Auſter in alto,
Idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.

Inco-

Incolumi Rhodos & Mitylene pulchra facit, quod
Penula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili menſe caminus.
Dum licet, ac voltum ſervat fortuna benignum,
Romae laudetur Samos, & Chios, & Rhodos abſens.
Tu, quamcumque Deus tibi fortunaverit horam,
Grata ſume manu; neu dulcia differ in annum:
Ut, quocumque loco fueris, vixiſſe libenter
Te dicas. nam ſi ratio & prudentia curas,
Non locus effuſi late maris arbiter, aufert;
Caelum, non animum, mutant qui trans mare currunt;
Strenua nos exercet inertia: navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere. quod petis, hic eſt,
Eſt Ulubris; animus ſi te non deficit aequus.

EPISTOLA XII.

Ad Iccium.

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris; non eſt ut copia major
Ab Jove donari poſſit tibi. tolle querelas:
Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit uſus.
Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibuſque tuis; nil
Divitiae poterunt regales addere majus.
Si forte in medio poſitorum abſtemius herbis
Vivis & urtica; ſic vives protenus, ut te
Confeſtim liquidus fortunae rivus inauret:
Vel quia naturam mutare pecunia neſcit,
Vel

V. 23. Vulg. Nec dulcia.

Digitized by Google

Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, ſi Democriti pecus edit agellos
Cultaque, dum peregre eſt animus ſine corpore velox?
Cum tu inter ſcabiem tantam & contagia lucri
Nil parvum ſapias, & adhuc ſublimia cures:
Quae mare conpeſcant cauſſae: quid temperet annum:
Stellae ſponte ſua, juſſaene vagentur & errent:
Quid premat obſcurum lunae, quid proferat orbem:
Quid velit & poſſit rerum concordia diſcors:
Empedocles, an Stertinium deliret acumen.
Verum ſeu piſcis, ſeu porrum & caepe trucidas,
Utere Pompeio Groſpho; &, ſi quid petet, ultro
Defer: nil Groſphus niſi verum orabit & aequum.
Vilis amicorum eſt annona, bonis ubi quid deeſt.
Ne tamen ignores, quo ſit Romana loco res:
Cantaber Agrippae, Claudî virtute Neronis
Armenius cecidit: jus imperiumque Phraates
Caeſaris accepit, genibus minor. aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.

EPISTOLA XIII.

Ad Vinnium.

Ut proficiſcentem docui te ſaepe diuque,
Auguſto reddes ſignata volumina, Vinni;
Si validus, ſi laetus erit, ſi denique poſcet:
Ne ſtudio noſtri pecces, odiumque libellis
Sedulus inportes, opera vehemente miniſter.

v. 29. Vulg. Diffudit.

Digitized by Google

Si te forte meae gravis uret sarcina chartae;
Abjicito potius, quam quo perferre juberis
Clitellas ferus inpingas, Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum, & fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.
Victor propositi simul ac perveneris illuc,
Sic positum servabis onus: ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
Ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae,
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.
Neu volgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quae possint oculos aurisque morari
Caesaris, oratus multa prece, nitere. porro
Vade, vale: cave ne titubes, mandataque frangas.

EPISTOLA XIV.

Ad Villicum.

Villice silvarum & mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis habitatum quinque focis, &
Quinque bonos solitum Variam dimittere Patres;
Certemus, spinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro; & melior sit Horatius, an rus.
Me quamvis Lamiae pietas & cura moratur
Fratrem maerentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter; tamen istuc mens animusque
Fert, & avet spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in Urbe beatum.

Cui

V. 14. Vulg. Glomos. 16. Nr. 5. Res. 9. Amat.

Digitized by Google

Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.
Stultus uterque locum inmeritum cauſſatur inique.
In culpa eſt animus, qui ſe non effugit umquam.
Tu mediaſtinus tacita prece rura petebas:
Nunc Urbem & ludos & balnea villicus optas.
Me conſtare mihi ſcis; & diſcedere triſtem,
Quandocumque trahunt inviſa negotia Romam.
Non eadem miramur: eo diſconvenit inter
Meque & te. nam quae deſerta & inhoſpita teſqua
Credis, amoena vocat mecum qui ſentit; & odit
Quae tu pulchra putas. fornix tibi & uncta popina
Incutiunt Urbis deſiderium, video; & quod
Angulus iſte feret piper & tus ocius uva;
Nec vicina ſubeſt vinum praebere taberna
Quae poſſit tibi; nec meretrix tibicina, cujus
Ad ſtrepitum ſalias terrae gravis: & tamen urgues
Jampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disjunctum curas, & ſtrictis frondibus exples:
Addit opus pigro rivus, ſi decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc age, quid noſtrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togae nitidique capilli,
Quem ſcis inmunem Cinarae placuiſſe rapaci,
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
Cena brevis juvat, & prope rivum ſomnus in herba.
Nec luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum.
Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam
Limat, non odio obſcuro morſuque venenat:

Digitized by Google

Rident vicini glebas & ſaxa moventem.
Cum ſervis tu urbana diaria rodere mavis.
Horum tu in numerum voto ruis: invidet uſum
Lignorum & pecoris tibi calo argutus & horti.
Optat ephippia bos: piger optat arare caballus.
Quam ſcit uterque libens, cenſebo, exerceat artem.

EPISTOLA XV.

Ad C. Numonium Valam.

Quae ſit hiems Veliae, quod caelum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio, & qualis via: (nam mihi
Muſa ſupervacuas Antonius: & tamen illis [Baias
Me facit inviſum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus. ſane murteta relinqui,
Dictaque ceſſantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni, vicus gemit; invidus aegris,
Qui caput & ſtomachum ſubponere fontibus audent
Cluſinis, Gabioſque petunt & frigida rura.
Mutandus locus eſt, & deverſoria nota
Praeteragendus equus. Quo tendis? non mihi Cumas
Eſt iter aut Baias; laeva ſtomachoſus habena
Dicet eques: ſed equis frenato eſt auris in ore.)
Major utrum populum frumenti copia paſcat;
Collectoſne bibant imbris, puteoſne perennis
Jugis aquae: (nam vina nihil moror illius orae:
Rure meo poſſum quidvis perferre patique:
Ad mare cum veni, generoſum & lene requiro,
Quod

V. 40. Vulg. Tu *aboſt.* 13. Equi. 16. Dulcis.

Digitized by Google

Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas animumque meum, quod verba miniſtret,
Quod me Lucanae juvenem commendet amicae.)
Tractus uter pluris lepores, uter educet apros;
Utra magis piſcis & echinos aequora celent;
Pinguis ut inde domum poſſim Phaeaxque reverti:
Scribere te nobis, tibi nos adcredere, par eſt.
Maenius, ut rebus maternis atque paternis
Fortiter abſumtis urbanus coepit haberi;
Scurra vagus, non qui certum praeſepe teneret;
Inpranſus non qui civem dignoſceret hoſte;
Quaelibet in quemvis opprobria fingere ſaevus;
Pernicies & tempeſtas barathrumque macelli,
Quicquid quaeſierat, ventri donaret avaro:
Hic, ubi nequitiae fautoribus & timidis nil
Aut paullum abſtulerat, patinas cenabat omaſi,
Vilis & agninae; tribus urſis quod ſatis eſſet:
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos corrector Beſtius. idem
Si quid erat nactus praedae majoris; ubi omne
Verterat in fumum & cinerem, Non hercule miror,
Aiebat, ſi qui comedunt bona: cum ſit obeſo
Nil melius turdo, nil volva pulchrius ampla.
Nimirum hic ego ſum: nam tuta & parvula laudo,
Cum res deficiunt; ſatis inter vilia fortis:
Verum ubi quid melius contingit & unctius; idem
Vos ſapere & ſolos aio bene vivere, quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

V. 32. Vulg. Donarat. 37. Correctus. 38. Quicquid. EPISTO-

EPISTOLA XVI.

Ad Quintium.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivae,
Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo;
Scribetur tibi forma loquaciter & situs agri.
Continui montes; ni dissocientur opaca
Valle: sed ut veniens dextrum latus aspiciat Sol,
Laevum decedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. quid, si rubicunda benigni
Corna vepres & pruna ferunt? si quercus & ilex
Multa fruge pecus, multa dominum juvat umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hae latebrae dulces, & (jam si credis) amoenae,
Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
Tu recte vivis, si curas esse quod audis.
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas;
Neve putes alium sapiente bonoque beatum:
Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules; donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

Si

V. 3. Vulg. Et pratis. 8. Benigne. 9. Ferant. 10. Juvet. 15. Etiam (si credis.)

Digitized by Google

Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, & his verbis vacuas permulceat auris;
TENE magis ſalvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui conſulit & tibi & Urbi,
Juppiter: Auguſti laudes agnoſcere poſſis.
Cum pateris ſapiens emendatuſque vocari;
Reſpondeſne tuo, dic ſodes, nomine? nempe
Vir bonus & prudens dici delector ego, ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras, ſi volet, auferet: ut ſi
Detulerit faſcis indigno, detrahet idem.
Pone, meum eſt; inquit: pono, triſtiſque recedo.
Idem, ſi clamet furem, neget eſſe pudicum,
Contendat laqueo collum preſſiſſe paternum,
Mordear opprobriis falſis, mutemque colores.
Falſus honor juvat, & mendax infamia terret
Quem, niſi mendoſum & medicandum? vir bonus eſt quis?
Qui conſulta Patrum, qui leges juraque ſervat;
Quo multae magnaeque ſecantur judice lites;
Quo res ſponſore, & quo cauſſae teſte tenentur.
Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota
Introrſus turpem, ſpecioſum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi; ſi mihi dicit
Servus: Habes pretium; loris non ureris, aio:
Non hominem occidi: Non paſces in cruce corvos.
Sum bonus, & frugi: renuit negitatque Sabellus.
Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suſpectos laqueos, & opertum miluus hamum.

V. 40. Vulg. ET MENDACEM. 43. QUO RESPONSORE. 45. INTRORSUM. 46. DICAT. 49. NEGAT ATQUE.

Oderunt.

Digitized by Google

Oderunt peccare boni, virtutis amore:
Tu nihil admittes in te, formidine poenae.
Sit ſpes fallendi, miſcebis ſacra profanis.
Nam de mille fabae modiis cum ſubripis unum;
Damnum eſt, non facinus, mihi pacto lenius iſto.
Vir bonus, omne forum quem ſpectat & omne tribunal,
Quandocumque Deos vel porco vel bove placat,
Jane pater, clare, clare cum dixit, Apollo:
Labra movet metuens audiri; Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da juſto ſanctoque videri:
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.
Quî melior ſervo, quî liberior ſit avarus,
In triviis fixum cum ſe demittit ob aſſem,
Non video. nam qui cupiet, metuet quoque: porro
Qui metuens vivit, liber mihi non erit umquam.
Prodidit arma, locum virtutis deſeruit, qui
Semper in augenda feſtinat & obruitur re.
Vendere cum poſſis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter: ſine paſcat durus aretque:
Naviget, ac mediis hiemet mercator in undis:
Annonae proſit, portet frumenta penuſque.
Vir bonus & ſapiens audebit dicere, Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet. In manicis &
Compedibus ſaevo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe Deus, ſimul atque volam, me ſolvet. opinor,
Hoc ſentit; Moriar. mors ultima linea rerum eſt.

V. 61. Vulg. JUSTUM SANCTUMQUE. 67. PERDIDIT.

EPISTOLA

EPISTOLA XVII.

AD SCAEVAM.

QUAMVIS, Scaeva, ſatis per te tibi conſulis, & ſcis
Quo tandem pacto deceat majoribus uti;
Diſce, docendus adhuc quae cenſet amiculus: ut ſi
Caecus iter monſtrare velit: tamen aſpice, ſi quid
Et nos, quod cures proprium feciſſe, loquamur.
Si te grata quies & primam ſomnus in horam
Delectat; ſi te pulvis ſtrepituſque rotarum,
Si laedet caupona; Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia ſolis;
Nec vixit male, qui natus morienſque fefellit.
Si prodeſſe tuis, paulloque benignius ipſum
Te tractare voles; accedes ſiccus ad unctum.
Si pranderet olus patienter; regibus uti
Nollet Ariſtippus. Si ſciret regibus uti;
Faſtidiret olus, qui me notat. utrius horum
Verba probes & facta, doce: vel junior, audi
Cur ſit Ariſtippi potior ſententia. namque
Mordacem Cynicum ſic eludebat, ut aiunt;
Scurror ego ipſe mihi, populo tu: rectius hoc &
Splendidius multo eſt. equus ut me portet, alat rex,
Officium facio: tu poſcis vilia rerum,
Dante minor; quamvis fers te nullius egentem.
Omnis Ariſtippum decuit color & ſtatus & res,
Tentantem majora, fere praeſentibus aequum:

Digitized by Google

Contra, quem duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitae via si conversa decebit.
Alter purpureum non exspectabit amictum;
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet;
Personamque feret non inconcinnus utramque.
Alter Mileti textam cane pejus & angui
Vitabit chlamydem; morietur frigore, si non
Rettuleris pannum: refer, & sine vivat ineptus.
Res gerere & captos ostendere civibus hostis,
Attingit solium Jovis & caelestia tentat.
Principibus placuisse viris, non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit, qui timuit ne non succederet: esto:
Quid? qui pervenit, fecitne viriliter? atqui
Hic est, aut nusquam, quod quaerimus. hic onus horret,
Ut parvis animis & parvo corpore majus:
Hic subit, & perfert. aut virtus nomen inane est,
Aut decus & pretium recte petit experiens vir.
Coram rege sua de paupertate tacentes
Plus poscente ferent. distat, sumasne pudenter,
An rapias. atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus,
Qui dicit; clamat, Victum date. succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & rixae multo minus invidiaeque.
Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum,

Qui

V. 43. Vulg. Sua.

Digitized by Google

Qui queritur ſalebras & acerbum frigus & imbris,
Aut ciſtam effractam & ſubducta viatica plorat;
Nota refert meretricis acumina, ſaepe catellam,
Saepe periſcelidem raptam ſibi flentis: uti mox
Nulla fides damnis veriſque doloribus adſit.
Nec ſemel inriſus triviis attollere curat
Fracto crure planum. licet illi plurima manet
Lacrima; per ſanctum juratus dicat Oſirin,
Credite, non ludo; crudeles, tollite claudum:
Quaere peregrinum, vicinia rauca reclamat.

EPISTOLA XVIII.

Ad Lollium.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis ſpeciem praebere, profeſſus amicum.
Ut matrona meretrici diſpar erit atque
Diſcolor, infido ſcurrae diſtabit amicus.
Eſt huic diverſum vitio vitium prope majus,
Aſperitas agreſtis & inconcinna graviſque:
Quae ſe commendat tonſa cute, dentibus atris;
Dum volt libertas dici mera, veraque virtus.
Virtus eſt medium vitiorum, & utrimque reductum.
Alter in obſequium plus aequo pronus, & imi
Deriſor lecti, ſic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, & verba cadentia tollit;
Ut puerum ſaevo credas dictata magiſtro
Reddere, vel partis mimum tractare ſecundas:

V. 8. Vulg. Mera dici.

Digitized by Google

Alter rixatur de lana ſaepe caprina, &
Propugnat nugis armatus: Scilicet, ut non
Sit mihi prima fides? &, vere quod placet, ut non
Acriter elatrem? pretium aetas altera ſordet.
Ambigitur quid enim? Caſtor ſciat an Docilis plus;
Brundiſium Minucî melius via ducat, an Appî.
Quem damnoſa Venus, quem praeceps alea nudat,
Gloria quem ſupra vires & veſtit & unguit,
Quem tenet argenti ſitis inportuna fameſque,
Quem paupertatis pudor & fuga; dives amicus,
Saepe decem vitiis inſtructior, odit & horret:
Aut ſi non odit, regit; ac, veluti pia mater,
Plus quam ſe ſapere & virtutibus eſſe priorem
Volt: & ait prope vera; Meae (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes: tibi parvula res eſt:
Arta decet ſanum comitem toga: deſine mecum
Certare: Eutrapelus, cuicumque nocere volebat,
Veſtimenta dabat pretioſa. beatus enim jam
Cum pulchris tunicis ſumet nova conſilia & ſpes;
Dormiet in lucem; ſcorto poſtponet honeſtum
Officium; nummos alienos paſcet; ad imum
Threx erit, aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu ſcrutaberis illius umquam;
Commiſſumque teges, & vino tortus & ira.
Nec tua laudabis ſtudia, aut aliena reprendes:
Nec, cum venari volet ille, poëmata panges.
Gratia ſic fratrum geminorum Amphionis atque
Zethi diſſiluit; donec ſuſpecta ſevero

Conti-

V. 15. Vulg. Et *deeſt.* 37. Ullius.

Digitized by Google

Conticuit lyra. fraternis ceſſiſſe putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis: quotienſque educet in agros
Aetolis onerata plagis jumenta caneſque;
Surge, & inhumanae ſenium depone Camenae,
Cenes ut pariter pulmenta laboribus emta:
Romanis ſollemne viris opus, utile famae,
Vitaeque, & membris: praeſertim cum valeas, &
Vel curſu ſuperare canem, vel viribus aprum
Poſſis. adde, virilia quod ſpecioſius arma
Non eſt qui tractet. ſcis quo clamore coronae
Proelia ſuſtineas campeſtria: denique ſaevam
Militiam puer & Cantabrica bella tuliſti
Sub duce, qui templis Parthorum ſigna refigit
Nunc; &, ſi quid abeſt, Italis adjudicat armis.
Ac ne te retrahas, & inexcuſabilis abſtes;
Quamvis nil extra numerum feciſſe modumque
Curas, interdum nugatis rure paterno.
Partitur lintris exercitus: Actia pugna,
Te duce, per pueros hoſtili more refertur:
Adverſarius eſt frater; lacus Hadria: donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protenus ut moneam; (ſi quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, & cui dicas, ſaepe videto.
Percontatorem fugito: nam garrulus idem eſt:
Nec retinent patulae conmiſſa fideliter aures;

V. 56. Vulg. Refixit. 58. Abeis.

Et

Et ſemel emiſſum volat inrevocabile verbum.
Non ancilla tuum jecur ulceret ulla puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici:
Ne dominus, pueri pulchri caraeve puellae
Munere te parvo beet, aut incommodus angat.
Qualem commendes, etiam atque etiam aſpice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignum tradimus: ergo,
Quem ſua culpa premet, deceptus omitte tueri.
At penitus notum ſi tentent crimina, ſerves
Tuteriſque tuo fidenter praeſidio: qui
Dente Theonino cum circumroditur, ecquid
Ad te poſt paullo ventura pericula ſentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet:
Et neglecta ſolent incendia ſumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. tu, dum tua navis in alto eſt,
Hoc age, ne mutata retrorſum te ferat aura.
Oderunt hilarem triſtes, triſtemque jocoſi,
Sedatum celeres, agilem gnavumque remiſſi:
Potores liquidi media de luce Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula; quamvis
Nocturnos jures te formidare tepores.
Deme ſupercilio nubem: plerumque modeſtus
Occupat obſcuri ſpeciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges & percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum;
Ne te ſemper inops agitet vexetque cupido,

V. 80. Vulg. Ut pen. 81. Fidentem. 91. Pot. bibuli m. do nocte.

Ne

Ne pavor, & rerum mediocriter utilium ſpes:
Virtutem doctrina paret, naturane donet:
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum:
Quid pure tranquillet; honos, an dulce lucellum,
An ſecretum iter & fallentis ſemita vitae.
Me quotiens reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugoſus frigore pagus;
Quid ſentire putas, quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc eſt; etiam minus: & mihi vivam
Quod ſupereſt aevi, ſi quid ſupereſſe volunt Dî:
Sit bona librorum & proviſae frugis in annum
Copia: neu fluitem dubiae ſpe pendulus horae.
Sed ſatis eſt orare Jovem, quae ponit & aufert:
Det vitam, det opes: aequum mî animum ipſe parabo.

EPISTOLA XIX.

Ad Maecenatem.

Priſco ſi credis, Maecenas docte, Cratino;
Nulla placere diu nec vivere carmina poſſunt,
Quae ſcribuntur aquae potoribus. ut male ſanos,
Adſcripſit Liber Satyris Fauniſque poëtas.
Vina fere dulces oluerunt mane Camenae.
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.
Ennius ipſe pater numquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda. Forum putealque Libonis
Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeveris.
Hoc ſimul edixi; non ceſſavere poëtae

V. 107. Vulg. Ut mihi. 110. Ne. iii. Qui donat. 10. Edixit. Noctur-

Digitized by Google

Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? si quis voltu torvo ferus, & pede nudo,
Exiguaeque togae simulet textore Catonem;
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?
Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua;
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile. quod si
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus; ut mihi saepe
Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus!
Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede. qui sibi fidit,
Dux regit examen. Parios ego primus Iambos
Ostendi Latio; numeros animosque secutus
Archilochi, non res & agentia verba Lycamben.
Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos & carminis artem:
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho;
Temperat Alcaeus, & rebus & ordine dispar:
Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris;
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus
Volgavi fidicen. juvat inmemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosae plebis suffragia venor
Impensis cenarum, & tritae munere vestis:

Non

V. 29 Vulg. Sed rebus.

Digitized by Google

Non ego nobilium ſcriptorum auditor & ultor,
Grammaticas ambire tribus & pulpita dignor.
Hinc illae lacrimae. Spiſſis indigna theatris
Scripta pudet recitare, & nugis addere pondus,
Si dixi; Rides, ait, & Jovis auribus iſta
Servas: fidis enim manare poëtica mella
Te ſolum, tibi pulcher. Ad haec ego naribus uti
Formido; &, luctantis acuto ne ſecer ungui,
Diſplicet iſte locus, clamo, & diludia poſco.
Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram;
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

EPISTOLA XX.

Ad Librum suum.

Vertumnum Janumque, liber, ſpectare videris:
Scilicet ut proſtes Soſiorum pumice mundus.
Odiſti clavis, & grata ſigilla pudico;
Paucis oſtendi gemis, & communia laudas;
Non ita nutritus. fuge quo deſcendere geſtis:
Non erit emiſſo reditus tibi. Quid miſer egi,
Quid volui? dices; ubi quid te laeſerit, & ſcis
In breve te cogi, plenus cum languet amator.
Quod ſi non odio peccantis deſipit augur,
Carus eris Romae, donec te deſerit aetas.
Contrectatus ubi manibus ſordeſcere volgi
Coeperis; aut tineas paſces taciturnus inertis,

V. 5. Vulg. Discedere. 6. Quis te 8. Cum plenus.

Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Herdam.
Ridebit monitor non exauditus: ut ille,
Qui male parentem in rupis protrusit asellum
Iratus. quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Cum tibi sol tepidus pluris admoverit auris;
Me libertino natum patre, & in tenui re,
Majores pennas nido extendisse loqueris;
Ut quantum generi demas, virtutibus addas:
Me primis Urbis belli placuisse domique;
Corporis exigui, praecanum, solibus aptum;
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percontabitur aevum;
Me quater undenos sciat inplevisse Decembris,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

V. 13. Vulg. Unctus.

Q. HO-

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI EPISTOLARUM

LIBER II.

EPISTOLA I.

Ad Augustum.

Cum tot sustineas & tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux,
Post ingentia fata Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Conponunt, agros adsignant, oppida condunt;
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis. diram qui contudit Hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui praegravat artis
Infra se positas: extinctus amabitur idem.
Praesenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per numen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.

Digitized by Google

Sed tuus hoc populus ſapiens & juſtus in uno,
Te noſtris ducibus, te Graiis anteferendo,
Cetera nequaquam ſimili ratione modoque
Aeſtimat; & niſi quae terris ſemota ſuiſque
Temporibus defuncta videt, faſtidit & odit:
Sic fautor veterum, ut Tabulas peccare vetantis,
Quas bis quique viri ſanxerunt, Foedera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annoſa volumina Vatum,
Dictitet Albano Muſas in monte locutas.
Si, quia Graiorum ſunt antiquiſſima quaeque
Scripta vel optima, Romani penſantur eadem
Scriptores trutina; non eſt quod multa loquamur:
Nil intra eſt olea, nil extra eſt in nuce duri:
Venimus ad ſummum fortunae: pingimus, atque
Pſallimus, & luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit;
Scire velim, chartis pretium quotus arroget annus.
Scriptor ab hinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos vetereſque referri debet, an inter
Vilis atque novos? excludat jurgia finis.
Eſt vetus atque probus, centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor uno menſe vel anno,
Inter quos referendus erit? veterēſne poëtas,
An quos & praeſens & poſtera reſpuat aetas?
Iſte quidem veteres inter ponetur honeſte,
Qui vel menſe brevi, vel toto eſt junior anno.
Utor permiſſo, caudaeque pilos ut equinae

Paul-

V. 18. Vulg. Tuus HIC. 28. GRAECORUM. 31. OLEAM. 42. RESPUET.

Digitized by Google

Paullatim vello: & demo unum, demo & item unum;
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit in fastos, & virtutem aestimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quo promissa cadant, & somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est, & mentibus haeret
Pene recens? adeo sanctum est vetus omne poëma.
Ambigitur quotiens, uter utro sit prior; aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti:
Dicitur Afranî toga convenisse Menandro:
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi:
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte:
Hos ediscit, & hos arto stipata theatro
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livî scriptoris ab aevo.
Interdum volgus rectum videt: est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis conparet; errat:
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur;
Et sapit, & mecum facit, & Jove judicat aequo.
Non equidem insector, delendave carmina Laevî
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri
Pulchraque, & exactis minimum distantia, miror:
Inter quae verbum emicuit si forte decorum,

V. 46. Vulg. Etiam unum. 48. Ad. 67. Credit. 69. Livi. 73. Decor: et. Si

Si verſus paullo concinnior unus & alter;
Injuſte totum ducit venitque poëma.
Indignor quicquam reprehendi, non quia craſſe
Conpoſitum inlepideve putetur, ſed quia nuper:
Nec veniam antiquis, ſed honorem & praemia poſci.
Recte necne crocum floreſque perambulet Attae
Fabula, ſi dubitem; clament periiſſe pudorem
Cuncti pene patres: ea cum reprehendere coner,
Quae gravis Aeſopus, quae doctus Roſcius egit.
Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quae
Inberbi didicere, ſenes perdenda fateri.
Jam Saliare Numae carmen qui laudat, & illud
Quod mecum ignorat, ſolus volt ſcire videri;
Ingeniis non ille favet plauditque ſepultis,
Noſtra ſed inpugnat, nos noſtraque lividus odit.
Quod ſi tam Graiis novitas inviſa fuiſſet,
Quam nobis; quid nunc eſſet vetus? aut quid haberet,
Quod legeret tereretque viritim publicus uſus?
Ut primum poſitis nugari Graecia bellis
Coepit, & in vitium fortuna labier aequa;
Nunc athletarum ſtudiis, nunc arſit equorum:
Marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit:
Suſpendit picta voltum mentemque tabella:
Nunc tibicinibus, nunc eſt graviſa tragoedis:
Sub nutrice puella velut ſi luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Quid placet, aut odio eſt, quod non mutabile credas?
Hoc

V. 75. Vulg. Vanditque. 85. Insanire. 90. Graecis.

Hoc paces habuere bonae, ventique secundi.
Romae dulce diu fuit & solemne, reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere jura:
Scriptos nominibus rectis expendere nummos:
Majores audire, minori dicere, per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis, & calet uno
Scribendi studio: puerique patresque severi
Fronde comas vincti cenant, & carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me adfirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior; & prius orto
Sole vigil, calamum & chartas & scrinia posco.
Navem agere ignarus navis timet: abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod medicorum est,
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poëmata passim.
Hic error tamen & levis haec insania quantas
Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus
Non temere est animus: versus amat, hoc studet unum:
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet:
Non fraudem socio, puerove incogitat ullam
Pupillo: vivit siliquis, & pane secundo:
Militiae quamquam piger & malus, utilis urbi;
Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari.
Os tenerum pueri balbumque poëta figurat:
Torquet ab obscaenis jam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus praeceptis formet amicis,
*Asperi*tatis & invidiae corrector & irae:

Recte

V. 105. Vulg. CRUTUS nom. certis. 109. PUERI PAT.

Digitized by Google

Recte facta refert: orientia tempora notis
Instruit exemplis: inopem solatur & aegrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, & praesentia numina sentit:
Caelestis implorat aquas, docta prece blandus:
Avertit morbos, metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum:
Carmine Dî superi placantur, carmine Manes.
Agricolae prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum pueris & conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc invecta licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit;
Libertasque recurrentis accepta per annos
Lusit amabiliter: donec jam saevus apertam
In rabiem coepit verti jocus, & per honestas
Ire domos impune minax. doluere cruento
Dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
Conditione super communi: quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
Describi. vertere modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.
Graecia capta ferum victorem cepit, & artis
Intulit agresti Latio. sic horridus ille

De-

V. 142. Vulg. Operum ET. 145. INVENTA. 149. VERTI COEPIT.

Digitized by Google

Defluxit numerus Saturnius, & grave virus
Munditiae pepulere: ſed in longum tamen aevum
Manſerunt, hodieque manent, veſtigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis;
Et poſt Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles & Theſpis & Aeſchylos utile ferrent:
Tentavit quoque rem, ſi digne vertere poſſet:
Et placuit ſibi, natura ſublimis & acer.
Nam ſpirat tragicum ſatis, & feliciter audet:
Sed turpem putat inſcitus metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arceſſit, habere
Sudoris minimum; ſed habet Comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus. aſpice, Plautus
Quo pacto partis tutetur amantis ephebi;
Ut patris attenti, lenonis ut inſidioſi:
Quantus ſit Doſſennus edacibus in paraſitis:
Quam non adſtricto percurrat pulpita ſocco.
Geſtit enim nummum in loculos demittere; poſt hoc
Securus, cadat an recto ſtet fabula talo.
Quem tulit ad ſcenam ventoſo gloria curru,
Exanimat lentus ſpectator, ſedulus inflat.
Sic leve, ſic parvum eſt, animum quod laudis avarum
Subruit ac reficit. valeat res ludicra, ſi me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Saepe, etiam audacem, fugat hoc terretque poetam;
Quod numero plures, virtute & honore minores,
Indocti, ſtolidique, & depugnare parati
Si diſcordet eques, media inter carmina poſcunt

v. 167— Vulg. In scriptis. 180. Aut.

Digitized by Google

Aut ursum aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum equiti quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis, ad ingratos oculos, & gaudia vana.
Quattuor aut pluris aulaea premuntur in horas;
Dum fugiunt equitum turmae, peditumque catervae:
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis:
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves:
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus; seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus volgi converterit ora:
Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Ut sibi praebentem mimo spectacula plura:
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo. nam quae pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum.
Tanto cum strepitu ludi spectantur, & artes,
Divitiaeque peregrinae: quibus oblitus actor
Cum stetit in scena, concurrit dextera laevae:
Dixit adhuc aliquid? nil sane. quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes me, quae facere ipse recusem,
Cum recte tractent alii, laudare maligne:
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poëta; meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,

V. 187. Vulg. Equitis. 188. Incertos. 196. Converteret.

Ut

Ut magus; & modo me Thebis, modo ponit Athenis.
Verum age & his, qui se lectori credere malunt,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam impende brevem: si munus Apolline dignum
Vis conplere libris; & vatibus addere calcar,
Ut studio majore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala saepe poëtae,
(Ut vineta egomet caedam mea) cum tibi librum
Sollicito damus, aut fesso: cum laedimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprendere versum:
Cum loca jam recitata revolvimus inrevocati:
Cum lamentamur non adparere labores
Nostros, & tenui deducta poëmata filo:
Cum speramus eo rem venturam, ut, simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas, & egere vetes, & scribere cogas.
Sed tamen est operae pretium cognoscere, qualis
Aedituos habeat belli spectata domique
Virtus, indigno non conmittenda poëtae.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerilos, incultis qui versibus & male natis
Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt. idem rex ille, poëma
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit; ne quis se praeter Apellen
Pingeret, aut alius Lysippo cuderet aera

V. 216. Vulg. Redde. 240. Ducerit.

Digitized by Google

Fortis Alexandri voltum ſimulantia. quod ſi
Judicium ſubtile videndis artibus illud
Ad libros & ad haec Muſarum dona vocares;
Boeotum in craſſo jurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de ſe judicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius Variuſque poëtae:
Nec magis expreſſi voltus per aënea ſigna,
Quam per vatis opus mores animique virorum
Clarorum adparent. nec ſermones ego mallem
Repentis per humum, quam res conponere geſtas,
Terrarumque ſitus & flumina dicere, & arcis
Montibus inpoſitas, & barbara regna, tuiſque
Auſpiciis totum confecta duella per orbem,
Clauſtraque cuſtodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis, te principe, Romam:
Si quantum cuperem, poſſem quoque. ſed neque parvum
Carmen majeſtas recipit tua; nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recuſent.
Sedulitas autem ſtulte, quem diligit, urguet;
Praecipue cum ſe numeris commendat & arte.
Diſcit enim citius, meminitque libentius illud
Quod quis deridet, quam quod probat & veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat: ac neque ficto
In pejus voltu proponi cereus uſquam,
Nec prave factis decorari verſibus opto:
Ne rubeam pingui donatus munere, & una
Cum ſcriptore meo capſa porrectus operta,

Defe-

Digitized by Google

Deferar in vicum vendentem tus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

EPISTOLA II.

Ad Julium Florum.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis, & tecum sic agat; Hic &
Candidus, & talos a vertice pulcher ad imos,
Fiet eritque tuus nummorum millibus octo;
Verna ministeriis ad nutus aptus herilis:
Literulis Graecis inbutus, idoneus arti
Cuilibet: argilla quidvis imitaberis uda:
Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti:
Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
Laudat venalis, qui volt extrudere, merces:
Res urguet me nulla: meo sum pauper in aere:
Nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a me
Quivis ferret idem: semel hic cessavit, & (ut fit)
In scalis latuit metuens pendentis habenae:
Des nummos, excepta nihil te si fuga laedit.
Ille ferat pretium, poenae securus, opinor.
Prudens emisti vitiosum: dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc, & lite moraris iniqua.
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum: ne mea saevus
Jurgares ad te quod epistola nulla veniret.

N. 16. Vulg. Laedat.

Quid

Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas? quereris ſuper hoc etiam, quod
Exſpectata tibi non mittam carmina mendax?
Luculli miles collecta viatica multis
Aerumnis, laſſus dum noctu ſtertit, ad aſſem
Perdiderat: poſt hoc vehemens lupus, & ſibi & hoſti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Praeſidium regale loco dejecit, ut aiunt,
Summe munito, & multarum divite rerum:
Clarus ob id factum, donis ornatur honeſtis,
Accipit & bis dena ſuper ſeſtertia nummûm.
Forte ſub hoc tempus caſtellum evertere praetor
Neſcio quod cupiens, hortari coepit eundem
Verbis, quae timido quoque poſſent addere mentem:
I, bone, quo virtus tua te vocat: i pede fauſto,
Grandia laturus meritorum praemia: quid ſtas?
Poſt haec ille catus, quantumvis ruſticus, Ibit,
Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit.
Romae nutriri mihi contigit, atque doceri
Iratus Graiis quantum nocuiſſet Achilles.
Adjecere bonae paullo plus artis Athenae:
Scilicet ut poſſem curvo dignoſcere rectum,
Atque inter ſilvas Academi quaerere verum.
Dura ſed emovere loco me tempora grato;
Civiliſque rudem belli tulit aeſtus in arma,
Caeſaris Auguſti non reſponſura lacertis:
Unde ſimul primum me dimiſere Philippi,
Deciſis humilem pennis, inopemque paterni

Et

Et laris & fundi, paupertas impulit audax
Ut verſus facerem: ſed, quod non deſit, habentem
Quae poterunt umquam ſatis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem, quam ſcribere verſus?
Singula de nobis anni praedantur euntes;
Eripuere jocos, venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata. quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque.
Carmine tu gaudes: hic delectatur iambis:
Ille Bioneis ſermonibus, & ſale nigro.
Tres mihi convivae prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diverſa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis quod tu, jubet alter:
Quod petis, id ſane eſt inviſum acidumque duobus.
Praeter cetera, me Romaene poëmata cenſes
Scribere poſſe, inter tot curas totque labores?
Hic ſponſum vocat, hic auditum ſcripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino; viſendus uterque:
Intervalla vides humane commoda. verum
Purae ſunt plateae, nihil ut meditantibus obſtet.
Feſtinat calidus mulis gerulisque redemtor:
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum:
Triſtia robuſtis luctantur funera plauſtris:
Hac rabioſa fugit canis, hac lutulenta ruit ſus.
I nunc, & verſus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbis,
Rite cliens Bacchi ſomno gaudentis & umbra:

V. 63. Vulg. Renuis tu, quod.

Tu

Tu me inter ſtrepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, & non tacta ſequi veſtigia vatum.
Ingenium, ſibi quod vacuas deſumſit Athenas,
Et ſtudiis annos ſeptem dedit, inſenuitque
Libris & curis, ſtatua taciturnius exit
Plerumque, & riſu populum quatit: hic ego rerum
Fluctibus in mediis, & tempeſtatibus Urbis,
Verba lyrae motura ſonum connectere digner?
Frater erat Romae conſulti rhetor; ut alter
Alterius ſermone meros audiret honores:
Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.
Quî minus argutos verſat furor iſte poëtas?
Carmina conpono, hic elegos: mirabile viſu
Sacratumque novem Muſis opus, aſpice primum
Quanto cum faſtu, quanto molimine circum-
Spectemus; vacuam Romanis vatibus aedem.
Mox etiam (ſi forte vacas) ſequere, & procul audi,
Quid ferat, & quare ſibi nectat uterque coronam.
Caedimur, & totidem plagis conſumimus hoſtem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Diſcedo Alcaeus puncto illius: ille meo quis?
Quis, niſi Callimachus? ſi plus adpoſcere viſus;
Fit Mimnermus, & optivo cognomine creſcit.
Multa fero, ut placem genus inritabile vatum,
Cum ſcribo; & ſupplex populi ſuffragia capto:
Idem, finitis ſtudiis, & mente recepta,
Obturem patulas inpune legentibus auris.
Ridentur mala qui conponunt carmina: verum

V. 80. Vulg. Contacta. 89. Hic ut Mu. illi. 90. Vexat. 92. Caelatumque. Gau-

Digitized by Google

Gaudent ſcribentes, & ſe venerantur, & ultro,
Si taceas, laudant; quicquid ſcripſere, beati.
At qui legitimum cupiet feciſſe poëma,
Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti:
Audebit quaecumque parum ſplendoris habebunt,
Et ſine pondere erunt, & honore indigna ferentur,
Verba movere loco; quamvis invita recedant,
Et verſentur adhuc intra penetralia Veſtae:
Obſcurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem ſpecioſa vocabula rerum,
Quae priſcis memorata Catonibus atque Cethegis
Nunc ſitus informis premit & deſerta vetuſtas:
Adſciſcet nova, quae genitor produxerit uſus:
Vehemens, & liquidus, puroque ſimillimus amni,
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua:
Luxuriantia conpeſcet: nimis aſpera ſano
Levabit cultu: virtute carentia tollet:
Ludentis ſpeciem dabit, & torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa movetur.
Praetulerim ſcriptor delirus inerſque videri,
Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,
Quam ſapere, & ringi. fuit haud ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire tragoedos,
In vacuo laetus ſeſſor plauſorque theatro:
Cetera qui vitae ſervaret munia recto
More; bonus ſane vicinus, amabilis hoſpes,
Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſervis,
Et ſigno laeſo non inſanire lagenae:

Digitized by Google

Posset qui rupem & puteum vitare patentem:
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit elleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait; cui sic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratissimus error.
Nimirum sapere est abjectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum:
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
Quocirca mecum loquor haec, tacitusque recordor:
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae;
Narrares medicis. quod quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si volnus tibi monstrata radice vel herba
Non fieret levius; fugeres radice vel herba
Proficiente nihil curarier. audieras, cui
Rem Dî donarint, illi decedere pravam
Stultitiam: &, cum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus îsdem?
At si divitiae prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te; nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est, quod quis libra mercatus & aere est;
Quaedam (si credis consultis) mancipat usus;
Qui te pascit ager, tuus est: & villicus Orbî,
Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit. das nummos; accipis uvam,
Pullos,

V. 152. Vulg. Donarent. 161. Daturus.

Digitized by Google

Pullos, ova, cadum temeti. nempe modo iſto
Paullatim mercaris agrum, fortaſſe trecentis,
Aut etiam ſupra, nummorum millibus emtum.
Quid refert, vivas numerato nuper an olim?
Emtor Aricini quondam Veientis & arvi
Emtum cenat olus; quamvis aliter putat: emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat aënum.
Sed vocat uſque ſuum, qua populus adſita certis
Limitibus vicina refigit jurgia: tamquam
Sit proprium quicquam, puncto quod mobilis horae
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte ſuprema
Permutet dominos, & cedat in altera jura.
Sic, quia perpetuus nulli datur uſus, & heres
Heredem alternis, velut unda ſupervenit undam;
Quid vici proſunt, aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani? ſi metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro.
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena ſigilla, tabellas,
Argentum, veſtis Gaetulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant; eſt qui non curat habere.
Cur alter fratrum ceſſare, & ludere, & ungui
Praeferat Herodis palmetis pinguibus; alter
Dives & inportunus, ad umbram lucis ab ortu
Silveſtrem flammis & ferro mitiget agrum:
Scit Genius, natale comes qui temperat aſtrum,
Naturae deus humanae, mortalis in unum-
Quodque caput, voltu mutabilis, albus & ater.

V. 171. Vulg. REFUGIT. 173. SORTE. 176. ALTERIUS. 181. CURET.

Digitized by Google

Utar, & ex modico, quantum res poſcet, acervo
Tollam: nec metuam, quid de me judicet heres,
Quod non plura datis invenerit. & tamen idem
Scire volam, quantum ſimplex hilariſque nepoti
Diſcrepet, & quantum diſcordet parcus avaro.
Diſtat enim, ſpargas tua prodigus, an neque ſumtum
Invitus facias, nec plura parare labores;
Ac potius, puer ut feſtis Quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies inmunda procul procul abſit: ego, utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus & idem.
Non agimur tumidis velis Aquilone ſecundo;
Non tamen adverſis aetatem ducimus Auſtris:
Viribus, ingenio, ſpecie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis uſque priores.
Non es avarus: abi. quid? cetera jam ſimul iſto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine & ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,
Nocturnos lemures, portentaque Theſſala rides?
Natalis grate numeras? ignoſcis amicis?
Lenior & melior fis accedente ſenecta?
Quid te exemta levat ſpinis de pluribus una?
Vivere ſi recte neſcis, decede peritis:
Luſiſti ſatis, ediſti ſatis, atque bibiſti:
Tempus abire tibi eſt: ne potum largius aequo
Rideat & pulſet laſciva decentius aetas.

V. 196. Vulg. Domus procul. 212. Juvat.

Q. HO-

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI
ARS POETICA.

Epistola ad Pisones.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne;
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cujus, velut aegri somnia, vanae
Fingentur species; ut nec pes, nec caput uni.
Reddatur formae. Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas:
Scimus, & hanc veniam petimusque damusque vicissim:
Sed non ut placidis coëant inmitia; non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis gravibus plerumque & magna professis,
Purpureus, late qui splendeat, unus & alter
Adsuitur pannus: cum lucus & ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: & fortasse cupressum
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato qui pingitur? amphora coepit
Institui,

Digitized by Google

Inſtitui, currente rota, cur urceus exit?
Denique ſit quidvis; ſimplex dumtaxat & unum.
Maxima pars vatum, pater & juvenes patre digni,
Decipimur ſpecie recti. brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio: ſectantem lenia nervi
Deficiunt animique: profeſſus grandia turget:
Serpit humi tutus nimium timiduſque procellae:
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum ſilvis adpingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpae fuga, ſi caret arte.
Aemilium circa ludum faber, unus & unguis
Exprimet, & mollis imitabitur aere capillos;
Infelix operis, ſumma: quia ponere totum
Neſciet. hunc ego me, ſi quid conponere curem,
Non magis eſſe velim; quam naſo vivere pravo,
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, aequam
Viribus; & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit & venus, aut ego fallor;
Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat & praeſens in tempus omittat.
In verbis etiam tenuis cautuſque ſerendis,
Hoc amet, hoc ſpernat, promiſſi carminis auctor.
Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum. ſi forte neceſſe eſt

V. 23. Vulg. QUOD VIS. 26. LEVIA. 32. FABER IMUS, ET. 36. PRAVO V. NASO. V. 46. 45 *ordine inverſo.* Indi-

Digitized by Google

Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum;
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget: dabiturque licentia ſumta pudenter.
Et nova factaque nuper habebunt verba fidem; ſi
Graeco fonte cadent, parce detorta. quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? ego cur adquirere pauca,
Si poſſum, invideor? cum lingua Catonis & Ennî
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit. licuit, ſemperque licebit
Signatum praeſente nota procudere nummum.
Ut ſilvis folia privos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos, noſtraque: ſive receptus
Terra Neptunus claſſis Aquilonibus arcet,
Regis opus; ſteriliſve palus prius aptaque remis
Vicinas urbis alit, & grave ſentit aratrum:
Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia cuncta peribunt;
Nedum ſermonum ſtet honos, & gratia vivax.
Multa renaſcentur, quae jam cecidere; cadentque,
Quae nunc ſunt in honore vocabula: ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.
Res geſtae regumque ducumque, & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.
Verſibus inpariter junctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

V. 52. Vulg. Ficta. 59. Producere nomen. 60. Silvae foliis pronos. 65. Steriliſque diu palus. 68. Facta peribunt.

Quis

Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.
Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Hunc ſocci cepere pedem grandeſque cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & popularis
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.
Muſa dedit fidibus Divos, pueroſque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.
Deſcriptas ſervare vices operumque colores,
Cur ego, ſi nequeo ignoroque, poëta ſalutor?
Cur neſcire, pudens prave, quam diſcere malo?
Verſibus exponi tragicis res comica non volt:
Indignatur item privatis ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cena Thyeſtae.
Singula quaeque locum teneant ſortita decentem.
Interdum tamen & vocem Comoedia tollit,
Iratuſque Chremes tumido dilitigat ore.
Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri
Telephus aut Peleus: cum pauper & exſul uterque
Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba,
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.
Non ſatis eſt pulchra eſſe poëmata; dulcia ſunto,
Et quocumque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent
Humani voltus. ſi vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi: tunc tua me infortunia laedent.
Telephe, vel Peleu, male ſi mandata loqueris,

Aut

V. 92. Vulg. DECENTER. 96. ET PEL. 101. ADSUNT.

Digitized by Google

Aut dormitabo, aut ridebo. triſtia maeſtum
Voltum verba decent; iratum, plena minarum;
Ludentem, laſciva; ſeverum, ſeria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum maerore gravi deducit, & angit:
Poſt effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equiteſque patreſque cachinnum.
Intererit multum, Divuſne loquatur, an heros;
Maturuſne ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus; & matrona potens, an ſedula nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Aſſyrius; Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge,
Scriptor. Homereum ſi forte reponis Achillem;
Inpiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenae conmittis, & audes
Perſonam formare novam; ſervetur ad imum
Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.
Difficile eſt proprie communia dicere: tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam ſi proferres ignota indictaque primus.
Publica materies privati juris erit, ſi
Non circa vilem patulumque moraberis orbem;

V. 113. Vulg. Equites peditesque. 116. An mat. 120. Honoratum.

Digitized by Google

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres; nec desilies imitator in artum,
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor Cyclius olim:
FORTUNAM Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
DIC MIHI, Musa, virum, captae post moenia Trojae,
Qui mores hominum multorum vidit, & urbis.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdin.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo:
Semper ad eventum festinat; & in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit: & quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit:
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego & populus mecum desideret, audi;
Si fautoris eges aulaea manentis, & usque
Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat:
Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor, maturis dandus & annis.
Reddere qui voces jam scit puer, & pede certo
Signat humum; gestit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temere, & mutatur in horas.

V. 136. Vulg. Cyclicos. 139. Parturient. 141. Post tempora. 154. & plaudoris. 157. Decor naturis.

Inber-

Inberbus juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.
Conversis studiis, aetas animusque virilis
Quaerit opes & amicitias, inservit honori;
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod
Quaerit, & inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnis timide gelideque ministrat,
Dilator, spe lentus, iners, paviduque futuri;
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator censorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt: ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles.
Semper in adjunctis, aevoque morabimur aptis,
Aut agitur res in scenis, aut acta refertur:
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, & quae
Ipse sibi tradit spectator. non tamen intus
Digna geri promes in scenam: multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens:
Ne pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

V. 172. Vulg. SUE LONGUS, AMBUSQUE. 185. Nec.

Neve minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quae poſci volt, & ſpectata reponi.
Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui perſona laboret.
Actoris partes chorus, officiumque virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat & haereat apte.
Ille bonis faveatque & conſilietur amice,
Et regat iratos, & amet pacare tumentis:
Ille dapes laudet menſae brevis, ille ſalubrem
Juſtitiam, legeſque, & apertis otia portis:
Ille tegat commiſſa, Deoſque precetur & oret,
Ut redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.
Tibia non, ut nunc, orichalco juncta, tubaeque
Aemula; ſed tenuis ſimplexque foramine pauco,
Aſpirare & adeſſe choris erat utilis, atque
Nondum ſpiſſa nimis conplere ſedilia flatu:
Quo ſane populus numerabilis, utpote parvus
Et frugi caſtuſque verecunduſque coibat.
Poſtquam coepit agros extendere victor, & urbem
Laxior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius feſtis inpune diebus;
Acceſſit numeriſque modiſque licentia major.
Indoctus quid enim ſaperet liberque laborum,
Ruſticus urbano confuſus, turpis honeſto?
Sic priſcae motumque & luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita veſtem:
Sic etiam fidibus voces crevere ſeveris,

Et

V. 197. Vulg. PECCARE TIMENTES. 202. VINCTA. 209. LATIOR.

Digitized by Google

Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps;
Utiliumque sagax rerum, & divina futuri,
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestis Satyros nudavit, & asper
Incolumi gravitate jocum tentavit: eo quod
Inlecebris erat & grata novitate morandus
Spectator functusque sacris, & potus, & exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicacis
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo;
Ne quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros
Regali conspectus in auro nuper & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas:
Aut, dum vitat humum, nubis & inania captet.
Effutire levis indigna Tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satyris paullum pudibunda protervis.
Non ego inornata & dominantia nomina solum
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo:
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil interfit, Davusne loquatur & audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar: ut sibi quivis
Speret idem; sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem. tantum series juncturaque pollet:
Tantum de medio sumtis accedit honoris.
Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,

Ne-

Ne velut innati triviis, ac pene forenſes,
Aut nimium teneris juvenentur verſibus umquam,
Aut inmunda crepent ignominioſaque dicta.
Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res;
Nec, ſi quid fricti ciceris probat & nucis emtor,
Aequis accipiunt animis, donantve corona.
Syllaba longa brevi ſubjecta vocatur Iambus,
Pes citus: unde etiam Trimetris adcreſcere juſſit
Nomen iambeis, cum ſenos redderet ictus
Primus ad extremum ſimilis ſibi: non ita pridem,
Tardior ut paullo graviorque veniret ad auris,
Spondeos ſtabilis in jura paterna recepit
Commodus & patiens; non ut de ſede ſecunda
Cederet aut quarta ſocialiter. hic & in Accî
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Ennî.
In ſcenam miſſus cum magno pondere verſus,
Aut operae celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt inmodulata poëmata judex:
Et data Romanis venia eſt indignâ poëtis.
Idcircone vager, ſcribamque licenter? ut omnis
Viſuros peccata putem mea; tutus & intra
Spem veniae cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui. vos exemplaria Graeca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
At veſtri proavi Plautinos & numeros &
Laudavere ſales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte, mirati: ſi modo ego & vos

Sci-

V. 260. Vulg. Missos magno cum p. 265. An omnes. 270. Nostri.

Digitized by Google

Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus & aure.
Ignotum Tragicae genus inveniſſe Camenae
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis
Qui canerent agerentque, peruncti faecibus ora.
Poſt hunc perſonae pallaeque repertor honeſtae
Aeſchylos & modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Succeſſit vetus his Comoedia, non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi: lex eſt accepta: choruſque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere poëtae:
Nec minimum meruere decus, veſtigia Graeca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta,
Vel qui Praetextas, vel qui docuere Togatas.
Nec virtute foret clariſve potentius armis,
Quam lingua, Latium; ſi non offenderet unum-
Quemque poëtarum limae labor & mora. vos, ô
Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies & multa litura coërcuit, atque
Praeſectum decies non caſtigavit ad unguem.
Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit, & excludit ſanos Helicone poëtas
Democritus; bona pars non unguis ponere curat,
Non barbam: ſecreta petit loca, balnea vitat.
Nanciſcetur enim pretium nomenque poëtae,
Si tribus Anticyris caput inſanabile numquam
Tonſori

V. 277. Vulg. Quae an. 294. Perfectum.

Tonsori Licino commiserit. ô ego laevus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata: verum
Nil tanti est. ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi.
Munus & officium, nil scribens ipse, docebo;
Unde parentur opes; quid alat formetque poëtam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte, sapere est & principium & fons.
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae:
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit patriae quid debeat, & quid amicis;
Quo sit amore parens, quo frater amandus & hospes;
Quod sit conscripti, quod judicis officium; quae
Partes in bellum missi ducis; ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatorem, & vivas hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis, morataque recte
Fabula, nullius veneris, sine pondere & arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partis centum diducere. Dicas,
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superet. poterat dixisse, Triens? Eu!

V. 318. Vulg. VERAS. 326. DICAT. 328. SUPERAT? POTERAS.

Rem

Rem poteris ſervare tuam. redit uncia: quid fit?
Semis. an, haec animos aerugo & cura peculî
Cum ſemel inbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & levi ſervanda cupreſſo?
Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtae;
Aut ſimul & jocunda & idonea dicere vitae.
Quicquid praecipies, eſto brevis: ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
[Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.]
Ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris:
Ne, quodcumque volet, poſcat ſibi fabula credi;
Neu pranſae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.
Centuriae ſeniorum agitant expertia frugis:
Celſi praetereunt auſtera poëmata Ramnes.
Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret aera liber Soſiis, hic & mare tranſit,
Et longum noto ſcriptori prorogat aevum.
Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus: [mens;
Nam neque chorda ſonum reddit, quem volt manus &
Poſcentique gravem perſaepe remittit acutum:
Nec ſemper feriet, quodcumque minabitur, arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. quid ergo eſt?
Ut ſcriptor ſi peccat idem librarius uſque,
Quamvis eſt monitus, venia caret; ut citharoedus

V. 330. Vulg. An haec. 339. Nec quodc. 353. Et *deeſt.* 355. Et cith.

Digitized by Google

Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem:
Sic mihi qui multum ceſſat, fit Choerilos ille,
Quem bis terve bonum, cum riſu miror; & idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas eſt obrepere ſomnum.
Ut pictura, poëſis: erit quae, ſi propius ſtes,
Te capiat magis; & quaedam, ſi longius abſtes:
Haec amat obſcurum; volet haec ſub luce videri,
Judicis argutum quae non formidat acumen:
Haec placuit ſemel; haec decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te ſapis; hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium & tolerabile rebus
Recte concedi: conſultus juris, & actor
Cauſſarum mediocris; abeſt virtute diſerti
Meſſallae, nec ſcit quantum Caſcellius Aulus;
Sed tamen in pretio eſt: mediocribus eſſe poëtis
Non homines, non Dî, non conceſſere columnae.
Ut gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum unguentum, & Sardo cum melle papaver
Offendunt; poterat duci quia cena ſine iſtis:
Sic animis natum inventumque poëma juvandis,
Si paullum ſummo deceſſit, vergit ad imum.
Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis;
Indoctuſque pilae, diſcive, trochive, quieſcit;
Ne ſpiſſae riſum tollant impune coronae:
Qui neſcit verſus, tamen audet fingere. quid ni?
Liber & ingenuus; praeſertim cenſus equeſtrem
Sum-

V. 358. Vulg. TERQUE. 360. OPERE IN L.

Digitized by Google

Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invita dices faciesve Minerva:
Id tibi judicium est, ea mens. si quid tamen olim
Scripseris, in Maecî descendat judicis auris,
Et patris, & nostras; nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis. delere licebit
Quod non edideris: nescit vox missa reverti.
Silvestris homines sacer interpresque Deorum
Caedibus & victu foedo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigris rabidosque leones.
Dictus & Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis;
Oppida moliri; leges incidere ligno.
Sic honor & nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. post hos insignis Homerus
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. dictae per carmina sortes,
Et vitae monstrata via est, & gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae solers, & cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est. ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.

V. 410. Vulg. Prosit.

Digitized by Google

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer; ſudavit & alſit;
Abſtinuit venere & vino. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magiſtrum.
Nec ſatis eſt dixiſſe, Ego mira poëmata pango:
Occupet extremum ſcabies: mihi turpe relinqui eſt,
Et, quod non didici, ſane neſcire fateri.
Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas;
Adſentatores jubet ad lucrum ire poëta
Dives agris, dives poſitis in fenore nummis.
Si vero eſt, unctum qui recte ponere poſſit,
Et ſpondere levi pro paupere, & eripere artis
Litibus inplicitum; mirabor, ſi ſciet inter-
Noſcere mendacem verumque beatus amicum.
Tu ſeu donâris, ſeu quid donare voles cui;
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Laetitiae: clamabit enim, Pulchre, bene, recte;
Palleſcet; ſuper his etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem; ſaliet; tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: ſic
Deriſor vera plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urguere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant,
An ſit amicitia dignus. ſi carmina condes,
Numquam te fallant animi ſub volpe latentes.
Quintilio ſi quid recitares, Corrige ſodes

V. 416. Vulg. Nunc ſatis. 423. Atrie. 435. Laborent.

Hoc

Hoc, aiebat, & hoc. melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra? delere jubebat,
Et male ter natos incudi reddere versus.
Si defendere delictum, quam vertere, malles;
Nullum ultra verbum, aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque & tua solus amares.
Vir bonus & prudens versus reprehendet inertis,
Culpabit duros, incomtis adlinet atrum
Transversо calamo signum; ambitiosa recidet
Ornamenta; parum claris lucem dare coget;
Arguet ambigue dictum; mutanda notabit;
Fiet Aristarchus: non dicet, Cur ego amicum
Offendam in nugis? hae nugae seria ducent
In mala derisum semel, exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies aut morbus regius urguet,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana;
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam,
Qui sapiunt: agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimis versus ructatur, & errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foveamve; licet, Succurrite, longum
Clamet, io cives: non sit qui tollere curet.
Si curet quis opem ferre, & demittere funem;
Quî scis, an prudens huc se projecerit, atque
Servari nolit? dicam: Siculique poëtae
Narrabo interitum. Deus inmortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam

V. 441. Vulg. TORNATOS. 450. NEC dicet. 461. SI QUIS CURET. 462. DEJECERIT.

Insiluit.

Digitized by Google

Inſiluit. ſit jus, liceatque perire poëtis.
Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.
Nec ſemel hoc fecit; nec ſi retractus erit jam,
Fiet homo, & ponet famoſae mortis amorem.
Nec ſatis adparet, cur verſus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Moverit inceſtus: certe furit, ac velut urſus
Objectos caveae valuit ſi frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo,
Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hirudo.

FINIS.

Digitized by Google

IN
Q. HORATIUM FLACCUM
NOTAE atque EMENDATIONES
RICHARDI BENTLEII.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN

Q. HORATIUM FLACCUM

NOTAE & EMENDATIONES

RICHARDI BENTLEII

S. T. P.

REGIAE MAJESTATI A SACRIS DOMESTICIS,

BIBLIOTHECARUM REGIARUM CUSTODIS,

ARCHIDIACONI ELIENSIS,

ET COLLEGIO S. TRINITATIS

APUD

CANTABRIGIENSES PRAEFECTI.



CANTABRIGIAE, MDCCXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTAE
AD CARMINUM LIB. I.
CARMEN I.

PROOEMII, ut res ipsa indicat, sive Prologi locum carmen hoc obtinet, ceterisque hujus Libri absolutis novissimum accessit. Sed vereor equidem, si certa hic est Librariorum fides, ne non ex Pindari sui praecepto σῆμα πλαυγὲς, non *purpureum qui late splendeat*, sed vilem sordidumque panniculum noster assuerit. Siquidem omnes jam a literis renatis de impedita hic & salebrosa oratione questi sunt: videamus locum integrum, quem libri scripti editique omnes sic exhibent:

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat; *metaque fervidis*
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit *ad Deos.*
Hunc, *si mobilium turba Quiritium*
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, *si proprio condidit horreo*
Quicquid de Libycis verritur areis:
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Numquam dimoveas, *ut trabe Cypria*
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

Jam quaeritur, HUNC & ILLUM unde pendeant, & cuinam verbo connectantur. Aut enim haec structura est, *Juvat hunc, illum*; aut ista est, *Evehit hunc, illum:* aut illa denique, *Dimoveas hunc, illum:* nihil est quartum: & tamen nulla ex his tribus constructio recte procedit. Esto enim; postrema forte prae aliis tibi arriserit: *Numquam*, inquis, *dimoveas* HUNC amplissimis honoribus auctum, ILLUM totius Africae praedia possidentem, ut mutato vitae instituto *Mercatores* esse velint. Ain' vero? Profecto haud stulte sapiunt, si nolunt se tot & tantis periculis sine caussa exponere; neque dubio mari opes quaerere, quas domi jam affatim habent. Quid, quaeso, hic tam mirum? Metuendum credo erat, ne Pompeio quis vel Caesari vel Crasso persuaserit, ut relictis rebus omnibus mercaturam exercerent. Illud quidem, quod mox sequitur, accipio proboque; ubi *Rusticum* paterni agri cultorem vel luculentissimis conditionibus negat *dimoveri* posse, ut pristino vitae genere relicto Mercator esse incipiat; quippe qui parvo contentus, proculque a negotiis & Neptuno vitam agens, securam suam paupertatem operosis incertisque opibus anteponit. Hoc quidem & verum est, & memoratione dignum: illud alterum de Imperatoribus & praedivitibus, qui nolint fieri mercatores, est ineptum prorsus & inficetum; uti jam pridem Julius Scaliger Janusque Rutgersius recte animadverterunt. Sed fortasse jam alteram mavis constructionem, *Juvat* HUNC, si honoratus est; *Juvat* ILLUM, si dives. Recte sane: nisi vetaret hoc emendati sermonis lex & consuetudo. Cum enim integra sententia, *Palmaque nobilis Terrarum dominos evehit ad Deos*, inter verba ista interveniat; numquam ullis machinis efficies, ut τὸ JUVAT per sententiae istius intervallum ad HUNC usque rite transduci possit. Restat tertia, (quae Rutgersii conjectura erat; & itidem Isacii Pontani, narrante & plaudente magno Gatakero Adverss. Posth. c. XVI.) ut distinctione constituta post *Palma nobilis*, EVEHIT ad sequentia referatur. *Evehit ad Deos* HUNC, si honores consequitur: si divitias, ILLUM. Sed & haec constructio, prioribus licet illis aliquanto commodior, non uno nomine displicet. Quam violentum enim & coactum, ut PALMA divellatur ab EVEHIT, cum ipsa orationis series artissime ea connectat? Quam jejunum porro & aridum, omnique Venere spoliatum, *Palma nobilis*; nisi reliqua subjunxeris? Illud EVEHIT quoque, ut verbi impersonalis hic vice fungatur, quis patienter ferat? Denique unde datum sumis, ut qui magnam vim frumenti in horreis suis occultaverit, continuo ea de caussa *ad Deos*

Digitized by Google

immortales evehi dicatur? Haud crediderim tam facilem tritamque fuisse ad Superos viam. Indignum vero, si triparcos illos *Ummidios, Fusiatios, Staberios, Opimios,* & *immundos Nattas* jam Noster propter auri & frumenti acervos inter *Deos* hic collocet, quos in Satiris vix *hominum* loco aut numero censuerat habendos. Numquam, mihi crede, sic Flaccus desipuit. At si illa sic conjungis, ut *Palma nobilis ad deos evehat*; jam recte erit & de more, ut qui Olympia vicerint, Diis comparentur. Noster alibi Carm. IV, 2.

Sive quos Elea *domum reducit*
Palma caelestes.

Cicero pro Flacco. c. 13. *Homo nobilis Atinas pugil Olympionices: hoc est apud Graecos prope majus & glorioſius, quam Romae triumphasse.* Vides hos Victores pluris apud Graecos fieri, quam Romae Triumphatores. Jam vero, qui Romae triumphabant, cum Diis comparabantur, ut iterum Noster Epist. I, 17.

Res gerere & captos ostendere civibus *hostes*
Attingit solium Jovis & caelestia tentat.

Ergo aut majore aut pari saltem jure Olympionicae ad Deos evehendi erant. Quin illi apud Lucianum in Anacharsi plane ΙΣΟΘΕΟΙ *Diis aequales* perhibentur: unusque ex iis Philippus post obitum, alter Euthymus etiam vivus sentiensque, divinos honores consecutus est; uti narrat Herodotus, Plinius, aliique. Ut proinde nullo modo audiendi sint Rutgersius ceterique: neque *evehit ad Deos* alio referendum, quam ad Palmam Olympiacam. Quid igitur fiet? Enimvero correctione locus juvandus est, priusquam ullam inde sani coloris sententiam extuderis. Eum sic a poeta profectum esse pro certo polliceri ausim:

Sunt quos *curriculo pulverem Olympicum*
Collegisse juvat, *metaque fervidis*
Evitata rotis, palmaque nobilis.
Terrarum dominos EVEHERE *ad Deos:*
Hunc, *si mobilium*——Illum, *si proprio, &c.*

Ubi ordo & sententia est: Diversa, o Maecenas, sunt hominum studia: SUNT-QUOS juvat *palma* Olympiaca, quae nobilis est vel ad Deos immortales victorem evehere. HUNC juvat, si honores consequitur; ILLUM, si divitias: AGRICOLAE numquam persuaseris, ut mercator fiat; neque rursus MERCATORI, ut rure degat: EST-QUI vitam voluptariam sequitur; MULTOS militia juvat, QUOSDAM venatio: ME, si nomen & famam poetae Lyrici nanciscī possum. Hoc totius orationis filum, haec Carminis mens est; de Pindaro, ut videtur, adumbrata, cujus haec exstant apud Sextum Empiricum Pyrrh. Hypot. p. 18.

Ἀλλοπόδων μέν τινας ὠφελεῖ-
Νεσιν ἵππων τιμαὶ & στέφανοι·
Τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοῦν
Τέρπῃ τις ἢ καὶ πις ἐπ' οἴδματ' ἔλσας
Ναῒ θοᾷ σῶς ἀφίκηται.

SUNT QUOS *juvant velocium* equorum *honores & coronae:* HOS *in auratis thalamis vita:* EST QUI *etiam delectatur, si celeri nave salvus per mare currit.* Ubi τινας dedimus pro τιν', ob illud τοὺς quod sequitur; βιοῦν autem pro βιωῖ; σῶς θαστίχων pro σῶν ἀφτίβων. Jam autem ut verba Flacci, cum de sententia satis constet, paullatim explicemus; illud primum observabis, τὸ SUNT-QUOS junctim & ὑφ' ἓν accipiendum esse, perindeque esse ac si *Quosdam, Aliquos* dixisset: ita Graeci ἔστιν ὅς, εἰσὶν οἷς passim usurpant. Noster Serm. I, 4. v. 24. [*utpote plures*

Quod sunt-quos *genus hoc minime* juvat,
Culpari dignos:

ubi nisi ὑφ' ἓν legeris, *digni* utique, non *dignos* dictum oportuit. Arte Poet. 361.

Ut pictura, poesis: erit-quae, *si proprius stes*
Te capiet magis; & quaedam, *si longius abstes.*

& hic quoque, nisi ὑφ' ἓν adscisceris, *quae* erat dicendum, non *quaedam.* Finge itaque hic esse, QUOSDAM *curriculo pulverem Olympicum collegisse juvat:* HUNC, *si mobilium &c.* ILLUM, *si proprio &c.* & familiarior credo ad aures tuas oratio accedet. Illud deinceps notabis, *Juvat collegisse, juvat meta, juvat palma,* vocabulum unicum JUVAT in eadem periodo modo personalis verbi, modo impersonalis potestatem habere: Sic Noster alibi Carm. IV, 1.

Me nec femina, *nec puer,*
Jam nec spes *animi credula mutui,*
Nec certare juvat *mero.*

& Juvenalis XI, 199.

—Spectent juvenes, quos clamor *& audax*
Sponsio, *quos cultae* decet assidisse *puellae.*

Atque haec paullo insolentior locutio Librariorum oculis caliginem offudit. Sed praecipue eis fraudi fuit ignorantia constructionis, *Nobilis evehere:* quod loquendi genus a Graeco fonte deductum, Horatio & sequentis aevi poetis admodum familiare est. Sic Carm. I, 37. *Impotens sperare.* III, 12. *Celer excipere. Catus jacularī.* I, 12. *Blandus ducere,* I, 10. *Callidus condere.* I, 24. *Lenis recludere.* I, 37. *Fortis tractare.* IV, 14. *Impiger vexare,* IV, 12. *Largus donare,*

Digitized by Google

donare, Efficax eluere. Serm. II, 8. *Ridiculus absorbere.* Ep. I, 17. *Firmus pascere.* Persius I, 118. Callidus *excusso populum* suspendere *naso.* Silius Italicus, III, 375. & 387.

Suetabis, & telas Arabum spreviſſe ſuperba,
Et Peluſiaco filum componere *lino.*

Aſper *frena* pati, *aut juſſis* parere *magiſtri.* Qualia innumera ſunt apud Silium; multa apud Lucanum & Statium. Illud vero apud Noſtrum Carm. I, 12. emendationem hanc unice confirmat: quippe ubi idem vocabulum eadem plane junctura exhibetur:

Dicam & Alciden, puerosque Ledae,
Hunc equis, illum ſuperare *pugnis*
NOBILEM.

Cui geminum omnino eſt illud Silii lib. XI, 73.

Hic Torquatus avum fronte aequaviſſe *severa*
NOBILIS: & Propertii IV, 10. v. 42.
NOBILIS *e tecto* fundere *gaeſa rotis.*

Neque illud Lucani abſimile eſt, III, 697.

EXIMIUS *Phoceus animam* ſervare *ſub undis*
Scrutarique *fretum:*

aut Perſii VI, 6. quod ſic corrigendum:

Mox juvenes agitare jocos, & pollice honeſto
EGREGIUS luſiſſe *ſenes.*

Ita duo codices, alter Galeanus, alter Coll. Trinitatis; non ut vulgo *Egregios.* Habes itaque, aut omnia me fallunt, certiſſimam Flacci emendationem: ubi & ſententia mirum quantum erigitur; & oratio novo cultu enitescit.

v. 7. HUNC', SI MOBILIUM] *Mobilium* recte habent codices vetuſtiores, quatuor Blandinii apud Cruquium, duo apud Pulmannum, Berſmanni unus, & ex noſtris optimi Leidenſis, Graevianus, & pro varia lectione, eadem tamen manu, codex Collegii Reginae; tum etiam vetus Scholiaſtes. Deſinant itaque ex recentioribus libris NOBILIUM ingerere: quum altero abhinc verſu praeceſſerit, *palmaque nobilis*; quae quam inepta atque invenuſta foret repetitio, quis non videat? Sane *Nobiles* Quirites dici poterant, ob imperii Rom. magnitudinem. Fatemur: ſed quamobrem tandem *turba nobilium?* quae duo vocabula ſic conjuncta ſe mutuo tollunt & evertunt. Epitheto illo *Mobilium* levitatem & inconſtantiam vulgi in honoribus per ſuffragia ſua deferendis notat & perſtringit. Sic alibi, Epiſt. I, 19.

Non ego ventoſae *plebis* ſuffragia *venor.*

Statius Silv. II, 2. v. 123.

Quem non ambigui *faſces, non* mobile *vulgus,*
Non leges, non caſtra tenent.

Seneca Herc. Fur. v. 169.

Illum populi favor attonitum,
Fluctuque magis mobile *vulgus*
Aura tumidum tollit inani.

Idem diu mendum inſedit in omnibus Lucani codicibus, IV, 521. *ſic cunctas ſuſtulit ardor*
Nobilium *mentes juvenum, &c.*

Tu lege ipſius loci ſententiaeque ductu, MOBILIUM *juvenum:* ut Virgil. Georg. III, 165.

Dum faciles animi juvenum, *dum* mobilis *aetas.*

Nam quod apud Noſtrum eſt, Carm. IV, 12. *Juvenum nobilium cliens,* ubi plura afferemus, non ejuſmodi eſt, ut receptae Lucani lectioni patrocinetur; aut ut cohorti Opiterginae juventutis id epitheton inde donandum ſit.

v. 16. OTIUM ET OPPIDI LAUDAT RURA SUI] Ingenioſa profecto Valentis Acidalii conjectura eſt, in Notis ad Velleium Paterculum, II, 110.

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat TUTA *ſui: mox reficit rates*
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.

Quam ſibi tacite adoptavit acutiſſimus Gronovius Pater Obſerv. Eccleſ. c. x. p. 101. ubi ſic emendat Paullini carmen:

Repetitque portum, & terreae tuto viae
Praevertit intutum maris.

Tutum, inquit, *viae: ut Horatio, Otium & oppidi Laudat* TUTA *ſui.* Ego vero ſagaciſſimis viris libenter accedo: nam, ut ferri forte poſſit lectio recepta, tamen aptior venuſtiorque eſt oppoſitio, hinc *Metuens,* illinc *Tuta. Tuta* autem abſolute, ut Ovid. Triſt. II, 201.

Unde precor ſupplex ut nos in tuta *releges.*

Tacitus Annal. I, 2. *Ac novis ex rebus aucti* tuta *& praeſentia, quam vetera & periculoſa mallent.* Et XV, 29. *Exin Romanus laudat juvenem, omiſſis praecipitibus* tuta *& ſalutaria capeſſentem. Tuta* autem *oppidi,* ut Virgilius, XI, 882. [rum.

Moenibus in patriis atque inter tuta domo-

Recte porro & convenienter junguntur, *Otium & Tuta*; ut Martialis XII, 5.

Plura legant vacui, quibus otia tuta *dediſti.*

& III, 67. Tuta *luditis* otium *carina.*

Virgil. Georg. III, 376. ſecura *ſub alta*
Otia *agunt terra.*

Denique rite & de more *Laudat tuta* aliquis; ut Noſter Epiſt. I, 15. [laudo:

Nimirum hic ego ſum: nam tuta *& parvula* praeſertim *Mercator,* qui rei parandae cauſa periculis ſe objiciens, ſupremis ſibi votis *Tuta otia* pollicetur: ut iterum Noſter Serm. I, 1.

Digitized by Google

nautaeque *per omne*
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta *recedant.*

Equidem *rura oppidi* vel simile quid non usquam legisse memini.

CARMEN II.

v. 10. NOTA QUAE SEDES FUERAT COLUMBIS] Codex Battelianus pro varia lectione PALUMBIS, cui astipulantur illa veteris Scholiastae, *Leviter in re tam atroci & piscium & palumborum meminit.* Nimirum jam olim hic locus obelo notatus est: cum enim arboribus raro aut numquam *Columbae* insideant, quo jure *Ulmum* hic appellat *Notam* columbarum sedem? An reponemus itaque his fidejussoribus PALUMBIS? Illud tamen adversatur, quod & noster alibi, & Virgilius *Palumbem* solent dicere, non *Palumbum.* Sed & PALUMBUS suos auctores habet, Columellam, Plinium, Martialem, Catonem De Re Rust. cap. XCI. Jam quidem apud Persium III, 15. post Pithoeum sic hodie fertur:

at cur non potius teneroque columbo
Et similis regum pueris.

Verum ibi & veteres editiones & tres quos consului codices PALUMBO plane exhibent. Excusari poterit recepta Flacci lectio, si dixeris sub Columbarum nomine etiam Palumbes comprehendi: sed neque illo pacto vitatur ambiguum & τὸ εὐδιάβλητον.

v. 31. NUBE CANDENTES HUMEROS AMICTUS] Ita nunc pleraeque editiones. verum principes illae Venetae & Loscheriana CANDENTI, neque aliter olim Acron Scholiastes: *Melius,* inquit, *Nube candenti, quam Candentis humeros.* Idem in codicibus aliquot repererunt Lambinus, Torrentius, aliique, qui tam suspenso hic pede leviterque rem transeunt, ut nescias cui magis lectioni faveant. Mihi vero in nullo melioris notae codice *candenti* illud est visum: omnes *candentis* clare exhibent: nisi quod in Graeviano litera S mala manu olim erasa est, ita tamen ut vel hodie manifesto se prodat. Sed rem ipsam videamus. Jam primum qualis sodes hiatus erit, si legeris CANDENTI? qualem vel unum alterum nusquam hic inveneris. Illud deinde animadvertes, participiorum horum casus ablativos vix umquam apud Nostrum terminari in TI, sed in TE: ut hoc ipso in Carm. *Rubente, probante:* & alibi; *Fulgente arcu, Lamna candente;* &c. Vide quae dicemus ad Carm. I, 25. v. 17. Sed, quod caput est, illud *nube candenti* non tam non appositum est hujus loci sententiae, quam prorsus contrarium. Nempe nube hic amiciendus erat Apollo, nequis eum mortalium inter ipsos versantem agnosceret: Hoc certum: & sic Homerus, unde hoc noster mutuatus est, Iliad. E. v. 186.

ἀλλά τις ἄγχι
Ἕστηκ' ἀθανάτων νεφέλην εἰλυμένος ὤμους.

Sed Deorum aliquis prope adstitit, nube humeros amictus: & ibid. v. 344.

Καὶ τὸν μὲν κείρων ἐξέσπασε Φοῖβος Ἀπόλλων
Κυανέῃ νεφέλῃ.

i. e. *Atque Aeneam quidem manibus sustulit Apollo, nube nigra* tectus: scil. ne a Diomede conspiceretur. Et ex eodem fonte Virgilius Aen. XII, 416.

Hoc Venus obscuro *faciem circumdata* nimbo
Detulit. & I, 15.
At Venus obscuro *gradientis* aëre *sepsit,*
Et multo nebulae *circum Dea fudit* amictu,
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset.

& ibidem 520.

Dissimulant & nube *cava speculantur* amicti.

Jam autem, qui quaeso convenit, aut quo poetae consilio factum, ut qui oculos fallere & latere conetur, nubis istius *candore* se ipse manifestet? Hoc tam inepte incommodeque, ut nihil supra. Sed quid multis opus? Retinemus ex potioribus membranis CANDENTIS HUMEROS: *Candens, nitens, fulgens,* perpetua sunt *Humeri* epitheta. Statius Silv. III, 4.

sed non erat illi
Arcus, & ex humeris *nullae* fulgentibus [*umbrae.*

& ibidem iterum,

humeroque *manu nudare* nitentes.

Tibullus I, 8.

Huic tu candentes *humero suppone* lacertos.

Horat. Carm. I, 13.

Uror, seu tibi candidos *Turparunt* humeros.

& II, 5.

Non Chloris albo sic humero nitens.

Quod si humeri mortalium recte dicuntur *candere,* multo magis Apollinis, qui totus, quantus quantus est, fulget & candet: Virg. VIII, 720.

Ipse sedens niveo candentis *limine* Phoebi
Dona recognoscit populorum.

v. 30.

Digitized by Google

v. 39. ACER ET MAURI PEDITIS CRUENTUM VULTUS IN HOSTEM] Vir sagacissimus Tanaq. Faber, *Emenda*, inquit, MARSI, *Nam Mauri imbelles: olim correctionem probabo.* Et in hanc soceri sui sententiam concedit celeberrimus Dacerius; promissum tamen ejus minime absolvit: illud addit unicum, *sic extare in vetustis editionibus.* Magnopere equidem videre vellem tam raras, quas memorat, editiones: plurimas mihi usu venit inspicere; veterrimas in manibus jam habeo; nihil tamen quicquam vel legendo vel fando mihi compertum est de ea lectione: ut plane verear, ne ei somnium hoc advolaverit per eburneam portam. Nihilo tamen secius emendatio ista certissima est, refragantibus licet omnibus libris, & scriptis & editis. Quippe haec militis descriptio est, & *Fortis*, & *Peditis*, & *Cominus stabilique pede cum hoste pugnantis.* Tria haec plane indicantur his verbis, *Acer peditis vultus in hostem cruentum:* quorum ne unum quidem MAURIS convenire jam tibi ostendam. Principio multum abest, ut hi *Fortes* haberentur; utpote Hispanis, & Gallis, nedum Romanis, virtute inferiores. Hirtius de Bello Africano. cap. 6. *Accidit res incredibilis, ut equites minus triginta Galli* MAURORUM *equitum duo millia loco pellerent, urgerentque in oppidum.* Livius XXIII. 26. *Nec Numida Hispano eques par fuit, nec jaculator* MAURUS *cetrato, velocitate pari, robore animi viriumque aliquantum praestanti.* Neque vero *Peditis* Mauri ullo in numero erant; *Equitatu* solo valebat ea gens; nec *Cominus* denique vel justa acie pugnabant, sed *eminus*, & Parthorum fere more statim refugientes, ubi jacula semel emiserant. Valer. Flaccus III, 587.

Ille velut REFUGI *quem contigit improba Lancea.* [MAURI

Hirtius c. 7. *Subito* EQUITES MAURI, *neque opinantibus Caesarianis, remiges adorti, multos jaculis convulneraverunt, nonnullos interfecerunt. Latent enim in insidiis cum equis inter convalles, & subito existunt,* non *ut in campo* COMINUS *depugnent.* cap. 97. EQUITES MAURI *atque Gaetuli non acie neque* ullo more Proelii, *sed catervatim uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrunt.* Tacitus Hist. II. 58. *Ingens* Maurorum *numerus per latrocinia* & raptus *apta bello manus.* Claudianus de Bello Gildonico. 432.

Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem, Terreat. An MAURI *fremitum rauscosque repulsus Umbonum & vestros passuri* cominus *ensis? Non contra clypeis tectos galeisve micantes Ibitis. In solis* longe *fiducia telis. Exarmatus erit, cum missile torserit, hostis. Dextra movet jaculum. praetentat pallia laeva. Cetera nudus* EQUES. *Sonipes ignarus habenae. Virga regit. Non ulla fides, non agminis ordo. Arma onerat, fuga praesidio.*

Qui quidem locus vel unus rem totam conficit: cum & *Imbelles* fuisse Mauros testatur, & ex *Equo* pugnare solitos, telisque *Eminus* missis continuo in *fuga* praesidium quaerere. Et praeterea, cum Horatius haec ita conjunxerit,

Quem *juvat clamor*, galeaeque leves, *Acer & Mauri peditis cruentum Vultus in hostem.*

ut plane *Peditem Galeatum* intelligi oporteat; miles ille *Maurus* omnino sine galea pugnam inire solet, ut docet te idem ille locus:

Non contra clypeis tectos GALEISVE *micantes Ibitis. in solis longe fiducia telis.*

Silius quoque x, 605. *patulis illa horrida campis Sit metuenda lues; muros haud fregerit umquam Exultare levis* nudato corpore Maurus.

Denique ut condonemus haec omnia; demusque tibi & *Pedites* fuisse Mauros, & *Fortes*, & *Cominus*, & *Galeatos* in acie pugnavisse; quorum nihil est verum: stultissimus tamen omnium foret Horatius, si virtutis hic militaris exemplum de *Maura* gente petiisset. Quippe acri illo Mauri peditis vultu *Martem juvari* dicit: eundemque *auctorem* Romulae gentis hic memorat, atque *genus* suum ac *nepotes* diu *neglectos* tandem *respicere.* Quid ergo? an Mars ille tandem suis propitiatus *Mauri* virtute delectetur? At quibus tandem cum hostibus conflictati sunt Mauri, magis quam Romanis? Ergo ille hic *cruentus hostis*, & a Mauro confossus ac trucidatus, erit demum Romanus. Meliora vero, o Noster; atque apage tam indignam & in *nepotes* & in *auctorem* contumeliam. Illéne ut ullius magis gentis quam virtute Itala juvetur? Recte itaque repositum est, MARSI, qui miles Italorum omnium fortissimus semper est habitus. Strabo v. p. 241. ΜΑΡΣΟΙ δὲ Πάλιγνοι, τὸ ἔθνη τοῦτο μικρὸ μὲν, ἀνδρεικώτατόν δέ. Appianus Bel. Civil. I. p. 639. de *Marsis* verba facions; Ἔστι δὲ τὸ ἔθνος πολεμικώτατον, καὶ φασὶ κατ' αὐτοῦ θρίαμβον ἐπὶ πᾶσι τοῖς παλαισμοῖς γενέσθαι μόνον. λειμώνιον ὠνόμασται, Οὔπω καθ' ΜΑΡΣΩΝ ὅπλ.

Digitized by Google

ἔτι ἄνευ ΜΑΡΣΩΝ γενίοχ θείαμβον. Proverbii loco fuisse ait, *Neque de* Marsis, *neque sine* Marsis *triumphum agi posse*. Virg. Georg. II.

Haec genus acre virum Marsos *pubemque*
Extulit. [*Sabellam*

Horat. Carm. II, 20.

Me Colchus & qui dissimulat metum
Marsae *cohortis, Dacus.*

Et III, 5. indignatur tamquam de lectissimis militibus, quod

Consenuit socerorum in armis
Sub rege Medo Marsus *& Appulus.*

v. 46. LAETUS INTERSIS POPULO QUIRINI] Libri tres apud Lambinum, & ex Cruquianis unus, QUIRINO. Alii omnes omnium, mei certe magno consensu, QUIRINI. Illud mavult vir summus Nic. Heinsius ad Ovidii Fast. IV, 375. &, diserti-ssimus Broukhusius ad Propert. IV, 10. Ita nimirum alibi *Gens Romula, Venena Colcha, Sulpicia horrea* &c. Noster tamen Ep. II, 2. v. 68. *cubat hic in* colle QUIRINI,

Hic extremo in Aventino.

Sed & hic similiter Heinsius libens scripserit QUIRINO. Verum nulli libri suffragantur; &, quod majus est, ipsae aures repugnant; tinnituque isto *Quirino* & *Aventino*, graviter offenduntur. Ovid. Metam. XIV, 836.

conjux nunc esse Quirini:
Siste tuos fletus, & si tibi cura videndi
Conjugis est, duce me lucum pete, colle QUIRINO
Qui viret.

Ubi plerique codices notante Heinsio, QUIRINI. Ipse tamen ex paucioribus *Quirino* edidit; & fortasse, recte: quia *Quirini* jam praecesserat. Idem Fast. IV, 375.

Qui dicet, Quondam sacrata est colle Qui-
Hac Fortuna die Publica, verus erit. [rini

Sic omnes membranae. Et hic nequicquam Heinsius *Quirino* substituit. Juven. II, 133.

officium eras
Primo sole mihi peragendum in colle Quirini.

Ovid. Trist. I, 3, v. 33. & 7, v. 37. [rini.

Dique relinquendi, quos urbs *habet alta* Qui-
Non ego te placida genitum reor Urbe Quirini.

Ubi omnino frustra nobis obtruseris QUIRINA. cum hoc prohibeant Epitheta illa *alta* & *placida*. Pont. I, 5. v. 73. & F. 69. [Quirini.

Dividimur caelo, quaeque est procul Urbe
Dexter ades, Patribusque tuis, Populoque

Metam. XV, 572. & 756. [Quirini.

Seu laetum est, patriae laetum populo-
que Quirini.

Cinyphiumque Jubam populo *adjecisse* Qui-

Sidonius Ep. IX, 16. [rini.

geminae potiti Fronde coronae,
Quam mihi indulsit POPULUS QUIRINI.

Ita summo consensu omnes ubique codices: ut melius opinor fuerit receptam toties lectionem non temere sollicitare.

CARMEN III.

v. 18. QUI SICCIS OCULIS MONSTRA NATANTIA] Egregius vero locus, ut & totum sane carmen non vulgaris est spiritus atque artis: aut tamen omnia me fallunt, aut turpe hic sub pelle decora mendum delitescit. Videamus quid rei sit:

Illi robur & aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem Primus; ——
Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis *monstra natantia,*
Qui vidit mare turbidum &
Infames scopulos Acroceraunia?

Ubi recte Scholiastes *Siccis oculis* interpretatur *Sine lacrimis*, testem advocans Lucanum, IX, 1044. *qui* sicco lumine *campos*
Viderit Emathios.

Cui addas licet Senecam de Tranquill. XV. *Plerique enim* lacrimas *fundunt, ut ostendant: & toties* siccos oculos *habent, quoties spectator defuit.* Propert. I, 17.

An poteris siccis *mea fata reponere* ocellis?

Ita *siccas genas*, quod idem est, poetae passim: Ovid. Trist. I, 1.

Carmina nec siccis *perleget ipse* genis.

Martialis XII, 3.

Nec nimium siccis *perlegit ipse* genis. I, 79.
Siccis *ipse* genis *flentes hortatus amicos.*

His positis expendamus poetae sententiam. Quanto, inquit, animi *robore* fuit, quem mortis gradum timuit, qui primus fragili se rati committens, monstrosas belluas, turbidos fluctus, scopulos horrendos, res omnium maxime terribiles *sine lacrimis* videre sustinuit. Egregie sane: Ego vero vel meticulosum quemvis, etiam feminam id posse praestare dico, ut *sine lacrimis* ea videat; quippe quae in ejusmodi terrore, prout natura omnes comparati sumus, etsi maxime velit, lacrimari non possit. Prae misericordia quidem, vel amore,

Digitized by Google

amore, desiderio, pudore, ad leve periculum praesens, vel ingentis praeteriti recordationem, etiam invitis oculis identidem oboriuntur lacrimae: at in magno pavore, praesentique, ut hic, consternatione nullus lacrimis locus est, ne in puella infante quidem. Scimus hoc omnes; quod & vita magistra didicimus, & in nobis ipsis experti sumus. Quid igitur tam magnum aut mirabile, si siccis oculis vir fortis ea viderit; quae vel timidissimi non aliter possunt aspicere? Immo vero, quo horribilior formido est, tanto sicciores sunt oculi, ut rigeant plane & immobiles fiant. Virgilius VII, 446. de Turno:

At juveni oranti subitus tremor occupat artus:
Deriguere oculi: *tot Erinnys sibilat Hydris.*

Ergo & Noster ipse, in simili pavore a fluctibus belluisque marinis, non *flentem* Europen, quamvis & sexu & aetate tum timidam, sed *pallentem* facit, Carm. III, 27. *& scatentem*
Belluis pontum mediasque fraudes
Palluit *audax.*

Neque vero apud Homerum Virgiliumve, qui Heroas suos ἀιμοδάκρυας & ad lacrimandum proclives inducunt, eoque nomine hodie ab ineptis culpantur, aut Ulixes aut Aeneas in praesentis naufragii terrore flet; sed ingemit & vociferatur. Hos enim natura tum sonos elicit, lacrimas claudit vetatque. Quis subito incendio implicatus, quis fluvio profundo hauriendus, quis stricto gladii mucrone petitus, in tali tempore lacrimari umquam vilius est? Sentis jam, opinor, absurdum: & *siccos* illos *oculos* minus aequis tu oculis incipis aspicere. Verum illud praeterea contemplare: Qui haec omnia, inquit, *siccis oculis* vidit, ei *robur* & aes triplex erat circa pectus, is nullum mortis gradum timere noverat. Atqui siccos ad rem aliquam tenere oculos, ubi mortalium plerisque lacrimae excuterentur, non tam *roboris* est, quam duritiae, non tam *audaciae* quam atrocitatis, non tam *magni animi*, quam feri & inhumani. Ovid. Heroid. XI, 10.

Ipse necis cuperem nostrae spectator adesset;
Auctorisque oculis exigeretur opus:
Ut ferus est multoque suis truculentior Eurus,
Spectasset siccis *vulnera nostra* genis.

Similia passim apud scriptores invenias: adeo ut parum commode apud Nostrum institutur oratio. Nimirum alios hic quam *siccos* oculos jam tempus est quaerere, qui mentem interritam fortisque robur pectoris rite ostendant. Atque ecce tibi quos affirmare ausim in Horatii scriniis olim comparuisse;

Quem mortis timuit gradum,
Qui RECTIS *oculis monstra natantia,*
Qui vidit mare turbidum.

Non ita magna est a recepta lectione mutatio; ut incredibile sit audaculos Librarios hoc in se facinus admisisse; praesertim cum haec dictio paullo rarior esset, illa vulgo tritissima. Sententia vero jam talis est, ut vel ducentis exscriptoribus fidem omnem & auctoritatem abroget. Seneca Epist. CIV. *Nihil illi videtur grave, nihil asperum, quod virum incurvet.* Terribiles visu formae letumque laborsque? *Minime quidem, si quis* RECTIS OCULIS *intueri illa possit, & tenebras perrumpere.* Idem De constantia c. 5. *Adversus apparatus* terribilium RECTOS OCULOS *tenet sapiens; nihil ex vultu mutat, sive illi dura sive secunda ostentantur.* Suetonius Aug. c. 16. *Unde praebitam Antonio materiam putem exprobrandi, ne* RECTIS *quidem* OCULIS *eum aspicere potuisse instructam aciem; verum supinum, caelum intuentem, stupidum cubuisse.* Quid jam videtur? Cernis opinor ista, *Terribiles visu formas,* & *terribilium apparatus,* ipsa illa monstra scilicet & fluctus & scopulos; utque ea non *siccis,* sed *rectis* oculis vir fortis contueatur. Quippe is demum intrepido & invicto est animo, qui neque conniveat ad intentatum periculum, neque vultum avertat. *Primi in omnibus proeliis* oculi *vincuntur*; ut vere ac diserte Tacitus de Mor. Germ. c. 33. Et similiter Plinius Hist. XI, 37. *Viginti gladiatorum paria in Caii principis ludo fuere: in iis duo omnino, qui contra comminationem aliquam* non conniverent, *& ob id invicti.* Inde est, quod *rectis oculis,* ὀρθοῖς ὄμμασιν, ἀνεφθαλμεῖν, *oculos contra attollere,* ἀσκαρδαμυκτὶ βλέπειν, omnia de audaci homine atque impavido praedicentur. Iterum Seneca Epist. LXXVI. *Si* RECTIS OCULIS *gladios micantes videt, & si scit sua nihil interesse, utrum anima per os an per jugulum exeat, beatum voca.* Cicero pro Rabirio Posthumo, cap. ult. *Hic vos aliud nihil orat, nisi ut* RECTIS OCULIS *hanc urbem sibi intueri, atque in hoc foro vestigium facere liceat.* Ubi frustra haeserunt Interpretes: tu accipe, *Fidenter, sine metu aut pudore.* Statius Theb. X, 537.

non ora virum, non pectora flectit
Imber atrox, rectosque *tenent in moenia* vultus,
Immemores leti, & tantum sua tela videntes.

Juvenalis VI, 339.

Cumque paludatis ducibus, praesente marito,
Ipsa loqui recta facie *siccisque* mamillis.

Boet.

Digitized by Google

Boet. de Conſol. Phil. metro IV.

Fortunamque tuens utramque rectus,
Invictum potuit tenere vultum.

Sophocles Oed. Tyr. p. 205. Ed. Steph.

Τοιάσδ' ἐγὼ κηλῖδα μηνύσας ἐμὴν,
ΟΡΘΟΙΣ ἴσωλλον ΟΜΜΑΣΙΝ τάτυς ὁρᾶν;

Theocritus Idyll. V, 35. [τολμῇς
Ἀλλ' ἔπι σεύδω· μίζα δ' ἄχθομαι· εἰ τύ μοι
ΟΜΜΑΣΙ ΤΟΙΣ ΟΡΘΟΙΣΙ πολιβλέπιν.

Arriani Epictetus, fine libri III. Ταῦτά ἐστι μόνα τὰ τὰς ἐλευθερίας ποιοῦντα, τὰ τὰς ἀκωλύτους, τὰ τὸ τραχήλου ἐπαίρουσθαι τῶν πεπρωμένων, τὰ ἀντιβλέπειν ποιοῦντα ΟΡΘΟΙΣ ΤΟΙΣ ΟΦΘΑΛΜΟΙΣ τοῖς τὰς πλευρὰς, τοῖς τὰς πυρώσεις. Archidamus oratione ad Milites, Xenoph. Hellen. VII. p. 620. Ἄνδρες πολῖται, νῦν ἀγαθοὶ γενόμενοι, ἀναβλέψωμεν ΟΡΘΟΙΣ ΟΜΜΑΣΙΝ. Hierax Stobaei, II. Τὰς δ' ὑπ' ἐλευθερίας ἐλίσχουσας αὐτοῦ τὸ σκαιὸν ἔ ἦθος, ἐδὲ ἰδεῖν ΟΡΘΟΙΣ ΤΟΙΣ ΟΦΘΑΛΜΟΙΣ ἀνέχει. Ariſtides pro Quatuor viris. Tom. II. p. 299. de Themiſtocle: Καὶ μὴν ΟΡΘΟΙΣ ΤΟΙΣ ΟΦΘΑΛΜΟΙΣ ἀνέχων ἅπασι ἐ τοῖς παροῦσι πράγμασι, ἐ σὺν ἀπιστοφρείᾳ, ὥσπερ οἱ τοῖς τ ἥλιον βλέποντες. Sic Latini *tollere oculos* contra minas & terrorem. Lucret. I, 67.

Quae caput a caeli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans:
Primus Graius homo mortales TOLLERE *contra*
Eſt OCULOS *auſus, primuſque obſiſtere contra.*

Ita omnes Lucretii codices *Tollere*; & perperam agunt, qui ex Nonio reponunt *Tendere*. Livius VI, 16. *Nec adverſus dictatoriam vim aut tribuni plebis aut ipſa plebs* ATTOLLERE OCULOS *aut hiſcere audebat.* Seneca Epiſt. LXXI: *Alius jam in tantum profecit, ut contra fortunam audeat* ATTOLLERE OCULOS. Quod ipſum ſic extulit Plutarchus Περὶ εὐθυμίας, p. 847. Τὸ μηλιτᾶν τὸ δύνασθαι τοῖς τῷ τύχῃ ἀντεωρᾶν τοῖς ὄμμασιν ἀντιβλέπειν, i. e. *Poſſe contra fortunam apertos oculos attollere.* Seneca iterum De Benef. I, 3. *Non audebit adverſus multa* OCULOS ATTOLLERE. Auctor Octaviae, v. 481. *ne quid ſimile tentare audeat,*

Contraque ſanctos conjugis vultus meae
ATTOLLERE OCULOS.

Hoc Graeci eleganti compoſitione Ἀνθφθαλμεῖν dicere ſolent, quod vocabulum Polybio hiſtorico in deliciis erat; ut I, 68. Μὴ οἷον Καρχηδόνιος ΑΝΤΟΦΘΑΛΜΗΣΑΙ ποτ' ἂν τοῖς αὐτοῖς ἐν τοῖς ὅπλοις, ἀλλὰ μηδὲ τ λοιπῶν μηδένα ῥᾳδίως. Vide ipſum II, 24. & III, 14, 64. & IV, 22, 34. & alibi. Porro & iiſdem Ἀπαρδαμυκτὶ βλέπειν, *Inconniventibus oculis contueri*, audaciae & fortitudinis ſignum. Ariſtophanes Equit. v. 292.

Βλέψον εἰς μ' ἀσκαρδαμυκτί.

ſic lege, non εἰς ἐμ', ob metri rationem. Lucianus in Καταπλῳ p. 270. de Megapenthe Tyranno: Ῥᾴδιον γοῦν (lege ῥᾷον) ἄν τις τ ἥλιον ἢ τοῦτον ΑΣΚΑΡΔΑΜΥΚΤΙ προσιδεῖν. Oppianus Cyneget. I, 208. de Equo:

Ἢ πῶς ἄντα δέδρακεν ΑΣΚΑΡΔΑΜΥΚΤΟΙΣΙΝ ὀπωπαῖς
Αἰζηοῖσι λόχον πεπυκασμένον ἐπλίτῃσι.

Quem locum vir ſummus Julius Scaliger in Epinomide adducit, ut oſtendat Creticum pedem (qualis hic σκαρδαμυκτ) in Hexametro verſu nonnumquam tolerari. Fruſtra: neque enim tam terſo poetae tam indigna licentia placere potuit. Sine dubio ſic reponendum:

Ἢ πῶς ἄντα δέδρακεν ΑΤΑΡΜΥΚΤΟΙΣΙΝ ὀπωπαῖς.

Nimirum ἀτάρμυκτος unum idemque eſt ac ἀσκαρδάμυκτος, *inconnivens*; unde Euphorion apud Etymologum & Suidam, ΑΤΑΡΜΥΚΤΟΝ τρέπει ΟΜΜΑ. Etymol. Ἀτάρμυκτον, ἄφοβον, θρασὺ, κυρίως τὸ μὴ μύον. Corrigendus inde Heſychius: Ἀπάρκτῳ, ἄφοβοι, θρασύ. Scribe vel ex ipſa verborum ſerie, Ἀπάρμυκτῳ. Idem alibi: Ταρμυξαντ, φοβηθέντα. Et Etymologus: Ταρμύσσειν, τὸ φοβεῖν, ὡς Λυκόφρων. Nota, hoc ex Lycophrone citari. At apud illum hodie legitur, v. 1177.

Κλάγξαισι παρθένοισσιν εὐνύχοις βροτύς.

Reſtituendum vero, vel Etymologi auctoritate, Ταρμύσσουσιν; ut & ſcriptus codex etiam exhibet. Sed ut tandem manum de tabula: ſatis jam, opinor, & abunde pervicimus, aut ſcripſiſſe RECTIS OCULIS Flaccum, aut ſaltem ita debuiſſe: quorum alterum modo ſi negas; qui Horatius ſit, omnino neſcis: ſin utrumque; vereor ne, qui tu ſis, optime ſciamus.

v. 19. QUI VIDIT MARE TURGIDUM] Editio Veneta 1478 quam omnium primam eſſe crediderim, habet TURGIDUM; at Germanica Loſcheri 1498, TURBIDUM. Poſtea tamen prior illa lectio fere cunctas occupavit. Codices quidem, etiam optimae notae, alii hanc, alii illam exhibent: & ſane utraque ſat commode tolerari poteſt. Prudentius Peri Steph. v, 475.

Quae TURGIDUM *quondam mare*
Gradiente Chriſto ſtraverat.

Avienus in Arateis. *ſalumque*
Fluctibus inſtabile & glauci vada turgida
ponti.

Sic Virgil. Tumidum *mare*, Tumida *aequora*, *Maria*

Digitized by Google

Maria alta tumescunt; & Graeci, ἅλιον διθρον, ὑδρον θαλάσσης. Vix tamen dubito, quin TURBIDUM ab Horatii manu fuerit; quod fortius epitheton est, & majorem terrorem incutit. Lucret. V, 998.

nec turbida *ponti*
Aequora laedebant navis ad saxa virosque.

Ovid. Trist. I, 10.

Cumque sit hibernis agitatum fluctibus aequor,
Pectora sunt ipso turbidiora *mari.*

Idem Leand. Her.

Ipsa vides caelum pice nigrius, & freta ventis
Turbida, *perque cavas vix adeunda rates.*

Et ibidem,

Cumque mea fiunt turbida *mente freta.*

Seneca Herc. Oet. 456.

concussi fretum
Cessante vento: turbidum *explicui mare.*

Avienus in Arateis,

Non tum freta turbida *pinu* *Quis petat.*

Et iterum,

Quantum suspenso linquit vada turbida *caelo.*

Et, Turbida *certantes converrent aequora Cauri.*

Et, *si fugiunt volucres raptim freta* turbida *Nerei.*

Ut pene jam metuendum sit, ne & in istis quoque Prudentii & Avieni locis, quae supra protulimus, *Turbidum* substitui debeat.

V. 20. INFAMES SCOPULOS ACROCERAUNIA] Virgilius Aen. III, 506.

Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta.

Ubi Servius lectionem hanc in Flacco confirmat. Ceraunia, inquit, montes Epiri, a crebris fulminibus propter altitudinem nominati. Unde Horatius expressius dixit, ACROCERAUNIA, propter altitudinem & fulminum jactus. Lactantius ad Statii Theb. I, 113. *Infames Scirone petras.* Nota, inquit, *Infames* dixit, ut est,

Infames scopulos Acroceraunia.

Idem repetit ad III, 121, & ad VI, 156. Sed in ultimo Lactantii loco libri antiqui repraesentant ALTA CERAUNIA, notante Theod Marcilio & Georgio Fabricio, in Notis ad hoc Carmen. Unde vir reconditae eruditionis Gulielmus Baxter in nupera sua Horatii editione sic edidit,

Infames scopulos, alta Ceraunia.

Nollem factum; neque enim ulla unius loci suspecti auctoritas est contra duo alia ejusdem Lactantii loca, & eo vetustiorem Servium, & omnes quotquot ubique sunt Horatii libros: neque sane tolerari hic poterit duplex epitheton, *Infames, Alta*; ut agnoscent, qui poëticae gustum habent. Ἀκροκεράυνια, ut Ἀκρωκέραυνος: nimirum montes Ceraunii longissimo tractu protenduntur, quorum summum promontorium Acroceraunia nomen habet. Ovid. Remed. Amor, v. 739

Hae tibi sint Syrtes, haec Acroceraunia vita.

Plin. Hist. III, 23. *Initium Epiri, montes Acroceraunia*, & iterum eodem libro quater vel quinquies. Lucius Ampelius cap. 5. *Parnassus, Acroceraunia in Epiro.* Tum autem, quod idem suspicatur *Acroceraunia ex glossemate esse, quia vulgatius*; plane aliter res habet. Nam praeter loca jam citata, frustra, opinor, alibi *Acroceraunia* quaesiveris; cum *Ceraunia* vulgatissimum sit, cum apud Poëtas, tum alios.

V. 22. NEQUICQUAM DEUS ABSCIDIT PRUDENS OCEANO DISSOCIABILI TERRAS] Olim hic passive (ut Grammatici loquuntur) accipiebant *dissociabili*; eo sensu ut *Deus recte abscideris terras ab Oceano, quem par erat ab eis dissociari & abscindi.* Quomodo & Ovidius Metam. I, 22.

Nam caelo terras, & terris abscidit *undas.*

Et Statius Silv. III, 2. v. 61.

Quis rude & abscissum miseris animantibus aequor
Fecit iter?

Posterioribus autem ea melior visa est sententia, ut *Deus providenter terras discreverit, alias scilicet ab aliis, interveniente Oceano*; quale illud Lucretii est,

Et mare, quod late terrarum distinet *oras.*

Tum autem, quod huic consentaneum erat, jam non passive ut illi priores, verum active sumere volunt *Dissociabili, qui terras dissociat*, ut *genitabilis aura, penetrabile frigus* & id genus alia. Atque haec, ut video, interpretatio jam sola passim obtinet, & pro legitima habetur. Esto sane: *Dissociabilis* active per analogiam defendi possit; etsi in ea notione jam nusquam alibi extet. at vide quam inficeta demum sententia exoriatur: *Deus abscidit terras Oceano dissociabili*, hoc est, ut quidem explicant, *Deus abscidit terras Oceano, qui terras abscindit.* Quisquamne sibi persuaserit, putidulum hoc & παιγνιῶδες ab Horatio profectum esse? Tu vero scribe, si sapis, unius literulae adjectione.

Nequicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabilis *Terras.*

Hoc est, ut hodie moris est scribere, *dissociabiles.* Frustra inquit, providentia Dei terras has ab illis consulto abscidit, mari interfuso: siquidem homines mare illud navibus trajiciunt, & terras sic a Deo dissociatas commercio inter se miscent. Sane & oratio jam & sententia sunt omni ex parte commodissimae. Ita Statius

Digitized by Google

Siciliam ab Italia *dissociatam* esse memorat. Silv. I, 3. v. 32.

sic dissociata *profundo*
Brutia Sicanium circumspicit ora Pelorum.

Rutilius Itin. I, 330.

Eminus Igilii silvosa cacumina miror,
Quam fraudare nefas laudis honore suae.
Gurgite cum modico victricibus obstitit armis,
Tamquam longinquo dissociata *mari.*

Florus II, 8. *Euboeam insulam continenti adhaerentem, tenui freto reciprocantibus aquis Euripus* abscidit. Valer: Flaccus II, 615.

Asiamque prementem
Effugit abruptis Europa immanior oris.
Has etiam terras *consertaque gentibus arva,*
Sic pelago pulsante reor, Neptunia quondam
Cuspis & adversi longus labor abscidit *aevi,*
Ut Siculum Libycumque latus.

Et eodem plane, quo noster, sensu, *bene disseptas* a natura terras ait Seneca; atque improbe factum ab Argonautis, quod, primi mare transcurrere ausi commercia vetita exercerent. Medea 335.

Candida nostri saecula patres
Videre procul fraude remota.
Sua quisque piger litora tangens
Patrioque senex factus in arvo,
Parvo dives; nisi quas tuleras
Natale solum non norat opes.

Bene dissepti *foedera mundi*
Traxit in unum Thessala pinus,
Jussitque pati verbera ponsum.
Partemque metus fieri nostri
Mare sepositum. Dedit illa graves
Improba poenas.

Satis opinor, jam dictum est ad emendationem nostram firmandam; supereſt tamen adhuc, quod aliorum opiniones prorsus refutet. Neque enim prior illa, quae Oceanum ipsum terris abscissum tentarique vetitum esse statuit, consistere potest cum sequentibus,

si tamen impia
Non tangenda rates transiliunt vada.

Quorsum enim TRANSILIUNT? Nam id quidem satis indicat, non Oceanum modo tentari, sed & regiones exteras trans Oceanum peti: quale scilicet commercium prohibere Natura conata est. Neque utralibet sane defendi in eo potest, quod Oceanum dicat DISSOCIABILEM; quippe vox nunquam usurpatur, nisi vel de diversis rebus, vel de re una ex diversis rebus concreta & congregata. Tacitus in Agric. 3. *Quamquam Nerva Caesar res olim* DISSOCIABILES *miscuerit, Principatum & Libertatem.* Claudianus in Ruf. II, 238.

Quid consanguineas acies, quid dividis olim
Concordes aquilas? Non dissociabile *corpus,*
Conjunctumque fumus.

Prudentius Psycom. 763,

Quod sapimus, conjungas amor: quod vivimus, uno
Conspiret studio. Nil dissociabile *firmum est.*

Hac sola itaque ratione *dissociabilis* dici poterit Oceanus; si diversas ejus partes, aliam ab alia discindi & divelli & distrahi velis; quod nihil ad mentem Horatii est.

v. 37. NIL MORTALIBUS ARDUUM EST] ARDUI meliores codd. Cruquii & aliorum, & sic vetustissimi mei Graevianus, Leidensis, & ex prima manu Reginensis cum aliis: adde Barthii librum optimae notae, Adversar. XXXV, 2. Omnino itaque recipienda haec lectio est, adulterina illa exclusa. Noster Epist. II, 3.

Nil intra est olea, nihil *extra est in nuce duri.*

Atque hanc probat elegantissimus Nic. Heinsius ad Ovidii Heroidas VIII. 104.

CARMEN. IV.

v. 5. JAM CYTHEREA CHOROS DUCIT VENUS] Nota illud VENUS plane otiose positum. Neque enim ipse alibi, nec ullus Poëtarum Latinorum *Cytherea Venus* dixit, sed simpliciter *Cytherea.* Carm. III, 12.

Tibi qualos Cythereae puer ales.

Virgil, Aen. IV. 128,

Annuit atque dolis risit Cytherea repertis.

Ita omnes ubique, nisi me memoria fallit: neque quisquam ex Graecis Κυθέρεια Ἀφροδίτη, non ipse Homerus, qui toties inculcat Φοῖβος Ἀπόλλων, quod solus & semel imitatus est Virgilius Aen. III, 251.

Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit.

Defendi itaque poterit noster hoc Virgilii exemplo. Nam de mendo suspicari vetat omnium librorum consensio. Quibus adde Marium Victorium de metris p. 2662. *Logaoedicum Archebulium fit duobus dactylis & duobus trochaeis, sive trochaeo & spondeo. Jam Cytherea choros verius dat.* Ubi ex metro ipso manifestum est legi oportere *Venus das:* atqui

Digitized by Google

qui iſte verſiculus ex noſtro expreſſus eſt, & receptam lectionem ſtabilit.

v. 8. DUM GRAVES CYCLOPUM VULCANUS ARDENS URIT OFFICINAS] Vir magnus Julius Caeſar Scaliger in Poëtices lib. VI. concoquere iſta non potuit. *Non* URIT, inquit, *camini: deficerent enim. At non deficiunt. Melius,* URGET *officinas: quippe magiſtri eſt operas urgere.* Haec Scaliger; quem noſtri Interpretes, etſi quavis data occaſione libenter ei obtrectant, intactum hic loci dimittunt: nec interea tamen aut audiunt monentem, aut alia via locum expediunt. Vére profecto & acute Scaliger: quamquam incautius poſuit *Caminos.* Quidni enim urantur camini? Juvenalis XIV, 118.

Incude aſſidua, ſemperque ardente *camino.*

Ovid. Faſt. IV, 473,

Antraque Cyclopum poſitis exuſta *caminis.*

Sed aliud plane eſt urere *Officinas:* quippe eo pacto & totam tabernam & omne operis inſtrumentum una combureret; quod de Vulcano tabernae domino ſuſpicari feſtivum ſane eſſet. Neque illud Propertii, quod huc adducit Paſſeratius, Eleg. II, 1.

Colchis Iolciacis urit ahena focis,

ullo modo par vel ſimile eſt. Urúntur enim quotidie ahena, ſalvis tamen Officinis. Illud quoque a Scaligero praeteritum miror; quam inficete bina illa jungantur ARDENS & URIT. Exclamare prorſus licet, Διὶ παντὸν εἶπας: adeo ut geminatus ille calor jam merum frigus ſpirare videatur. Omnino itaque mallem cum Scaligero URGET *officinas*; cum vel a puero meminerim illa Vulcani apud Virgil. VIII, 439.

Tollite cuncta, inquit, coeptoſque auferte labores,
Aetnaei Cyclopes, & huc advertite mentem.
Arma acri facienda viro: nunc viribus uſus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtra:
Praecipitate moras.

Agnoſcis, opinor, magiſtri verba quam acerrime operas *urgentis.* Sed tamen aliud longe melius ſubminiſtrant priſcae membranae. Leidenſis enim octingentûm annorum codex veriſſime exhibet,

Vulcanus ardens VISIT *officinas:*

Quo modo & Lambini aliquot, & Colbertinus pro varia lectione, & Bodleianus, ubi VISSIT ſcriptum eſt; & qui his omnibus antiquior eſt Plocius Grammaticus p. 2663. *Logaoedicum, inquit, Archilochi Ithyphallicum ſit quatuor dactylicis pedibus & tribus trochaeis. Exemplum hoc eſt:*

Alterno terram quatiunt pede, dum gravis
Cyclopum
Vulcanus ardens uſſit *officinas.*

Ubi hodie quidem, ut vides, editum eſt *uſſit*; ſed ſine dubio librariorum culpa pro VISIT: quo vocabulo nihil Horatianae ſententiae aptius vel fingi vel optari poteſt.

Noſter alibi de Venere. Carm. III, 28.

Quae Paphon Junctis viſit *oloribus.*

Virgil. Aen. IV. 143.

Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deſerit, ac Delum maternam inviſit *Apollo.*

Ovidius in Arte, II, 519. de ipſo Vulcano,

Fingit iter *Lemnon. veniunt ad foedus amantes:*
Impliciti laqueis nudus uterque jacent.

Apollonius Rhodius III. 40.

Ἴϊ' ἐστύσεκε δαὶ λέχος Ἡφαίστοιο·
Ἀλλ' ὁ μὲ εἰς ΧΑΛΚΕΩΝΑ κιὼ ἄκμονας ἦες ΕΒΕΗΚΕΙ
Νήστιν πλαγκτῆς εὐνὴν μνηστῆρος, ἔ ἵνι πολλὰ
Δαίδαλα χάλκεον ῥιπῇ πυρός. ἡ δ' ἀρὰ μούνη
Ἧστο δόμῳ δισσὸν ἀνὰ θεσπιον ἄτλατα γυῖα.

Ubi habes Venerem, non ut hic ad lunam choreas celebrantem, ſed ut frugi matremfamilias, domi manentem, & domeſtica negotia capeſſentem, dum Vulcanus maritus ſuam Liparae VISIT OFFICINAM. Haec ſcripſeram, cum ſero animadverti ingenioſiſſimum Rutgerſium ante me maluiſſe VISIT, & inſuper locum Apollonii huc attuliſſe.

v. 11. SEU POSCAT AGNAM SIVE MALIT HAEDUM] Ita ſcriptum in tribus Lambini. Unus Cruquii & Berſmanni cum meis Zulichemiano & Regiae ſocietatis, *Agnam*, &, *haedos.* Quod paullo propius accedit ad veram Lectionem, & plurium & vetuſtiorum codicum ſuffragiis innixam,

Seu poſcat agna, *ſive malit* haedo.

Servius ad Virgil. Eclog. III. Cum faciam vitula. *Figurate, faciam vitula, ut faciam ture, faciam agna.* Horat.

Seu poſcat agna, ſive malit haedo.

Ita legitur etiam apud Marium Victorinum p. 2575 & Plotium 2659. Codex Graevianus in Margine: *Deeſt,* IMMOLARI SIBI. Rectiſſime: & profecto ſi *agnam* & *haedum* legeris, nihilo ſecius ſubaudiendum erit extrinſecus, Seu poſcit agnam *immolari ſibi.* Atqui tam bene Latine dicitur, poſcit *agna* ſibi immolari, quam, poſcit

Digitized by Google

agnam ſibi immolari. Macrobius Saturn, III, 10. Quando enim diceret Virgilius,

Caelicolum regi mactabam in litore taurum:

'Si ſciret TAURO IMMOLARI huic deo vetitum? 'aut ſi comprehendiſſet, quod Atteius Capito 'comprehendit, cujus verba ex libro I, De jure 'Sacrificiorum haec ſunt: *Itaque Jovi* TAURO, 'VERRE, ARIETE IMMOLARI *non licet.* Labeo 'vero LX & VIII libro intulit, niſi Neptuno, 'Apollini & Marti TAURUM non immolari. Fruſtra igitur Grammatici hic quaerunt nodum in ſcirpo. Illud tamen fortaſſe pugnabunt, *Poſcat agnam* hic legi oportere, ut in Epod. XVII.

Paratus expiare, ſeu popoſceris
Centum juvencos,

Verum ibi codex meus Battelianus, bonae notae, clare exhibet, *centum* JUVENCIS; quae vera ſcriptura eſt, tamque hujus loci lectionem confirmat, quam ab ea invicem confirmatur.

v. 16 JAM TE PREMET NOX FABULAEQUE MANES] Dubitare poteris plurali ne numero hic accipiatur FABULAE, an genitivo. ſingulari. Hoc ille maluit, quicumque fuit, qui margini codicis Graeviani hoc Scholion allevit, *Fabulae, genit: ſingul. pro Fabularum.* & Prudentius perpetuus noſtri imitator, Contra Symmachum I, 190.

Et tot templa deûm Romae, quot in orbe ſepulchra
Heroum numerare licet: quos fabula manes
Nobilitat, noſter populus veneratus adorat:

plane hunc locum in animo habuit. Illud tamen ſecutus videtur Perſius, cum dixit,

cinis & manes & fabula fies.

Utrumlibet elegeris, eodem fere res redit.

v. 17. ET DOMUS EXILIS PLUTONIA] Daniel Heinſius, & Barthius, cum Adverſ. XXX, 13. tum ad Statii Thebaida I, 56. legit

Et domus EXILII. Nihil umquam vidi dilutius. Domus *exilis*, eſt egena & inops, ſine ſupellectile & penu: ut alibi Epiſt. I, 6.

Exilis *domus eſt, ubi non & multa ſuperſunt,*
Et dominum fallunt, & proſunt furibus.

Sic *tenues penates* Seneca in Hippolyto v. 209.

Cur in Penates varius tenues *ſubit*
Haec delicatas eligens peſtis domos?

Sic *gracilem larem* Apuleius in Apologia. *Sed quod vivo gracili lare, quod pauciores ſervos habeo.* Probant hoc & ſequentia, *Nec regna Vini.* Nihil inquit, ibi reperies, quo bene ſit: neque conviviis, nec amoribus indulgendi facultas erit, aut locus commodus. Neque vero hic quemquam offendere debet geminum Epitheton, *Exilis Plutonia*, quod tamen alias rarum eſt. Sic enim & alibi, eadem plane forma, Epiſt. II, 1.

ſic horridus *ille*
Defluxit numerus Saturnius.

Et Virgil. Aen. X. 408.

extenditur unā
Horrida *per latos acies* Volcania *campos.*

Et Seneca Oedip. v. 228.

Imminens Phoebea *laurus tremuit, & movit domum.*

v. 18. NEC REGNA VINI SORTIERE TALIS] Codex Reginenſis:

Nec regna talis ſortiere vini.

Quae verborum collocatio magis aperte indicat TALIS eſſe τοῖς ἀστραγάλοις. Fruſtra ſane ſunt, qui damnatam interpretationem TALIS VINI, hoc eſt, *tam generoſi*, recoquere nuper & reſuſcitare voluerunt. Quaſi vero vel viliſſimi vini copia eſſet in domo Plutonia. *Magiſterium vini, Regnum vini* recte dixeris: *Regnum vini boni, regnum vini talis*, nequaquam. Uſus & ſenſus repugnant.

v. 19. NEC TENERAM LYCIDAM] Codex inter optimos Reginenſis cum duobus Torrentii Graeca forma habet LYCIDAN. Recte: Sic alibi Serm. II, 4.

Pythagoran *Anytique reum doctumque* Platona.

Ita & Virgilius, MENALCAN: & alii paſſim alia.

CARMEN V.

v. 8. EMIRABITUR INSOLENS] Sic miro conſenſu Codices; atque ita Donatus, qui ad Terentii Eunuchum. V, 19. hunc locum adducit Flacci: & tamen illud emirandum eſt vel maxime, neminem quemquam eo vocabulo uſum eſſe praeter Noſtrum, idque hoc tantum loco. Quid vero tam dignum in ſe continet EMIRARI, ut vox nova plane procudi debuerit? *Emirari*, aiunt Interpretes, eſt magnopere & valde mirari. Atqui & vox notiſſima DEMIRARI eandem omnino vim habet. Terent. Hecyra IV. 1. *Demiror, quid ſit, quamobrem* &c. ubi rectè Donatus, *Demiror, valde miror.* Certe tanti non erat ut verbum prorſus novum fingeret Noſter, nec tamen quicquam ſententiam adjuvaret. Facile quidem foret ſubſtituere DE-

MIRABITUR

Digitized by Google

MIRABITUR; sed si id ab Horatii manu esset, minime omnium credibile est, tam usitatum verbum in tot libris potuisse corrumpi, ut alterum, & inauditum & nihilo significantius, ubique ejus vicem teneret. Quid, quod neutra quidem ratione confieri res potest: remanet enim in oratione ipsa subabsurdum quid & secum pugnans: *Quoties*, inquit, *emirabitur insolens!* Atqui si TOTIES emirabitur, quomodo, quaeso, INSOLENS? Certe non nisi prima vice *insolens* erit, post illam *expertus* & magis magisque *assuetus* futurus. Haeret itaque hoc negotium. Solus codex Reginensis, quantivis sane pretii, suspicionem mendi hic praebuit, qui clare habet ET MIRABITUR, punctulo sub T posito a manu secunda, quo delendam esse literam aliquam notare solent librarii. Nempe corrigere locum voluerunt ad alterius exemplarium fidem. At cur non potius legamus, leviſſima quidem mutatione, sententia autem commodiſſima;

heu quotiens fidem
Mutatosque deos flebit! & asperа
Nigris aequora ventis
Ut mirabitur insolens!

Notum illud Virgilii est,

Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!

Et Catull. LXVII.

Ut tibi tum toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit!

ET loco UT facillime obrepere potuit, quia prima cujusque versus litera olim minio describi solita est; atque ideo a librariis plerumque omittebatur, ab aliis postea supplenda. Huc adde, quod in vetusta editione Donati Argentinae MDIII. non EMIRABITUR invenies, sed ET MUTABITUR; in quo vestigia priscae lectionis aliquatenus extant.

CARMEN VI.

v. 3 QUAM REM CUMQUE FEROX NAVIBUS AUT EQUIS MILES TE DUCE GESSERIT] Vereor ut recto talo stare possit haec lectio; licet prima fronte sana esse videatur; & cum in plerisque omnibus libris, tum & in Victorino sic hodie exte-, p. 2614 Quid enim? An QUAMCUMQUE rem gesserit Agrippa, sive mediocrem sive leviculam & nullius momenti, dignum *Maeonio Carmine* argumentum erit? An *Victor* erit hostium, etiamsi *male* rem gesserit? nullus dixeris. Profecto *Quamcumque rem gesseris* non sunt ejus verba, qui laudat Agrippam; sed vituperantis potius, nihilque magni de eo pollicentis. Cicero ad Lentulum Epist. I, 9. *Huc accessit commemoranda quaedam & divina Caesaris in me fraterque meum liberalitas, qui mihi,* QUASCUMQUE RES GERERET, *tuendus esset: nunc in tanta felicitate tantisque victoriis, etiamsi in nos non is esset qui est, tamen ornandus videretur.* Ubi luce ipsa clarius est *quascumque res* ita opponi *tantis victoriis*, ut parvas maximis, male gestas felicissime gestis. Libenter itaque sequor, quam ex suis libris Muretus lectionem protulit, Var. Lect. IX. 7.

QUA *rem* cumque *ferox navibus aut equis. Quacumque*, hoc est, sive *mari* sive *terra*: id enim sibi volunt *navibus aut equis*. Florus II. 2. *Ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur.* Livius XXIII, 40. *Navalibus sociis armatis, ut terra terra gereret.* XXVIII, 23. *Ut terra marique communi consilio rem gererent.* Nepos in Hamilc. *Cum ante ejus adventum & mari & terra male res gererentur.* Rem autem gerere, sine epitheto vel adverbio, dicebant. Valerius Max. II, 7, 10. *Cum apud Contrebiam res gereretur.* Plinius XII, 31. *Res in Arabia gessimus, & Romana arma in magnam partem ejus penetravere.* Seneca de Constant. 19. *Vos enim rem geritis, illi parta victoria est.* Gualterius Chabotius, Vir eruditus, legit potius πληθυντικῶς QUA RES CUMQUE: quia ἰδικῶς, ut ait, *Rem gerere* de re privata dicitur, numquam de publica, nisi habeat secum Epitheton *prospere, male*, vel simile quid. Sed in eo fallitur, ut videre est ex locis jam citatis, quibus alia, si opus esset, possem adjicere. Ceterum, nisi longius paullo id a libris recederet, non male legere poteris, UT *rem cumque ferox*; i. e. *quandoque* sive *quandocumque*. Sic enim alibi Noster Carm. IV, 2. eadem omnino qua hic sententia.

Concines *majore poeta plectro*
Caesarem, quandoque *trahet feroces*
Per sacrum clivum, merita decorus
Fronde, Sicambros.

Quid quod adhuc propius ad vulgatam lectionem accedere est, eodem sensu,

QUUM *rem cumque ferox*:

Quidni enim *quumcumque* tam commode dicere poteris, ac *quandocumque*? At non extat, inquies. Hodie quidem, tot libris deperditis: qui tamen & ipsi fortasse, nisi corrupti essent,

Digitized by Google

hoc verbum exhiberent. Certe in Senecae Oedipode v. 648.

Proinde pulſum finibus regem ocius
Agite exulem: quodcumque *funeſto gradu*
Solum relinquet, vere ſpirifero virens
Reparabit herbas: ſpiritus puros dabit
Vitalis aura, veniet & ſilvis decor:

ubi membranae habent, *quocumque, quodcumque, quacumque, quacumque*: vix aliud a Senecae manu proficiſci potuit, ac *quumcumque*. Quippe ſententia eſt, *quandocumque, quum primum* ſolum relinquet. Neque aliud ac Thebaicum ſolum intelligit, quod tum peſte ac fame laborabat.

v 7. NEC CURSUS DUPLICIS PER MARE ULYSSEI] Vetus Scholiaſtes: *Amphibolon: Nam & duplicis Ulixei poteſt accipi, quod ſignificat callidi; & duplicis curſus per accuſativum pluralem, id eſt, itus ac reditus.* Ita jam olim dubitatum eſt, de ſententia hujus loci; inde nata ambiguitate, quod veteres Accuſativum pluralem in Is efferebant in iis nominibus, quibus Genitivus exiret in IUM. Et proinde veteres quique codices hic habent DUPLICIS, recentiores plerique DUPLICES. Priſcianus tamen p. 562. *Ulyxes pro Ὀδυσσεύς, quod oſtenditur in genitivo Ulyxei.* *Horatius in* I. Carm.

Nec curſus duplices *per mare Ulyxei.*

Et ſic tres libri ſcripti, quos conſului. Sed pag. 723. ubi eadem repetuntur, nunc extat DUPLICIS: cum tamen iidem codices etiam illic habeant DUPLICES. Reliquum eſt igitur, cum in ſcriptura tam parum auxilii ſit, ut ſententiam ipſam diſcutiamus. Sine dubio noſter, intelligit Argumentum Odyſſeae; ut & *Pelidae Stomachum* Μῆνιν Πηλιάδεω Ἀχιλῆος; ſive Iliada notat. Recte itaque Odyſſeam vocaveris, *curſus Ulixei duplicis:* ſi modo DUPLEX virum callidum & verſutum ſignificet. Sic enim Auctor Priap. de Odyſſea:

Altera materia eſt error fallentis *Ulixei.*

Inde Statio *varius* dictus eſt Ulixes, Achill. II, 174.

qui callida dona,
Graiorumque dolos, variumque *ignorat Ulixen.*

Ita aliis dicitur *fallax, pellax, furtis aptus,* πολύμηχος, πολύτροπος,

Εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά.

Et ſane Graecis διπλόος ἀνὴρ eſt, qui aliud loquitur, aliud ſentit. Nemo tamen Latinorum, excepto ſi forte noſtro, ejuſmodi hominem DUPLICEM vocavit. Nam quod Muretus affert ex Catullo Epig. LXIX.

Nam mihi quam dederit duplex *Amathuſia curam.*

aliud plane eſt, & ad *duplicem ſexum* referri debet, quia Venus Amathuſia & mas & femina erat; ut recte Voſſius ad Catullum, & ante eum Meurſius in Cypro ſua lib. I, c. 8. Sic Statio Centaurus Hylaeus dicitur *duplex*, quia partim homo, partim equus. Theb. IV, 140.

Non aliter ſilvas humeris & utroque refringens
Pectore, montano duplex *Hylaeus ab antro*
Praecipitat.

Videndum itaque erit, an CURSUS DUPLICES commodè interpretari queas. Ubi illud primum quivis videat, in eo falli Scholiaſtam, quod *curſus duplices Ulixei, itum & reditum* intelligit. Neque enim quicquam in Odyſſea eſt, de itu Ulixei ad Ilium; neque in eo alios caſus paſſus eſt Ulixes, quam quivis alius Ducum. Meliorem forte viam inſiſtunt, qui *curſus duplices*, hunc per mare internum, illum per externum ſive Atlanticum interpretantur; quos inter eſt Iſaacus Voſſius loco citato, qui huc trahit illa Manilii II, 4. de Ulixe;

Erroremque ducis totidem, quot vicerat, annis
Inſtantem bello, geminatu per aequora ponti:

Et *geminata aequora* ea ratione exponit, qua hic *duplices curſus*. Sed pace tanti viri dixerim, nihil ex tam mendoſo loco colligi poterit. Quid enim eſt, *errorem inſtantem bello*? Et quaenam porro *bella* geſſit Ulixes per alterum decennium a Troja capta? *Ponto* etiam habent manuſcripti omnes, etiam & Voſſianus; & qua fide PONTI ex eo citet, ipſe viderit. Si quid in re paene deplorata tentandum eſſet, equidem ſic libens reponerem:

Erroremque ducis totidem, quot fecerat annis
Inſtantem bello, & geminata pericula ponto.

Certe Gemblacenſis cum duobus aliis *per agmina*, Voſſianus cum tribus aliis *per aequora*; ut utrumque librariorum commentum eſſe jure ſuſpiceris. *Fecerat* autem quatuor habent codices cum editionibus primis: Errorem, ait, totidem annis, quot *fecerat* ſive ſcripſerat Homerus eum bello inſtantem. Tibullus II, 3.

Praeda vago juſſit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubiis roſtra dedit ratibus.

Quaecumque vera fuerit lectio, hoc interim certiſſimum habeo nihil aliud Manilium voluiſſe, quam Ulixen tot annos in errore, quot in bello conſumſiſſe. Claudianus in Laude Serenae. v. 26. de Ulixe:

belli pelagique labores,
Et totidem ſaevi bellis, quot fluctibus, annis
Conjugii

Digitized by Google

Conjugii docuere fidem.

Ovid. Art. III, 15.

Eſt pia Penelope, luſtris errante *duobus,*
Et totidem luſtris bella *gerente viro,*

Et Amor. II, 1.

Quique tot errando, *quot* bello *perdidit annos.*

Jam autem neque haec neque illud Manilii ad *curſus duplices* omnino faciunt; atque adeo paucos fore crediderim, quibus Voſſii ſententia rem attigiſſe videatur. Quippe eo ſenſu potius *curſus per duplex mare*, quam *duplices per mare curſus* dictum oportuit. Utraque igitur interpretatione tam *duplicis Ulixei*, quam *curſus duplices*, paulliſper ſepoſita, experiamur, an ex conjectura melius quicquam ſuppeditari poſſit. Et ut mihi quidem videtur, non magna mutatione non paullo elegantius aut dixit aut dicere potuit noſter,

Et curſus reducis *per mare Ulixei.*

Ea ſane Odyſſeae materia eſt: ut recte alibi noſter de Ulixe; Epiſt. I, 2.

Latumque per aequor
Dum ſibi, dum ſociis reditum *parat.*

Non ſatisfacit itaque *curſus Ulixei per mare* ad argumentum Odyſſeae indicandum, niſi addideris REDUCIS. Quſ enim ex his verbis, niſi aliunde tibi compertum ſit, poteris dignoſcere, utrumne curſum velit ab Ithaca Trojam, an retrorſum a Troja Ithacam? Si *errorem* quidem cum Ovidio Manilioque dixiſſet, id utique verbum ſatis per ſe rem conficeret; quia tum, cum Trojam peteret Ulixes, minime erravit, ſed in reditu dumtaxat. Nunc cum non *errorem*, ſed *curſus* poſuit; dubium profecto reliquit, reditumne hic voluerit an abitum. Quare pene inducor, ut credam, non aliter ſcripſiſſe Horatium, quam REDUCIS: & ſic ſane alii de re eadem. Statius Silv. IV, 2.

Alcinoique dapes manſuro carmine monſtrat,
Aequore qui multo reducem *conſumpſit Ulixen.*

Silv. II, 7.

Nocturnas alii Phrygum ruinas,
Et tarde reducis *vias Ulixi,*
Et puppem temerariam Minervae
Trita ſatibus orbita ſequantur.

Silv. II, 7,

Maeonium ſive ille ſenem, Trojaeque labores
Diceret, aut caſus tarde remeantis *Ulixi.*

v. 14 PULVERE TROICO] Illuſtriſſimus Nic. Heinſius in ora libri ſui. *Forte* TROIO. Vide nos ad Carm. III, 3. v. 32.

v. 18. PROELIA VIRGINUM SECTIS IN JUVENES UNGUIBUS ACRIUM.] Iterum Nic. Heinſius: SECTOS *Gronovius legit.* In libris editis Gronovii non memini reperiſſe: verum hoc vel colloquio vel per Epiſtolam cum Heinſio communicari potuit. Caeterum viro longe acutiſſimo non potuit non diſplicere lectio vulgata. Quorſum enim SECTIS unguibus? Jam tibi dicent interpretes, feſtive oppido hoc dictum eſſe: ut notet virginum repugnantium proelia non vera eſſe, ſed ſimulata: ideo enim ſibi ungues ſecare, ne ora ſecent amatoribus. Itane vero? an & ideo addidit, ACRIUM, ut tam feſtivum hoc deprenderemus? Sane ſi uſque adeo ſunt *acres*, jam periculum erit, ne ſerio & infeſtis unguibus in oculos involent. Propert. III, 6.

Cumfuribunda mero mensâ pericellis, & in me
Projicis inſana cymbia plena manu.
Tu vero noſtros audax invade capillos,
Et mea formoſis unguibus ora nota.

Ovid. Oenone Par.

Id quoq; luctando; rupi tamen ungue capillos;
Oraque ſunt digitis aſpera facta meis.

Art. II, 451.

Ille ego ſim, cujus laniet furioſa capillos:
Ille ego ſim, teneras cui petat ungue genas.

Claudianus in Epithal. Palladii & Celerinae.

concede marito
Tu quoque, nec Scythicas infenſis unguibus iras
Exercere velis.

Jam vides, non *ſectis* jocoſe, ſed vere iratis unguibus amatorum ora lacerabant. Neque tamen pari hic felicitate verſatus eſt Gronovius, ac alias plerumque ſolet. *Sectos juvenes*, & *Acres unguibus in juvenes*, non ſapiunt ad elegantiam Flacci. Quid quod *ſecandos*, potius quam *ſectos* oportuit, ſi ita loqui voluiſſet. Sed quid multa? Certiſſima emendatio eſt, quam & ipſe Gronovius, ſi in vivis eſſet, continuo amplecteretur,

STRICTIS *in juvenes unguibus acrium.*

Quod cum ſic olim compendioſe ſcriberetur, *ſtictis*, literula *i* ſupra *t* poſita; ut norunt qui ſcriptos codices verſavere; proclive erat, ut ſtupore librariorum degeneraret in *Sectis*. Caeterum ordo eſt, *Strictis in juvenes*, non *Acrium in juvenes*. Ovid. Amor. I, 6.

Non timeo strictas in *mea fata manus.*

Triſt. v, 2.

Ut taceam ſtrictas in mea fata manus.

Statius Theb. III, 536, de aquilis loquens;

Invaſere globum niveigregis, uncaq; pandunt
Caedibus ora novis, & ſtrictis unguibus inſtant.

CARMEN

CARMEN. VII.

v. 1 CLAVAM RHODON, AUT MITYLENEN] Imitatus est Martialis IV, 55.

Argivas generatus inter urbes
Thebas *carmine cantet aut* Mycenas;
Aut claram Rhodon, *aut libidinosae*
Ledaeas Lacedaemonis *palaestras.*

Et iterum X. 68.

Cum tibi non Ephesos, *non sit* Rhodos, aut Mitylene,
Sed domus in vico, Laelia, Patricio.

v. 5. INTACTAE PALLADIS URBEM] Athenas sic recte dixeris: quis negat? ut Homerus Iliad. B. 546.

Οἱ δ' ἀρ' Ἀθήνας εἶχον εὐκτίμενον πτολίεθρον.

Sed tamen, cum unus Berfmanni habeat ARCEM, non *urbem*; & Lambini aliquot cum optimo meo Reginenfi ARCES; longe pronior erat mutatio a figurata voce *Arces* in tritiffimam URBEM, quam retrorfum ab *urbem* in ARCES. Statius Theb. VII, 184.

cura fubmovit ab arce
Hoftiles Tritonis aquas.

Et IV, 136.

Illum Palladia fon pes Nemeaeus ab arce
Detulit.

Ovid. Pont. IV, 1.

Arcis *ut Actaeae vel eburna vel aenea cuftos,*
Bellica Phidiaca ftat dea facta manu.

Et Metam. VI, 70.

Cecropia Pallas fcopulum Mavortis in arce.

Sed adhuc figuratius ARCES dicere folebant, etiam cum de una arce loquebantur. Valerius Flaccus V. 647.

anne ego clara Mycenis
Culmina, virgineas praeder fi Cecropis arces.

Auctor Epigram.

Pallas Cecropias tuetur arces.

Virgil. Culice v. 29.

Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces.

Et Aen. XI, 477.

Nec non ad templum, fummafque ad Palladis arces

Et Eclog II.

Pallas, *quas condidit* arces, *Ipfa colat.*

Statius Theb. V. 100.

Erumpunt tecto fummafque ad Pallados arces.

Rectius itaque ni fallor, *arces* hic legeris, quam *urbem*. Nam in *Urbe* alii etiam dii erant, in *arce* Pallas praefidebat. Livius XXXI, 30. *Urbis quoque fuae* (Athenarum) *fimilem deformitatem futuram fuiffe, nifi Romani fubveniffent: eodem enim fcelere* URBEM *colentes* DEOS, *praefidemque* ARCIS MINERVAM *petitam.* Sed tamen ficui altera lectio magis arriferit, per me quidem fuum cuique arbitrium fit.

v. 7. UNDIQUE DECERPTAE FRONDI PRAEPONERE OLIVAM] Hanc, quae jam pleraſque editiones occupat, lectionem primus, ut aiunt, invexit Eraſmus, invitis omnibus libris: ſic enim in manuſcriptis locus exhibetur,

Undique decerptam fronti *praeponere olivam.*

Ac veteres quidem libros tuentur Turnebus & Torrentius cum paucis: pro Eraſmo acerrime pugnant Lambinus, Marcilius, Dan. Heinſius, Dacierius aliique. Mihi vero, qui pro operis ſuſcepti ratione certaminis hujus expers eſſe non poſſum, nihil ſane commerita videtur priſca lectio, quamobrem tam diu poſſeſſo loco cedere cogatur. Sunt inquit, poëtae, qui integra & juſta volumina conſcripſerunt de laudibus Athenarum; ſive, quibus unum opus eſt de laudibus Athenarum perpetuum Carmen a prima urbis origine ad ſua tempora deducere: atque ea ratione,

Undique decerptam fronti praeponere olivam:

hoc eſt, ex eo argumento undiquaque exhauſto coronam ſibi poeticam quaerere. Quid, quaeſo, hic vides, quod merito culpetur? Quod vel moroſiſſimi judicis acumen reformidet? Nihil profecto aptius, decentius poni potuit; planeque ex Lucretianis his expreſſum videtur, quae bis quidem inculcavit magnus ille poëta; adeo in eis ſibi placuit: I, 926. & IV, 3,

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo: juvat integros accedere fontis
Atque haurire: juvatque novos decerpere *flores.*

Inſignemque meo capiti petere inde coronam,

Unde prius nulli velarunt tempora *muſae.*

Vides omnia ad amuſſim reſpondere; Hic *decerpit* flores, unde coronam *temporibus* nectat: Noſter praeponit *fronti* olivam undique *decerptam.* Ita Cicero pro Seſtio: *Ut omni ex genere orationem sumpſerit, & omnes undique floſculos carpam ac delibem.* Jam vero, quod objiciunt, non ex oliva coronam, ſed hederaceam vel lauream poëtis convenire, id ſane leviſſimum eſt. Nam pro varietate argumenti varias ſibi adſciſcunt coronas. Ovidius de Amoribus ſcripturus Myrteam ſibi poſtulat, quia Myrtus Veneri dicata. Amor. I, 1.

Cingere litorea flaventia tempora myrto,

Muſa

Digitized by Google

Musa, per undenos emodulanda pedes.

I, 15.

Sustineamque coma metuentem frigora myrtū,
Atque a sollicito multus amante legar.

Art. II, 733.

Finis adest operi: palmam date, grata juventus;
Sertaque odoratae myrtea *ferte comae.*

Qui minus itaque de Athenis & Pallade scribentes coronam sibi sumant olivae, quae & Minervae sacrata est, & Athenis nobilissima? Porro autem, qui in Athenarum laudem tam operosa carmina conscripserunt, eos Athenis natos fuisse probabile admodum est. Quae igitur invidia, si ex gentili arbore coronam sibi elegerint? ut decenter sane Hercules, apud Senecam, rem divinam facturus, ipse sibi populeam coronam aptat, Theseo vero oleagineam, utpote Athenienſi: Hercul. Fur. v. 913.

Populea nostras arbor exornet comas:
Te ramus oleae *fronde* gentili *tegat,*
Thesee.

Neque sane pluris est, quod interrogant, Quis mortalium sic umquam locutus est, *Praeponere olivam fronti*, pro eo quod est, frontem olea coronare? Atqui *imponere* coronam, *imponere* diadema, cum Ciceroni, tum aliis dictum est. Virgil. bis. Georg. I, 304. & Aen. IV. 418.

Puppibus & laeti nautae imposuere *coronas.*

Quin & *fronti imponere* dixit Propertius IV, 2.

Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti *langueat ante meae.*

Quidni itaque tam Latine dixeris, *praeponere olivam fronti*, quam *imponere olivam fronti?* Quid distat? quid interest? Cum certe si rem ipsam consideres, nulla corona imponatur fronti, quin eadem & praeponatur. Valerius Flaccus III, 436.

glaucaſque comis praetexere *frondes*
Imperat.

Tu vero ostende, quid discrepent *praetexere* glaucas frondes, & *praeponere* olivam. Quin & *praecingere*, eadem forma, dixit Seneca Medea v. 70.

Praecingens roseo tempora vinculo.

Atque ita locuti sunt & Graeci Lyrici, a quibus noster in Carminibus totus pendet, Παρᾳφθέγμαι στέφανον ταῖς κόμαις, quod est verbum de verbo, *Praeponere coronam capillis.* Sappho apud Athenaeum lib. XV, p. 674.

Σὺ δὲ τεφάνοις, ὦ δῶρα, παρφὶς' ἐρατᾶις φοβαῖσι.
Tu vero coronas praepone *amabilibus comis.*

Atque hactenus de vetere Lectione. Videamus porro, quid tam dignum protulerit Erasmus quique eum sequuntur; cur haec rejecta & repudiata, novam illam & commentitiam tam patienter admittamus;

Undique decerptae frondi *praeponere olivam.* Hoc est, ut ipsi interpretantur, *omnibus omnium locorum & terrarum frondibus olivam anteponere.* Bene sane: sed illud inprimis scire cupio, quorsum pertineat DECERPTAE, siquidem ea, quam volunt, sententia est? Quid sit *decerpere* olivam, ficum, florem; satis opinor intelligimus omnes. Jam quaero, cur non cuivis arbori, etiam sic stanti & intactae, olivam anteponebant? Quid ad rem, ut prius *decerperetur* frons quaevis, quam cum oliva compararetur? Nihil profecto invenustius vidi, ne dicam, ineptius. Lucretius loco jam citato,

juvatque novos decerpere *flores.*

Quamobrem sodes *decerpere*? nimirum ut ex iis sic decerptis corona fieret;

Insignemque meo capiti petere inde *coronam.*

Similiter in vetere Lectione,

Undique decerptam *fronti praeponere olivam*:

Quid ita *decerptam*, si interrogas? ratio in promptu est, ut corona inde facta fronti praeponatur; quod nisi decerpta prius fronde fieri non potest. Jam vero in novitia lectione, comminiscantur, si poterunt, ullam causam, vel ineptam saltem & pravam; quid referat in comparatione arborum, utra utri praeferenda sit, ut alterius frons decerpatur. Crediderim equidem jam nunc eos judicii sui poenitere; sed & aliud adhuc reliquum est nihilo minus poenitendum. Sic enim narrant, eum, qui Athenas laudare instituit, ante omnia cuivis arbori praeponere debere Olivam, utpote a Minerva inventam, & in ejus arce Athenis consecratam. Esto: & sane multa de Oliva Attica praedicant cum poëtae, tum rhetores & historici: sed in eo jam res vertitur, an ad Horatii sensum hoc faciat; aut cum iis quae praecesserant, non incommode connectatur. Dixerat noster, *Poetas esse nonnullos, quibus unum opus est Athenarum laudes perpetuo carmine prosequi*: adde jam istorum commentum, & dic; *Et Olivam omnibus arboribus anteferre.* Numquamne tandem ineptiarum pigebit? An *perpetuum* ejusmodi carminis argumentum erat *Olea*? Quid? an reliqua Athenarum miracula, quorum ne centesima pars erat olea, silentio erant praetereunda? Vide modo pauca haec Ciceronis verba, pro Flacco cap. 26. *Adsunt*, ait, *Athenienses*, unde HUMANITAS, DOCTRINA, RELIGIO, FRUGES, JURA, LEGES *ortae, atque in omnis terras distributae putantur*; & quae sequuntur. Quantus vel in his pauculis campus aperitur, quem poëta decurrat: quam foecunda

Digitized by Google

laudum materia vix multis libris exhaurienda. Adde veteres historias, adde nobilitatas fabulas: Haec omnia scilicet intacta transmittenda erant, ut *perpetuo carmine* suam oleam, quasi repetitam cramben, vel ad nauseam usque ponerent. Sine dubio quidem in tali poëmate suam partem habuit Minervae olea; &, si id contendere velis, habuerit praecipuam. Sed quid tum postea? Ne hoc quidem posito, sic locutus fuerit noster; Sunt qui integris libris id solum argumenti sibi proponunt, ut Athenas omnibus laudibus in caelum tollant, & olivam cuilibet frondi anteferant: quod perinde esset ac si dixerit quis, Titum Livium CXL. libris Romanorum res gestas laudesque celebrasse, & nutricem Romuli Lupam. Viderint itaque, qui tam putidam orationem tam emunctae naris poetae pergent affingere.

Aliam viam instituit celeberrimus Thomas Gale ὁ μαιευτής, & pro recondita sua doctrina novam lectionem protulit ex historia vetere sibi oblatam; quae est hujusmodi;

Undique decerptam fonti *praeponere olivam.* Fabula nimirum erat, apud Graecos decantata, Cum olim Neptunus & Minerva de Athenarum tutela certarent; placuisse Diis, ut ejus esset urbs, qui munus melius mortalibus protulisset: Tunc Neptunum produxisse *fontem* (ut voluit Galeus) Minervam vero *Olivam*, atque eam fonti, Diis judicibus, esse praelatam. Hanc ab Horatio Historiam tangi arbitratus est vir eruditus, ejusque auctores laudat (quod ex ipsius codice comperi) Herodotum, Himerium Sophistam, & Lucium Ampelium. Enimvero multa sunt, quae conjecturam hanc aut minus probabilem faciunt, aut funditus evertunt. Quippe alia plane fabulae hujus narratio, apud Romanos praesertim, invaluit, non *fontem* scilicet, sed *equum* prosiluisse, cum Neptunus terram percuteret; unde Virgilius Georg. I, 12.

Tuque O, cui prima frementem
Fudit equum *magno tellus percussa tridenti,*
Neptune.

Ovidius Metam. VI, 75,

Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente
Aspera saxa facit, medioque e vulnere saxi
Exiluisse ferum.

Ut parum verisimile sit, nostrum ab amicis suis in narratiuncula hac discedere voluisse. Hoc primum: sed illud majus, quod nemo quisquam a Neptuno *Fontem* creatum narrat, sed *Mare*, sive *fluctum*. Ipse Herodotus, a Galeo testis laudatus, VIII. 55. Θάλασσαν *mare* nominat, & similiter Apollodorus III. 13. Himerius quoque apud Photium p. 1134. Κῦμα *fluctum* appellat, quo modo & Pausanias in Atticis cap. 22. Tertius tertius Ampelius, citatus non respondet: nihil enim quicquam de hac re narrat is, qui a Salmasio in lucem editus est: alium autem Ampelium nescio. Jam vero cui persuaderi poterit, vel mare ipsum vel fallos Neptuni fluctus *Fontis* nomine notavisse nostrum? Adde, quod quaecumque contra Erasmi conjecturam superius disseruimus, eadem omnia vel iis plura adversus hanc militant. Quorsum enim *decerpta* oliva, ut cum Fonte comparetur? Quorsum *Undique* decerpta; cum secundum hanc sententiam solae Atticae, quae Μορίαι vocatae sunt, intelligi debuerint? Quorsum denique in *perpetuo carmine*, quo Athenarum laudes undique congestae fuerint, solius olivae mentio? Ut semel dicam; in refingendo hoc loco perdiderunt plane operam tot viri eruditi; cum vulgata lectio & recta sinceraque sit, & eorum commentis longe melior, & sola suo auctore digna.

v: 9. APTUM DICIT EQUIS ARGOS] DICET bis citatur apud Servium Aen. I, 28. & XI, 246. atque ita habent meliores duo libri Pulmanni, Bersmanni unus, & ex meis Graevianus, Zulich. Batt. Magd. quibus accedit Laurentianus Torrentii in quo est DUCET. *Dicet* igitur Argos, ut antea, *laudabunt* Rhodon. Ceterum non improbat Torrentius, quod in suo codice invenit, DUCET; cum tamen pessime interpretetur. Equidem, si animus esset lectionem istam defendere, Propertianum illud potius huc allegarem, I, 7.

Dum tibi Cadmeae ducuntur, *Pontice, Thebae.*
Armaque fraternae tristia militiae.

Quippe pari omnino ratione dixeris, DUCET *Argos*, ac *Ducuntur Thebae.* Sed neque Propertii locus mendo vacat; & nollem elegantissimum Broukhusium contra omnes suos codices (ut fatetur ipse) sic edidisse. Revocanda scilicet vetus lectio est, DICUNTUR, *Pontice, Thebae:* sollemne enim id verbum est apud omnes poëtas. ut apud nostrum passim:

Dices *laborantes in uno*
Penelopen vitreamque Circen.
Et versis animosum equis
Parthum dicere.
Terrarumque situs, & flumina dicere, *& arces*
Montibus impositas, & barbara regna.

Virgil.

Cui non dictus *Hylas puer, & Latonia Delos?*

Et alia innumera. Neque porro verisimile est,

Thebaida

Digitized by Google

Thebaïda ſuam ad Cycliorum poëtarum morem a Thebis conditis & ab ipſa Amphionis Lyra deduxiſſe Ponticum; ſed ſtatim ab Oedipodis orſum eſſe. Nullo tamen pacto tolerari poterit *Ducuntur Thebae*; niſi eum Thebarum Κτίσιν & origines in poëmate ſuo evolviſſe dixeris.

V. 13. ET PRAECEPS ANIO ET TIBURNI LUCUS) Leve eſt, quod dicturus ſum (ſi tamen quicquam in cultiſſimo poëta leve exiſtimandum eſt) omnes fere codices habere *Anio* AC, non ET. Quod ſane venuſtius eſt, quam ut in uno verſiculo ET ter repetatur. Priſcianus p. 684, *Anien & Anio. Horat.*

Et praeceps Anio ac *Tiburti lucus.*

Verum ibi codex manu ſcriptus 600 annorum, AC TIBURNI. Quae vera lectio eſt; & jam ab aliis ſatis ſuperque vindicata.

V. 15. MOBILIBUS POMARIA RIVIS] POMERIA eſt in Graeviano, Reginenſi, Galei, Batt. in Magdalenenſi a manu ſecunda, in Bodleiano altero a manu prima, & in priſca editione Veneta. Sic etiam in uno Cruquii, qui ad hanc lectionem magis inclinare ſe profitetur. Sed in Cruquio, ut modeſtiam & probitatem numquam, ita judicium & eruditionem ſaepe deſideraveris. Marcilius autem legit, *Nobilibus pomeria rivis.* Perperam utrumque. Omnino recte habet POMARIA. Quippe ut per totam Italiam Pomaria frequentiſſima erant, teſte Varrone de R. R. I. 2. *Non arboribus conſita Italia eſt, ut tota pomarium videatur?* ita in Tiburte & Picena regione, omnium erant nobiliſſima. Statius in deſcriptione villae Tiburtinae, Silv. I, 3,

Quid bifera Alcinoi laudem POMARIA, *voſque*
Qui numquam vacui veniſtis in aëta rami?

Columella X, 407.

Et Turni lacus, & POMOSI Tiburis arva.

Noſter Serm, I, 4.

Picenis cedunt POMIS *Tiburtia ſucco.*

Symmachus Epiſt. VII. 18. *Num ego ſcire poſtulo, quid in Tiburtibus* POMARIIS *literarii operis exerceas?* Et VII, 19. de Tibure: *Vel ſi adhuc juvat aeſtivos dies in* POMARIIS *tuis ducere.* Propertius IV. 7.

POMOSIS *Anio qua ſpumifer incubat arvis.*

Ut veriſſime & ingenioſe emendavit Broukhuſius; cum antea inſcite ederetur,

Ramoſis Anio qua pomifer incubat arvis.

Quid enim volunt *ramoſa arva*? quid autem *fluvius pomifer*? Certe aliud egit limatiſſimi judicii Vir N. Heinſius, cum locum Ovidii ſic reſinxit, Amor. III, 6. de Aniene:

Nec te praetereo, qui per cava ſaxa volutans
Tiburis Argei pomifer arva rigas.

Iterum enim rogo, qui poterit Anio poma ferre? Nec tamen accedo celeberrimo Broukhuſio, qui *ſpumifer* receptam hic olim lectionem fruſtra tuetur. Quippe inconcinnum ubique duplex Epitheton; hic autem eo magis, quod eodem fere recidit utrumque, *per cava ſaxa volutans* & *ſpumifer.* Proclive erat reſtituiſſe literam A a ſequente abſorptam:

Tiburis Argei pomifera *arva rigas.*

Silius lib. IV. de eadem re.

Quoſque ſub Herculeis taciturno flumine muris
Pomifera arva *creant.*

Nec verearis eliſionem vocalis in poſteriore parte Pentametri: etſi plerumque id caveat Ovidius. Sic Faſt. II. 216.

Silvaque montanas occulere apta feras.

Et alibi non ſemel.

V. 17. NEQUE PARTURIT IMBRES PERPETUOS] Servius ad Virgil. Georg. I, 460. Claro aquilone: *ſerenifico, quia eſt & nubilus, ſicut fere omnes venti.* Horatius.

Albus ut obſcuro deterget nubila caelo
Saepe notus, neque parturit imbres
Perpetuos.

Sic quidem Servii editiones: an manuſcripti ita habeant, dubito. Certe Horatii vetuſtiores codices, tres Blandinii apud Cruquium. & ex meis optimi, Leidenſis, Graevianus, Reginenſis cum duobus aliis clare exhibent PERPETUO. quae melior lectio eſt. *Saepe*, inquit, Auſter ſerenum facit, neque *perpetuo* parturit imbres. Ubi vides antitheta, *ſaepe*, *perpetuo*: quae in altera lectione diſpereunt. Adde quod ſubabſurdum eſt illud *perpetuos.* Quid enim tantopere notandum, quod *perpetuos* imbres non parturiret? Imo vero ne ullo quidem modo id fieri aut concipi poteſt. Nam ſi ipſi imbres *perpetui* eſſent; tum Notus crearet imbres, cum non flaret, hoc eſt, cum ipſe omnino non eſſet. Niſi forte velis Notum quoque perpetuum eſſe, perinde ac imbres: quo nihil abſurdius.

V. 27 TEUCRO DUCE ET AUSPICE TEUCRO] Invitus equidem hunc verſum ſollicito, qui tam apte pulchreque a Chriſtianis hominibus παρῳδιζόμενος jam ſolet,

Nil deſperandum Chriſto duce, & auſpice Chriſto.

Longe tamen ſe melius habet ea parodia, quam ipſa Horatii verba ut nunc quidem leguntur. Chriſtus enim vere & dux noſter & auſpex; Teucer hic dux quidem ſuis erat, auſpex an fuerit, dubito. Cur enim auſpex? An quia o-

Digitized by Google

raculum Apollinis consuluit? Cui umquam auditum est talem hominem *Auspicem* vocari? An quia ipse vates, & interpres Apollinis? quis tale de Teucro memoriae prodidit? An ex Romanorum more interpretabimur, ut *duce & auspice Teucro* perinde sit, ac *ductu & auspicio* Teucri? ut scriptores quidem Latini passim loquuntur, *ductu atque auspiciis Augusti, Tiberii* &c. Sed neque apud ipsos Romanos quemquā inveneris, qui quae *Augusti auspiciis* gesta sunt, ea *Augusto auspice* gesta esse dixerit. Nemo, inquam, ita locutus est, *Auspice Caesare. Auspex* enim numquam de Homine usurpatur, nisi de eo qui proprie eo verbo signabatur. Ubicumque autem μεταφορικῶς accipitur, non hominem sed Deum aliquem notat. Ita Virgilius Aen. III, 20.

Sacra Dionaeae matri, divisque ferebam
Auspicibus tantorum operum.

Et VI, 45.

Diis equidem auspicibus reor & Junone secunda.

Noster Epist. I, 3.

Thebanos aptare modos studet, auspice Musa.

Ovid. Fast. I, 615

Auspicibusque Deis, tanti cognominis heres
Omine suscipiat, quo pater, orbis onus.

Prudentius contra Symmachum II, 707.

Numquid & ille dies Jove contulit auspice tantum
Virtutis pretium?

Avienus in Arateis.

auspice terras Linquo Jove.

Neque aliter umquam, nisi valde fallor, scriptores Latini. Lucanus quidem *Brutum* vocat *Auspicem*, ubi nuptias describit Catonis & Marciae. II, 370.

Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui;
Funguntur taciti, contentique auspice Bruto.

Et Seneca Troad. 862. Helenam:

Quicunque hymen funestus, illaetabilis
Lamenta, caedes, sanguinem, gemitus habet,
Est auspice Helena dignus.

Verum ibi proprie accipitur ea vox: cum notissimum sit Auspices more sollemni nuptiis adhiberi solitos. Sane olim turbabant hic codices, ut ex vetere Scholiasta patet: AUSPICE, inquit, *hoc est, fautore vel sponsore. Apollinem dicit, cujus responsa vel promissa sequebatur.* Ita etiam plane habet Acron manu scriptus in Bibliotheca Regiae societatis; ita fere Cruquii Commentator. Atqui ea annotatio cum praesenti lectione conciliari non potest. Inde quoque est, quod duo Lambiniani cum totidem meis praeferant *auspice* TEUCRI. Quae quidem lectio, quantumvis inepta, certe illud evincit, ejus fabricatores non ad Teucrum, sed Apollinem τὸ AUSPICE retulisse. Quid multa? Ipsam, credo, poëtae manum repraesentabit, qui refinxerit versum ad hanc speciem:

Nil desperandum Teucro duce, & auspice
Phoebo.

Profecto longe meliores animos & certiorem spem suis sociis addidisset Teucer, si his verbis eos compellasset; quam si ad suam unius auctoritatem omnia retulisset: sub gemino enim illo praesidio nihil prorsus *desperandum* erat. Quid quod hanc videntur emendationem flagitare quae proxime sequuntur:

Certus enim *promisit Apollo.*

Quo enim pertinet illud ENIM, si in priore versu nihil quicquam de Apolline memoratum est? Quanto aptius haec cum superioribus connectuntur, si mecum legeris, *Auspice Phoebo*? ut in illis Statii Silv. III. 5.

hic auspice *condita* Phoebo
Tecta, Dicarchei portus.

Et Silv. II, 2.

reseretque arcana pudicos
Phemonoë fontes, vel quos meus auspice
Phoebo
Alsius immersa turbavit Pollius urna.

Neque vero illud te deterreat, quod continuo repetit, *Apollo,*

Certus enim promisit Apollo:

Tamquam satis fuisset in priore versu Phoebum nominasse. Sic enim alibi Romuli nomen subjungit, cum eum μεταφορικῶς jam nominasset, Carm. IV, 8.

quid foret Iliae
Mavortisque puer, *si taciturnitas*
Obstaret meritis invida Romuli?

Atque alii ita poetae non raro.

CARMEN. VIII.

v. 2. TE DEOS ORO, SYBARIN CUR PROPERES] Pulmanni aliquot codices Bersmannique cum meis Graev. Gal. Regiae Soc. Petrensi; & Marius Victorinus p. 2533, 2614, 2621, habent *Hoc deos oro.* Sed plures tamen libri cum Diomede p. 509. & Fortunatiano p. 2683, 2703, praeferunt TE. Utrumque probum est, sed hoc videtur concinnius: sic Serm. I, 8.

Per

Digitized by Google

Per magnos, Brute, deos te Oro.

v. 6. & 7. INTER AEQUALES EQUITET, -TEMAERET] Vetustissimae Graevii membranae clare habent EQUITAT & TEMPERAT. Quidni rectius? Sane hoc pacto παρηλλαγμένως fit oratio, si per interrogationem proferatur; quam si Lydiam narrare haec sibi jubeat. Mutata vero sunt a Librariis, quia praecesserant *properes* & *oderit*. Neque sane hic finem fecissent, quin & versu decimo VITET, APTET supposuissent; nisi obstitisset versus octavus, ubi ex TIMET fieri TIMEAT mensurae ratio prohibebat. Quin & fortasse ipsum illud PROPERES ex *oderit* natum est: cum tamen τὸ ODERIT, teste Prisciano p. 1059. interrogative hic positum est; &, ut idem ait p. 1146. tam Indicativi futurum sit, quam Subjunctivi. Poterimus igitur in versu primo legere PROPERAS; prout nunc extat apud Diomedem p. 509. Victorinum. p. 2533. Fortunatianum p. 2683. & 2703.

CARMEN IX.

v. 1. VIDES UT ALTA] Haec per interrogationem proferuntur in omnibus editionibus: quae tamen elegantius omittitur. Sic in Carm. III. 28.

Inclinare meridiem
Sentis; ac veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.

Et sic Graeca Alcaei, unde haec ad verbum fere conversa sunt;

Ἦ μὰν ὁ Ζεὺς, οὐ δ' ὀεργῶ μάχας
Χειμῶν', πεπάγασιν δ' ὐδάτων ῥόαι.

v. 7. SABINA DIOTA] Vir Doctissimus Thomas Gale legere maluit SABINO. Credo, quasi a Graeco διώτης. Neque dissimulandum est in vetustissimis codicibus Graeviano & Reginensi, in illo praesertim, posteriorem A formatam videri ex O. Utcumque hoc fuerit; Graece certe διῶς vel διωῖς diceretur; non διώτης nec διώτη. Neque enim ulla composita ex ΟΥΣ terminationes eas recipiunt. Μυοσώτη herba sic dicta citatur ex Aegineta: sed mendose pro μυοσωῖς vel μυὸς ὦτα. Hesychius tamen noster, Εὐώτας, εὐωλίους. τῇ εὐσωδίᾳ, ὡς φιλόπαις. Σοφοκλῆς Αἰχμαλωτίσιν. Qui si locus sincerus esset, nesciremus tamen, utrumne in casu recto εὐώτης fuerit an εὐώτη. Sed omnino fallit nos Hesychius, & lippientibus oculis inspexit suos codices, unde ista descripsit. Quippe illi habuerunt Ενώπαις, non Εὐώπαις. Auctor Etymologici Magni: Εὐοπαῖς, τοῖς ἐυστόμοις, ἀπὸ τῆ παῖς τῶν ὤτων ὀπαῖς κεῖσθαι. Σοφοκλῆς. Vides hunc ex eodem Sophocle laudare εὐόπαις, & eadem plane significatione, qua alter suum εὐώπαις. Neque vero dubitabis, quin εὐόπαις rectius sit, tum quod ab ὀπὴ formetur, tum quod ut φιλόπαις pronuncietur. Glossae Philoxeni; DIOTA, ἀμφόρεον, ἀμφόρεον. Sed nec inde quicquam didiceris, generisne sit masculini, an feminini. Quare tutius est, ut in re adeo incerta plurimorum codicum auctoritatem sequamur.

v. 16. NEQUE TU CHOREAS] Displicet viro summo Julio Scaligero pronomen TU hic intrusum. *Versus*, ait, *coëgisse videtur eum, ut pronomen interponeret.* Sane a codicibus Petrensi & Galeano abest TU; fortasse, quod & Libraríis quoque otiose positum videbatur. Cur igitur iidem Virgilio ignoscunt, qui eodem plane modo locutus est, Aen. V, 456.

Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ILLE *sinistra.*

Seneca Herc. Fur, 1246.

Per sancta generis sacra, per jus nominis
Utrumque nostri, sive me altorem vocas,
Seu TU *parentem.*

v. 24. AUT DIGITO MALE PERTINACI] Imitatus est hunc locum Prudentius, in Praefat. Cathem.

Exin jurgia turbidos
Armarunt animos, & male pertinax
Vincendi studium subjacuit casibus asperis.

Verum illic *male pertinax* est praefracte & obstinate pertinax; apud nostrum autem alio sensu ponitur. Neque tamen est *parum pertinax*; ut vulgo exponunt; sed qui simulat se pertinacem esse, & tamen pertinaciam suam expugnari cupit. Eodemsensu Petronius: *Irrepsi tamen, &* MALE REPUGNANTI *gaudium extorsi.* Et noster alibi Carm. II, 12.

Et facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi.

CARMEN

CARMEN X.

v. 1. MERCURI FACUNDE, NEPOS ATLANTIS] Laudant hunc versiculum Priscianus p. 739. Servius ad Aen. I, 525. & IV. 558. Ceterum in omnibus, quas vidi, editionibus male interpungitur: sic enim distinguendus est,

Mercuri, facunde nepos Atlantis.

Quod cum ipsa sensus elegantia doceat, tum & Ovidii locus ex nostro manifeste expressus, Fast. V. 663.

Clare NEPOS ATLANTIS, *ades: quem montibus olim*
Edidit Arcadiis Pleias una Jovi.

Ubi obiter mendum occultissimum abolere poteris: quam miror equidem sagacissimum Heinsium non advertisse. Quid enim est Pleias UNA? An periculum erat, ne duabus matribus genitum esse suspicaremur? Tu vero lege meo periculo;

Edidit Arcadiis Pleïas UDA *Jovi.*

passim Pleiades apud poëtas *aquosae*, *madidae*, *imbriferae* appellantur. Sed & ipsae personae *udae* dicuntur, ut Idem Fast. II, 597.

Dixerat: annuerunt omnes Tiberinides udae.

Et Sappho Phaoni:

Constitit ante oculos Naïas uda meos.

v. 4. ET DECORAE MORE PALAESTRAE] Praeterquam quod omnes libri in hac lectione conspirant, accedit etiam Servius qui ita locum citat ad Aen. IV, 559. & Lactantius ad Statii Thebaid. VI, 830. Daniel tamen Heinsius pro solita sua περιεργία incrustare vult locum sincerum; & mirum quam infeliciter corrigit,

Catus & decorae lu——
——more palaestrae.

Mos palaestrae, est lex & institutum palaestrae; ut recte explicavit vir immensae lectionis Barthius Adversf. XXVIII, 1. Terentianus Maurus in Praefat.

Mos *certaminis & modus,*
Sudor dum solitus cadit
Nulla mole palaestrica.

Silius Ital. XVI.

Quo ruis? aut quinam hic rabidi certaminis est mos?
Et nobis & equis letum commune laboras,

Lactantius Placidus ad Ovid. Metam. X. Fab. XI. *Cum Hippomenes* MOREM *certaminis non expaveseceret.* Atque haec quidem attulit Barthius, qui laude sua minime fraudandus erat, etsi eadem loca per nos quoque viderāmus. Adde porro & Lucani illud, quod omnium maxime huc pertinet, IV, 613.

perfudit membra liquore
Hospes, Olympiacae servato more palaestrae.

Similiter & Pindarus Olymp. VI, Herculem ait instituisse Olympiae

ΤΕΘΜΟΝ μείζονα ἀέθλων,
Morem *maximum certaminum.*

& iterum Olymp. XIII. Isthmia *Neptuni* MOREM appellat,

Ἐν ἀμφιάλοισι Ποσειδᾶνος ΤΕΘΜΟΙΣΙ.

ut itidem Olympia vocat MOREM HERCULIS,

Ὑστατον δ' ἔσχε Πίσα Ἡρακλέος ΤΕΘΜΟΝ.

Illud, credo, Heinsio pruriginem excitavit, quod Julio Scaligero resonatio illa insuavis visa est, *Decorae, more.* Sed recta sine dubio lectio est, & neque hujus aures nec illius acumen metuere debet.

v. 19. SUPERIS DEORUM GRATUS ET IMIS] Hinc aperte mutuatus est Ovidius illa de Mercurio, Fast. V, 665.

Pacis & armorum superis imisque deorum
Arbiter, alato qui pede carpis iter.

CARMEN XI.

v. 1. TU NE QUAESIERIS] Variant hic editiones; quarum aliae sic distingunt,

Tu ne quaesieris scire (nefas) quem &c.

aliae sic,

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem.

Et in diversa judicia abeunt interpretes. Parva quidem res est; quippe utrolibet modo distinxeris, bene se habebit. Recte enim dixeris *Ne quaesieris scire, quem finem dederint*; ut noster Epist. I, 3.

Juli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Augusti privignus, scire laboro.

Recte itidem dixeris, *Ne quaesieris, quem finem dederint*, ut Ovid. Amor. II, 2.

Nec tu, linigeram fieri quid possit ad Isin,
Quaesieris: nec tu curva theatra time.

Illa tamen verior interpunctio videtur, quae ambo ista (*scire nefas*) parenthesi concludit. Ovidius Fast. III, 325.

Quaque trahant superis sedibus arte Jovem.
SCIRE NEFAS *homini: nobis concessa canentur.*

Lucanus I, 126.

Quis justius induit arma, SCIRE NEFAS.

Statius Theb. III, 562.

Quid

Digitized by Google

Quid crastina volveret aetas,
Scire nefas *homini.*

Prudentius Cathem. III, 116.

Corpora mutua (nosse nefas)
Post epulas inoperta vident.

Noster Epod. XVI,

Quaeque carent ventis & solibus ossa Quirini
(Nefas videre) *dissipabit insolens.*

v. 2. DI DEDERINT] Codex Zulichemianus, & a prima manu Reginensis, DEDERUNT. Non male. Nam secundum Astrologos Babylonios, quos Leuconoë consultum ibat, jam fato fixum erat, quot annos victura esset. Nihil tamen mutandum.

CARMEN. XII.

v. 2. TIBIA SUMES CELEBRARE] In Leidensi & Graeviano SUMES. In caeteris, & in Reginensi a manu prima, SUMIS. Atque ita libri plerique ab aliis inspecti. Recte. Sic noster alibi Epist. I, 3.

Quis sibi res gestas Augusti scribere SUMIT?
Sumis celebrare habet vim & notationem temporis futuri; idemque valet, ac si dixisset, *celebrabis.*

v. 13. QUID PRIUS DICAM SOLITIS PARENTIS LAUDIBUS] Magna hic diversitas est, cum lectionis, tum interpretationis. Plerique codices habent PARENTUM; in quibus sunt vetustissimi mei Leidensis, Graevianus, Reginensis: quod si cuipiam genuinum esse videatur, tum meo quidem judicio totus locus sic erit concipiendus,

Quem *prius dicam solitis parentum*
Laudibus? qui res hominum &c.

Vide enim seriem orationis; *quem virum aut heroa, quem Deum, o Musa, celebrabis? Quem prius dicam? Jovem, qui res &c.* Etenim *dicere laudibus*, ut noster alibi Carm. I, 21,

Vos Tempe totidem tollite laudibus.

Seneca Troad. 294.

Ferent; & illum laudibus cuncti canent.

Virgil. Georg. II, 95.

& quo te carmine dicam,
Rhaetica?

Laudibus autem *parentum*, id est, quas parentes Jovi tribuebant: ut Idem Georg. III, 185.

Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus.

Solitis porro *laudibus*, ut Noster Carm. IV. 15.

Virtute functos, more patrum, *duces*,
Trojamque & Anchisen & almae
Progeniem Veneris canemus.

Atque haec quidem lectio ab omni parte commoda est; cui unice favent illa Statii Theb. I, 48.

Quem prius *heroum, Clio, dabis? immodicum irae*
Tydea? laurigeri subitos an vatis hiatus?

Alter tum autem proponit cum Muretus ex conjectura, tum vetus codex Gemblacensis, quo olim usus est Pulmannus,

Quid prius dicam? solitis parentem
Laudibus, qui res &c.

Sed in ea refellenda morari non est operae pretium; adeo dura & impedita structura est. Veniemus igitur ad tertiam, quam suppeditant Vaticanus codex Lambini, vetustissimus Blandinius Cruquii, Berlmanni unus, & noster Zulichemianus, & Lactantius denique ad Theb. I, 48.

Quid prius dicam solitis Parentis
Laudibus? qui res &c.

Ea vero & per se satis probabilis est, & imprimis cum sequentibus apte convenit:

Parentis, Unde nil majus generatur ipso.

Hac itaque contenti esse possumus. Primam tamen lectionem praetulerim, si conjecturam nostram QUEM liber aliquis adstrueret. Imo ea vera omnino est, invitis licet omnibus membranis.

v. 14. QUI RES HOMINUM AC DEORUM] In Lambini quibusdam,

Qui Rex hominum ac Deorum.

quam lectionem ille non damnat. Neque vero ego: sic enim passim Juppiter audit apud Poetas *Deum rex, Rex superum; Divûm pater atque hominum rex*, βασιλεὺς, θεῶν πάτηρ, & plura ejusmodi. Nihilo tamen minus ea tritissima est illa altera, & loco sententiaeque melius congruit. Virgilius Aen. I, 230.

O qui res hominumque deûmque
Aeternis regis imperiis, & fulmine terres.

Ubi obiter moneo, sic potius a poëta scriptum esse,

O qui res hominumque deorumque.

ut Aen. II. 745.

Quem non incusavi amens hominumque deorumque?

Auctor ad Liviam v. 61. de Augusto.

Ille vigil, summa sacer ille locatus in arce,
Res hominum *ex tuto cernere dignus erat.*

Statius

Digitized by Google

Statius Theb. VI, 48. de Adraſto.

Nunc fata recenſens,
Reſque hominum *duras, & inexorabile penſum.*

Porro in ſequente verſu, plerique mei codices habent, *qui mare* AC *terras*; non ET. atque id ſecuti ſumus.

V. 19. PROXIMOS ILLI TAMEN OCCUPAVIT PALLAS HONORES] Argutantur hic interpretes quidā, cur Pallas Jovi proxima dicatur ante maris dominum Neptunum, ante ipſam Tonantis matronam: neque tamen ex ea difficultate expedire ſe poſſunt. Quamobrem ſecare potius hunc nodum, quam ſolvere, voluerunt Viri Doctiſſimi Claudius Puteanus, Daniel Heinſius, Janus Rutgerſius, & Dacierius: quippe contra omnes libros ſic legendum eſſe contendunt,

Proximos illi tamen occupabit
Pallas honores.

Occupabit, ſcilicet in hoc hymno. Nempe mentem poëtae non omnino perceperunt Viri alioquin acutiſſimi; & ſi rectam viam jam olim monſtraverat vetus Scholiaſtes.

Unde nil majus generatur ipſo:

Ubi UNDE non, ut plerumque, valet *qua ratione*, ſed *a quo: a quo Jove*, ſive, *a quo parente* (ſi eam mavis lectionem, ſolitis PARENTIS *laudibus*) *nil ipſo majus generatur.* Nam verbum *unde*, non ad Rem tantummodo, ſed etiam ad Perſonam ſaepe refertur. Sic Virg. Aen. V, 123.

Scyllaque Cloanthus
Caerulea, genus unde *tibi Romane Cluenti.*

Hoc eſt, *a quo Cloantho.* Ita V, 568.

Alter Atys, genus unde *Atii duxere Latini:*

a quo Atye. Sic ſaepe Virgilius: & Noſter Serm. I, 6.

Contra Levinum, Valeri genus, unde *ſuperbus*
Tarquinius regno pulſus fugit.

a quo Valerio. Ita Serm. II, 2.

Siquid Stertinius veri crepat, unde *ego mira*
Deſcripſi docilis praecepta haec.

a quo Stertinio. Jam autem, niſi fallor, eluceſcere incipit ſententia poetae. A quo Jove nihil ipſo majus, imo ne ſimile quidem vel ſecundum, generatur: tamen inter omnes ejus liberos maximos honores conſecuta eſt Minerva. Vides, opinor, fruſtra hic laboraſſe interpretes: neque enim cum Junone vel patruo ſuo Neptuno comparatur hic Pallas; ſed cum ſobole Jovis tantum, fratribus ſororibuſque ſuis. Et proinde nemo in ſequentibus memoratur, praeter Jove genitos; *Bacchum, Dianam, Apollinem, Herculem, Pollucem,* & *Caſtorem:* quorum omnium ſine controverſia honoratiſſima erat Minerva. Reliquum eſt, ut quo conſilio hoc inter Jovis laudes poëta poſuit, quod neminem ſe majorem generaverit, breviter indicemus. Atque id quidem gemina de cauſa factum eſt. Ipſe enim ortus Saturno, major ſuo parente erat, regnoque eum expulit: nemo tamen ex ipſo natus eſt, qui parem ei vicem referret: unde *Maximi, Invicti*, ſimiliumque nominum titulis cumulatus eſt. Ovid. Metam. XV, 855. ubi Julio Caeſari Auguſtum praeponit;

Sic magni cedit titulis Agamemnonis Atreus:
Aegea ſic Theſeus, ſic Pelea vincit Achilles:
Denique, ut exemplis ipſos aequantibus utar,
Sic & Saturnus minor *eſt* Jove.

Sed praeterea, erat in fatis, ut ſi Juppiter cum Thetide, cujus amore flagrabat, concubuiſſet; naſceretur tandem ipſo Jove major, quique de caelo eum & mundi imperio dejiceret, ut ipſe olim Saturnum. Saepe hoc Jovi minatur Prometheus apud Aeſchylum:

Η μὴν ἐτὶ Ζεὺς, καίπερ αὐχήδης, φρενῶν,
Ἐμοῦ ταπεινὸς, οἷον ἐξαρτύεται
Γάμου γαμεῖν, ὃς αὐτὸν ἐκπεσεῖν τυραννίδος
Ὁρόνου τ' ἄϊστον ἐκβαλεῖ, πατρὸς θ' ἅμα
Κρόνου τόν' ἠδὴ παντελῶς κεκαθάρσεται,
Ἧν ἁπάντων ἠρᾶτο δηναιῶν θεῶν.

Quod cum Jovi innotuiſſet, Thetidem Peleo nuptum dedit. Ovid. Metam. V, 221.

Namque ſenex Thetidi Proteus, Dea, dixerat, undae,
Concipe: mater eris juveni, qui fortibus actis
Acta patris vincet, majorque vocabitur illo.
Ergo, ne quicquam mundus Jove major *haberet,*
Quamvis haud tepidos ſub pectore ſenſerat ignes,
Juppiter aequoreae Thetidis connubia vitat:
Inque ſua Aeaciden ſuccedere vota nepotem
Juſſit, & amplexus in virginis ire marinae.

Jam plane conſtat, niſi omnino fallor, de conſilio poëtae; ut nihil quidem a Jove generatum fuerit ipſo majus, vel prorſus ſimile ei aut ſecundum: occupaverit tamen Pallas proximos illi honores prae cetera Jovis ſobole.

V. 21. PROELIIS AUDAX NEQUE TE SILEBO LIBER] Jam inde a veteris Scholiaſtae Acronis temporibus nemo eſt, qui non hoc modo verſum interpunxerit, tamquam ſi *Liber proeliis audax* ab Horatio diceretur. Quod ſupine adeo & oſcitanter factum jure indignari debemus. Quamquam enim fatendum eſt, ad ultimos Indos victorem Bacchum cum Satyrorum ſuorum Maenadum-

Digitized by Google

Maenadumque thyaſo penetraſſe: unde eo nomine AUDAX vocatur Valerio Flacco. V. 498.

quotque ante ſecuti
Inde nec audacem *Bacchum nec Perſea reges:*

& in Gigantomachia ſub leonis imagine Rhoecum laceraſſe: tamen non ab uno alterove facinore, ſed a perpetuo Bacchi more & charactere dandum hic fuiſſet epitheton. Atqui a poëtis Bacchus, tamquam omnium Deorum molliſſimus & meticuloſiſſimus, fere ſemper traducitur. Vide modo Ariſtophanis Batrachos; ubi miros ludos de ignavia ejus & timiditate facit poëtarum facetiſſimus. Quid multa? Ad Palladem id referendum eſt, non ad Liberum; & vitioſa diſtinctio corrigenda ad hunc modum:

Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores,
Proeliis audax. Neque te ſilebo, Liber.

Quod quam aptiſſime Palladi conveniat, caecus plane ſit oportet, qui non videat. Siquidem eam paſſim his titulis ornant poëtae; *Bellica, bellatrix, bellipotens, belligera*; &c. & itidem Graeci. Virgilius Aen. XI.

Armipotens belli praeſes Tritonia Virgo.

Statius Silv. IV, 5.

Regina bellorum Virago.

Putidum eſſet plura congerere: ſed & illud vide quanto venuſtius ſententiam inchoet NEQUE; *Neque te ſilebo, Liber*: quam ſi, ut vulgo hic ſit, in mediam orationem intrudatur, *Proeliis audax neque te.* Illud fortaſſe objiciet quis, ſi *proeliis audax* a Baccho ſeparetur, tum nihil quicquam de Baccho hic dici. Fatemur: atqui & paullo poſt nihil prorſus de Alcide praedicatur: nudum tantummodo nomen ponitur.

v. 31. ET MINAX (QUOD SIC VOLUERE) Turbant hic mirum in modum codices. Plerique omnes Vetuſtiores, *quia ſic*: recentiores quidam, *Quod ſic*: duo Gemblacenſes Pulmanni, & Lambini unus, *Nam ſic*: Editio Veneta 1478, *Quod ſi*: Loſcheri 1498, *Quod ſic dii*: Cod. Reginenſis a manu ſecunda, *Quae ſic*: Petrenſis, *Quia voluere*: Laurentianus Torrentii, *dii ſic vol.* Editi aliquot, *ſic dii vol.* Tamen illud *dii* ex gloſſa irrepſiſſe videatur, ut in editione Loſcheri; & ſane Codex Reginenſis *dii* habet inter verſus, loco explicationis, non lectionis. Sic & Acron. *voluere*) *dii vel pueri Ledae.* Latet hic fortaſſe ulcus. Interea, dum melius quiddam proferatur, illud recipiamus, quod & Nicolao Heinſio placuit, *ſic dī voluere.* Ovidius Ibide.

Natus es infelix (ſic di voluere) nec ulla
Commoda naſcenti ſtella leviſve fuit.

Idem Metam. IV, 660.

Creſcit in immenſum (ſic di ſtatuiſtis) & omne.

Metam XIII. 597. de diis loquens.

Occidit a magno (ſic vos voluiſtis) Achille.

Virgil. Aen. V, 50.

Semper honoratum (ſic di voluiſtis) habebo.

v. 35. AN CATONIS NOBILE LETUM] Tacent hic Interpretes: mihi vero mirari plane ſubit, quo conſilio noſter, poſt Romulum, Numam, & Tarquinium Priſcum, continuo ingerat *Catonem*, qui tot ſaeculis poſt illos natus eſt; rurſumque ad veteres illos revertatur, Regulum, Scauros, Paullum, ceteroſque. Profecto non ſat commode diviſa ſunt temporibus tibi, Flacce, haec. In aliis illis memorandis faſtorum fere ſeriem ſecutus es: Catonem, qui paucos ante annos in vivis erat, alieniſſimo loco & tempore inter caſcos illos intrudis. Hoc primum, quod merito reprehendas: ſed & alterum eſt, in quo deſideres poetae prudentiam. Cum enim, quod res ipſa loquitur, ideo carmen hoc ſcripſerit, ut ab Auguſto & ejus domo gratiam iniret: quo, quaeſo, judicio atrociſſimum Caeſarianorum hoſtem Catonem tanto hic elogio ornatum voluit? Mirum ſane in uno eodemque carmine & Julium Caeſarem ad caelum uſque tolli, & Catonis letum tantopere nobilitari. Cur enim leto occubuit hic, niſi quod illo principe, vitam ſibi putavit morte acerbiorem? Quid? non Caeſar ipſe Anticatones duos ſcripſit, in quibus famam & exiſtimationem Catonis acerrimis probris laceravit? Non Brutus, percuſſor Caeſaris, & Auguſti hoſtis, Catonis gener erat? Certe qui Catonis letum inter praecipua Romanae gentis decora celebrat, eo ipſo ſe Auguſti dominatum inique ferre veteremque rempublicam repoſcere profitetur. Credat itaque, qui volet, hoc ab Horatio profectum: mihi quidem Librariorum hoc facinus eſſe veriſimilius videtur, qui Catonis mortem declamatoribus adeo decantatam vel obtorto collo huc traxerint, ejecto alio nomine, quod nunc inveſtigandum eſt. Vide vero, annon hunc in modum totus hic locus conſtitui poterit:

Romulum poſt hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an ſuperbos
Tarquini faſces, dubito, anne Curti
Nobile letum.

Marcum Curtium intellige, qui revera *nobiliſſimum* ſibi *letum* pro patria conſcivit; cum armatus & equo inſidens in profundam voragi-

Digitized by Google

nem, quae medio foro Romae repente nata est, insiluisset. Inde lacui Curtio nomen inditum; &, ut narrat Val. Maximus, *quamvis magna postea decora in foro Romano fulserunt, principatum tamen gloriae obtinuit Curtius.* Proinde cum Virgilius, uti plane hic noster, principes in gente Romana viros memorare voluit, inter primos Curtium nominat; in Culice v. 360.

Hic Fabii, Deciique, hic est & Horatia virtus:
Hic & fama vetus numquam moritura Camilli:
Curtius *& mediis quem quondam sedibus Urbis*
Devotum bellis consumsit gurgitis haustus.

Hac certe ratione recte procedet oratio: cum inter illos priores, & qui mox sequuntur, medius aetate sit Curtius. Recte etiam ANNE. Sic Virgil. Georg. 1. 25.

Urbisne invisere, Caesar——
An deus immensi venias maris——
ANNE *novum tardis sidus te mensibus addas.*

Idem Georg. II, 158.

An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra,
Anne *lacus tantos?*

Ausonius Profess. VIII; ubi horum Flacci versuum parodiam facit:

Romulum post hos prius, an Corinthi,
ANNE *Sperchei, pariterque nati*
Atticas musas memorem Menesthei,
Grammaticorum?

v. 38. PRODIGUM PAULLUM, SUPERANTE POENO] Codex optimae notae Reginensis clare & sine ulla litura habet.

Prodigum, Poeno superante, Paullum.

Quam compositionem, ut suaviorem & ποικιλωτερον secuti sumus. Virgil. Aen. II, 311.

jam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Volcano superante, domus.

Priscianus quidem p. 1123 sic laudat hunc locum,

Regulum, & Scauros, animaeque magnae
Prodigum Paullum.

Sed ex quatuor Prisciani codicibus, quos data opera consului, tres non agnoscunt τὸ PAULLUM; quod indicio est, non aliter olim hic lectum esse, quam nunc exhibet liber Reginensis. Lactantius tamen ad Thebaid: III, & VIII, citat *Prodigum Paullum.*

v. 43. SAEVA PAUPERTAS ET AVITUS APTO CUM LARE FUNDUS] Ita omnes, quot vidi, codices: neque quicquam muto. Sic tamen mallem, si per libros liceret:

Sancta *paupertas, & avitus* arto
Cum lare fundus.

Sancta, ut Silius Italicus *casta*, quod idem fere valet, ubi de vetere Senatu loquitur, lib. 1.

Concilium vocat angustum, castaque *beatos*
Paupertate Patres.

Sane quicquid hic mussitent interpretes, nemini placere potest illud SAEVA. Ceterum de *arto lare* vide nos ad Epist, I, 7. v. 58. Claudian. in Rufin. I, 203.

Et casa pugnaces Curios angusta *tegebat.*

Noster Carm. I, 38. sensu eodem;

neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arta
Vite bibentem.

v 45. CRESCIT OCCULTO VELUT ARBOR AEVO] Nic: Heinsius in ora libri sui, *Forte, Arvo.* Ingeniose. Sic enim Ovidius in Nuce v. 87.

Felix, secreto quae nata est arbor *in* arvo,
Et soli domino ferre tributa potest.

Lucret. I, 314.

Stillicidi casus lapidem cavat; uncus aratri
Ferreus occulte *decrescit vomer in* arvis.

Nihil tamen mutandum: imo rectissime habet AEVO. Quint: Curtius, VII, 33. *Quid? tu ignoras* ARBORES *magnas* DIU *crescere, una hora extirpari?* Prudentius Hamartigenia v. 177.

Qui velut aeterna latitans sub nocte, retrorsum
Vixerit, & tecto semper regnaverit aevo.

Corrigendus quoque forte Lucretii locus, quem modo adduximus. Sic enim citat Servius ad illud Georg, I, 46. ET SULCO ATTRITUS SPLENDESCERE VOMER] Lucretius: *Occulto decrescit vomer in arvo.* Ita Servius: sed fine dubio corruptus. Qui enim magis in *occulto arvo* decrescit vomer, quam in obvio & exercitato? Imo si *occultum* est arvum; tum & inaratum, neque vomerem terere potest. Vide, an scripserit Lucretius:

Stillicidi casus lapidem cavat: uncus aratri
Ferreus occulto *decrescit vomer in* aevo.

Ovidius Amor. I, 15.

Ergo cum silices, cum dens *patientis aratri*
Depereant aevo: *carmine morte carent.*

Idem tamen Art. I, 474.

Interit assidua vomer aduncus humo.

v. 54. EGERIT JUSTO DOMITOS TRIUMPHO] Celeberrimus Tho. Gale, *Lege*, inquit, DOMINUS vel DOMITOR. Sed nihil mutandum. Noster Carm. III, 8.

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus *catena.*

v. 55

Digitized by Google

v. 55. SIVE SUBJECTOS ORIENTIS ORIS SERAS ET INDOS] Omnes fere editiones maculavit invenuſtum illud ORIS, quo fit ut idem ſibilus per quinque voces continuetur; odioſa aurium offenſione: cum tamen omnes ubique ſcripti codices & editio Veneta 1478 habeant ORAE. Revocetur igitur in ſedem ſuam. Sic noſter alibi, *Ora* ſeptentrionis. Carm, I, 26.

Quis ſub Arcto
Rex gelidae metuatur orae.

v. 57 LATUM REGET AEQUUS ORBEM] Torrentii tres, Pulmanni unus, Lambini aliquot, & ex noſtris Battelianus, Bodl. Magdalenenſis a prima manu, Colbertinus pro varia lectione, LAETUM: quod Torrentio & Dacierio magis placet. Utrumque ſane tolerari poteſt. *Laetum* enim dixerit *orbem*, ut Virgilius de eodem Auguſto; Georg. IV, 560.

Caeſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentis
Per populos dat jura, viamque adfectat Olympo.

Rectius tamen *latum reget*, ut vetuſtiores quique libri. Noſter Carm. II, 2.

Latius regnes *avidum domando*
Spiritum, quam ſi Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Poenus
Serviat uni.

Virgil. Aen. IV, 199.

Templa Jovi centum, latis *immania* regnis.

Et I, 25.

Hinc populum late regem, *belloque ſuperbum.*

Seneca Troad. 879.

Cui regna *campi* lata *Theſſalici jacent.*

CARMEN. XIII.

v. 2. CEREA TELEPHI LAUDAS BRACHIA] Omnes, opinor, quotquot hodie extant, membranae in ea lectione conſentiunt, firmatque Servius ad Virgil. Eclog. II. ADDAM CEREA PRUNA) *aut cerei coloris; aut mollia. Horatius,* CEREA *Telephi laudas brachia.* Jure tamen diſplicuit Julio Scaligero: cujus verba haec ſunt. *Cum dixit* roſeam cervicem, cerea brachia *colorem quoque indicare ſuſpicabimur; ſicut apud poëtam* cerea pruna: *profecto plus ſapiat* LACTEA. Interpretes quidem in omnes partes ſe verſant, & illud *cerea*, quaſi revera cereum eſſet, in quoſcumque volunt ſenſus flectunt finguntque, ut auctorem ſuum vel defendere vel excuſare videantur: ſed laterem plane lavant. Quid enim? an *cerea* de colore interpretabuntur? at faeda res eſt color flavus in brachiis, qualia ſunt ictericorum, Ovid. Pont. I, 10, cum morbo laborabat,

Parvus in exiles ſuccus mihi pervenit artus,
Membraque ſunt cera *pallidiora nova.*

an *cerea* ſunt pulchra, tamquam quae in cereis imaginibus videmus, ut Virgilius *cervicem marmoream* Georg. IV, 523.

Tum quoque marmorea *caput a cervice revulſum.*

& *manum* Martialis VIII, 56.

Adſtabat domini menſis pulcherrimus ille
Marmorea *fundens nigra Falerna manu.*

Atqui illic *marmorea* eſt candida, & colorem notat, non figuram: ita Noſter Carm. I, 19.

Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore *purius.*

Lucretius II, 764.

Cur ea, quae nigro fuerint paullo ante colore,
Marmoreo *fieri poſſint candore repente.*

An igitur *cerea* brachia ſunt lenta, & mollia ut Noſter Epod. XV.

Lentis adhaerens brachiis?

Sed & hoc nihilo magis ſanum eſt; quamvis enim cera mollis eſt & tactui cedit; veſtigium tamen impreſſum ſervat, ut ſolet hydropicorum caro, qua nulla turpior imago eſt. Quod ſi aut horum ullo aut alio quovis ſenſu recte dici poſſent *cerea brachia*; imprudenter tamen, ut vere Scaliger obſervavit, poſt *roſeam* cervicem *cerea* brachia nominaverit noſter, ne forte lector utrumque epitheton de colore ſuſpicetur dictum, & pro formoſo luridum Telephum imaginetur. Quid igitur fiet? Bene ſit vetuſtiſſimo grammatico Flavio Capro, qui ſolus rem impeditam ſolvit, & Horatium ex omni culpa liberat. Is narrat pag. 2242 ut inter ſe differant *lactans, lacteus, lacteus.* LACTANS, inquit, *qui decipit.* LACTENS, *lacte abundans, velut lactens ficus* (ſic enim ibi legendum; non ut editum eſt, *lacteus, &, lacteas ficus.* Ovid. Faſt. II, 263.

At tibi dum lactens haerebit in arbore ficus)

Lucilius: Lactentia coagula cum melle bibi. LACTEA, *candida ſunt, ut* LACTEA LAUDAT BRACHIA *dicit Horatius.* Haec opportuniſſime ſane Caper: ubi ſcribe *laudas* pro *laudat*; nam ſine dubio ad hunc ipſum Horatii locum reſpexit;

Digitized by Google

neque de mendo hic ulla ſuſpicio eſt; eum eo ſine huc adduxerit, ut probet *lactea* eſſe candida. Quid autem dubitemus, tam bono auctore, genuinam lectionem agnoſcere?

Cum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roſeam, LACTEA *Telephi*
Laudas brachia:

qua nihil aptius, pulchrius optari potuit. Utrobique a colore laudat; Cervicem *roſeam*, ut Virgilius de Venere Aen. I, 406.

Dixit, & avertens roſea cervice *refulſit.*

Brachia autem *lactea*, ut iterum Virgilius de Aſcanio Aen. X. 137.

fuſos cervix cui lactea *crines Accipit.*

Et de Gallis VIII, 660.

Tum lactea *colla Auro innectuntur.*

Nemeſianus II, 80.

Purpureas laudando genas, & lactea *colla.*

Candor autem eſt brachiorum perpetua laus. Ovid. Amor. III, 7.

Illa tamen noſtro ſubjecit eburnea collo
Brachia, Sithonia candidiora nive.

v. 6. TUNC NEC MENS MIHI NEC COLOR CERTA SEDE MANENT] Libri aliquot Lambini & Pulmanni, MANET; & ſic editio Veneta 1478. Rectiſſime. Neque alterum admittit linguae Latinae conſuetudo. Terent. Eunuch. IV. 5.

Neque pes, neque mens ſatis ſuum officium facit.

Ubi duo ſingularia conjunguntur, cum utriuſvis numeri verbo congruunt, ſeu ſingularis ſive pluralis. Ubi vero, ut hic ſit, disjunguntur; & uſus & ratio poſtulat, ut verbum etiam ſit ſingulare. Mutatum eſt ab eruditulis: qui tamen neſciebant brevem ſyllabam in verſus caeſura poteſtatem longae habere poſſe. Carm. II, 13.

Caeca timet aliunde fata.

v. 16. QUINTA PARTE SUI NECTARIS IMBUIT] Vir Clariſſimus Jacobus Talbot, qui paucis abhinc annis luculentam Horatii editionem Cantabrigiae procuravit, non male de noſtro meritum eſſe autumat, (quem tamen non nominat) qui loco *quinta* ſubſtituit,

Quanta *parte ſui nectaris imbuit?*

Is autem eſt Ramirez de Prado in Pentecontarcho ſuo c. 50. Ita ſane Perſius Sat. V, 21.

Tibi nunc, hortante camena,
Excutienda damus praecordia, quantaque *noſtrae*
Pars *tua ſit, Cornute, animae.*

Tu vero quid *quinta* hic ſibi velit, vide, ſi libet, apud interpretes: nobis ſemel eſt conſtitutum, nullam his rebus turpiculis lucem affundere.

CARMEN. XIV.

v. VIX DURARE CARINAE POSSINT] *Animadvertendum eſt*, ait Julius Scaliger, *quibus legibus de una modo navi dixit* CARINAS *in numero plurali.* Vere & recte hoc Scaliger. Neque enim ullus veterum ita locutus eſt; quippe ſingulae naves non niſi ſingulas carinas habent. Quid hic autem noſtri interpretes, qui libenter Scaligerum ut Horatiomaſtigem inſectari ſolent? Rem callide diſſimulant, inuſtam hanc Flacco notam ſilentio tegentes; interea tamen pergunt in unica navi *carinas* nobis ingerere. Nos, ut tam turpe dedecus a cultiſſimo poeta amoliamur, paullo fuſius explicabimus totum locum.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus?

Sic ſcribe per interrogationis notam; & ſic Veneta editio 1478: ceterae, opinor, omnes male emittunt.

o quid agis? fortiter occupa
Portum: nonne vides ut
Nudum remigio latus?

Strenue, inquit, in intimum portum te recondе, ne fluctus ventuſque te retorſum in altum pellant; quod, niſi caves, eveniet: cum latera tua nuda ſint remigio, quo ſolo poteris vento obſiſtere. *Nudum* autem *remigio* dicit, vel quod tempeſtatibus conflictata navis remos jam fregerat, ut Virgilius,

Franguntur remi, tum prora avertit:

& noſter Epod, X.

Niger rudentes Eurus inverſo mari
Fractoſque remos differat:

vel quod introeuntes in portum nautae remos ſubducere, atque intra navem reponere ſolent. Sequitur:

nonne vides, ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri ſaucius Africo
Antennaeque gemant? & ſine funibus
Vix durare carinae
Poſſint imperioſius Aequor?

Sic quidem editiones, *gemant*, &, *poſſint*: adeo ut ſententia ſic procedat: *Nonne vides, ut latus & malus & antennae gemant?* Quid jam videtur? Satin' placet illud, *vides, ut gemant?* oculiſſime

Digitized by Google

oculiſne percipi poterit gemitus? credideram auribus potius ſentiri. Sed illud omnino advertendum, bis apud Servium, ubi locum hunc adducit, Aen. I, 211. & VIII, 577. non *poſſint* legi, ſed POSSUNT. Atque ita clare hic exhibent codex optimus Reginenſis, & Zulichemianus: quibus adde Editionem Loſcheri 1498. Neque vero dubium eſt, quin in aliorum aliquot hic extiterit: ſed ſaepe deprehendi, ſollemne eſſe interpretibus noſtris, ut reticeant varias lectiones, quas ipſi non approbant. Jam autem, ſi tot auctoribus freti reducemus illud *poſſunt*; ſequitur, ut eadem opera etiam GEMUNT legamus. Quid multa? codex Petrenſis D ferè annorum ſine ulla litura utrumque retinet, & *gemunt* & *poſſunt*. Sic itaque totus locus conſtituendus erit, & diſtinguendus.

nonne vides, ut
Nudum remigio latus?
Et malus celeri ſaucius Africo
Antennaeque GEMUNT; *& ſine funibus*
Vix durare carinae
POSSUNT *imperioſius Aequor*

Quibus in verbis illud primum indicandum eſt, quod & Scaligerum & Enarratores noſtros fefellit, non de una modo navi *carinas*, ſed de pluribus hic accipi. Tanta, inquit, coorta eſt tempeſtas, o navis; ut malus tua antennaeque gemant; & caeterae naves, quae in eodem portu ſunt, vix poſſint ſtationem tenere, niſi anchoris jactis. Verum haec per partes explicanda veniunt. *Carinas* totas naves denotare tralatitium eſt. *Funibus* autem anchorae ſignificantur, quod tot interpretes fugiſſe quis ſatis mirari poterit? Lucanus II, 621.

Ut tremulo ſtarent contentae fune carinae.

Idem V, 514.

Litora curva legit, primiſque invenit in undis,
Rupibus exeſis haerentem fune carinam.

Virgil. Aen. IV, 575.

Solvite vela citi. Deus aethere miſſus ab alto
Feſtinare fugam, tortoſque incidere funis
Ecce iterum ſtimulat.

Nihil quicquam vulgatius eſt: neque illud omittendum, vel ipſum illud *Funibus* ſatis nos admonere, non de una, ſed pluribus navigiis verba hic fieri. Nemo enim de nave unica *funes* dixit, verum *funem*. Jam autem illud ſaeviſſimae tempeſtatis indicium erat, cum in ipſo portu, ut hic, niſi in anchoris ſtare naves non poſſent: plerumque enim aliter ſolebat. Virgilius Aen. I, 172. ubi tranquillum quendam tutumque portum deſcribit,

hic feſſas non vincula navis
Ulla tenent, unco non adligat anchora morſu.

Proinde vide, inquit, O navis, ne in mare te referant fluctus: cum enim in ipſo portu tempeſtas ſit, quales tandem in aperto pelago te manent procellae? Illud dumtaxat reliquum eſt, ut *durare aequor* ſatis quidem inſolentem phraſin pro *perferre*, *ſuſtinere*, ſimilibus, ſi fieri poteſt, exemplis adſtruamus. Eo enim adigebat optimum Torrentium, ut ineptiſſimam potius diſtinctionem admitteret, quam ut ipſe hanc locutionem durare vellet. Atqui bis citat hoc Servius, ut probet *durare* eſſe *ſuſtinere*, ut Virgil. VIII, 577.

Patiar quemvis durare *laborem.*

cui adde Statium Silv. V, 2.

Felix, qui viridi ſidens optata juventa
DURABIS *quaſcumque* VIAS, *vallumque tenebis.*

& Valerium Flaccum VIII, 338.

Occidis? heu primo potes hoc durare *ſub aevo?*

V. 10. NON DI QUOS ITERUM PRESSA VOCES MALO] Ita omnes, opinor, libri: certe quos ipſe vidi; credo, etiam & ceteri. Aliud tamen maluit praeſtantiſſimus N. Heinſius; PRENSA ſcilicet; quod & nobis in mentem diu ante venerat, quam ejus codicem vidimus. Ita ſane noſter Carm. II, 16.

Otium divos rogat in patenti
Prenſus *Aegaeo.*

ubi perperam in nonnullis membranis, ut hic, *preſſus*. Catullus XXV.

velut minuta magno
Deprenſa *navis in mari, veſanientes vento.*

Lucretius VI.

Et quaecumque in eo tum ſunt deprenſa *tumultu*
Navigia, in ſummum veniunt vexata periclum,

Virgilius in Citi. v. 60.

Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto
Deprenſos *nautas canibus laceraſſe marinis.*

Et Georg. I,

Deprenſis *olim ſtatio fidiſſima nautis.*

Et Aen. V, 52.

Argolicove mari deprenſus, *& urbe Mycenae.*

Ovid. Metam. XI, 663.

Nubilus Aegaeo deprendit *in aequore navim*
Auſter.

Idem, Dido Aeneae.

Finge age te rapido (nullum ſit in omine pondus)
Turbine deprendi: *quid tibi mentis erit?*

Digitized by Google

Statius Theb. I, 370.

Ac velut hiberno deprenſus *navita ponto.*

Seneca de Vita Beata c. 14. *Sicut* deprehenſi *mari Syrtico, modo in ſicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur.* Atque his, credo, auctoritatibus inductus Vir Illuſtris ſubſtituere voluit *prenſa*. Nihil tamen hic temere mutandum cenſeo. Sane ſi SALO, vel VADO hic haberent codices; equidem accederem, ut PRENSA non incommode legatur: ita tamen ut tum quoque non minus apte legatur PRESSA: nunc cum omnes ubique libri praeferant MALO, receptam lectionem retineo, cui omnino melius congruit *preſſa* quam *prenſa*. Minucius Felix p. 258. *Et ſi quis infirmior,* MALO PRESSUS *& victus, Chriſtianum ſe negaſſet.* Ovidius Amor. II, 11.

O utinam, remo nequis freta longa moveret,
Argo funeſtas preſſa *bibiſſet aquas.*

Idem Faſt. IV,

Sedit limoſo PRESSA *carina* VADO.

& Metamorph. XI, 557.

Mergit in ima ratem, cum qua pars magna virorum
Gurgite preſſa *gravi.*

Auctor Octaviae. 347.

Ruit in pelagus, rurſumque SALO
Preſſa *reſurgit.*

Digeſt. lib. XIV. tit. 2. leg. 6. *Navis adverſa tempeſtate* depreſſa, *ictu fulminis deuſtis armamentis & arbore & antemna, Hipponem delata eſt.* Ubi tamen vix dubites, quin *deprenſa* corrigendum ſit; ut res ipſa flagitat: Lege tamen VII ibidem ſine dubio *depreſſa* bene habet: *Cum* depreſſa *navis aut dejecta eſſet, quod quiſque ex ea ſuum ſervaſſet, ſibi ſervare reſpondit, tamquam ex incendio.* Nulla itaque dubitatio eſt, quin ſana ſit lectio omnium librorum,

Non dî, quos iterum preſſa *voces malo.*

Ubi *preſſa* valet merſa: & ſane *dii* iſti (Dioſcuros intelligit) etiam merſas & obrutas naves eripiebant periculo: ut Noſter Carm. IV, 8.

Clarum Tyndaridae ſidus ab infimis
Quaſſas eripiunt aequoribus rates.

Theocritus in Διοσκούρους verſ. 17.

Αλλ' ἔμπας ὑμεῖς τε καὶ ΕΚ ΒΥΘΟΥ ἕλκετε ναῦς
Αὐδῶσιν ναύτῃσιν ἐοικότες θανέεσθαι.

V. 14. NIL PICTIS TIMIDUS NAVITA PUPPIBUS FIDIT] Galei codex bonae notae, *Tumidus*: quod Scaligero placuerat. *Imo,* inquit ille, *fidebat Brutus, neque timidus erat: quare* tumidus, *non* timidus; *&* fidat, *non* fidit. Recte quidem omnino, ſi de Bruto vel per ſomnium hic cogitaſſet noſter. Sed Scaligerum, ut pleroſque alios, decepit Quintilianus & Scholiaſtae veteres, qui perpetuam in hoc carmine allegoriam eſſe volunt, *& navim pro republica, tempeſtates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dici.* Atqui inane hoc commentum eſſe recte vidit Vir acutus Tan. Faber, & ante eum elegantiſſimus Muretus.

CARMEN XV.

V. 9. EHEU QUANTUS EQUIS QUANTUS ADEST VIRIS SUDOR] Eleganter hinc mutuatus eſt Statius illa Theb. III.

QUANTUS EQUIS, QUANTUSQUE VIRIS *in pulvere craſſo*
SUDOR, *io quantum crudele rubebitis amnes.*

Ut & illa v. 17. CALAMI SPICULA CNOSSII pulchre imitatus eſt Prudentius Cathem. V, 52.

Hic fidit jaculis, ille volantia
Praefigit calamis ſpicula Cnoſſiis.

Et illa denique

V. 15. IMBELLI CITHARA CARMINA DIVIDES] Expreſſiſſe videtur Seneca; ſed hodie locus corruptus eſt; Herc. Oet. 1080.

Sed cum linqueret inferos
Orpheus carmina fundens;
Et vinci lapis improbus
Et vatem potuit ſequi.

Quippe in verſu ſecundo vicem dactyli vel Cretici occupat Spondaeus, qui niſi in clauſula, quae hic non eſt, locum habere nequit. Atque ideo acutiſſimus Fred. Gronovius pro *fundens* reponit *funditans*. Vide, annon nos aliquanto melius,

Orpheus carmina dividens.

Sane, cum pro *fundens* ſubſtituimus *dividens*, nulla ſit mutatio niſi primae modo literae: nam *un* & *iui* in manuſcriptis vix poteris inter ſe dignoſcere.

V. 21. NON LAERTIADEN EXITIUM TUAE GENTIS] Tres Blandinii apud Cruquium, totidemque Lambini, GENTI: quodque amplius eſt, praeſtantiſſimi mei codices Graevianus & Reginenſis clare,

Non Laërtiaden, excidium *tuae* Genti.

Excidium etiam in ſuo invenit Fabricius. Sane quaelibet ex his lectionibus proba eſt, ſive velis *Exitium gentis,* ſive *Exitium genti; ſeu Excidium*

Digitized by Google

Exitium genti, sive *Excidium gentis*. Poëta vetus apud Ciceronem de Divin. I, 21. de Paride loquens,

Eum esse exitium Trojae, pestem Pergamo.

Velleius Paterc. II, 30. *Romanis certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem, pessimo auctoravit facinore.* Plautus Bacch. IV, 9.

Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equus hodie auro senis. & paullo post;

Scivi ego jamdudum fore me exitium Pergamo.

Manilius lib. 1.

Quot post excidium Trojae sunt erута regna?

Virgil Eclog.

Idem amor exitium est pecori pecorisque magistro.

Et Aen. II.

Tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
Convertant) Priami imperio Phrygibusque futurum.

Arridet tamen prae aliis ea, quae & plures membranas & editiones credo omnes occupavit, EXITIUM GENTIS: praecesserat enim *genti* versu undecimo. Cicero de Arusp. Respons. c. 4. *Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumque Carthaginis.* Seneca Consolat. ad Marciam. c. 17. *Dionysius ille Tyrannus, libertatis, justitiae, legum exitium.* Ovidius Metam. XIII, 500.

Exitium Trojae nostrique orbator Achilles.

Sulpicia in Satira.

Romulidarum igitur longa & gravis exitium pax.

Seneca Hercule Fur. 358.

Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues,

Et Troad. 893.

Quos Helena suadet, pestis, exitium, lues
Utriusque populi.

v. 24. TEUCERQUE ET STHENELUS] Vetustissimi quique libri, *Teucer & Sthenelus*, & sic Editiones priscae, Veneta & Loscheri. Alii codices, *Teucer te Sthenelus*; quod amplexae sunt post Lambinum editiones pleraeque. Unus modo ex meis isque omnium recentissimus. *Teucerque & Sth.* nisi quod in Reginensi ex spatii magnitudine inter *Teucer* & &, suspicio est *que* esse erasum. Atqui Torrentius affirmat se in omnibus suis invenisse *Teucerque &*. Sed nullus dubito, quin Typographi culpa sit, atque ibi *Teucer &* sit reponendum. Utcumque fuerit, ea probabilis sane videtur lectio,

Urgent inpavidi te Salaminius
Teucerque & Sthenelus.

Quippe si dixisset *Te Sthenelus*, non utique plurali numero protulisset, *Urgent impavidi*. Amat enim noster etiam post plures nominativos Verbum singulare ponere: ut Carm. IV, 14. quod apprime huc convenit;

Te Cantaber non ante domabilis
Medusque & Indus, te profugus Scythes
Miratur.

Vide nos ad Carm. I, 24. vers. 8. Recte igitur *Teucerque & Sthenelus*; ut uterque simul eum urgere intelligantur; atque ideo in plurali efferatur verbum *Urgent*. Id quoque observavi in codicibus scriptis, ubi duplex, ut hic, conjunctio est, alteram plerumque a Librariis omitti, si modo versus mensura id fieri patiatur. Si cui tamen *Te Sthenelus* magis arrideat: equidem non valde repugnabo.

CARMEN N. XVI.

v. 5. NON DINDYMENE] Vide modo totum locum:

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta
Sic geminant Corybantes aera,
Tristes ut irae.

Ubi nulla alia esse possit constructio, praeterquam haec; *Corybantes non sic geminant acuta aera, ut tristes irae geminant acuta aera.* Quocumque te vertas, nihil melius ex his verbis efficies. Quod cum ineptum sit plane & ἀναλόγως, cogitandum est opinor de emendatione. Crediderunt boni Librarii, necessario reponendum esse in versu quarto sic; ut sit cui respondeat τὸ UT. Atqui aliud potius curare debuerant; cum in versu tertio hoc satis provisum sit, ut *aeque* ad *ut* referatur. Vix dubites, quin ita scripserit Flaccus,

Non Liber aeque, non acuta
Si *geminant Corybantes aera.*

Sententia est; Non Cybele, non Phoebus, non Bacchus, non Corybantes si acuta aera geminant, aeque quatiunt mentem, ut tristes irae eam quatiunt. Simile plane loquendi genus est Carm. II, 17.

Me nec Chimaerae spiritus igneae,
Nec si resurgat centimanus Gyges,
Divellet umquam.

Eodem res redibit, si legeris, *Si geminent*, aut, *Si ingeminent:*

Digitized by Google

ingeminent, Caeterum quid sit *geminare aera* discès ex Lucretio II, 635.

Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent aeribus aera.

Et Ovidio Metam. III, 534.

aerane tantum
Aere repulsa valent, & adunco tibia cornu?

Et Fast. IV, 184.

Aeraque tinnitus aere repulsa dabunt.

v. 14. ADDERE PRINCIPI LIMO COACTUS] Offendit Julium Scaligerum illud *coactus: neque enim*, ait, *Prometheus coactus fuit, aut coactus fecit.* Hoc unde compertum Scaligero esse potuit, equidem nescio: cum nullus opinor nunc extet praeter nostrum, qui hanc fabulam tangat. Quamquam fatendum sane est, non valde veri simile esse, ejusmodi fabulam a quoquam excogitatam, qua Prometheus coactus hoc fecerit. Ipse enim consulto hominem formasse dicitur, non alterius jussu & imperio. Siquis igitur a Scaligeri partibus steterit, facili mutatione sic huic loco mederi poterit,

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactam *particulam undique;*
Desectam & insani leonis
Vim stomacho adposuisse nostro.

Recte enim *undique coactam*, hoc est, collectam, collatam, congestam. Virgil. Aen. VIII, 7.

undique cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.

Idem Aen. VII, 582.

Undique collecti coeunt, Martemque fatigant.

Noster in Arte Poet. v. 3.

Undique collatis membris.

Virgil. Aen. II, 763.

huc undique Trita gaza Congeritur.

Recte quoque *fertur addere*, pro addidisse: etiam cum sequatur *adposuisse*. Noster Carm. III, 20.

Arbiter pugnae posuisse *nudo*
Sub pede palmam
Fertur, *& leni* recreare *vento*
Sparsum odoratis humerum capillis.

Propertius III, 12.

Inter quos Helene nudis capere *arma papillis*
Fertur, *nec fratres* erubuisse *deos.*

CARMEN XVII.

v. 5. IMPUNE TUTUM PER NEMUS] Enimvero indignandum est tot magnis interpretibus haec placere potuisse. Certe *impune tutum* consistere una nequeunt. Quid enim tantopere mirandum, si per *tutum* nemus *impune* vagantur pecora? mirarer magis, si in nemore feris infesto impune errarent. Apage itaque *tutum*, quod tantum abest ut augeat sententiam, ut plane diminuat destruatque. Recte codices quidam Lambino inspecti, TOTUM: ut & nos ex conjectura prius reposueramus, quam apud Lambinum id vidimus. Per *totum*, inquit, nemus, per densissima quaeque silvarum loca, ubi ferarum latibula sunt, *impune* pervagantur. Persius Sat. V, 32.

Cum blandi comites, totaque impune *Suburra*
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Virgil. Georg. II, 308.

Et totum *involvit flammis* nemus.

& Aen. VI, 358.

procul o procul este profani,
Conclamat vates, totoque *absistite* luco.

Nemesianus II, 68.

tectumque subire
Viminis, & caveam totis *praeponere* silvis.

v. 8. NEC VIRIDES METUUNT COLUBRAS.] Viderint, qui reclamantibus fere omnibus ubique codicibus, COLURROS hic nobis obtrudunt. *Colubras* legebat & Lactantius ad Statii Theb. V. Vide Noninm, ubi exempla profert ex Lucilio, Turpilio, & Varrone. Noster Serm. I, 8.

Utque lupi barbam variae cum dente colubrae.

Juvenal. V, 107.

Vos anguilla manet, longae cognata colubrae.

Arnobius lib. IV. *Mercurius ore facundus, & gestator affabilium* colubrarum.

v. 9. NEC MARTIALES HAEDILIA LUPOS] Vetustissimi nostri Leidenses, Graevianus, Reginenses, HAEDILIAE. Atque ita in suis invenerunt Lambinus & Cruquius, qui tamen *haeduliae* haedorum septa perperam interpretantur. Tu vero scribe, quod minimum ab libris recedit,

Nec Martiales HAEDULEAE *lupos.*

Ut ab equo equulens, ab hinno hinnuleus, ita ab haedo haeduleus. Et potuit quidem hic dixisse, *haedulei lupos*; sed maluit genus femininum, ut paullo ante *colubras* & *uxores* olentis mariti. Quidni autem *hinnuleae*; cum Varro dixerit

hinnas

Digitized by Google

himas & *equulas* apud Nonium Marcellum? Certe qui *haedilia* hic defendunt, praeterquam quod in verſu flagitium inſigne admittunt, verbum inſuper veteribus, credo, Romanis inauditum fingunt. Quippe agni & haedi non ſeorſim, ſed una cum matribus plerumque ſtabulabantur. Proinde, ut agnorum oviumque ſtabulum nemo *agnile* dixit, ſed *ovile:* ita caprarum haedorumque ſeptum non *haedile* vocabatur, ſed *caprile*. Gloſſarium quidem vetus; Ἐριφοστάσια, *haedilia*; & Ἐριφίνης (lege Ἐριφιῶνες) *haedilia:* ſed apud Rei Ruſticae ſcriptores vel Graecos vel Latinos fruſtra, opinor, ea verba quaeſiveris. Imo vero, quia & oves & caprae plerumque uno ſepto claudebantur, etiam ſtabula caprarum *ovilia* vocitabant veteres.

Tibullus II, 1.

Huic datus, a pleno memorabile munus ovili,
Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.

Ovid. Metam. XIII, 827,

Sunt fetura minor tepidis in ovilibus agni:
Sunt quoque par aetas aliis in ovilibus *haedi.*

v. 14. HINC TIBI COPIA MANABIT] Legendum puto, etiam invitis manuſcriptis, Hic *tibi copia;* ut mox ſequitur, Hic *in reducta valle.* Quod & erudito Dacierio & ante eum Doctiſſimo Fabricio placuiſſe video. Sane ſic habet editio Loſcheri 1498. *Hinc* & *hic* frequentiſſime confunduntur in ſcriptis codicibus. Quod ſi *hinc* legeris, interpretandum quidem fuerit *ob pietatem meam:* atqui eo pacto dicendum potius foret *Hinc* MIHI *copia*, quam *hinc tibi.* Neque enim amicam ſuam Tyndarin vel uxoris conditione habere voluit, vel heredem ſibi inſtituere. Caeterum illud, quod mox ſequitur, RURIS HONORUM, ut eleganter dictum jure laudant interpretes: poterant etiam & exemplis illuſtraſſe: nam imitatus eſt clare Statius Silv. IV, 5.

Parvi beatus ruris honoribus.

& occultius in Theb. X, 783.

hi ſertis, hi veris honore *ſoluto*
Accumulant.

& Silius Italicus III.

Nullum ver uſquam, nullique aeſtatis honores.

v. 19. FIDE TEIA DICES LABORANTES IN UNA] Codices noſtri, Galei, Zulich. & a ſecunda manu Reginenſis. DISCES: ut alibi noſter Carm. IV, 13. ad Phyllida.

condiſce *modos, amanda*
Voce quos reddas.

& II, 19.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite poſteri)
Nymphaſque diſcentes.

Sed nihil mutandum: nam quid eſt *diſcere fide Teia?* Nimirum Tyndaris fidibus & voce canere ſciebat, ut Lyde, Carm. III, 28.

Tu curva recines lyra
Latonam, & celeris ſpicula Cynthiae.

CARMEN XVIII.

v. 7. AT NEQUIS MODICI.] Graevianus noſter cum Leidenſi, Batteliano, Petrenſi, & Galei ac. Et ſic, opinor, aliorum aliquot; ſed haec, ut putant, levia male praetereunt. Sane ſic editio Loſcheri 1498. Omnino elegantius eſt, & Horatianum. Sic Epiſt. I, 19. v. 26.

Ac *ne me foliis ideo brevioribus ornes.*

ut ibi omnes fere codices: tamen & illic quoque AT editiones occupavit. Epiſt. I, 1. v. 13.

Ac *ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter.*

Epiſt. II, 1. v. 208.

Ac *ne forte putes, me quae facere ipſe recuſem,*

Ovid. Remed. Am. 465.

Ac *ne forte putes nova me tibi condere jura.*

Sic ibi editio prima & duo ſcripti, ut fatetur praeſtantiſſimus Heinſius. Vulgo ET. Ipſe nullo praeeunte codice repoſuit AT. Non dubito, quin, ſi haec noſtra vidiſſet, mutaſſet factum.

CARMEN XIX.

v. 3. ET LASCIVA LICENTIA] Recte. Sic Salluſtius Jugurth. 39. *Militibus, quos ſoluto imperio licentia atque laſcivia corruperat.* Quintilianus Inſtit. IX, 4. *Quorundam in oratione ſimili pene licentia laſcivientium.* Scribe tamen hic non *laſciva licentia*, ſed *Licentia*; nam Deam intelligit, ut in ſuperioribus Venerem & Bacchum poſuit. Cicero de Legibus II, 17. *Vexati noſtri Lares familiares: in eorum ſedibus exaedificatum templum Licentiae: pulſus a delu-*

Digitized by Google

bris is, qui illa ſervarat, Sed hoc Cicero ἁπτοκλιτῶς: nam Codius *Libertati*, non *Licentiae*, id conſecraverat. Claudianus de Nuptiis Honorii v. 77. ubi Veneris aulam & comitatum deſcribit;

nec cetera Numina deſunt:
Hic habitat nullo conſtricta Licentia *nodo.*

Porro in verſu praecedente plures libri JUBENT, Leidenſis, Reginenſis, Reg. Societatis, Petrenſis & alii: ſed rectius Graevianus & Batt. JUBET. Amat enim noſter in ejuſmodi conſtructione ſingularem numerum, ut alibi pluribus docebo. Vide ad Carm. I, 24. verſ. 8.

v. 6. SPLENDENTIS PARIO MARMORE PURIUS] Manifeſte hoc imitatus eſt Seneca Hippolyto 795.

Vexent hanc faciem frigora parcius;
Haec ſolem facies rarius appetat;
Lucebit Pario marmore clarius.

CARMEN XX.

v. 5. CARE MAECENAS EQUES] Recte quidem pro amicitiae & familiaritatis jure *Care Maecenas* dicere potuit Noſter, ut alibi *Dilecte Maecenas.* Sed quid tum de *Equite* fiet? Neque enim *care eques* tolerabile quidem eſt; & multo minus *eques* ſic nudum & Epitheto deſtitutum. Sine dubio legendum cum codice Regiae Societatis,

Clare, *Maecenas, eques.*

ut alibi Carm. III, 16.

Maecenas, equitum decus.

& Propertius III, 7.

Maecenas, eques Etruſco de ſanguine Regum.

Martialis VI, 58.

Soſpite me, ſoſpes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili praemia CLARUS EQUES.

Plinius Epiſt. II, 13. *Pater ei in* equeſtri *gradu* clarus, clarior *vitricus.*

CARMEN XXI.

v. 5. Vos LAETAM FLUVIIS, ET NEMORUM COMA.] Quatuor Blandinii longe optimi apud Cruquium, & noſter Graevianus COMAM. Quae melior lectio eſt, & ſequentibus aptius reſpondet. Vos, inquit, puellae, Dianam cantate, & nemora Algidi, aut Erymanthi, aut Cragi: vos invicem, pueri, Apollinem, & Tempe, & Delon. Quod ſi legeris COMA, tum ſola Diana ab illis, ab his vero praeter Apollinem Tempe & Delos canentur. Quomodo ergo jubet *totidem* tollere laudibus? Recte vero nemorum *comam* celebrare imperat: ut alibi Carm. III, 28.

Nos cantabimus invicem
Neptunum, & viridis Nereidum comas.

Porro aliud agunt Enarratores, cum ſequentia ſic conſtruunt, Laudate *humerum* Apollinis, *inſignem pharetra.* Meliora ſane illos vel Porphyrio Scholiaſtes docere potuiſſet. Reſpondent, inquam, haec ſuperioribus, *vos dicite* Dianam *laetam fluviis*; *vos* Apollinem *inſignem humerum pharetra. Inſignis humerum* Helleniſmus notiſſimus eſt, noſtro quoque familiaris:

Nec Mauris animum mitior anguibus.

& alibi.

v. 13. HIC BELLUM LACRIMOSUM, HIC MISERAM FAMEM] In praecedentibus & Dianae & Apollinis laudes una celebrantur: jam vero Apollinem ſolum ait bellum, famem, & peſtilentiam a Romanis amoliturum. Quid ergo opus erat ſupervacuis precibus Dianam ſollicitare? Quamobrem, ne nihil omnino hic agat Diana, vide an legendum ſit,

Haec *bellum lacrimoſum, hic miſeram famem.*

Bellum autem lacrimoſum intellige *Civile*: ut Carm. III, 8.

Medus infeſtis ſibi luctuoſus
Diſſidet armis.

Diſcordiam vero abigit propitia Diana, ut memorat Callimachus, Hymno in Dianam v. 133.

Οὐδὲ διχοστατὴ πρώτη γένετ', οὐδὲ ἑκὼν ἐν
Οἴκῳ ἐριδμαίνῃσι ἰσόθρονος.

CARMEN XXII.

v. 2. NON EGET MAURIS JACULIS] Ita priſci quique codices, MAURIS, ut jamdudum monuerunt Interpretes: mei certe vetuſtiores Leid. Graev. Zulich. Batt. & a prima manu Reginenſis. Adde Editionem Loſcheri 1498. & Lactantium Inſtit. V. 18. ubi non aliter citatur hic

Digitized by Google

hic locus. Quare expugnanda tandem est eorum pertinacia, qui alterum illud MAURI etiam in recentissimis aliquot editionibus obtrudunt. Quippe & noster alibi, *Maura unda, Mauris anguibus,* ut ab aliis observatum. Trebellius Claudio. c. 14. *Purpura Maura.* Vopiscus Aureliano c. 12. *Stragula Maura.* Ovid. Fast. 244.

Astèniti Mauras *pertimuere manus.*

Juvenalis X. 148.

hic est quem non capit Africa Mauro *Percussa Oceano.*

& XII, 4.

Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.

Statius Silv. I, 3.

Auratasne trabes, an Mauros *undique postes?*

Idem Theb. IX, 189.

Sic ubi Maura *diu populatum rura leonem.*

Martialis XIV, 90.

Non sum crispa quidem, nec silvae filia Maurae.

Avienus in Descript. Orb.

sic caelum vertice fulcit
Maura *Abila, & dorso consurgit Iberica Calpe.*

Silius Italic. III.

juga Pyrenes venatibus acer
Metiri, jaculove *extendere proelia* Mauro.

v. 6. FABULOSUS LAMBIT HYDASPES.] Nic. Heinsius ad oram libri sui; SABULOSUS *legit Grotius Petrus.* Nollem sane hoc ei excidisse; quippe quod & sententiae & versui repugnat. *Sabulosus* enim primam syllabam brevem habet; & de *solo, terra,* dicitur, non de *fluvio. Fabulosus Hydaspes* (ut Carm. III, 4. *Fabulosae palumbes*) hoc est, de quo multa in Poëtarum fabulis narrantur. Curtius III, 1. *Marsyas amnis* fabulosis *Graecorum carminibus inclytus.* Plinius Hist. Nat. V. 1. *Montem Africae vel* fabulosissimum *Atlantem.* Quintil. Declam. X. *Filium tuum, mulier infelix, non impositae inferis clusere terrae, non spissa perpetuae noctis caligo compescuit, non* fabulosa *vatibus palus, multumque celebrati curvato igne torrentes.* Seneca Epist. 45. *Nec me Charybdis & Scylla, & fabulosum istud fretum deterrere potuissent.*

v. 11. CURIS VAGOR EXPEDITIS] Variant hic & scripti & editi, dum alii *expeditis,* alii *expeditus* praeferunt. Utramlibet lectionem tuto sequi poteris: posterior tamen & verior videtur & elegantior. Sic *expedire se molestia, metu, crimine, aerumnis, laqueis &c.* passim occurrunt. *Expeditus* igitur *curis,* ut illud Senecae Oedip. v. 13.

Curis solutus, *exul, intrepidus, vagans.*

& Symmachi Epist. VII, 32. *Jamdudum* curis *publicis* absolutus, *relegere iter debuisti.* & Terentii Phorm. V, 4.

Hic simul argentum reperit, cura *sese* expedivit.

Mutatum suspicor ab eruditulo quodam, qui paullo ante legerat in Carm. VIII.

Saepe trans finem jaculo nobilis expedito: & proinde, ut ibi *trans finem expedito,* itidem & hic voluit *ultra terminum expeditis:* nescius scilicet, *vagor ultra terminum,* veram hic constructionem esse.

v. 14. DAUNIA IN LATIS ALIT ESCULETIS] Sic omnes, credo, editi jam ab annis plus centum: nullae tamen, quod sciam, membranae sic repraesentant: verum antiquiores DAUNIAS LATIS; ut praeter aliorum Codices Nostri Leid. Zulich. Graev. & a manu prima Reginensis; nam litera S nunc erasa est: caeteri autem DAUNIA LATIS sine praepositione. Par etiam varietas est in editionibus priscis; Veneta anno 1478 *Daunia latis:* Loscheri 1498 *Daunias latis:* ut plane credibile sit lectionem illam, quae hodie obtinet, *Daunia in latis,* in nullis omnino manuscriptis nunc reperiri. Quid igitur fiet? *Daunias dauniados,* Graeca enuntiatione, erudite, ut alia omnia, defendit Nicolaus Heinsius ad Ovid. Sappho Phaon. v. 164. *Daunias,* inquit, *more Graeco, ut Cephesias ora, Phasias terra, Hadrias unda. Actias Orithyia;* quibus addi possent, *Lemnias, Scyrias, Gnossias, Myneias,* & alia innumera. Sed illa Graeca sunt, & Graecam inflexionem libenter accipiunt: quae tamen in Latino *Daunia* invitius, ni fallor, admittetur. Illud igitur magis ad rem, quod, ut ibidem affirmat Vir summus, *Appias via* pro *Appia* non uno loco occurit apud Ovidium. Quidni itaque *Daunias* regio, ut *Appias* via? Sed operae pretium est, ut loca integra huc coram adducantur. Artis Amatoriae I, 79.

Et fora *conveniunt (quis credere possit) amori,*
Flammaque in arguto saepe reperta foro.
Subdita quae Veneris sacro de marmore templo
Appias *expressis aera pulsat aquis.*
Illo saepe loco capitur consultus *Amori:*
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.
Hunc Venus e templis, quae sunt confinia, *videt:*
Qui modo patronus, *nunc cupit esse cliens.*

Art. Amat, III, 449.

Redde meum, clamant ſpoliatae ſaepe puellae;
Redde meum, toto ſaepe boante foro.
Has, Venus, e templis multo radiantibus auro
Lenta vides lites, Appiadeſque *tuae.*

Remed. Amor. 659.

Turpe virum & mulier, juncti modo, protinus hoſtes:
Non illas lites Appias *ipſa probat.*

Jam autem in loco ſecundo *Appiadas* interpretatur *meretriculas, quae extra urbem via Appia habitabant:* in ceteris *Appias*, ut opinatur, eſt ipſa via Appia. Profecto alibi occupatus erat vir, ſiquis alius, emunctae naris, cum haec effudit. Nihil enim hic de *Via Appia*, nec de *meretriculis*: in urbe media res agitur, proxime ipſum Forum; quod ſatis ſuperque indicant tot vocabula, *forum, conſultus, conſinia, patronus*; ut legenti continuo patebit. Paucis rem explicabimus. Appius Claudius Caecus in cenſura ſua *aquam*, quae ab ipſo *Appia* vocata eſt, ad urbem duxit: ea, praeter alios in aliis Urbis locis, unum exitum ſive Salientem habuit prope Forum, juxta aedem Veneris; quae Venus inde APPIAS cognominata eſt: APPIADES autem ſunt Nymphae vel Deae, quarum ſtatuae circa iſtum Salientem ornamenti gratia ponebantur, & ex ore, mammis, digitis, vel capillitio aquas emittebant. Atque id quidem cum haec ipſa Ovidii loca ſatis demonſtrant, tum imprimis Plinius, lib. XXXVI, 24. *Agrippa*, inquit, *in aedilitate ſua, adjecta Virgine aqua, ceteris corrivatis atque emendatis, lacus ſeptingentos fecit: praeterea ſalientes centum quinque: caſtella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis* SIGNA *trecenta aerea aut marmorea impoſuit, columnas ex marmore quadringentas.* Equidem haec certiſſima eſſe judico: proinde ſi Venus vel Nympha ad Appiae Salientem collocata *Appias* dicitur, non idcirco & terra *Daunias* vocari poterit; non magis profecto quam *Italias* vel *Sicilias*. Quippe, quod caput rei eſt, & praecipue advertendum, *Daunia* eſt nomen ſubſtantivum, ut loquuntur Grammatici, aeque ut *Italia* vel *Sicilia*. Feſtus Pompeius: DAUNIA, *Apulia appellatur a Dauno Illyricae gentis claro Viro, qui eam propter domeſticam ſeditionem excedens patria occupavit*, Polybius. III, 88. Ἐις πρώτην ἐπέβαλε τὴν ΔΑΥΝΙΑΝ. & IX, 7. ποιησάμενος τὴν πόρειαν διὰ τῆς ΔΑΥΝΙΑΣ ἐπὶ τὴν Βρεττίας. Stephanus Byzantius: τὸ ἐθνικὸν Δαύνιος, καὶ ΔΑΥΝΙΑ τὸ θηλυκόν. Huc accedit, quod & ipſum *Daunias* ſubſtantive hic ponitur, *militaris Daunias*: quod adhuc durius eſt, quam ſi pro Epitheto haberetur. Tolerabilius enim foret *Daunias haſta*, vel *Daunias Nympha* vel ejuſmodi aliud quid, quam *militaris Daunias*. Tamen & illud refugerunt eum noſter in Carm. II, 1.

quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?

& IV, 6.

Dauniae *defende decus camenae.*

tum & Virgilius Aen. VIII, 146.

Gens eadem quae te crudeli Daunia *bello*
Inſequitur.

Et XII, 785.

Procurrit, fratrique enſem dea Daunia *reddit.*

Quae cum ita ſint, non aufim ſane vetuſtiſſimis licet codicibus fidem habere; neque tam ῥηχόζηλον Horatium credere, ut nulla ne verſus quidem neceſſitate cogente DAUNIAS diceret, cum in promptu eſſet, quod nunc editiones occupat, DAUNIA IN LATIS. Recte enim & de more praepoſitio hic ponitur, ut paullo ante,

Namque me ſilva lupus in *Sabina*,

Et Virgil. Georg. III, 224.

Paſcitur in *magna ſilva formoſa juvenca.*

Illud tamen difficile dictu eſt, unde niſi ab ipſa Horatii manu provenire potuit *Daunias* in priſcis membranis. Neque enim quicquam obſcuri eſt in hodierna lectione: neque librariis proclivis erat lapſus a facili & uſitato ad inauditum vocabulum. Unde illud evenit, ut in recentioribus Scriptis, litera S eraſa, τὸ *Daunias* rurſum ad *Daunia* etiam metri damno revocaretur. Si hariolari hic liceret, ſuſpicarer olim, pro *Daunia in*, librariorum errore *Dauniam* ſcriptum fuiſſe: unde correctores ut & verſui & caſui nominativo conſulerent, ſubſtituiſſe *Daunias*. Vel exortus eſt fortaſſe ſciolus aliquis, qui in illis,

Quale portentum neque militaris
Dauniam *latis alit eſculetis,*

portentum caſu nominativo caperet, & idcirco *militaris*, hoc eſt, militares *Daunias* acculativum faceret. Utcumque ſe res habuerit; me ſane non invito, utramlibet lectionem ſive *Daunias*, ſive *Daunia in* pro arbitrio ſequetur lector eruditus.

V. 18. ARBOR AESTIVA RECREATUR AURA] Marius Victorinus p. 2603 bis hunc verſiculum laudat ad hanc ſpeciem,

Arbor aeſtiva recreatur umbra.

Sed nihil eſt, quod a codicibus recedamus. Sane in zona glaciali, quae hic deſcribitur, ſatis ſuperque erat *umbrae*: neque proinde aeſtivam umbram

Digitized by Google

umbram desiderabat, sed *auram*, quae maxime arbores frugesque recreat. Noster Carm. Saeculari,

Nutriant fetus & aquae salubres
Et Jovis aurae.

Catullus Epig. LXIII.

Ut flos in septis secretus pascitur hortis,
Quem mulcent aurae, *firmat sol, educat imber.*

Idem in Nuptiis Pel. & Thet.

Aura *parit flores nitidi fecunda Favoni.*

Ovid. Fast. V, 209.

Est mihi fecundus dotalibus hortus in agris:
Aura *fovet: liquidae fonte rigatur aquae.*

Valerius Flaccus VI, 711.

Qualem siquis aquis & fertilis ubere terrae
Educat, ac ventis *oleam felicibus implet:*
Nec labor assiduus, nec spes sua fallit alentem.

Idem VI, 340.

Dixit, & Edonis nutritum missile ventis
Concitat.

ubi ὁ πάνυ Nic Heinsius: *Nutritum*, inquit, *missile ventis, ut apud Homerum* ἀνεμώρειφις χῦμα, *impulsum ventis.* Perperam quidem: ut ex superioribus satis apparet, & adhuc magis ex Seneca Nat. Quaest. V, 18. *Dedit deus* VENTOS, *ad custodiendam caeli terrarumque temperiem, ad evocandas supprimendasque aquas, ad* ALENDOS *satorum atque arborum fructus, quos ad maturitatem cum aliis caussis adduxit ipsa jactatio, attrahens cibum in summa, &, ne torpeant, movens.*

CARMEN XXIII.

V. 4. AURARUM ET SILUAE METU] ubi *silüae* tribus syllabis posuit; ut iterum Epod. XIII.

Nunc mare, nunc silüae,
Threicio Aquilone sonant.

Quod equidem non possum non demirari; cum adeo in promptu esset, quod pari elegantia nullaque vi mensurae adhibita dicere potuit,

Aurarum & nemoris metu, &,
Nunc mare, nunc nemora:

plane ut Virgilius Georg. I, 335.

Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.

Neque tamen vel dubitandum quidem est de lectionis sinceritate; cum eam omnes ubique codices confirment, & Priscianus tribus in locis p. 546, 740, 1039, ubi eo ipso fine locum hunc adducit, ut *Silüae* trisyllabum esse doceat. Similem sane Dialysin in aliis verbis admiserunt non Catullus solum, qui paullo durior est, sed terssissimi Poëtarum Tibullus & Ovidius: ille Eleg. I, 7. & alibi,

Stamina non ulli dissoluenda deo.

hic in Epist. Medeae Iasoni.

Debuerant fusos evolüisse meos. & passim. Verum alia ratio horum est, alia, ni fallor, *silüae. Solvo* enim & *volvo*, si consonantem in vocalem dissolveris, primam brevem habebunt; ut ex supinis & participiis constat, *Solutus, volutus: Silüa* autem, etiam per diaeresin in tres syllabas dissoluta, primam tamen longam retinebit; liquidem certum est a Graeco ὕλη, vel per digamma Aeolicum ὕλϜη, Latinum *Silva* profluxisse. Nam ὕλη quidem apud Graecos syllabam primam semper productam habet. Ita *Milvus* aut *milüus*, sive dissyllabon, sive trisyllabon facias, utroque modo primam longam servat. Sed eo tantum haec notamus, ut acuamus eruditorum judicia: non ut poëtam culpae insimulemus, qui sine dubio ex usu sermonis & eruditorum consuetudine scire melius faciliusque haec potuit, quam quivis hodie mortalium ex incertis Analogiae rationibus tanto post intervallo hariolari.

V. 5. NAM SEU MOBILIBUS VERIS INHORRUIT ADVENTUS FOLIIS] Ita libri quidem nostri magna constantia: ut & plerique aliorum. Solus Muretus ex codicibus suis protulit,

Nam seu mobilibus vitis *inhorruit*
Ad ventum *foliis.*

Quod ad priorem lectionem attinet, multis ea nominibus cordato lectori displicere debet. Neque enim poterit *veris adventus inhorrescere foliis*, cum eo tempore nondum nata sint folia: ver enim ipsum frondes educit. Neque adventu veris *hinnulei matres quaeritant*; cum ante ver adultum cervae non pariant. Neque tunc temporis *Lacertae rubos dimovent*, cum ex latebris suis, in quas hieme se condunt, tam mature non prodeant. Neque porro, si haec omnia sustuleris, Latine dici potest, *Adventus veris inhorruit foliis:* cum retro potius oratio instituenda sit, ut *folia inhorrescant adventu veris.* Jam autem in Mureti lectione illud certe VITIS consistere non potest: quippe in *montibus aviis* nullae omnino sunt vites, quae hinnuleos territent. Alterum vero illud AD

Digitized by Google

VENTUM optime ſe habet; & nulla pene mutatione totus locus ſic legendus eſt,

Nam ſeu mobilibus vepris *inhorruit*
Ad ventum *foliis; ſeu virides rubum*
Dimovere lacertae.

Nihil profecto hac conjectura certius eſt; ſuoque ipſa lumine aeque ſe probat, ac ſi ex centum ſcriptis codicibus proferretur. Nam principio, aptiſſime VEPRIS cum *rubo* conjungitur. Plinius XXII, 42. *Gignitur* (cinnamomi frutex) *in planis quidem, ſed in denſiſſimis* vepribus rubiſque, *difficilis collectu.* Seneca Hippolyto, 1103.

acutis aſperi vepres rubis,
Omniſque truncus corporis partem tulit.

Deinde & ipſa per ſe vepris *horret*, & recte *vento inhorreſcere* ſive intremiſcere dicitur. Virgilius Georg. III, 315.

Horrentiſque rubos, *& amantis ardua dumos*

Georg. I, 151.

ſegniſque horreret *in arvis Carduus.*

Aen. XI, 579.

Hic natam in dumis interque horrentia *luſtra.*

Georg. III, 198.

tum ſegetes altae campique natantes
Lenibus horreſcunt flabris, *ſummaeque ſonorem*
Dant ſilvae.

Recte poſtremo AD VENTUM, tritiſſimo loquendi genere. Virgil. Aen. IV. 513.

Falcibus & meſſae ad lunam *quaeruntur ahenis*
Pubentes herbae.

Celſus lib. I, cap. 2. & 3. Ad ignem *ungi atque ſudare.* Ovidius Pont. I, 3.

Et jam deficiens, ſic ad tua verba *revixi;*
Ut ſolet infuſo vena redire mero.

Lucretius VI, 1169.

ad ventum *& frigora ſemper,*
In fluvios partim gelidos, ardentia morbo
Membra dabant.

Porro ex Anacreonte hunc locum expreſſum eſſe recte obſervarunt Interpretes; ſed in digerendis ejus verſibus fefellit eos metri ratio; non enim quattuor ſunt, ſed duo tantum, & ſic diſponendi.

Ἄνθεα πρῶτον ποώδεα γαλαθηνὸν, ὅσ' ἂν ἴλλῃ
Κρηθίσσης δύπλειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἀπιτύλῃ.

Galliambi ſunt, quales frequentes erant apud Anacreontem, teſte Hephaeſtione, qui hoc exemplum producit,

Παρὰ δ' ἦνιν Παθύμανδρον πατέδυν' ἰχθὺς φιύγων.

Sic enim legendum ex ſcripto codice, non πυθόμαν δὲ, ut vulgo. Atque haec vel his ſimilia cum ad incomparabilem virum Joannem Georgium Graevium ✝ μυκηθείτω, *animam qualem neque candidiorem terra tulit*, ante biennium ſcripſeram; his verbis mihi reſponſum dedit IV Non. Decemb. MDCCII paullo ante obitum. *Cum nuperius tuas litteras, in quibus aliquot emendationes Horatianas mecum communicaras, recitaſſem Petro Burmanno homini elegantiſſimo, mire tibi applaudebat. Poſt aliquot dies rediit ad me ſecum ferens Horatium, cui non pauca adſcripſerat Nicolaus Heinſius, & Statium. In utriuſque libri margine vir ille doctiſſimus notaverat, in Od.* XXIII. *lib.* I. *Salmaſium pro* veris *correxiſſe* VEPRIS, *quod ex Menagio didicerit. Hoc tu quidem ignoraſti, ut tibi laus inventi pulcherrimi debeatur: gaudebis tamen credo idem viro magno in mentem incidiſſe, quod tuae inciderat.* Haec quidem ad me vir celeberrimus: Ego vero, cum poſtea doctiſſimi Burmanni beneficio exemplar Heinſiani Horatii nactus eſſem, in libri margine hoc adnotatum repperi: VEPRIS, *Salmaſius, teſte Menagio*: hanc autem, quaecumque eſt, emendationis praereptae laudem viro maximo libenter concedo; quam habeat ſecum, ſervetque ſepulcro.

CARMEN. XXIV.

V. 2. PRAECIPE LUGUBRES CANTUS MELPOMENE] Recentiores quidem libri ex meis *Lugubres*; vetuſti vero Leidenſis, Graevianus, Reginenſis cum pleriſque Cruquii *Lugubris:* quod tamen eodem redit; cum ſollemne ſit eiſdem codicibus accuſativos plurales per is ſcribere. Hinc tamen Danieli Heinſio arrepta eſt occaſio conjecturam minime ſe dignam proferendi. Vult enim genitivo caſu haec concipi, *Melpomene lugubris cantus*, dea ſcilicet cantus lugubris. Dolet profecto hominem & ingenii & eruditionis gloria alias florentem adeo turpiter ſe in Horatio dediſſe. Cujus enim aures non iſtud refugient, *Melpomene cantus?* Quis umquam vel fando audivit, *Venus amorum, Apollo muſicae, Minerva artium, deus* vel *dea* ſubintellecto? Adde, quod & ſententiam quoque ſubvertit, dum hujuſmodi conſtructionem facit,

Digitized by Google

cit, *Praecipe, quis modus sit Desiderio:* in quo paria paene ei peccavit Muretus, qui post Scholiastam veterem sic verba ordinat, *Praecipe cantus, quis* sive *quibus desiderio pudor sit & modus.* Intempestiva sane haec videntur, & cum sequentibus pugnant. Nam continuo luctum orditur Noster, *praecepti* istius nimis immemor,

Ergo Quintilium perpetuus sopor Urget?

Quid, quod odiosum est luctui modum ponere; ut quidem sentit Statius Silv. II, 6.

Saeve nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis,
Lugendique modos.

Idem Silv. V, 5.

O nimium felix, nimium crudelis, & expers
Imperii, Fortuna, tui, qui dicere legem
Fletibus, aut fines audet censere dolendi.

Seneca tamen in Consolat. ad Helviam c. 1. *Cui nihil,* inquit, *negares, huic hoc utique te non esse negaturam (licet omnis maeror contumax sit) spero, ut* DESIDERIO *tuo velis a me* MODUM *statui.* Verum, utcumque hoc sit, recte se habet vulgata lectio, per interogationem.

v. 8. QUANDO ULLUM INVENIENT PAREM] Silent hic interpretes; adeo ut crediderit quis eos INVENIENT in omnibus suis codicibus invenisse. Vide hominum securam negligentiam. Equidem in plus decem, quos penes me habeo aut habui, hisce oculis legi INVENIET; illud alterum ne in uno quidem. Et sic plane habent editiones principes, Veneta & Loscheri. Mutatum vero ab iis est, qui triplicem nominativum *Pudor, Fides, Veritas* cum plurali numero libentius jungi existimarunt. In quo eos fefellit prorsus & latuit Horatiani sermonis genius: quem, quia aliquoties in progressu operis necesse erit observare, semel hic, ut opera illa defungar, lectori exhibebo.

Carm. I, 2.

Quem juvat *clamor, galeaeque leves,*
Acer & vultus.

I, 3.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat *pater.*
Illi robur, & aes triplex Circa pectus erat.

I, 4.

Jam te premet *nox, fabulaeque manes,*
Et domus exilis Plutonia.

I, 6.

dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat.

I, 34.

Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & invisi horrida Taenari
Sedes, Atlanteusque finis Concutitur.

I, 35.

Te Spes & albo rara Fides colit
Velata panno.
At vulgus infidum, & meretrix retro
Perjura cedit.

II, 13.

Quin & Prometheus, & Pelopis parens
Dulci laborem decipitur *sono.*

III, 13.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Enisus, arces attigit *igneas.*

III, 6.

Jam bis Moneses, & Pacori manus
Non auspicatos contudit *impetus.*
Delevit *urbem Dacus & Aethiops.*

III, 11.

Quin & Ixion Tityosque vultu
Risit *invito.*
Dum favet *nox & Venus.*

III, 16.

Purae rivus aquae, silvaque jugerum
Paucorum, & segetis certa fides meae
Fallit *sorte beatior.*

IV, 5.

Nutrit *rura Ceres almaque Faustitas.*
Mos & lex maculosum edomuit *nefas.*

IV, 8.

Virtus & favor & lingua potentium
Vatum divitibus consecrat *insulis.*

Sed abunde, credo, jam exemplorum est: & similia porro in ceteris Flacci operibus notabit diligens lector: videbitque vix umquam aliter extare apud nostrum, nisi forte cum locus est mendosus.

CARMEN. XXV.

v. 1. PARCIUS JUNCTAS QUATIUNT FENESTRAS ICTIBUS CREBRIS] Codices aliquot mei & aliorum, VINCTAS; sed recepta lectio recte habet; ut Juvenalis IX, 105.

claude *fenestras,*
Vela tegant rimas, junge *ostia, tollito lumen.*

Mox pro *ictibus* veterrimi mei Leid. Grav. Regin. & Cruquiani praeter unum omnes JACTIBUS.

Digitized by Google

TIBUS. Quod probare videtur Nic. Heinsius ad Ovid. Metam. IX, 35. *Nisi*, addit, TACTIBUS *mavis, ut apud Claudianum* I *in Eutrop.* v, 93. *de Laide jam vetula.*

jam turba procax, nec fassa recedit
Ambitus, & raro pulsatur janua tactu.

Sed vereor, ut cuiquam haec persuaserit vir praestantissimus. Equidem siquid hic mutatum vellem, VECTIBUS *crebris* potius legerim, quam aut *tactibus* aut *jactibus*. Vectibus enim utebantur amatores ad expugnandas amicarum januas & fenestras, ut Noster Carm. III, 26.

hic, hic ponite lucida
Funalia, & vectes, & arcus
Oppositis foribus minaces.

Eleganter autem *crebris* vectibus: ut Virgilius Aen. II, 492.

labat ariete crebro
Janua, & emoti procumbant cardine postes.

Et alibi *crebra tela, crebris bipennibus.* Sed omnino retinenda est recepta lectio ICTIBUS; cui astipulantur aliorum codices non pauci, & ex meis Petrensis, Magdalenensis, Bittelianus, Galei; adde editionem Loscheri 1498. *Crebris ictibus*, ut plane Lucretius IV, 932.

Tundier, atque ejus crebro *pulsarier* ictu.

& ibid. 1277.

Nam leviter quamvis quod crebro *tunditur* ictu.

Virgil. Aen. XII, 713.

tum crebros *ensibus* ictus
Congeminant.

Et ibid. V. 459.

Sic densis ictibus *heros*
Creber *utraque manu pulsat versatque Dareta.*

V. 5. QUAE PRIUS MULTUM FACILES MOVEBAT CARDINES] *Facilis*, ut extat in vetustissimis Cruquii, & Reginensi nostro cum aliquot aliis, ambiguum facit, utrumne *facilis janua*, an *facilis cardines* sit construendum. Et utrumvis sane optimorum auctorum exemplis tueri poteris. Juvenalis IV, 63.

Ut cessit, facili *patuerunt* cardine *valvae.*

Serenus Sammonicus, frequens nostri imitator,

Aut medio ventris prodest adspergere terram,
Quam signaverunt vestigia pressa rotarum,
Proderit & pulvis facili *sub* cardine *raptus.*

Contra autem Ovidius Amor. I, 2.

Difficilem *moto cardine pande* forem.

Tibullus Eleg. I, 2.

Janua difficilis domini, te verberet imber.

quod huc adducit Torrentius: verum hic potius *difficilis domini* conjungenda sunt, quam *janua difficilis.* Seneca Troadibus 406.

limen & obsidens
Custos non facili *Cerberus* ostio.

Idem de ira III, 37. *Nunc ille, qui intra fatt, felix fortunatusque est; & beati hominis judicat ac potentis indicium*, difficilem januam: *nescit* durissimum *esse* ostium *carceris.* Atque hic potius incumbo, ut *facilis janua* apud Nostrum sit verior constructio: quamquam majori interpretum parti alterum magis placuit. Convenit enim, ut *facilitas* & benignitas de agente potius quam de patiente dicatur; de *janua quae movebat*, quam de *cardinibus qui movebantur.* Illud autem memineris, *multum facilis* hic accipere, non *multum movebat*: ut Serm. I, 3. *Multum demissus homo.* II, 3. *Multum celeratque fidelis.* II, 5. *Multum similis metuenti.* Epist. I, 10. *Multum dissimiles*, & denique II, 2.

Poscentes vario multum diversa palato.

V. 7. ME TUO LONGAS PEREUNTE NOCTES, LYDIA, DORMIS] Amator excluſus conqueritur, se ejus amore & desiderio pereunte, Lydiam altum dormire. Cur autem *longas noctes?* Satis erat de una illa nocte queri, qua tum excubabat. Certe spem fovebat, se ea ipsa nocte intromissum iri; nequicquam alioqui fores pulsaturus. Quid itaque dubitas, vel invitis codicibus, LONGAM NOCTEM reponere? Sic Ovidius Epistola Paridis.

Sola jaces viduo tam longa nocte *cubili.*

Idem Amor. II, 19.

Et sine me ante tuos projectum in limine postes
Longa pruinosa *frigora* nocte *pati.*

Statius Silv. V, 4.

At nunc, heus, aliquis longa sub nocte *puellae*
Brachia nexa tenens, ultro te, somne, repellit.

Incertus auctor in Epigrammate,

Et ipse longa nocte *dormiet solus.*

Noster Epist. I, 1.

Ut nox longa, *quibus mentitur amica, videtur.*

Meleager in Anthol. lib. VII.

ΝΥΞ ΜΑΚΡΗ. τὸ χεῖμα, μείνη δ' ἐπὶ πλειόνα δύνῃ,
Κἀγὼ σὺ σοφίσεις νείσομαι οὐκέτι.

Ita recte νείσομαι vel νισσομαι, nam utroque modo scribi solet, *ambulo, versor ante fores*: & perperam substituebat magnus Scaliger νισσομαι; neque melius Theodorus Marcilius, νείσσομαι.

V. 11.

Digitized by Google

v. 11. THRACIO BACCHANTE MAGIS SUB INTERLUNIA VENTO] Dixerat jam ante, *Tu invitem amatoribus deſtituta, & libidine furens, per vicos & angiportus captabis moechos:* nunc addit, *Borea ſub interlunia magis bacchante,* quae ſummus Criticus Julius Scaliger *ipſo Borea frigidiora* eſſe dicit. Et ſane difficile eſt luculentam aliquam ſententiam ex iis extundere. Quid enim? An in ſolis interluniis conditiones quaerebant meretrices? An tetra & tempeſtuoſa nox, qua nemo extra domum prodibat, opportunior ei quaeſtui erat, quam ſerena & ſideribus illuſtris, cum aeque fere ac interdiu plateae frequentabantur? Sedeſto: concedamus haec bene ſe habere: at quid demum cum illo MAGIS facies? Nulla quidem hic comparatio eſt, neque quicquam apparet quo *magis* referri commode poſſit. Ut Scaligeri igitur cenſuram Noſter effugiat, vide an aptius haec conſtitui poſſint unius litterulae mutatione; (nam *bacchate* vetuſti codices exhibent, lineola ſuper *a* ducta.)

Flebis in ſolo levis angiportu,
Thracio bacchata *magis ſub interlunia vento.*

Libidine, inquit, percita, per angiportus quaeres adulteros, bacchata magis quam Boreas ſub interlunia bacchatur. Recte enim *bacchata,* ut Virgilius in Culice. v. 112.

Venit Nyctéleum fugiens Cadmeïs Agave,
Quae gelidis bacchata *jugis requievit in antro.*

Claudianus I in Rufinum, de Megaera:

Haec Agamemnonias inter bacchata *penates*
Alternis luſit jugulis.

Recte quoque *magis vento:* ut Noſter Serm. II, 8.

Hic herus; Albanum, Maecenas, ſive Falernum
Te magis appoſitis *delectat:*

&. I, 6.

Privatuſque magis *vivam* te rege *beatus.*

Jam vero uſitatiſſimum eſt apud poëtas, ut mulieres amoris aeſtu incenſae, qualem noſter hic Lydiam memorat, *bacchari* & Baccharum more agitari ferrique dicantur. Ita Pholoë apud Noſtrum Carm. III, 15.

filia rectius
Expugnat juvenum domos,
Pulſo Thyas *uti concita tympano.*

Paſiphaë apud Ovid. Art. Amat. I, 312.

In nemus & ſaltus thalamo regina relicto
Fertur, ut Aonio concita Baccha *deo.*

Mulier ζηλότυπος ibid, II, 380.

In ferrum flammaſque ruit, poſitoque decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta dei.

Procris ibidem III, 708.

Nec mora, per mediας paſſis furibunda capillis
Evolat, ut thyrſo concita Baccha, *vias.*

Ariadne, in Epiſtola:

Aut ego diffuſis erravi ſola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha *Deo.*

Byblis, Metamorp. IX, 640.

Utque tuo motae, proles Semeleia, thyrſo
Iſmariae celebrant repetita triennia Bacchae:
Byblida non aliter latos ululaſſe per agros.

Phaedra in Epiſtola:

Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleïdes *actae:*
Quaeque ſub Idaeo tympana colle movent.

Cynthia Propertii III, 6.

Seu ſequitur mediας, Maenas *ut icta, vias.*

Tarpeia apud eundem IV, 4.

Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis *abſciſſos fertur aperta ſinus.*

Scylla apud Virgilium in Ciri. v. 163.

Quae ſimul ac venis hauſit ſitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in oſſa furorem,
Saeva velut gelidis Ciconum Biſtonis in oris,
Infelix tota virgo BACCHATUR *in urbe.*

Ubi obiter notandum, perperam eos facere, qui verſum tertium ſic interpolant;

Saeva velut gelidis Edonûm Biſtonis oris.

Neque felicius corrigit ὁ πάνυ N. Heinſius ad Ovid. Triſt. IV, 1. v. 42.

Saeva velut Ciconum gelidis Edonis in oris.

Quia *Biſtonis* ſcilicet, ut hi opinantur, ſyllabam mediam ubique habet brevem. Atqui aliud ex Stephano didicimus, qui Biſtonis per O magnum quoque dici teſtatur. Τὸ ϑηλυκὸν, inquit, Βισσονίς. κατίπαται ὁ κλίγαται Βισσωνὶς ἀφ' ἧς ω. Sed & hic quoque turbat poſtremus Stephani editor Berkelius, vir doctiſſimus, qui Epitomatori dicam ſcribit ob hoc ipſum, negatque ullum exemplum adduci poſſe, ubi media in Biſtonis producitur. Enimvero jam unum ex Ciri citavimus; cujus ſi dubia cuiquam fides eſſe videatur; ecce alterum ex Apollonio Rhodio, quo ſponſorem & fidejuſſorem alium non quaeſiveris meliorem, lib. I. verſ. 34.

Ὀρφέα μὲν δὴ τοῖον ἰὼν ἐπαρήγετο αἰϑλων
Αἰσονίδης, Χείρωνι & ἰφημοσύνησι πιθήσας,
Δέξατο, Πιερίῃ ΒΙΣΤΩΝΙΔΙ κηρύσσοντα.

Sed ut ad Flaccum revertamur; id etiam poëtis ſolitum eſt, ut furore actos, non *Bacchis* ſolum, ut ſupra, ſed cuivis alii rei comparent,

Digitized by Google

quae concitato motu rapitur. Ita Tibullus amore flagrans se assimulat Turbini, Eleg. I, 5.

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben,
Quem celer assueta versat ab arte puer.

quod ex Amata Virgilii expressisse videtur, Aen. VII, 376.

Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata *per urbem:*
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,

& quae sequuntur. Noster autem, non illi quidem lusorio, sed *ventorum Turbini* comparat quendam prae avaritia insanientem, Serm. I, 4.

quin per mala praeceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, *ne quid*
Summa deperdat metuens, aut ampliet ut rem.

Eleganter itaque & Lydiam, furiatam illam libidine & per angiportus cursitantem, eidem Turbini comparat, aitque *bacchari* eam per plateas magis Thracio Borea sub interlunia bachante. Nam & venti ipsi *bacchari* dicuntur, ut Virgilio in Ciri v. 479.

Afer ut hiberno bacchatur *in aequore* turbo.

& omnium maxime Thracius Boreas, ut Ovid. Trist. I, 2.

Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur *ab Arcto:*

quippe ventorum omnium violentissimus; ut Nemesian. Cyneg. 270.

Haud secus effusis Nerei per caerula ventis,
Cum se Threicius Boreas *superextulit antro,*
Stridentique sono vastas exterruit undas,
Omnia turbato cesserunt flamina ponto:
Ipse super fluctus spumanti murmure fervens,
Conspicuum pelago caput eminet: omnis euntem
Nereidum mirata suo stupet aequore turba.

& praecipue *sub interlunia* cum maxime debacchari solet; *Interluniorum enim dies tempestatibus plenos, & navigantibus quam maxime metuendos, non solum peritiae ratio, sed etiam vulgi usus intelligit*, ut Vegetius narrat De Re Mil. lib. v. cap. 10. Atque haec quidem a nobis dicta sint, magis ut lectoris judicium exerceamus, quam ut hoc ab Horatio profectum esse praestare velimus. Siquidem pace Scaligeri, sic satis commode explicari potest lectio vulgata: Ut olim amatores tui, Lydia, etiam longis & hibernis noctibus fores tuas frustra pulsabant, neque intromittebantur: ita tu vicissim, cum mox anus fueris, prae eorum foribus nequicquam excubabis, flebisque te excludi tenebrosa & procellosa nocte, sub *interluniorum* tempus, cum *Boreas magis* quam alias *debacchatur.*

V. 17. LAETA QUOD PUBES EDERA VIRENTI] *Virenti* in plerisque meis repperi; nec de suis quicquam proferunt interpretes. Sed apud Marium Victorinum p. 2604 legitur VIRENTE, & sic quidem vetustus meus Graevianus clare & sine litura. Verrius Flaccus apud Charisium p. 101. *Eorum*, inquit, *nominum, quae NS finiuntur casu nominativo, ablativus in E dirigendus est.* Is est Verrius, qui ab Augusto nepotibus ejus Praeceptor electus, transiit in Palatium cum tota Schola, & sestertia centena in annum accepit, ut narrat Suetonius de Illust. Gram. cap. 17. ut verisimile sit Verrium, ex consuetudine clarorum Scriptorum Virgilii, Varii, Horatii, aliorumque qui amicitia Augusti floruerunt, id regulae loco posuisse. Certe ubique fere Noster ad eam speciem ablativos dirigit: quos, quia aliquoties in hac re peccatum est, ut & meae & lectoris operae parcam, omnes hic recensebo: *abeunte, accedente, aedificante, agente, altercante, arente, bachante, bellante, candente, continente, crepante, culpante, currente, dante, defendente, deficiente, dicente, ducente, eludente, fallente, florente, fugiente, fulgente, imminente, jubente, mentiente, metuente, nascente, notante, obscurante, parente, pellente, pereunte, poscente, praebente, praesente, praetereunte, probante, proficiente, quadrante, rapiente, redeunte, referente, rubente, saliente, sapiente, serpente, sonante, spectante, stante, surgente, temperante, tenente, vehemente, volente, urente.* Vide, quam ampla ablativorum silva est in TE definentium; atque hi interdum quidem in fine versus, plerumque autem in medio collocantur, ubi nullus errori locus est; in omnibus tamen omnes ubique libri consentiunt. Jam autem ter quaterve tantum, vel summum quinquies, in diversum abeunt codices; de quibus locis quid sentiendum sit, jam credo judicare poteris. Quis enim dubitet in hoc, de quo agitur, loco fide Victorini & Graeviani reponere,

Laeta quod pubes edera virente,

cum viderit apud Nostrum hoc genus ablativos sexaginta ferme terminari in TE? Frustra quoque

Digitized by Google

quoque ſunt, qui Carm. 1, 2. ſubſtituere volunt,

Nube candenti *humeros amictus,*

quod ibi refutavimus. Illud quoque Carm. II, 16.

Otium divos rogat in patenti
Prenſus Aegaeo,

corrigatur PATENTE, Batteliano noſtro auctore. Tum & illud Epod. v.

Ut haec trementi queſtus ore conſtitit.

cur non potius ad ceterorum exemplum TREMENTE, quod menſurae lex aeque recipit, ac alterum? & ſic Ovidius Triſt III, 11.

Exhibuit querulos ore tremente *ſonos.*

& Pont. III, 1.

Haec quoque vix poteris ore tremente *loqui.*

& in Ibide.

Exiguumque petas ore tremente *cibum.*

Porro etiam, quod Serm. I, 2. occurrit,

Contra alius nullam niſi olenti *in fornice ſtantem,*

levi manu mutatum aliorum formam ſequetur, *olente in fornice*: ut & illud Serm. I, 7.

Tum Praeneſtinus ſalſo multumque fluenti
Expreſſa arbuſto regerit convicia.

ubi Daniel Heinſius in ſcriptis quoſdam codicibus *multoque fluente* repperiſſe memorat: quod ſi *fluenti* legas, dubium tamen eſt, ablativusne ſit an dativus. Unicus dumtaxat locus eſt, qui in turbam cogi negat, Carm. II, 19.

Euoe recenti *mens trepidat metu.*

reſpuit enim metri ratio, ut *recente* reponatur. Verum hoc Nomen eſt, non Participium: & proinde alia hujus, alia ceterorum ratio haberi debet.

V. 20. ARIDAS FRONDES HIEMIS SODALI DEDICET HEBRO.] Vera hujus loci interpretatio & lectio de ſuperioribus pendet,

Laeta quod ſubes hedera virente
Gaudeat, pulla magis atque myrto:

Quippe haec ſententia eſt, uti recte vidit magnus Salmaſius ad Solinum, Juvenes magis gaudere arboribus ἀειφύλλοις ſemper virentibus, quales hedera atque myrtus: arida autem & caduca folia nihili aeſtimare. Ut enim *virens hedera*, ſic itidem *pulla myrtus* perpetuo hic epitheto dicitur. Quippe bicolor eſt myrtus; alba, & nigra ſive pulla, quia ex viridi nigreſcit. Sic Dioſcorides & Graeci alii, Μυρσίνη μέλαινα & λευκή. Ovid. in Arte Amat. III, 690.

Silva nemus non alta facit: tegit arbutus herbam:
Ros maris, & lauri, nigraque myrtus *olent.*

Fruſtra igitur laborant, qui comparationem hic eſſe volunt inter virentem myrtum, & nigram. Eadem enim & virens eſt & nigra: neque nigra myrtus minus juventuti in deliciis eſt, quam alba. Infeliciter quoque, ut hic ſolet, Daniel Heinſius corrigit,

Gaudeat pulla magis: atque myrti
Aridas frondes hiemis ſodali Dedicet.

Imo vero aridae frondes plane opponuntur frondibus hederae ac myrti, ſcilicet quae non areſcunt hyeme, ſed perpetuo virent. Atque his ſic explicatis, jam facilis via panditur, quae ad illum *hiemis ſodalem* nos perducat. Nam ſine dubio eum hic noſter intelligit, qui *frondes* arborum φυλλοβόλων *aridas* & caducas facit. Quorſum igitur HEBRO? Anne Hebrus quicquam in cauſſa eſt, ut folia exareſcant & decidant? Nihil minus. Quamobrem porro Hebrus *ſodalis hiemis* eſt? Eleganter quidem Claudianus Danubium & Rhenum *Martis & Boreae ſodales* vocat, de Bello Getico v. 339.

Ambo habiles remis, ambo glacialia ſecti
Terga rotis, ambo Boreae Martiſque ſodales.

Ita recte tres codices apud Nic. Heinſium, MARTIS; quem miror equidem MARTI, quod in aliis invenit, alteri lectioni praetuliſſe: quod vel hic ipſe Flacci locus, ſi ejus meminiſſet, prohibere potuit, ut & alter Carm. III, 18.

Larga nec deſunt Veneris ſodali
Vina craterae.

Eleganter, inquam, Claudianus: parique aut meliore jure Hebrum dixeris *Boreae & Martis ſodalem:* ſiquidem ut Hebrus Thraciae fluvius eſt, ita Boream Threïcium & Threïcium Martem paſſim apud Poëtas legas. Vereor tamen ut ſimiliter *Hiemis ſodalis* dici poſſit: niſi ſi forte perpetuas ibi hiemes Hebrumque aeterna nivis compede vinctum eſſe audacter finxeris. Sed utcumque hoc habeat; qui quaeſo convenit, ut Juventus Romae degens Hebro, qui longe longeque abeſt, folia dedicet? Dedicare eſt dare, & proinde qui abſenti Deo quid dedicat, dono id ei mittit, ut Earinus Statii capillum ſuum Aeſculapio Pergamum. An ergo & juvenes dedicatas illas frondes Thraciam uſque detulerunt? Nugae. Omnino talis hiemi quaerendus eſt ſodalis, qui & folia decidere faciat, & Romae quoque praeſens ſit. Is vero jam praeſto erit; ſi pro *Ebro*, ut in vetuſtis libris ſine aſpiratione plerumque legitur, EURO reponas.

Aridas frondes hiemis ſodali Dedicet EURO.

Ut enim *veris comites* ſunt Zephyri, Carm. IV, 12.

Digitized by Google

Jam veris comites, *quae mare temperant,*
Impellunt animae lintea Thraciae:

& *Orionis Comes* eſt Notus Carm. I, 28.

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis:

& *Aeſtatis comites* Eteſiae, Lucret. V, 740,

Inde loci ſequitur calor aridus, & comes una
Pulverulenta Ceres, & Eteſia flabra Aquilonum:

ita Eurus recte *Hiemis ſodalis* dici poterit; nam hieme cum maxime flat: ut Virgilius Georg. II, 339.

ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hibernis *parcebant flatibus* Eurii

vel Aquilo, qui Poëtis idem fere ac Eurus eſt: Virgil. Aen. III.

Et glacialis hiems Aquilonibus *aſperat undas.*

Martialis I, 50.

At cum December canus & bruma *impotens*
Aquilone *rauco mugiet.*

Jam autem quid aliud, quaeſo, *areſcere frondes* & decidere facit, niſi venti hiemales? Ovid. Epiſt. Oenones.

Tu levior foliis, tum cum ſine pondere ſucci
Mobilibus ventis arida *facta volant:*

atque Eurus ſive Aquilo praeſertim, ut Virgil. Georg. II, 404.

Frigidus & ſilvis Aquilo decuſſit honorem.

Severus poëta Chriſtianus:

Quam multis foliis ſilva cadentibus
Nudatur, gelidis tacta Aquilonibus.

Cum itaque Eurus & hiemis ſit comes, & frondes arboribus decutiat, & Romae quoque & ubivis gentium praeſens ſit, ut convenienter ei dedicari quid poſſit; nihil obſiſtere video, quo minus fidenter EURO corrigamus. Atque in hac ſententia erat vir ingenioſus Janus Rutgerſius: cui poſtea acceſſit Tan. Faber: & ſic hunc locus a Scaligero citatur Poëtic. p. 340. Quam equidem laudem integram & illibatam ſervariis velim; etſi in meatem mihi jam olim emendatio venerat, priuſquam apud illos eam vidiſſem. Neque vero me abſterret celeberrimi Dacierii cunctatio, qui ideo a ſoceri ſui ſententia deceſſit, quia ventis dedicari quicquam non commeminit. Quid? oblitus ne eſt Virgiliani illius, Aen. III, 120.

Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus album.

& Epodi X.

Libidinoſus immolabitur caper;
Et agna Tempeſtatibus.

Certe ſi immolatum eſt ventis, cur non utique & dedicatum? Quid, quod Ara Athenis Boreae; & Delphis, Ventis dedicata eſt? Quid, quod Seneca narrat Nat. Queſt. V, 17. *Divum Auguſtum Templum Circio vento, cum in Gallia moraretur, & voviſſe & feciſſe?* Adde, quod Noſter jocoſe hic poſuit *dedicare*; nihilque aliud notat, ac donare, mandare, tradere: ut Carmine proxime ſequente,

Muſis amicus, triſtitiam & metus
Tradam *protervis in mare Creticum*
Portare ventis.

& ut Lesbia Catulli vovit ſe

Selectiſſima peſſimi poëtae
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus uſtulanda lignis.

Myrtum igitur atque hederam a juvenibus appeti dicit, caduca vero folia praeteriri atque Euro mandari,

Ut neglecta volent rapidis ludibria ventis.

CARMEN XXVI.

V. 3: QUIS SUB ARCTO REX GELIDAE METUATUR ORAE] Codex Regiae Societatis, & a manu prima Graevianus QUI SUB. In hoc poſtea adſcriptum eſt S, & inter lineas explicatum *Quibus*. Rectiſſime. Securus, inquit, quis ſive quibus Rex gelidae orae ſub Arcto metuatur. Falluntur interpretes, cum haec aliter accipiunt. Lucan V, 55.

fidumque per arma
Deiotarum, & gelidae dominum *Rhaſcuporin* orae.

Valerius Flaccus V, 317.

nec fama fefellit
Soligenam Aeeten media regnare ſub arcto.

V. 9. PIMPLEA DULCIS] Omnes, opinor, qui nunc extant, codices aut PIMPLEA aut PIPLEA: nam utroque modo ſcribitur tam apud Latinos, quam Graecos. Doctiſſimus Nic. Heinſius in margine libri ſui: *Lege Pimplaei: ſic vetus Scholiaſtes videtur agnoſcere.* Frequens id genus menda eſt in codicibus ſcriptis. Sic Ovid. Metam. I, 504, *Nympha, precor, Penea, mane*: ubi unus & alter ex optimis recte *Penei*. Sic ibidem *Dodona, Cadmea, Ledea*, pro *Dodoni,*

Digitized by Google

Dodoni, Cadmeï, Ledeï, Iterum Heinsius ad istum locum Ovidii, *Nec dubito*, inquit, *apud Horatium* Pimplaei dulcis *pro* Pimplaea *reponi debere.* Rectissime hoc, ut fere omnia, vir insignis: in eo dumtaxat leviter erratum est, quod diphthongum pro simplice vocali posuit: Graece enim Πιμπληΐς est, non Πιμπλαΐς. Enimvero hic *Musam* compellat Horatius, ut res ipsa praedicat: atqui Pimplea *locus* est; seu oppidum sit, seu mons, sive fons, sive omnia: *musa* vero inde denominata Pimpleïs. Callimachus Hymno in Delum v. 7.

Ὡς Μοῦσαν τὸν ἀοιδὸν, ὁ μὴ ΠΙΜΠΛΕΙΑΝ ἀείσῃ,

Ἐχθιστον, τὸν Φοῖβον, ὅτις Δήλοιο λαθηται.

ubi Scholiastes: Πίμπλειαν. ἔρος Θρᾴκης, ἰσχὺν Μυσῶν. Lycophron. v. 275.

Λειβηθρίδων θ' ὑπερθε ΠΙΜΠΛΕΙΑΣ σκοπὴν.

ubi Tzetzes (sive is Isaacus est, sive, ut Ludolfus noster Kusterus, excellente vir ingenio atque doctrina, primus deprehendit, Johannes Isaaci frater) Πίμπλεια πόλις ἐν Κρήτῃ καὶ Ὄρος Μακεδονίας. Strabo lib. 10. & 7. Ἔχει ἡ πόλις τὸ Δίου κάμπου πλησίον ΠΙΜΠΛΕΙΑΝ, ἔνθα Ὀρφεὺς διέτριβε, Statius Silv. I, 4.

licet enthea vatis
Excludat Pimplea *sitim, nec conscia detur Pirene.*

ibidem II, 2.

Non mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes,
Et superet Pimplea *sitim.*

Inde inquam, derivata *Pimpleus, Pimpleis, Pimpleius:* ut Catullus Epig. 106.

Pimpleum *scandere montem.*

& Martialis XII, 11.

Cujus Pimpleo *lyra clarior exit ab antro?*

Cave tamen credas, ut *mons Pimpleus*, & *antrum Pimpleum*, ita *Musa* quoque *Pimplea* bene Latine dici: quippe idem habet Catullus,

Collis o Heliconii *Cultor:*

Musae tamen non *Heliconiae*, sed Heliconides vel Heliconiades nominantur. Orpheus apud Tzetzem loco jam dicto,

Νῦν δ' ἄγε μοι κέκλυθι ΠΙΜΠΛΗΙΑΣ ἴνιπα μοῦσα.

Martialis XI, 4.

Non urbana mea tantum Pimpleïde *gaudens*
Otia.

Varro lib. VI. de Lin. Lat, p. 69. *Ita ab terrestribus locis cognominatae Musae Libethrides,* PIPLEIDES, PIMPLIADES, *Thespiades, Heliconiades.* Festus Pompeius. PIMPLEIDES *Musae a fonte Macedoniae dictae propter liquoris ejus unicam subtilitatem.* Porphyrio Schol. ad hunc Flacci locum: PIMPLEIDES *musae dicuntur a Pimplea fonte Macedoniae:* unde colligas hunc certe *Pimpleï dulcis* olim legisse. Imo & fons vel mons ipse *Pimpleis* interdum dicitur: Apollonius Rhodius I, 26.

Οἱάζῳ σκηπίνς ΠΙΜΠΛΗΙΑΔΟΣ ἄγχι πεσθαι.

ubi Scholiastes, Πιμπλειάς, χωρίον καὶ Πιερίας. Ausonius Epist. XIV.

Si riguam laetis recolis Pimpleida *musis.*

Et Etymologici auctor, v. Μίκαλος, alicunde laudat, Πιμπληΐδες ἄκρης. Turbat quidem Hesychius, qui habet Πιπλίαι, αἱ μοῦσαι: sed tam corrupti codicis, cum solus est, nulla habenda est ratio.

v. 10. NIL SINE TE MEI PROSUNT HONORES] PROSUNT in plerisque libris extat; & ferri quidem potest: verum cum Lambini aliquot, Bersmanni unus, & Zulichemianus noster POSSUNT exhibeant, non possumus non hanc lectionem alteri praeferre. Sic Virgilius Aen. IX, 446.

Fortunati ambo, siquid mea carmina possunt.

Idem Eclog. III.

Vis ergo inter nos, quid possit *uterque, vicissim*
Experiamur.

Noster Carm. III, 4.

Sed quid Typhoeus & validus Mimas
Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes?

Et Epist. I, 2.

Rursum quid virtus, & quid sapientia possit.

Sed in Arte quidem Poëtica v. 410. nunc legis,

ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit, *video, ingenium.*

Atqui & illic quoque codices nonnulli POSSIT habent; omnino rectius; & sic locum citat Johannes Saresberiensis Metalog. I, 8. ut etiam codex ejus manu scriptus clare habet.

Digitized by Google

CARMEN. XXVII.

v. 3. VERECUNDUMQUE BACCHUM SANGUINEIS PROHIBETE RIXIS] Equidem non sollicito hanc lectionem, in qua omnes codices consentiunt: & explico, *Defendite* Bacchum a rixis, qui, nisi per nos steterit, verecundus erit. Ita Cicero dixit, *Rempub. a periculo prohibere*; & Caesar; *Captivos a conviciis militum prohibere.* Noster Epist. I, 1.

Nodosa corpus nolis prohibere chiragra,

hoc est, *defendere, protegere.* Veruntamen, cum levissima mutatione res aliter confieri possit; prope adducor ut credam sollemne sibi facinus Librarios hic admisisse. *m* enim postrema litera τῦ *morem* absorpsisse mihi videtur praepositionem *in*, quae continuo sequebatur. Hoc infinitis in locis accidisse, praesertim ubi versus mensura non prohibet, sciunt qui antiquos codices versavere. Sic Virgil. Aen. V, 3.

Moenia respiciens, quae jam infelicis *Elissae*
Conlucent flammis.

Membranae aliquot, quas inspexit Pierius, *jam felicis* habent; plane contra sententiam. Quo exemplo fieri potest, ut omnes jam Horatii codices hic error possederit, cum ab ipsius manu sic scriptum fuerit:

tollite barbarum
Morem, inverecundumque *Bacchum*
Sanguineis prohibete rixis.

Bacchus enim natura sua inverecundus est, & idcirco *insanus*, μανόμενον, μαινάδης, ἄγελον, θρασύς, &c. passim audit apud poëtas. Prohibete igitur, jam sensu usitatiore, prohibete, inquit, Bacchum a rixis cruentis, ad quas sponte sua facilis & proclivis est. Noster Epod. XI. de Baccho:

Simul calentis inverecundus *deus*
Fervidiore mero arcana promorat loco.

Seneca Epist. 83. *Omne vitium ebrietas & incendit & detegit: obstantem malis conatibus verecundiam removet.* Profecto, nisi valde fallor, & simplicius & Bacchi naturae convenientius videtur, ut potius dixerit noster, *Prohibete Bacchum, ne in rixas incurrat*, quam *Prohibete rixas, ne in Bacchum incurrant.*

v. 13. CESSAT VOLUNTAS] Mirum vero vetustissimos quosque Codices Lambini, Torrentii, & ex nostris optimos Leidensem, Graevianum, Reginensem, non *voluntas*, sed VOLUPTAS habere. Sed altera lectio sincerior est. Statius Theb. IV, 690.

adjuvat ipse
Phoebus ad hoc summo (cesset *ni vestra* VOLUNTAS)
Limite.

Valer. Flaccus IV, 471.

Quin age, mitte preces; namque est tibi nostra voluntas.

v. 15. NON ERUBESCENDIS ADURIT IGNIBUS INGENUOQUE SEMPER AMORE PECCAS.] Non videntur percepisse haec interpretes. *Ingenuo amore peccare*, hoc est, ingenuae mulieris, non ancillae. Qui enim cum ancillis rem habebant, tamquam humiles & sordidae libidinis homines, male vulgo audiebant, & *Ancillaricli* vocabantur: unde Noster Carm. II, 4. solatur Xanthiam quendam exemplis Achillei, & Agamemnonis,

Ne sit ancillae tibi amor pudori.

Atque huc, & non alio pertinent illa, *non erubescendis ignibus*; hoc est, non ancillae, qui erubescendi essent. Seneca Controvers. XXI. contra servum, qui domini filiam uxorem duxerat, *Habeamus generum, si possumus, parem: sin minus*, NON ERUBESCENDUM, id est, non servum. Idem Controv. IX. eodem sensu. *Non insanissimum dispendiorum malum*, NON ERUBESCENDOS *amores, neque luxuriantem habitum, neque nepotatus objicis filio.*

v. 19. QUANTA LABORAS IN CHARYBDI] Deest praepositio in omnibus meis, credo etiam & aliorum. Unde codices aliquot LABORABAS habent, ut Leid. Zulich. & pro varia lectione Battelianus, & editio Veneta 1478. Atque hanc scripturam a magni nominis viris vulgatae anteponi video: quorum equidem sententiae non possum accedere. Quorsum enim *laborabas* tamquam de amore praeterito? Cum jam tum laboraret, cum hoc interrogaretur; ut locus ipse clare indicat. Quid, quod ne Latinum quidem videtur, *laborabas charybdi?* Laborare *morbo, frigore, inopia* &c. passim invenias: atque ea opinor de causa praepositionem omiserunt Librarii; quod crederent idem loquendi genus hic locum habere: & deinde exorti sunt correctores, qui ut laboranti versui succurrerent, pro *laboras, laborabas* reposuerunt. In quo sane fugit eos ratio & dictionis proprietas. Neque enim dixeris, *laborare itinere, silva, negotio,*

Digitized by Google

gotio, mari, syrti; sed *in itinere, in silva* &c. neque *laborare puella*, sed *in puella*; ut Noster Carm. I, 17.

Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.

CARMEN XXVIII.

v. 3. PULVERIS EXIGUI PROPE LITTUS PARVA MATINUM MUNERA] Nic. Heinsius, in libri margine, *Forte*, FUNERA. Nollem equidem hoc tanto viro excidisse: dissimulare tamen illud & supprimere religio mihi erat.

v. 8. TITHONUSQUE REMOTUS IN AURAS] Male cepit hunc locum eruditissimus Dacierius pro *in auras attenuatus, evanidus*: cum tamen recte eum Torrentius explicavisset. *Remotus in auras* hoc est, in aetherias auras avectus ab Aurora. Passim hoc Poëtae decantant; unicum dumtaxat Statii locum afferam, qui huic nostro germanus, Silv. I, 2.

Nec si Dardania pastor temerarius Ida
Sedisses, haec dona forent; nec si alma per auras
Te potius prensa veheret Tithonia biga.

Sententia itaque hujus loci haec est: Mortuus est Tantalus, etsi conviva deorum fuerit; Tithonus, etsi aetheris incola; Minos, etsi Διὸς ἰκέτης, sive consiliarius Jovis. Tolle jam hoc, & dic cum Dacierio, (etsi) *in auras solutus*; & sententiam prorsus corruperis. Certe, ut Minois & Tantali, sic & Tithoni dignitas quaedam & eminentia exprimenda erat, quo talem & tantum hominem mortuum tamen esse mirabundus fateretur. Caeterum viderit Noster, quos auctores sequatur: Cum & hic & Carm. II, 16. Tithonum in mortuis numeret. Certe nondum obierat, cum Virgilius sua Georgica conscriberet: quippe jam tum, ut antea, surgebat

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Quin & posteriores Poëtae, tum cum Noster ipse in domo Plutonia esset, Tithonum adhuc in uxoris gremio cubantem viderunt.

v. 18. EXITIO EST AVIDIS MARE NAUTIS] Ita editi plerique; sed multo major meliorque pars codicum scriptorum, mei certe omnes, AVIDUM: quibus accedunt editiones priscae Veneta & Loscheri, & Scholiastae veteres. Utraque sane lectio bene habet, si versiculum hunc ab oratione reliqua abscissum, ipsum per se consideres. Quippe *avidi* sunt mercatores, &, dum lucro inhiant, *exitium* saepe sibi quaerunt. Propert. III, 5.

Fortuna insidias pontum substravit avaris.
Nemesianus Cyneg. v. 102.
Nec praedas avidus *sectaris gurgite ponti.*

Atque *avidum* quoque mare est, quasi *exitium* iis machinetur: Noster Carm. III, 29.

Ne Cypriae Tyriaeque merces
Addant avaro *divitias* mari.

Lucret. I, 1030.

Efficit, ut largis avidum mare *fluminis undis*
Integrent amnes.

Boëtius de Cons. Phil. II, 8.

Ut fluctus avidum mare
Certo fine coërceat.

Quid ergo? nihilne est, unde, utra lectio sit verior, dijudicari poterit? Nimirum ex orationis serie & ex Apti & Decori ratione colligas, potius AVIDUM ab Horatii manu esse, quam *avidis*. Sive enim Nauta hic loquitur, quae multorum sententia est, profecto ut male sibi dicat seque avidum vocet, non est probabile: sive, ut alii volunt, Archytae jam oratio est; ne id quidem convenit, ut nautae male dicat, a quo humationis officium mox erat rogaturus.

v. 19. MIXTA SENUM AC JUVENUM DENSENTUR FUNERA] *Densentur* vetustiores quique codices, & in his nostri Leid. Graev. Reginensis, cum editione Veneta 1478. Tamen adhuc in plerisque editis DENSANTUR inveneris. Quae haec tandem pertinacia est? Virgilius Aen. X, 432. *Extremi addensent acies.* XII, 264. *Vos unanimi densete catervas.* XI, 650.

Et nunc lenta manu spargens hastilia densat.

Vide Nic. Heinsium ad Ovid. Metam. XIV, 369. & Fast III, 820. & ad Valer. Flacc. III, 207. & Gifanium in Indice Lucret. V. *Densere.* Porro in versu 21. *Me quoque devexi*, elegantissimus N. Heinsius in ora libri sui, *Forte* TE QUOQUE: adeo ut a versu demum 23 Archytas loqui incipiat.

v. 32. FORS ET DEBITA JURA VICESQUE SUPERBAE TE MANEANT IPSUM] *Fors* & legendum cum veteribus libris, non *forsan*. De quo vide Nic. Heinsium ad Valer. Flacc. I, 478. Mox, *vices superbae* in plerisque codicibus, & Servio ad Aen. II, 433. Doctissimus tamen Passeratius ex conjectura maluit,

Vicesque, superbe, *Te maneant ipsum.*

non

Digitized by Google

non incommode ſane: ſic enim ſaepius Seneca; ut Herc. Fur. v. 89.

I nunc, ſuperbe, caelitum ſedes pete.

Hippol. 703.

Iterum, ſuperbe, genibus advolvor tuis.

Medea, 1007.

I nunc, ſuperbe, virginum thalamos pete.

Auctor Octaviae 643.

Quos nunc pudor luctuſque perpetuus manet
Ex te, nefande, meque qui talem tuli.

Et Regiae quidem ſocietatis codex *ſuperbe* cum *o* inter lineas, ut notetur caſus eſſe vocativi. Profecto utraque proba lectio eſt & *ſuperbae*, & *ſuperbe*. Perperam tamen idem Paſſeratius ſubſtituebat,

precibus non linquor inultus,

pro *inultis*. Valer. Flaccus IV, 14.

dabit impia poenas
Virgo, nec Aeetae gemirus *patiemur* inultos.

Ovid. Metam. IV, 426.

Nil poterit Juno, niſi inultos *flere* dolores?

CARMEN. XXIX.

v. 4. HORRIBILIQUE MEDO NECTIS CATENAS] Non contendo, quin recte Medus *horribilis* dicatur; ut Catullo *horribiles Britanni:* neque receptam lectionem de poſſeſſione dejicio. Non celabo te tamen, quod in mentem mihi inciderit; ut legatur forte,

horribiliſque *Medo*
Nectis catenas.

hoc eſt, ut nunc dierum ſcribitur, *horribiles catenas*, ut alibi Serm. I, 3.

Ne ſcutica dignum, horribili *ſectere* flagello.

Noſter Carm. II, 13.

Miles ſagittas & celerem fugam
Parthi; catenas *Parthus & Italum*
Robur perhorreſcit.

Eodem redit, ut notum eſt, ſeu Parthum ſive Medum dixeris: eadem quippe gens intelligitur. Jam ergo, ſi *Parthus perhorreſcit catenas Italas,* recte utique legeris, *Nectis catenas horribiles Medo:* ſed viciſſim, ſi *miles* Romanus *perhorreſcit ſagittas Parthi*, recte quoque habebit recepta lectio, *horribili Medo.* Vide tamen, annon loco huic & ſententiae aptius ſit *Horribiles:* quippe jam nunc catenas nectit Iccius, tamquam certus victoriae: nec proinde Medus *horribilis* ei videbatur. Convenit igitur, ut Parthi potius expeditionem Iccii *horreant,* quam ut Iccius Parthos. Sic alibi Noſter Carm. I, 35.

& juvenum recens
Examen Eoïs timendum
Partibus Oceanoque rubro.

& Serm. II, 5.

Tempore quo juvenis Parthis horrendus.

& Epiſt. II, 1.

Et formidatam Parthis, *te principe, Romam.*

v. 13. CUM TU COEMTOS UNDIQUE NOBILES LIBROS PANAETI] Editi opinor omnes repraeſentant NOBILIS. Plures tamen ex meis codices, Reginenſis, Batt. Magdal. Galei, Mori, Petrenſis, NOBILIS. Neque dubites, quin & bona pars librorum, quos Interpretes inſpexerunt, ſic habuerit; quamvis id ipſi ſilentio tegant. Optimus tamen Berſmannus teſtatus eſt, ex tribus ſuis codicibus duos habere *nobilis.* Ambiguum igitur ex vetere ſcribendi ratione fit, *Nobilis* ne *libros* voluerit Noſter, an *nobilis Panaetii.* Ego vero ne dubitare quidem poſſum, quin *nobilis* ad Panaetium attineat, ne *libros* duplice epitheto accumulemus. Qui in Poëtis triti ſunt, hoc ſtatim intelligent. *Nobilis* autem *Panaetii*; ut alibi Noſter Epod. XIII.

Nobilis *ut grandi cecinit Centaurus alumno.*

& Epiſt. I, 19.

Non ego nobilium *ſcriptorum auditor & ultor.*

Scriptorum enim ibi a *Scriptor*, non a *Scriptum.* Ita Cicero; *Magnus &* nobilis *Rhetor Iſocrates:* &, *Tres illius aetatis* nobiliſſimi *& clariſſimi Philoſophi.* Gellius VII, 5. *Tragoedias poëtarum* nobilium *ſcite atque aſſeverate actitavit.* Suetonius De illuſt. Gramm. c. 10. *Atteius Praetextatus,* nobilis *Grammaticus Latinus.*

CARMEN.

Digitized by Google

CARMEN. XXXI.

v. 9. PREMANT CALENA FALCE, QUIBUS DEDIT FORTUNA, VITEM] Lego, non littera, ſed lineola dumtaxat addita,

Premant Calenam *falce, quibus dedit*
Fortuna, vitem.

Sic enim & compoſitio ſuavior eſt, & Epitheton digniori vocabulo tribuitur. Virgil. Georg. I, 157.

& ruris opaci
Falce premes *umbras.*

Noſter Epod. 2.

Inutileſque falce *ramos* amputans.

Ubi vides *falce* nullo Epitheto comitatum. Alibi tamen Noſter Carm. I, 20.

Caecubum, & praelo domitam Caleno
Tu bibes uvam.

Atque hinc, credo, Librariis anſa data eſt ad hunc locum corrumpendum. Sed profecto non parva in his duobus differentia eſt: *Falce* enim *Calena*, quae alio quovis facile transferri poteſt, quaevis alia vitis, etiam Veientana, tonderi poſſet: *praelo* vero *Caleno*, quod inter immobilia magis numeretur, non alia poterit premi uva, niſi quae Calibus nata ſit.

v. 10. DIVES ET AUREIS MERCATOR EXSICCET CULULLIS VINA SYRA REPARATA MERCE] Vetuſtiſſimi duo ex noſtris, Leidenſis, & ex prima manu Graevianus,

dives UT *aureis.*

Et ſic quoque Scholiaſtes vetus Porphyrio, quod argutam ſane ſententiam efficeret, ſi *reparata* cum vulgo interpretum pro *commutata* acciperemus: Alii Calibus vineta colant, nempe ut pretioſa vina habeant Mercatores, quae mercibus Syriacis permutata ex aureis cululis ebibant. Satirice: tamquam non poſſeſſorum menſis vina Calena naſcerentur, ſed divitum mercatorum, quia dominis ea emerent. Sed neſcio, an quiſquam ſic umquam locutus ſit; *reparata* pro *empta* vel *commutata*? Poteris *vina Syra reparata merce* interpretari vina *condita* ſive *medicata* Syriaca nardo. Nam olim divites & luxurioſos, quales hic mercatores deſcribit, vinis unguenta miſcuiſſe & una ebibiſſe notiſſimum eſt. Nardus autem ideo *Merx Syra*, quia ex India per Syram adveheretur; unde Noſter Carm. II, 11. *Aſſyriam nardum* vocat: & Tibullus IV, 7.

Famdudum Syrio *madefactus tempora* nardo.

& alii pariter Latini Graecique. Quare placet recepta lectio, *Dives* ET *aureis.*

v. 15. ME PASCUNT OLIVAE] Tanaquillus Faber ſingulari vir ingenio, *Lego*, inquit, ME PASCANT. *quod ſequentia facile probent.* Nihil verius dici potuit; & ſic clarè exhibet codex Regiae Societatis. *Premant* alii Calenam vitem, me *paſcant* Olivae. Ovidius, Amor. I, 15.

Vilia miretur *vulgus: mihi flavus Apollo*
Pocula Caſtaliae plena miniſtret *aquae.*

Tibullus Eleg. I, 1.

Divitias alius fulvo ſibi congerat *auro,*
Et teneat *culti jugera magna ſoli:*
Me mea paupertas vitae traducat *inerti.*

Martialis XII, 48.

Convivas alios cenarum quaere magiſter,
Quos capiant *menſae regna ſuperba tuae*
Me meus ad ſubitas invitet *amicus ofellas.*

Prudentius Cathem. III, 61.

Sint *fera gentibus indomitis*
Prandia de nece quadrupedum:
Nos oleris coma, nos ſiliqua
Faeta legumine multimodo
Paverit *innocuis epulis.* & ſimilia paſſim.

v. 18. ET PRECOR INTEGRA] Noſtri libri AT: unde legendum cum codicibus Cruquii, editione Veneta 1478, & Scholiaſta Acrone AC. Alioqui nihil erit, quo referatur illud ET *valido mihi.* Porro cave interpungas poſt *mente*: quippe conſtructio eſt, *cum mente integra degere, ſenectam.* Cicero de Senectute c. 20. *Sed vivendi finis eſt optimus, cum, integra mente ceteriſque ſenſibus, opus ipſa ſuum, eadem quae coagmentavit, natura diſſolvit.*

CARMEN XXXII.

v. 1. POSCIMUR, SIQUID VACUI] *Poſcimur* codices noſtri Leidenſis, Petrenſis, & a prima manu Graevianus & Reg. Soc. In Graeviano *m*anu & atramento eiſdem *ſ* apponitur ſupra *r*. Et ſic veteres Scholiaſtae cum Ed. Veneta 1478. *poſcimur.* Atque huic lectioni patrocinatur elegantiſſimi vir ingenii Broukhuſius ad Propert. IV, 1. Certe, quin bene Latine ſic dicatur,

Digitized by Google

Poſcimur, hoc eſt, poſcimur carmina, ne dubitandum quidem eſt. Ovid. Faſt. IV, 721.

Nox abiit, orituque aurora. Palilia poſcor.
Non poſcor *friſtra, ſi favet alma Pales.*

hoc eſt, *poſcor dicere Palilia.*

Idem Metam. V, 333.

Poſcimur *Aonides. Sed forſitan otia non ſint:*
Nec noſtris praebere vacet tibi cantibus aurem.

i. e. nos Muſae poſcimur canere. Idem Metam. IV, 274.

Poſcitur *Alcathoë, poſtquam ſiluere ſorores:*

ſcilicet ut narret fabulam. Metam, II, 144.

non eſt mora libera nobis:
Poſcimur: *effulget tenebris Aurora fugatis.*

haec Phoebus ad filium Phaëthontem. Hannibal apud Silium Italicum lib. II.

Poſcimur, *o ſocii: Fabiuſque e puppe catenas*
Oſtentat, dominique vocat nos ira ſenatus.

Propertius IV, 1. ex emendatione N. Heinſii;

Averſis Chariſin cantas: averſus Apollo
Poſcitur *invita verba pigenda lyra.*

Ego vero, ut hanc quidem lectionem non aſpernor; ita alteram POSCIMUS, quae plurium membranarum teſtimonio nititur, anteferre ei non dubito.

Poſcimus *(ſiquid vacui ſub antro*
Luſimus tecum) quod & hunc in annum
Vivat & pluris, age dic Latinum,
Barbite, Carmen.

Rogamus, inquit; oramus te, Barbite, ſi quid umquam de te bene meriti ſumus, dicas carmen Latinum, quod & in hunc & in plures annos vivat. Et nota ordinem, qui omnes Interpretes fefellit. Dic, ait, carmen, quod diu vivat. ut Carm. III, 11. ad Mercurium,

Dic modos, *Lyde* quibus *obſtinatas*
Applicet aures.

Jam autem *Poſcimus* germanam eſſe lectionem vel ex vocabulo SI colligas, quae in obteſtationibus ſollemnis eſt: Virgilius Aen. IV, 317.

Si *bene* quid *de te merui, fuit aut tibi quicquam*
Dulce meum, miſerere domus labentis, & iſtam,
Oro, ſiquis *adhuc precibus locus, exue mentem.*

Idem Aen, VI, 529.

dii talia Graïs
Inſtaurate, pio SI *poenas ore repoſco.*

Suetonius in Tib. cap. XXI. *Deos* obſecro, *ut te nobis conſervent, & valere nunc & ſemper patiantur,* SI *non populum Romanum peroſi ſint.* Noſter Carm. Saec.

Supplices audi pueros, Apollo,
Roma SI *veſtrum eſt opus.*

Carm. III, 13.

Lenis incedas abeaſque parvis
Aequus alumnis:
SI *tener pleno cadit haedus anno.*

Serm. II, 6.

nihil amplius oro,
Maia nate, niſi ut propria haec mihi munera faxis:
SI *neque majorem feci ratione mala rem.*

Recte autem POSCIMUS, cum Barbiton alloquitur; ut Martialis Iambum rogat, Epig. I, 96.

SI *non moleſtum eſt, teque non piget, Scazon,*
Noſtro, rogamus, *pauca verba Materno*
Dicas in aurem, ſic ut audiat ſolus.

& Pindarus Muſam obſecratur, Nem. III.

Ω πότνια μῆτερ, μᾶτερ
Ἀμπτίας, ΛΙΣΣΟΜΑΙ,
Ἴκτιο Δωρίδα πᾶσαν Αἰγίναν.

V. 1. SIQUID VACUI SUB UMBRA LUSIMUS TECUM] *Umbra* habent omnes fere codices; & ſic hodie legitur apud Diomedem p. 521. & Servium ad Virg. Ecl. I. Quam equidem lectionem minime damno: ſic enim Noſter Epiſt. II, 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes
Rite cliens Bacchi, ſomno gaudentis & umbra.

Tibullus III, v. 15.

Per vos auctores hujus mihi carminis oro,
Caſtaliamque umbram *Pierioſque lacus.*

Statius Silv. V, 3.

Te ſine Corycia quicquid modo Phoebus in umbra,
Quicquid ab Iſmariis monſtrabat collibus Euan,
Dedidici.

Martialis IX, 84.

Haec ego Pieria ludebam tutus in umbra.

Juvenalis Sat. VII. 7.

Nam ſi Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Oſtendatur.

Verumtamen cum Galei codex, optimae quidem notae, quique ſolus, ubi ceteri omnes mendoſi ſunt, ſex ſeptem Horatii loca praeclare reſtituit, diverſam hic exhibeat lectionem,

Poſcimus, ſiquid vacui ſub antro:

non poſſumus non ambabus ulnis eam amplecti, ut veram & germanam Horatii manum. Longe enim veri eſt ſimilius, ut hanc potius in

in illam, figuratiorem nimirum & ποιητικωτέραν in faciliorem, quam vice versa, illam in hanc, mutaverint Librarii. Ita noster Carm. II, 1.

Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro.

& iterum III, 25.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quae nemora, aut quos agor in specus,
Velox mente nova? quibus
Antris, *egregii Caesaris audiar &c.*

& III, 4. ubi Camenas alloquitur,

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes reddidit oppidis,
Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.

Propertius III, 1.

Callimachi manes, & Coi Sacra Philetae,
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro.

Virgil. Georg. IV, 507. de Orpheo.

Septem illum totos perhibent ex ordine mensis
Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
Flevisse, & gelidis haec evolvisse sub antris.

Martialis, XII, 11.

Cujus Pimpleo lyra clarior exit ab antro?
Quem plus Pierio de grege Phoebus amat?

Statius Silv. I, 2.

Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro.

Idem Silv. IV, 5. ad Septimium Severum poëtam.

sed memor interim
Nostri, verecundo latentem
Barbiton *ingemina* sub antro.

ubi nota & *Barbiton* & *antrum* poni, plane ut apud Nostrum. Idem Silv. IV, 6.

namque haec, quoties chelyn exuit ille,
Desidia est; hic Aonius amor avocat antris.

& ibid. V, 3.

sic sacra Numae rituque colendos
Mitis Aricino dictabat Nympha sub antro.

Auctor Copae,

Est & Maenalio quae garrit dulce sub antro,
Rustica pastoris fistula *in ore sonans.*

ubi *fistula* sub antro, ut hic *barbiton*. Juvenal. VII. 59.

neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere maesta
Paupertas.

Rutilius in Itinerario 267.

Haec quoque Pieriis spiracula comparat antris
Carmine Messallae nobilitatus ager.

Claudianus Praefat. in III Cons. Honorii,

Me quoque Pieriis tentatum saepius antris
Audet magna suo mittere Roma deo.

Idem de Nuptiis Honorii, 236.

sic mitis in antro
Mnemosyne docili tradit praecepta Thaliae.

Idem Praefat. ad II de Raptu Proserpinae,

Antraque *Musarum longa torpentia somno*
Excutis.

Avienus in Arateis, de Lyra;

hanc, ubi rursum
Concentus superi complevit pulcher Apollo,
Orphea Pangaeo docuit gestare sub antro.

Sidonius Carm. XXIII, 18.

Nec si me Odrysio canens in antro,
Princeps instituisset ille vatum.

V. 15. MIHI CUMQUE SALVE RITE VOCANTI] Scio quid Interpretes de CUMQUE illo sic nude posito dixerint, quorum ego mentem & industriam laudo. Neque tamen quisquam, quod sciam, vel ex omni, qua patet, Latinitate simile exemplum proferre potuit: neque quicquam de tam singulari loco habent Grammatici veteres. Quamobrem tempus erat, cum impetum cepi corrigendi ad hunc modum,

o laborum
Dulce lenimen, mihi, cuique, *salve,*
Rite vocanti.

hoc est, salve mihi vel cuicumque alii rite vocanti. Judicet lector ingeniosus; ego enim conjecturam hanc in medium protulisse contentus, tueri & praestare eam non tenebor.

CARMEN. XXXIII.

V. 14. MYRTALE LIBERTINA] quidam codices *Mirtale*, alii *Mirtala*, Loscheri Editio 1498. *Myrtile*: Sed melius vetustiores omnes *Myrtale*. Martialis V, 4.

Foetere multo Myrtale *solet vino.*

Recte autem *Libertina*: nam frequens hoc *Libertinarum* cognomen occurrit in Inscriptionibus antiquis. Gruter. 99, 5. DOMITIA. L. L. MYRTALE. 581, 6. FLAVIAE MYRTALAE. 740, 10. SATIAE MYRTALES. 711, 6. VALERIA MYRTALE. 983, 7. VERATIA. D. L. MOETALE (corrige, *Myrtale*) 749, 4. ΓΕΜΙΝΙΑ ΜΥΡΤΑΛΗ. 882, 8. NUMUSCULEIAE MYRTALES. 1046, 2. DO-

Digitized by Google

RYPHORUS ET MYRTALE PARENTES. Reinef. XIV, 75. GELLIAE MYRTALES. XII, 60. MYRTALE SABINAE ET POMPONIAE FESTAE UXORIBUS. Marm. Felſin. pag. 447. MARCIA MYRTALE.

CARMEN XXXIV.

V. 5. ITERARE CURSUS COGOR RELICTOS] N. Heinſius in libri ſui margine. *Lege* RELECTOS. *Dixi ad Metamorph.* VIII, 173. Quo quidem loco praeclaram hanc emendationem profert, firmatque ex Valerio Flacco, qui *relegere campum, relegere viam* dixit, & alius *relegere veſtigia*. Equidem, quod ſancte aſſeverare poſſum, ipſe quoque in eandem correctionem multo prius incideram, quam ab Heinſio eam didici. Neque tamen ulla ex parte obſto, quin ſolidam hanc ſibi laudem habeat vir magnus, Poëtarum Latinorum unicus ſoſpitator. Certe numquam mihi placuit *curſus relictos*; etſi praeter omnes Horatii codices, apud Eutychem quoque Grammaticum p. 2182 nunc ita legatur. *Iterare relicta maria, veſtigia, vias, ſpatia*, recte quidem dixeris: *curſus* autem cum non ipſa *via* ſit, ſed per viam decurſio; non dixeris curſus *relictos*, ſed *intermiſſos*; non *deſertos*, ſed *deſitos*. Itaque hac lectione ſemel repudiata, nullo ſtatim negotio perveni ad illam alteram, quam tot in aliis auctoribus exempla memoriae ſuggerebant. Statius Achill. I, 23.

Flenaque materni referens praeſagia ſomni
Culpatum relegebat iter.

Silius Italicus, II.

Dum detur, relegant pontum, *neu ſe addedere clauſis*
Fiſtinent.

Claudianus de Bello Getico, 529.

Ut mea converſo relegam *veſtigia curſu.*

Ovid. Metam. VIII, 172.

Utque ope virginea nullis iterata *priorum*
Janua difficilis filo *eſt inventa* relecto.

ubi plures codices perperam, ut hic, *relicto*. Caeterum miror ingenioſiſſimum Heinſium in priore verſu *ſuperata* magis probare quam *iterata*. Huic enim lectioni favet hic ipſe Flacci locus, *iterare curſus relectos*. Quid quod *multis priorum ſuperata* erat janua, tum cum ad Minotaurum intromittebantur: ſed *iterare* & reverti inde, hic labor erat, hoc opus, ut Ovidius in Ibide v. 373.

Ut qui tecta novi formam celantia monſtri
Intrarunt caecae non redeunda domus.

Seneca Agamemn. 574.

Hanc alia retro *ſpatia* relegentem *ferit,*
Et fracta frangit.

ubi nota *retro*, ut in Noſtro *retrorſum*. Sed ante omnes alios Symmacho in deliciis erat hoc verbum, ut Epiſt. III, 62. *Ut cum iter in patriam* relegere *coeperimus.* IV, 58. Relegite *viam diſſimulati hactenus moris.* VII, 4. *Quibus impletis, iter ad noſtros* relegemus. VII, 24. *Erit optio tua, intendere iter, an* relegere *debeamus.* VII, 32. Relegere *iter, & in conſpectum veſtrum tandem redire meditamur.* VII, 32. *Jamdudum curis publicis abſolutus*, relegere *iter debuiſti.* VIII, 25. Relegere *ad vos iter avidiſſime ſtudeo.* IX, 69. *Quamvis* relegere *iter illico parem.* Seneca Epiſt, 102. *Quanto ſatius eſt, ire aperta via & recta, quam tibi ipſi flexus diſponere, quos cum magna moleſtia debeas* relegere? Valerius Flaccus IV, 54.

Haec fatus, relegitque *vias, & vallibus exit.*

Idem VIII, 121.

Egreſſi relegunt *campos, & fluminis ora*
Summa petunt.

Sed dices fortaſſe; Relegere *campos, vias, itur, ſpatia, aequora* ſatis ſuperque exemplorum habent: verum relegere *curſus*, quod in Flacco reponere vis, nondum video. Atqui jam videbis, idque ex magno Flacci imitatore Prudentio in Apotheoſi v. 1008.

Surſum verſus agit ſeriem, ſcandente nepotis
Corpore, perque avos curſum relegente *vetuſtos.*

Iterare autem *relectos* idem eſt ac *relegendo iterare:* quod genus loquendi poëtis frequentiſſimum eſt, ut Virgil. V, 500.

Tum validis flexos incurvant *viribus arcus:*

neque hic opus eſt pluribus exemplis. At paene omiſeram inſignem Virgilii locum, qui maxime huc facit Aen. III, 690.

Talia monſtrabat, relegens *errata* retrorſum
Littora Achaemenides.

ubi *retrorſum* una habes, pariter ac apud Noſtrum. Atque hac occaſione admonitus, digreſſionis credo veniam a lectore impetrabo, ſi alteri Virgilii loco, plus mille annos depoſito & deplorato, manum medicam admovero. Is eſt Aen. IV, 256.

Bis

Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Conſtitit: hinc toto praeceps ſe corpore ad undas
Miſit; avi ſimilis, quae circum litora, circum
Piſcoſos ſcopulos humilis volat *aequora juxta.*
Haud aliter terras inter caelumque volabat;
Litus arenoſum Libyae ventoſque ſecabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.

ubi quam multa merito vituperanda ſint, vides. *Volat* & mox *volabat.* Deinde in continuatis verſibus ingratum auribus ὁμοιοτέλευτον, *volabat, ſecabat:* ad quod evitandum veteriſſimi aliquot codices apud Pierium mutato ordine ſic verſus collocant,

Haud aliter terras inter caelumque volabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles,
Litus arenoſum & Libyae ventoſque ſecabat.

Sed nihil omnino proficiunt, aut locum adjuvant: adhuc enim relinquitur vitium omnium deterrimum, *ſecabat littus ventoſque.* Quid enim eſt *littus ſecare*, niſi littus arare & effodere? Quid autem hoc ad Mercurium volantem? Nullus dubito, quin ſic ſcripſerit princeps poëtarum:

Haud aliter, terras inter caelumque, legebat
Litus arenoſum Libyae, ventoſque ſecabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.

Nihil opus eſt, ut pluribus hanc emendationem ſtabiliam aut illuſtrem: adeo ipſa per ſe ſuo lumine clara & manifeſta eſt. *Litus legebat*, ut ſupra, *relegens errata retrorſum litora.* & iterum Aen. III, 292.

Litoraque *Epiri* legimus, *portuque ſubimus.*
& Georg. II, 44.
ades, & primi lege littoris *oram.*

v. 6. IGNI CORUSCO NUBILA DIVIDENS] Totus locus ſic ſe habet:

namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.

Quae obverba ſagaciſſimus Tanaquillus Faber Epiſt 52. lib. 2. ridiculae ac juvenilis temeritatis Noſtrum incuſat, quod *plerumque* ſine nube tonare dicat, quaſi alternis quibuſque diebus id fieret; cum vel ſecundum vulgus aut Hiſtoricos ex opinione vulgi loquentes rariſſime, ex Phyſicorum autem ſententia numquam id eveniat. Aliam autem viam inſtituit dignioſſimus ejus gener Dacierius; quippe non ſerio, ſed urbane ironiceque hic Noſtrum loqui; ideoque dicta opera rem in majus augere, quo Stoicos Providentiae patronos acerbius derideat. Ego vero neque moveo haec nec exagito, ſed ſuis ſalva auctoribus relinquo: illud ſaltem monuiſſe liceat ex prava & perverſa, quae vulgo obtinet, hujus loci diſtinctione commenta haec nata eſſe, qua ſublata in fumum aut fumo ſiquid levius continuo evaneſcunt. Sic enim interpungo,

namque Dieſpiter,
Igni coruſco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.

hoc eſt, Ego, qui antehac Epicureus eram, nunc cogor fateri Deos eſſe; quia id quod alias ope nubium naturalibus ex cauſſis fieri ſolebat, nuper caelo ſereno tonuiſſe certum eſt. Quod quidem olim ceu validiſſimum adverſus Atheos argumentum omnibus in ore erat. Nihil ergo hic temere aut juveniliter, nihil ironice aut contumelioſe dictum eſt: ad vulgi quidem guſtum & patriae religionis indolem aptari hoc & accommodari non inficior. Sic & Virgilius, ipſe interea Epicureus, non minus ac Noſter, Georg. I, 486.

Non alias caelo cecidere plura ſereno
Fulgura.

Ovid. Faſt. III, 370.

Ter tonuit ſine nube deus, tria fulgura miſit:
Credite dicenti: vera ſed acta loquor.

Varro Lege Maenia, apud Nonium in *Plagae* & *Rimari.*

Nos admirantes, quod ſereno lumine
Tonuiſſet, oculis caeli rimari plagas.

Sic haec conſtitue; nam verſus Iambici ſunt; quod editores non odoratos eſſe miror. Atque hanc emendationem cum ante aliquot annos cum erudito viro Jacobo Talbot communicaveram, ille nuperam ſuam Flacci editionem ea auctam eſſe voluit, mihique candide acceptum retulit. Poſtea tamen, indicio venerandi & praeſtantiſſimi viri JOHANNIS MORI, Norvicenſis Praeſulis, intellexi a Thoma Bangio, cujus ne nomen quidem antea audiveram, diſtinctionem hanc prius animadverſam fuiſſe & occupatam. Is enim Obſervationum Philologicarum Vol. II. p. 1435. *Quando*, inquit, *Horatius canit*, Plerumque per purum tonantes egit equos-- *ipſi experientiae plane contradicit, quae teſtatur tonitru rarius puro ſerenove aëre audiri. Id quod Lucretius obſervavit lib.* 6. Nam caelo nulla ſereno nec leviter denſis mittuntur nubibus umquam. *Et poſtea*, Denique cur numquam caelo jacit undique puro Juppiter in terras fulmen? *Et quia prodigii inſtar habebant Ethnici, ut & hoc loco Horatius, quando aëre ſereno*

Digitized by Google

tonitruavit; quomodo quaeso plerumque *& saepius id fieri affirmare ausit Horatius? Huic dubio, unico commate voci* plerumque *apposito, facile obviam iveris, hoc pacto:* Namque Diespiter, Igni coruſco nubila dividens Plerumque, per purum tonantes &c. *Hac enim ratione Horatium cum Lucretio de facili conciliaveris, eumque facula diſtinctionis commode illuſtraveris.* Atque haec quidem feliciter Bangius: abſque quibus eſſet, ſiquis eſt, qui exiſtimet nos propria Minerva hoc eruere non potuiſſe, is quidem per nos licet exiſtimet, ut volet. Ego vero praeter eam, quam ille profert, ab experientia ductam, etiam alias rationes habui, cur diſtinctionem vulgatam refugerem. Ea enim poſita, plane deliraret Noſter, & verba ſecum pugnantia loqueretur. Quid enim aliud eſt

Igni coruſco nubila dividens,

quam *ex nubibus fulmen emittens?* Vide igitur, qualis hinc ſententia proveniat: *Juppiter ex nubibus fulminans puro & innubilo caelo tonuit.* Quid? an eodem tempore & ex nubibus & ſine nube? Neceſſe eſt enim uno eodemque tempore haec fieri fatearis, ſi a recepta diſtinctione ſteteris. Tum & illud ne Latine quidem dictum foret,

Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.

Quomodo ſodes *plerumque egit?* hoc eſt, ut explicant, *ſaepe egit.* Atqui aliud eſt *ſaepe*, aliud *plerumque. Saepe* enim fit aliquid, etiam praeter naturam & conſuetudinem: nihil *plerumque* fit, niſi quod natura & conſuetudine ita fieri ſolet. *Saepe* homo ſenex hilareſcit & lubente animo eſt; at *plerumque* moroſus eſt & difficilis: *ſaepe* aeſtate pluvia & grando eſt; at *plerumque* ſudum caelum & ſerena tempeſtas: *ſaepe* ſub morte Julii Caeſaris per purum tonantes equos egit Juppiter; at *plerumque* igni coruſco nubila dividit. Quod plerumque fit, idem & ſaepe fit; at non viciſſim omne quod ſaepe fit, plerumque fit. *Saepe* eſt quod Graecis πολλάκις; at *plerumque* eſt ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Nihil hac obſervatione verius: quam tamen pauci animadverterunt. Nemo igitur ſanae mentis, nedum Noſter, dicere potuit, *Plerumque per purum egit.* Ut enim ſaepe id fecerit Juppiter: at certe plerumque non facere ſolet. Verum illud fortaſſe quibuſdam inſolens videbitur, adverbium *plerumque* in clauſula poni: atqui & alibi ita Noſter Epiſt. II, 2.

ſtatua taciturnius exit
Plerumque, & riſu populum quatit.

& Lucretius V, 1131.

Invidia quoniam, ceu fulmine, ſumma vaporant
Plerumque, & quae ſunt aliis magis edita cumque.

Nam quod vir eruditus inauditum quid hic protulit, ut *plerumque egit*, idem ſignificare poterit, ac *interdum egit*, idque ex Noſtro in Arte v. 95 probare conatus eſt,

Interdum *tamen & vocem Comoedia tollit,*
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore;
Et Tragicus plerumque *dolet ſermone pedeſtri:*

id ſane nihil aliud eſt, quam errorem veterem novo accumulare. *Interdum*, inquit, vocem tollit Comoedia: & *interdum* Tragoedia vocem ſubmittit. annon hoc voluit Horatius? Recte quidem: at vide quaeſo, ut Noſter verba variaverit. *Interdum*, inquit, Comoedia cothurno incedit: & Tragoedia *plerumque* DOLET verbis ſocco convenientibus: tum ſcilicet, cum *lamentatur* Tragoedia, ſermone pedeſtri loquitur; neque *interdum* ſi modo *dolet*, ſic loquitur, ſed *plerumque* & ut plurimum: in aliis autem affectibus ampullas ſuas & verba ſeſquipedalia profundit.

v. 13. ET INSIGNEM ATTENUAT DEUS OBSCURA PROMENS] Acute annotavit Dacierius, neceſſitate metri coactum Noſtrum *obſcura* poſuiſſe, cum deberet dicere *Obſcurum* hominem, ut reſpondeat τῷ *inſignem*. Atqui hujus culpae immunis eſt Noſter, ſoliſque ea Librariis impingenda eſt. Equidem nullus dubito, quin ad hunc modum ſcripſerit,

valet ima ſummis
Mutare; & inſigne attenuat deus,
Obſcura promens.

Ubi omnia vides ejuſdem formae, *ima, ſumma, inſigne, obſcura.* Atque huic emendationi favet codex Reginenſis, qui pro varia lectione habet, *inſigne attenuat decus:* nec moramur, quod Heſiodus in loco ſimili, ad quem forte reſpexit Horatius, ἀεξίζηλον *inſignem hominem* poſuerit:

Ῥεῖα μὲν οὖν βελάων, ῥεῖα δ' βελέουσα χαλίφρων,
Ῥεῖα δὲ τ' ἀεξίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει,
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν, καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.

Uterque enim ſervavit propoſitum ſuum; Heſiodus omnia illa, *hominibus*, Noſter *rebus* accommodavit; ut alii ex Latinis; Seneca Thyeſte, 598.

Ima *permutat levis hora* ſummis.

Auſonius Epigr. CXLIII. De Fortuna,

Et ſumma in imum *vertit, & verſa erigit.*

Seneca

Digitized by Google

Seneca Nat. Quaeſt. III, praefat. *Nunc cum maxime Deus alia exaltat, alia ſubmittit.* Unde obiter emendandus eſt alter Senecae locus, fruſtra viris magnis tentatus, De Beneficiis VI, 38. *Agricolam annonae caritas erigit: eloquentiae* exoptat *pretium litium numerus.* lego, *exaltat pretium*

CARMEN XXXV.

v. 14. NEU POPULUS FREQUENS AD ARMA CESSANTES AD ARMA] Scio quid ſit *populus frequens*, & ſic alibi locutum eſſe Noſtrum memini, Carm. II, 17.

cum populus frequens
Laetum Theatris ter crepuit ſonum:

& Ciceronem pro Sextio c. 59. *Equidem exiſtimo nullum tempus eſſe* frequentioris populi, *quam illud gladiatorium*; & alios paſſim. Vide tamen, annon melius aptiuſque huic loco conveniat,

neu populus fremens
Ad arma ceſſantes ad arma Concitet.

Id enim fere ſollemne verbum eſt in deſcribenda ſeditione, & bello. Livius I, 17. Fremere *deinde* plebs, *multiplicatam ſervitutem, centum pro uno dominos factos.* Idem XXIV, 26. *itaque* fremere multitudo, *& comitia poſcere.* Valerius Max. VI, 2, 3, *Totius fori* frementis *ora clauſerunt.* Servius ad Virgil. Aen. I, 60. CIRCUM CLAUSTRA FREMUNT. *Quidam hoc loco* fremunt, *id eſt,* imperia recuſant, *intelligunt; ut a Coſſ.* (lege, *Caſſio*: is eſt Caſſius Hemina Annalium ſcriptor) *Annalium ſecundo: Ne quis regnum occuparet, ſi* plebs *noſtra* fremere *imperia coepiſſet,* i. e. recuſare. Statius Theb. III, 594.

Irrupere Argos, maeſtique ad limina regis
Bella animis, bella ore fremunt.

Virgil. Aen. XI, 453.

Arma manu trepidi poſcunt: fremit *arma juventus.*

idem VII, 460.

Arma amens fremit, *arma toro tectiſque requirit.*

iterum Statius Theb. VI, 6, 8.

Arcades arma fremunt, *armis defendere regem*
Contendunt.

Accius in Epigono apud Nonium v. *vulgus*;

Nonne Argivos fremere *bellum, & velle vi vulgum videt?*

Tum autem illud CESSANTES quid ſibi velit, ſatis video intelligere: aut enim morantes, tardantes notat, aut quietos, pacatos, otio deditos. Neque vero utramlibet interpretationem aſpernor: neſcio tamen, an potius ſcripſerit Noſter CURSANTES. *Ad arma curſare,* ut in proſa oratione dicere ſolent, *ad arma diſcurrere.* Livius XXIV, 31. *Haec cum recitata eſſent, cum tanto clamore ad arma diſcurſum eſt, ut* &c. Idem XXV, 37. *Inde verſo repente ad iram luctu, diſcurrere ad arma.* Idque verbum apprime convenit cum *fremens* & *concitet*; ut idem libro XXXIV, 37. *Haec interſe primo in circulis ſerentes* fremere; *deinde* ad arma *ſubito* diſcurrerunt. Et Seneca de Ira III, 2. *Tota multitudo pauciſſimis verbis* concitata, *ipſum* concitatorem *anteceſſit:* ad arma *protinus igneſque* diſcurſum eſt. Quamobrem conſideres, lector ingenioſe, an totus locus ſic conſtituendus ſit;

neu populus fremens
Ad arma curſantes *ad arma*
Concitet, imperiumque frangat.

Sed profecto, ſive vulgatam lectionem ſequeris, ſive noſtram conjecturam; totus interea locus reprehenſioni obnoxius eſt. Qui enim illi ſunt, quos populus, vel *frequens*, vel *fremens*, ad arma concitet vel *ceſſantes*, vel *curſantes*? An aliqui erant, quos populus concitaret, praeter ipſum populum? An proceres vult, & aulae miniſtros? Intelligo: ſed in ipſis auctoris verbis nihil video, quod eo nos ducat. Quare aut altius latet mendum, aut per me quidem alii Horatium hic excuſent, qui velint aut poſſint.

v. 17. TE SEMPER ANTEIT SAEVA NECESSITAS] Editio Veneta 1478 SERVA, Loſcheri autem 1498 SAEVA: & ex eo tempore pro diverſo Interpretum judicio nunc haec, nunc illa vox libros occupavit. Membranae quoque in diverſa abeunt; Cruquii aliquot omnium veterrimae cum Acrone & Porphyrione *ſerva* habent: ex noſtris omnes melioris notae, Leid. Regin. Graev. Zulich. Batt. Petr. Gale, & a prima manu Reg. Soc. *Saeva*: duabus tantum ex recentioribus ab altera lectione ſtantibus. Sane facilis erat Librariis erratio in vocibus tam inter ſe ſimilibus: unde & ſupra Carm. I, 16. *nec mare naufragum, nec ſaevus ignis,* in Reginenſi a prima manu erat *Servus ignis.* Utra igitur lectio ſequenda? Profecto, niſi codices turbaviſſent, nihil melius quam *ſaeva neceſſitas* deſideraremus: ſic enim eadem *dura, dira, acerba,* δεινὴ, κρατερὴ, χειτλία &c. dicitur: optimeque id epitheton

Digitized by Google

epitheton cum sequentibus quadrat, ubi clavi & cunei & uncus in ahena ejus manu gestantur. Tamen & illud *serva* argutule positum videatur; quippe licet omnium rerum *domina & regina* sit necessitas, ipsa tamen sibi *serva* est; nihil enim libere aut voluntarie agit. Nec tamen idcirco hanc lectionem probaverim: imo vero, si *serva* legeris, ipsa orationis structura postulat, ut, non sibi, sed Fortunae servam eam constituas. Quî autem convenit, ut Necessitas, *quae nulli paret*, serva sit Fortunae? Huc adde, quod servae *anteire* dominas non solebant. Erant quidem servi & clientes pauperculi, qui quod ante dominos ambularent, populumque submoverent de via, Anteambulones dicti sunt: Ancillae vero, nisi fallor, a tergo pone sequebantur, neque Anteambulatrices erant, sed Pedisequae.

v. 22. NEC COMITEM ABNEGAT] Difficilis quidem hic locus est, multosque non parum torsit. *Spes*, inquit, *& bona Fides fortunam colit, & comitatur: at vulgus, & meretrices & fucati amici eam derelinquunt* Contra autem dicunt alii, infideles amicos Fortunae comites esse: veram autem Fidem minime Fortunam sequi. Ovidius, Pont. II, 3. de amicitia & fide fucata.

Turpe quidem dictu, sed (si modo vera fatemur)
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura quid expediat prius est quam quid sit honestum:
Et cum Fortuna *stetque caditque* Fides.

at mox ibidem de fido amico,

Scilicet indignum, juvenis rarissime, ducis
Te fieri comitem *stantis in orbe* Deae.

& Pont. I, 9.

Adfuit ille mihi, cum pars me magna reliquit,
Maxime; Fortunae *nec fuit ille* comes.

& iterum Pont. IV, 10.

Quemque refers, imitare virum: vetat ille profecto
Tranquilli comitem *temporis esse* Fidem.

Juvenalis Sat. X, 73. *sed quid*
Turba Remi? sequitur fortunam *semper, & odit*
Damnatos.

Quid igitur fiet? aut quo tandem pacto tam diversa haec inter se conciliari poterunt? Sane cum Ovidius & Juvenalis *Fortunam* nominant, *Secundum* tantum intelligunt ex recepto loquendi more: & proinde recte dicunt, abeunte Fortuna, manere tamen fidos amicos; neque fortunae comites esse. Noster autem aliam plane imaginem concepit & repraesentavit; sub Fortunae enim nomine, eandem & prosperam & adversam, mutata tantum veste, intelligit: unde consequens erat, ut etiam mutatae fortunae Spem, Fidem, & amicos certos adhuc comites & cultores esse diceret: meretrices autem & parasitos retrocedere & diffugere. Et bene quidem hoc Horatio cessisset, nisi addidisset verbum, quod, ut mihi quidem videtur, totam hanc scenam deturpat & prorsus corrumpit;

nec comitem abnegat,
Utcumque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

Quippe, si Fortuna *linquit* domos afflictas, unaque comitantur abeuntem Spes & Fides; tum profecto omnes omnino diffugiunt, tam fidi amici, quam infideles: quo nihil absurdius fingi potest. Certe, si quid video, vel hoc vel non dissimili verbo dictum oportuit,

Utcumque mutata potentes
Veste domos inimica vertis:

hoc est, *concutis, affligis*. Spes, inquit, & Fides semper te colunt, Fortuna; neque te deserunt, sed etiam in afflicta domo, cum vestem mutaveris, tecum manent: vulgus autem infidum statim diffugiunt. Seneca Epist. IX. *Florentes amicorum turba circumsedet: circa* eversos *ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, unde probantur.* Ut semel dicam; nisi Fortunam, etiam cum adversa sit, in eadem tamen qua prius domo manere finxerit Noster; nullum hic exitum video, neque quomodo sententia procedere possit, intelligo. Nisi siquis fortasse satirice haec dicta accipiat, Spem Fidemque, ut nunc res hominum se habent, Fortunam semper comitari: ut supra questus est Ovidius,

Tranquilli comitem temporis esse Fidem.
Et cum Fortuna stetque caditque fides.

Verum eo pacto non *at vulgus infidum* legendum fuerit, sed *Tum vulgus*, vel *Et vulgus*, vel aliud quid simile.

v. 29. SERVES ITURUM CAESAREM IN ULTIMOS ORBIS BRITANNOS] Hactenus Fortunae vim & potentiam memoravit; nunc precationem orditur, ut servare velit Caesarem & Exercitum. Sed quid illud est, *Ultimos* ORBIS *Britannos?* Satis profecto erat *ultimos Britannos* dixisse, & longe elegantius esset: ut ipse alibi Carm. II, 20.

Dacus, & ultimi *Noscent* Geloni.

Epist. I, 6.

Quid maris extremos Arabas ditantis & Indos?

Epist.

Digitized by Google

Epist. I, 1.

Impiger extremos *curris mercator ad* Indos.

Sic Carm. I, 36.

Qui nunc Hesperia *sospes ab* ultima.

& II, 18.

Premant columnas ultima *recisas* Africa.

Virgil. Georg. I, 30. *tibi serviat* ultima Thule.

Aen. XII, 334.

gemit ultima *pulsu* Thraca *pedum.*

VIII, 689. & ultima *secum* Bactra *vehit.*

Catullus, Epig. XXX. *quod Comata Gallia*
Habebat uncti, & ultima Britannia.

Idem, XI. *Sive in* extremos *penetrabit* Indos,
Gallicum Rhenum, *horribiles* & ultimosque Britannos.

Claudian. in Ruf. II,
quicquid ligat ultima Tethys,
Extremos *ultra volitat gens siqua* Britannos.

Vides, opinor, tot exemplis, elegantius omitti illud *orbis*, neque eo sublato quicquam ad sententiam decesse. Quid, quod si additum quicquam voluisset Noster, *ultimos* credo *hominum* Britannos, non *ultimos orbis* appellasset, ut Virgil. Aen. IX, 727. [*bicornis:*

Extremique hominum *Morini*, *Rhenusque* a quo Plinius Hist. XIX, 2. *Ultimique hominum existimati Morini.* Sane *ultimos Orbis*, vel quod perinde est, *ultimos terrae* mihi plane semibarbarum videtur; neque hujusmodi loquendi genus, nisi fallor, apud ullum bonum auctorem inveneris. Unus modo & alter locus occurrit, qui prope huc accedere videatur, qualis ille veteris Tragici apud Ciceronem de Nat. Deorum I, 42. *Omitto*, inquit, *Eleusinam, sanctam illam & augustam,*

Ubi initiantur gentes orarum ultimae.

Ultimae gentes orarum, ut *ultimos Britannos orbis.* Verum ibi *ultimae* genitivus singularis esse poterit, ut structura sit, *gentes* (orae) *ultimae orarum:* vel, quod verius puto, corrigendus locus est ad hunc modum,

Ubi initiantur gentes oraï ultimae.

Utcumque haec sint, veterum illorum Tragicorum obsoletior est oratio, quam ut inde Horatio contra aevi sui morem patrocinium petas. Alter, quem dixi, locus apud Lucanum extat libro VII, 541, & prima quidem fronte germanus huic nostro videtur, *extremi Iberi orbis*, ut *ultimos Britannos orbis.*

vivant Galataeque, Syrique,
Cappadoces, Gallique, extremique orbis Iberi,
Armenii, Cilices.

propius autem contuenti plane alia hujus loci ratio, quam nostri, apparet: quippe *extremi* hic genitivus est singularis, Iberi *orbis extremi;* ut Virgil. Georg. II, 123.

Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi *sinus* orbis.

Ovid. Fast. I, 717,

Horreat Aeneadas & primus & ultimus orbis.

Trist. I, 1. *nobis habitabitur* orbis
Ultimus, *a terra terra remota mea.*

Epistola Hypermnestrae: *regnoque domoque*
Pellimur: ejectos ultimus orbis *habet.*

Statius Silv. V, 1. *quantum* ultimus orbis
Cesserit, & refluo circumflua gurgite Thule.

Recte itaque dixeris, *ultimi orbis Iberos, ultimos* autem minime. Huc etiam accedit quo minus ultimos *orbis* Britannos Horatium dixisse credam, quod non tam *ultimam orbis* Britanniam, quam plane *alium orbem* & a suo diversum appellare soleant poetae: ut auctor Epigrammatis ad Claudium Caesarem,

Libera non hostem, non passa Britannia regem,
Aeternum nostro *quae procul* orbe *jacet.*

Claudian: de Consul. M. Theod. v. 50.

Hispana tibi Germanaque Tethys
Parsit, & nostro *diducta Britannia* mundo.

Virgilius Ecloga 1.

Et penitus toto *divisos* orbe *Britannos.*

Ergo cum illud *ultimos orbis* minime recto talo consistere videatur; neque nos juvent Codices MSti; ecquid est, quod ex conjectura commode substitui poterit? Equidem, quia jam tandem Fortunam precari Noster incipit, plane inducor, ut precandi verbum hinc excidisse credam, & locum sic reponendum esse;

Serves iturum Caesarem in ultimos,
Oro, *Britannos.*

Quid facilius procliviusve, quam ut *oro* ab ineptis Librariis in *orbis* mutaretur? *Serves, oro:* ut Noster alibi Serm. II, 4.

sed des *veniam bonus,* oro.

Ovid. Trist. I, 4.

Invigiles *igitur nostris pro casibus,* oro.

atque alii passim. Porro eodem, quo hic, mendo laborat locus Silii Italici lib. III. ubi uxor Hannibalis pro viro suo precatur,

Sed tu, bellorum genitor, miserere, nefasque
Averte, & serva caput inviolabile Teucris.

Quis, quaeso, est iste *bellorum genitor?* Mars, opinor: sed ex qua uxore, vel amica, bella genuit? Nugae merae. Tu vero lege meo periculo,

Sed tu, Bele, oro, *genitor, miserere.*

Nimirum Hannibal originem stirpis duxit a *Belo:* unde idem Silius lib. VIII.

Digitized by Google

Hannibal a noſtro nomen memorabile Belo. & lib. IV ſic Hannibalem Boſtar alloquitur,

Maxime Belide, *patriis qui a moenibus arces*
Servitium dextra.

v. 36. UNDE MANUS JUVENTUS] *Manus* habet Editio prima Veneta 1478, unde credo in pleraſque editiones ea lectio profluxit. Sed Loſcherus 1498 recte edidit MANUM, ut omnes ubique fere ſcripti; etſi hic taceant Lambinus & Torrentius. Certe ita Noſtri Graevianus, Reginenſis, Battelianus, Regiaeque ſocietatis cum aliis. Et rectius *manum*, quam ut invenuſtum homoeoteleuten fiat, *manus juventus.*

v. 39. O UTINAM NOVA INCUDE DIFFINGAS RETUSUM] *Diffingas* habent Editiones fere omnes, tam veteres, quam recentiores; & ſcripti etiam plerique. Verum ea vox minime huic loco convenit. Cum enim *diffingere* contrarium ſit rei *fingere*, uti conſtat ex Carm. III, 29. nihil ab hac ſententia alienius concipi poteſt. *Nova* enim *incude* finguntur res & fabricantur; non diffinguntur & corrumpuntur. Quare melior videtur lectio, quae in duobus Cruquii libris extat DEFINGAS; quibus accedit optimus noſter Reginenſis, ubi DEFI GAS eſt, N per malam manum eraſa. Leidenſis quoque noſter, *deffingas*, *f* geminato. Sane id ſaepe obſervavi, in compoſitis quae a *def* vel *des* incipiunt, pleroſque codices manuſcriptos *diff* & *diſſ* exhibere: ut Epiſt. I, 7.

Deſignatorem decorat lictoribus atris.

codices noſtri Leid. Graev. Regin. cum aliis *Diſſignatorem*; & ſic alibi non raro: quod & in hoc loco contigiſſe credo. Scribimus igitur *defingas*; ſed jam de ſequente verbo RETUSUM difficilior quaeſtio eſt. *Retuſum*, aiunt Scholiaſtae, civili bello *hebetatum*: recte. & ſic Virgil. Georg. II, 301. *neu* ferro *laede* retuſo *Semina.* Lucan. VI. 161. *confringite tela*

Pectoris incurſu, juguliſque retundite ferrum.

Ovid. Amor. II, 9.

Quid juvat in nudis hamata retundere *tela*
Oſſibus?

Silius Ital. XVI. [*tela.*

Jam campi valleſque madent, hebetataque Auctor Octaviae v. 525. *condidit tandem ſuos*
Jam fiſſus enſes victor, hebetatos *feris*
Vulneribus. & continuit imperium metu.

Sed illud huic interpretationi videtur obſtare, quod *retuſi* gladii potius cotibus acuuntur, quam incudibus renovantur; ut Lucan. VII, 139.

Nec gladiis habuere fidem, niſi cotibus aſper
Exarſit mucro: tunc omnis lancea ſaxo
Erigitur.

Caeterum pro *retuſum*, quod in meis omnibus extat, codex Cruquii RECUSUM, atque id cupide arripuerunt Lambinus, Murcilius, aliique, & *diffingas recuſum* poëtica phraſi dictum volunt, pro *diffingas recudendo.* Verum ut hoc, quod tamen hic durum eſt, concedatur; quis tamen in eodem verſiculo ferre poſſit *incude recuſum*? Ne in oratione quidem ſoluta duo haec vocabula juncta repereris, ubi minus tamen aurium judicio tribuitur, quam in verſu. Mihi vero alia in mentem incidit conjectura; quam ſane veram exiſtimo,

o utinam nova
Incude deſingas recoctum *in*
Maſſagetas Arabaſque ferrum.

Et ſane ſic videtur olim legiſſe vetus Scholiaſtes. Narrat quippe Cruquius ſe in Scriptis adnotationibus offendiſſe, *confuſum & commaſſatum*: quod mendoſe hodie in Acrone legitur *confuſum & quaſſatum.* Atqui *commaſſatum* plane explicat *recoctum*, non *retuſum* neque *recuſum.* Martialis XI, 53.

Altera non deerunt tenui verſata favilla,
Et Velabrenſi maſſa recocta *foco.*

de Caſeo Velabrenſi loquitur, de quo vide Epig. XIII, 29. Virgilius Aen. VII, 636.

Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Ceſſit amor: recoquunt *patrios* fornacibus [*enſis.*
Lucanus VII, 145.

Non aliter Phlegra rabidos tollente Gigantas,
Martius incaluit *Siculis* incudibus *enſis*:
Et rubuit flammis *iterum Neptunia cuſpis*:
Spiculaque extenſo Paean Pythone recoxit.

Lucius Florus III, 20. *E* ferro *ergaſtulorum* recocto *gladios ac tela fecerunt.*

Prudentius Περὶ Στεφ. V, 70. [*libus.*

Exciſa fabrili manu, Cavis recocta *& fol-*

Idem Psychomachia v. 600. *auri*

Surdida fruſta rudis, nec adhuc fornace recoctam
Materiem. Silius Italicus IV, ſub initio;
Pila novant, ac deterſa rubigine ſaevus
Induitur ferro ſplendor: juvenumque repoſta
Inſtaurant galeae comi decus: haſta juratur
Amento: renovantque nova fornace bipennes.

ubi quid quaeſo eſt *renovant nova*? quam ineptum & παυτολόγον. praeſertim cum paullo ante dixerat, *pila novant.* Codex vetuſtus Colonienſis habet *revocant*: quod nihilo melius. Lege ſine dubio,

Recoquunt *que nova* fornace *bipennes*:

ut Virgilius loco jam dicto, *recoquunt fornacibus*, & Prudentius, *fornace recoctam.* Optat igitur Horatius, ut ferrum, quod civili cruore pollutum & commaculatum erat, jam in maſſam redactum, repurgatum, & recoctum, nova incude formaretur in tela contra Arabas & Maſſagetas.

CARMEN.

Digitized by Google

CARMEN. XXXVI.

v. 10. CRESSA NE CAREAT PULCHRA DIES NOTA] Vexatissimus hic locus est, & eruditorum hominum disputationibus nobilis. Erasmus & pauci alii *Thressa* corrigunt ex Plinio, qui lib. VII, 40. *morem* memorat *Thraciae gentis, quae calculos colore distinctos pro experimento cujusque dies in urnam condit*, album dici felici, furtivi nigrum assignans, *ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronunciat.* Quae omnia Phylarchus apud Zenobium Proverb. VI, 13. *Scythis* tribuit: ex quo Plinius sua hausisse videtur, notante elegantissimo Harduino. Eadem etiam ex Phylarcho protert Suidas in Ἄσυλα ἡμέρα. Veteres vero Scholiastae, Porphyrio & Acro, plane similia narrant, non de Thracibus aut Scythis, sed *Cretensibus*; unde & *Cressam notam* eodem modo explicant, quo priores illi *Thressam*. Verum haec quidem interpretatio nequaquam satisfacit: cum enim vel Cretenses vel Thraces, nam utrosvis dixeris perinde est, dies singulos, prout bene vel male processissent, vel *nigro* calculo vel *albo* notaverint; profecto sive *Thressa nota* sive *Cressa*, non magis *album* & felicem calculum hic indicaret, quam *nigrum* ac infaustum: quippe & niger calculus Thressa certe nota est, aeque ac albus. *Thressa* itaque nota, nisi sic plene dixeris *candida Thracum nota*, nullo modo diem bonum & pulchrum, qualem hic celebrat Horatius, notare poterit. Proinde aliud quid, & si fieri potest, melius indagandum est. Atque illud inprimis se offert, quod eruditissimus Harduinus proposuit, cum ad locum Plinii jam citatum, tum in praeclaro opere de Nummis Populorum & Urbium voce ΚΥΔΩΝ: ubi *Cressam notam* pro *vini Cretici nota* accipit, ut alibi noster Carm. II, 5. & Serm. I, 10. *nota Falerni*, & similiter Cicero in Bruto c. 83. *Cretico* autem *vino diem pulchram* hic celebrari, ut Carm. III, 2. *diem bonum* antiqua testa, & III, 28. *diem festum* recondito Caecubo. Porro vinum Creticum *in maximo pretio habitum fuisse Clementem Paedag. II. aliosque permultos docuisse.* Huc recidunt, quaecumque pro firmanda sua sententia diversis in locis protulit vir ingeniosus. Utinam vero nominasset *permultos* illos, qui Creticum vinum tam magnopere praedicent. Clemens certe Alexandrinus uno verbulo hoc laudat, ὁ σύνδικος τῶν ἀστέων Λάσθενος, τοῦ Κρὸς τὸς γλυκύς, *Creticum quoddam vinum dulce* appellans: & sic Aelianus Var. Hist. XII, 31. Γλυκὺς τὸς, ὃ Κρὴς ἄνθος. Sed quale, amabo, illud *vinum dulce*? non aliud quam *Passum*, quod quidem Cretae optimum fiebat. Plinius XIV, 9. *Passum a* Cretico *Cilicium probatur, & Africum, & in Italia, finitimisque provinciis.* Juvenalis XIV, 270. de mercatore,

Qui gaudes pingue *antiquae de littore* Cretae
Passum, *& municipes Jovis advexisse lagenas.*

Martialis Epigr. XIII, 106. Passum.

Cnossia Minoae genuit vindemia cretae
Hoc tibi, quod mulsum pauperis *esse solet.*

Caeterum *Passum* quid sit & quemadmodum fiat, ex Columella discès XII, 39. & Palladio in Octob. c. 19. & cur *pingue* & *pauperis mulsum* Juvenali Martialique dicatur, probe intelliges; quippe *ex uvis passis in praelo compressis effluit, & conditum vasculo, mellis more, servatur.* Jam autem praeter hos modo laudatos, qui passum Creticum memorant, nego ullos veterum Romanorum vini Cretici mentionem facere. Quid ergo? faceta sane & ridicula res esset, si tot *cari* sodales, tam *pulchra* ob Numidae reditum die, nihil nisi *passum* forberent, vel lingerent potius. Habeat id sibi domi Harduinus, tam bellae comissationis novus Magister. Quid, quod si *notam* vini voluisset hic Noster, omnino Chium potius quam Creticum elegisset,

Chii *ne careat pulchra dies nota.*

ut Epod. IX. petit *Aut Chia vina aut Lesbia*: & Carm. III, 19. *Quo Chium pretio cadum mercetur*, interrogat. Satis vero de vini copia provisum est in versu sequente, *Neu promtae modus amphorae*, ubi illud NEU plane indicat nihil antea de vino dictum esse. Mihi quidem omnia perpendenti nulla verior videtur explicatio, quam ut *Cressa nota* pro *cretae* vel *cretea nota* capiatur. Quippe priscos Latinos *cretae*, ab insula Creta unde eam glebam advectam crediderunt, nomen indidisse vero simillimum est. Ita sane Isidorus, etsi auctor non optimus, Orig. XVI, 1. *creta*, inquit, *ab insula Creta, ubi melior est.* Quamquam enim Graecis, cui parva insula Cimolos bene cognita erat, γῆ Κιμωλία *terra Cimolia* vocitata est; Latini tamen a majore & nobiliore insula, quae Cimolo vicina erat, *cretam* vocare poterant: vel quod

Digitized by Google

a nautis forte Cretensibus adveheretur. Jam igitur si *creta* ideo dicta est, quia *terra Cressa* existimaretur, quidni Horatius, ut verbum humile evitaret, *Cressam notam* pro *cretae nota* & splendide & eleganter dixerit? Idem tamen in Sermonibus, ubi propriis & inornatis verbis utitur, *cretam* eodem sensu non recusavit, II, 2.

Quorsum abeant? sunin' creta, *an carbone* notati?

quod manifeste imitatus est Persius, Sat. V.

Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim,
Illa prius creta, *mox haec carbone* notasti.

Porro id solenne est Scriptoribus Latinis, ut dies felices *creta* vel *albo lapide, lapillo, calculo, gemma* signandos & notandos dicant; infaustos vero *nigro*. Martialis XII, 34.

Triginta mihi quattuorque messes
Tecum, si memini, fuere, Juli,
Quarum dulcia mixta sunt amaris:
Sed jucunda tamen fuere plura.
Et si calculus omnis huc & illuc
Diversus bicolorque digeratur,
Vincet candida *turba* nigriorem.

Catullus LXIX, de die fausto;

Quem lapide *illa diem candidiore* notet,

& CVIII, *o lucem candidiore nota!*

Idem Martialis ob Terentii reditum ex Sicilia, & *lactea gemma* diem notat, & vini veteris *amphoram* promit, plane ut Noster nec *Cressam notam*, nec *amphoram* deesse vult; Epig. VIII, 45.

Priscus ab Aetnaeis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.
Defluat, & lento splendescat turbida lino
Amphora, *centeno consule facta minor.*

Idem ob insperatum reditum Caii Julii Proculi *albam gemmam* & vetustum *cadum* postulat, XI, 37.

Caius hanc lucem gemma *mihi Julius* alba
Signat, io, votis redditus, ecce, meis.
Hypne quid expectas piger? immortale Falernum.
Funde: senem poscunt talia vota cadum.

Persius quoque & candidum *lapillum* & *merum* poscit, ob Macrini sui natalem, Sat. II:

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo:
Funde merum *Genio.*

Dubium ne vero posthaec cuiquam esse poterit, quin Horatius per *Cressam notam* idem voluerit, quod Martialis Persiusque per *lacteam albamve gemmam*, & *meliorem lapillum*? Iterum Martialis, Epig. IX, 52.

Felix utraque lux, dieique nobis
Signandi melioribus lapillis.

& X, 38. *O nox omnis & hora, quae notata est*
Caris litoris Indici lapillis.

Plinius junior, Epist. VI, 11 *O diem laetum, notandum mihi candidissimo calculo!* Sidonius Carm. IV.

Prosper connubio dies coruscat,
Albus *quem picei* lapillus *Indi* *Signet.*

Statius Silv. IV, 6.

Nox, & Erythraeis Thetidis signanda lapillis,
Et memoranda diu, geniumque habitura perennem.

Idem Silv. IV, 8.

Litera, quae festos cumulare altaribus ignes,
Et redimire chelyn, postesque ornare juberet:
Albanoque cadum fordentem promere fumo,
Et cantu signare diem: sed tardus iterque
Nunc demum mea vota cano.

ubi male profecto *cantu*; cum jam ante *chelyn* nominaverat, & mox repetit *cano*. Quid autem est *signare diem cantu*? tu vero lege,

Albanoque cadum *fordentem promere fumo,*
Et creta *signare diem:*

cadum hic cum *creta* consociat, ut Noster *amphoram* cum Cressa nota, Martialis *amphoram* cum *lactea gemma, cadum* cum *gemma alba*, & Persius *merum* cum *lapillo candido*, ad diem festum faustumque celebrandum.

CARMEN XXXVII.

v. 9. CONTAMINATO CUM GREGE TURPIUM MORBO VIRORUM] *Vulgatam hanc lectionem* (inquit Josephus Scaliger Auson: Lect. I. 17.) *quis sanus volet tueri? quomodo inde bonum sensum efficiet?* Ipse igitur ex conjectura sic locum restituit,

Contaminato congrege *turpium*
Morbo virorum:

& explicat, *Morbo virorum*, morbosis viris; ut *scelus viri*, sceleste. Atque hujus, ut videtur, auctoritatem secutus Cruquius, trium tamen, ut narrat, manuscriptorum codicum fide, etiam in ipso textu edidit CONGREGE; & ob eam rem laudatus est a Barthio Adversariorum lib. 59. cap. 9. Ac de Cruquio quidem Barthioque non adeo solliciti sumus: Scaligerum tam graviter dormitasse

Digitized by Google

dormitasse non possumus non indignari. Quae enim illa sartago loquendi non modo Venusino nostro, sed & ipso Ennio & verrucosis ejus aevi Tragicis indigna? *Contaminato morbo turpium virorum congrege*; sive, quod pejorem adhuc stribligincm prae se fert, *Contaminatis morbosis turpibus viris congregibus*: apage tam foedam scabiem a nitidissimo scriptore! *Morbo virorum* pro morbosis viris nemo unquam dixisset. *Congrex* Horatiano saeculo vox nondum nata erat. Posteriores quidem usurparunt, Apuleius, Ausonius, Prudentius, Auctor Pervigilii Veneris, Cyrillus in Glossario; sed eo sensu, qui a Flacci sententia plurimum distat. Quid multa? *Contaminato cum* GREGE minime sollicitandum est: nam vocabulum *grex* turpi illi spadonum & cinaedorum contubernio quasi proprium erat. Aurelius Victor in Tito: *Berenicen nuptias suas sperantem regredi domum, & enervatorum greges abire praecepit.* Curtius, 3, 8. Spadonumque grex *haud sane illis gentibus vilis.* Suetonius Tito, c. 7. *Nec minus libido* propter exoletorum & spadonum greges *suspecta in eo erat!* Seneca Epist. 95. *Transeo* agmina exoletorum, *per nationes coloresque disposita.* Tacitus Annal. 15, 37. *Uni ex illo* contaminatorum grege *in modum sollemnium conjugiorum denuptsisset.* Quibus adde Valerium Max. 7, 7, ubi de Lenone & Lupanari loquitur: *Qui fortunas suas in* stabulum contaminatum *projecerat.* Quae loca & Marsilii errorem satis redarguunt, qui sic constituit interpunctionem, ut *contaminato* non cum *grege*, sed cum *imperio* cohaereat;

Funus & imperio parabat
Contaminato, cum grege &c.

Vera itaque lectio est, *contaminato cum grege*: & quae sequuntur in vulgatis codicibus nec satis commode explicari possunt; *cum grege virorum turpium morbo. Morbo turpes dixit* (sunt verba veteris Scholiastae) *quia fere ii effaeminati sunt.* Recte: sic enim Claudianus de Cinaedo, Epigr. 26.

Quod pateris turpem *jam cano podice morbum,*
Faemineis *signis Luna Venusque fuit.*

& notum illud Herodoti 1, 105, quod Venus irata Scythis inflixerit θήλειαν ΝΟΥΣΟΝ *muliebrem* MORBUM. Catullus Epig, 58.

Pulchre convenit improbis Cinaedis
Mamurrae pathicoque *Caesarique:*
Morbosi *pariter, gemelli utrique.*

Philoxenus in Glossario: *Morbosus*, παθικός. Sine dubio itaque sententiam Horatii jam tenemus; *cum contaminato grege morbosorum spadonum.* Nequeo tamen a me plene impetrare, ut verba ipsa sic a poeta profecta esse credam. *Virorum* nomine, nisi fallor, non dignaretur Eunuchos; qui semiviri potius vel faeminae vel monstra dicendi erant, hoc saltem in loco, cum eos execraretur, & contemptui haberet. *Ego tamen* VIR *sum*, aiebat Vespasianus, cum Mucianum notae impudicitiae hominem taxaret. Porro & in illa locutione, Virorum *turpium morbo*, non agnosco elegantiam Flacci; neque alius, credo, agnoverit, qui aures ab optimorum scriptorum lectione adhuc calentes habeat. Quare tentandum, an jacenti & fere deplorato loco conjectura opem ferre possimus. Mihi quidem varia excogitanti nihil visum est aut sententiae aut receptae lectioni propius accedere, quam si pro MORBO VIRORUM legerimus OPPROBRIORUM.

Contaminato cum grege turpium
Opprobriorum.

opprobria autem intelligo spadones ipsos, *omnibus probris contaminatos*, qui humani generis opprobria sunt. Notus ille Hellenismus est, jam inde ab Homero, qui homines probrosos ἀλίγκια, hoc est, OPPROBRIA vocat; ut Pastores,

Ποιμένες ἄγρουλοι, κακ' ἀλίγκια, γαστέρες οἶον.

& Argivos,

Ἀιδὴς, Ἀργεῖοι, κακ' ἀλίγκια, εἴδεϊ ἀγητοί.

& Priami filios,

[illegible]

Τοὺς μὲν ἀπώλεσε Ἄρης· πὰρ δ' ἀλίγκια πάντα.

Sic & illud Sancti Apostoli ex Epimenide petitum,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Sic proverbiale illud, Ἡρώων παῖδες λάσιοι, vel ἄται; *Heroum liberi Opprobria sunt*, vel *Lamna.* Catullus Epig. 29.

At vobis mala multa Dii deaeque
Dent, Opprobria, Romuli Remique.

Sic & illud accipio apud Nostrum Carm. III, 6.

seu vocat Institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum *pretiosus emtor.*

Dedecorum, mulierum impudicarum, λαϊδῶν, ἀλισχίων. Huc accedit, quod alias OPPROBRIUM de Mollibus & Cinaedis aptissime usurpatur, Claudianus in Eutropium Eunuchum I, 57.

Profuerat mansisse virum. Felicior extat
Opprobrio. *Serviret adhuc si fortior esset.*

Propertius de hac ipsa Cleopatra, III, 9.

Quid modo quae nostris opprobria *vexerat armis,*
Et famulos inter faemina trita suos.

Favet etiam, quod *turpium* commodissimum epitheton est *opprobriorum*, ut Noster Serm. I, 7.

pudicum,
Qui primus virtutis honos, ſervavit ab omni
Non ſolum facto, verum opprobrio *quoque*
turpi.

v. 15. MENTEMQUE LYMPHATAM MAREOTICO REDEGIT IN VEROS TIMORES] Sic conſtanter Codices Mſſ. *in veros:* nec locum ſollicitamus; etſi ad aliorum ſcriptorum exemplum potius *ad veros* dixerimus. Ita Seneca conſtanter; ut Epiſt. 13. *Nemo enim reſiſtit ſibi, cum cæperit impelli: nec* timorem ſuum redigit ad verum. Epiſt. 45. *Ecce tota mihi vita mentitur: hanc coargue: hanc* ad verum, *ſi acutus es,* redige. Epiſt. 95. *Habitus porro animi non erit in optimo, niſi res* ad verum redegerit. Seneca alter Controv. 9. *Nam dum inſanos imitatur (Gallus Vibius) dum lenocinium ingenii furorem putat; quod ſimulabat,* ad verum redegit. Ita Livius ſæpe, *redigere ad certum, ad irritum & vanum, ad nihilum;* de quibus conſule accuratiſſimum Fred. Gronovium ad Liv. 41, 23. Illud autem obiter, etſi praeter morem noſtrum, qui non Commentarium, ſed Emendationes ſcribimus, adnotare non piget, male hic rem geſſiſſe Interpretes quos viderim omnes; dum *Lymphatam* intelligunt ebriam, inſanam, furiatam. Imo vero, tu *vano pavore, ſive metu Lymphatico, territam & conſternatam* accipe. Quod ex Hiſtoria verum eſſe comperies. Quippe ipſo ſtatim Actiaci praelii initio, quaſi Panico terrore concuſſa Cleopatra fugam capeſſebat: quem *vanum* timorem ab Auguſto ad *verum* eſſe redactum ait Noſter, cum ille parta victoria mox tota claſſe fugientem eam ſequeretur. Certe niſi hoc ſenſu *Lymphatam* explices, frigebit tota ſententia, vel potius ad nihilum redigetur. Seneca Epiſt. 13. *Nulli tam pernicioſi, tam irrevocabiles, quam* Lymphati METUS *ſunt: caeteri enim ſine ratione, hi ſine mente ſunt.* Idem Epiſt. 85. *Deſcribe captivitatem, verbera, catenas——— inter* Lymphaticos metus *numerat ſapiens.* Lucanus VII, 186.

Quid mirum populos, quos lux extrema manebat,
Lymphato *trepidaſſe* metu?

Ita paſſim alii. Urbane autem & amare Noſter, non Pane vel Apolline vel quovis alio numine Lymphatam Cleopatrae mentem, ſed vino Mareotico tradit.

v. 24. NEC LATENTES CLASSE CITA REPARAVIT ORAS.] Quid obſecro, eſt *reparare oras claſſe?* Nonnulli per Hypallagen interpretantur, *oras claſſe* pro *oris claſſem;* ut ſententia ſit, non collegit denuo exercitum, non inſtauravit bellum navale. Sed veſtram fidem, Grammatici, quis hujusmodi Hypallagas in poetarum ſcriptis deprehendit? aut ubi natae ſunt niſi in cerebellis Magiſtrorum: qui, ſi Hypallagen, Hyperbaton, Synchyſin nominaverint, egregie loca quaeque contaminatiſſima ſe putant expedire? Neque illud interea vident, ſe huic loco ineptiſſimum ſenſum affingere; cum illud *generoſe* a Cleopatra factum volunt, quod *claſſem non reparaverit?* Atqui illud timidi prorſus animi fuiſſet, non reparaſſe; ſiquidem reparare potuiſſet. Alii autem, ſtolida illa Hypallage repudiata, *reparavit oras* pro *repetiit, requiſivit,* accipiunt: neque tamen ex omni Latinitate vel unicum ejus ſignificationis exemplum proferre poſſunt. Ego vero, vel reclamantibus quotquot hodie extant codicibus, ſic ab Horatio ſcriptum eſſe contendo,

nec latentes
Claſſe cita PENETRAVIT ORAS.

hoc eſt, non aufugit in longinqua terrarum loca quo Auguſtus aut non potuiſſet, aut noluiſſet eam perſequi. Et ſententia haec clariſſima eſt, & facilis librariorum lapſus. Virgilius. Aen. I.

Antenor potuit mediis elapſus Achivis
Illyricos penetrare *ſinus, atque* intima *tutus*
Regna Liburnorum.——

Ubi omnia belle huic loco reſpondent: ſimilis utrinque ab hoſtibus fuga; hic *intimos ſinus,* illa *oras latentes penetrare* potuit. Idem Aen. IX.

Nec ſatis: extremas *Corythi* penetravit *ad urbes.*

Silius Italicus, III.

Maxime Belide, Libycas penetravimus *oras.*

& iterum IV.

Sed Spartam penetrare *deus fratreſque negabant.*

Lucanus VIII, v, 216.

remotas
Medorum penetrare *domos, Scythicoſque receſſus.*

Suetonius in Julio c. 52. *Et eadem* nave *thalamego paene Aethiopia tenus Aegyptum* penetravit. Ammianus 29, 5. *Caprarienſes montes longe* remotos penetravit, *& diruptis rupibus inacceſſos.*

v. 25. AUSA ET JACENTEM VISERE REGIAM VULTU SERENO] Quid ſibi vult *jacentem regiam?* aut *humilem,* credo, & *ignobilem,* ut in Ciceronis Oratore c. 67. *Depreſſam, caecam,* jacentem domum, *pluris quam se & fortunas tuas aeſtimaſti;* qui ſenſus huic loco minime convenit: aut *dirutam & deſtructam;* ut illud Senecae Controv. 34. *Duc illum ad* jacentem Olynthum: *duc illo, ubi liberos, ubi domum perdidit.* Atqui

& hoc

Digitized by Google

& hoc ipſa Hiſtoria aſpernatur: tum enim ſtabat Regia integra & intacta. Conjeceram, invitis, ut tum credebam, codicibus, *Auſa* & TACENTEM *viſere regiam*: hoc eſt, *deſolatam, vacuam*: quippe Aulicorum turba, & paraſitorum agmina diffugerant, lapſis Cleopatrae & Antonii rebus. Ita noſter Carm. IV. 14 de ie eadem;

nam tibi quo die
Portus Alexandrea ſupplex,
Et vacuam *patefecit aulam.*

Claudianus Rapt. Proſerp. III, 148.

Flebilis, & tacitae ſpecies apparuit aulae.

& mox v. 154.

Dum vacuas *ſedes & deſolata pererrat Atria.*

Lucanus II, 22. *ſic funere primo*
Attonitae tacuere *domus.*

Statius Theb. V. 310. *Conticuere domus.*

Poſtea didici manuſcriptum codicem Berſmanni, cujus editionem nondum videram, clare exhibere TACENTEM, non *jacentem.*

CARMEN XXXVIII.

v. 5. SIMPLICI MYRTO NIHIL ADLABORES SEDULUS CURO] Itane vero? an Horatius tantopere *curat*, ne Servulus praeter mandatum myrto aliquid addat? mirum ni Saturnalia tunc agebantur, & ſervi dominis imperabant. Tu vero lege, meo periculo, & diſtingue,

Simplici myrto nihil adlabores
Sedulus, cura.

cura, inquit, ſive *cave*, ne nimia diligentia vel roſam vel philyram vel quidquam appares, praeter unicam myrtum. Utique pro imperio dixiſſet Noſter, *ſedulus* MANDO. Sed ſine dubio legendum, CURA: Terent. And. 5, 2. Simo ad Davum. *tu tamen*

Cura *adſervandum vinctum.*

Noſter Serm. II. 6.

Imprimat his, cura, *Maecenas ſigna tabellis.*

Favet Manuſcriptus Bodleianus, qui habet *curae*. Atque adeo mirabuntur plerique tam conſpicuum mendum tam longo tempore indeprenſum latere potuiſſe. Sed aliud longe eſt erratum corrigere, aliud agnoſcere ſemel correctum.

NOTAE AD CARMINUM LIB. II.

CARMEN I.

v. 5. ET ARMA NONDUM EXPIATIS UNCTA CRUORIBUS] Sic exhibent miro conſenſu codices Manuſcripti, *uncta cruoribus*; & defendi quidem poterit ex alio Horatii loco, Epod. 5.

Et uncta *turpis ova ranae* ſanguine.

niſi forte eodem vitio & iſte verſiculus laboret. Sed ſimili metaphora *oblita* dixerunt alii; Ovid. Metam. IV. 96.

venit ecce recenti
Caede leaena boum ſpumantes oblita *rictus.*

& in Epiſt. Canaces;

Oblitus *a dominae caede libellus erit.*

Cicero pro Roſcio c. 52. *Crudelitate ſanguinis perlitus.* Ita & *delibuta*. Seneca Controv. 2. *Converſata es diutius inter humano ſanguine* delibutos. Noſter Epod. 17.

Quantum neque atro delibutus *Hercules*
Neſſi cruore.

Quippe *delibutus unctus dicitur*, ut Donatus ait ad Terentium, & vetus Scholiaſtes ad Noſtrum. Quamquam obſervandum eſt alios ſcriptores in eadem Neſſi hiſtoria, ubi Horatius *delibutus* habet, non *unctus* verum *tinctus* uſurpaſſe. Cicero De Nat. Deorum III. 28. *Nec enim Herculi Deianira nocere voluit, cum ei tunicam ſanguine Centauri* TINCTAM *dedit.* Ovid. Metam. IX. 131. [*inulti.*

Excipit hunc Neſſus: neque enim moriemur
Secum ait: & calido velamina TINCTA *cruore*
Dat munus nuptae.

& paullo infra, quod eodem redit. v. 153.

IMBUTAM *Neſſaeo ſanguine veſtem.*

Seneca Herc. Oetaeo, v. 470 de Neſſo;

Cruore tincta *eſt palla ſemiferi, pater.*

Lego itaque & hic.

Nondum expiatis TINCTA *cruoribus.*

minima quidem Scripturae differentia, cum in Codd. Mſſ. *unctus* a *tinctus* niſi contentis oculis vix poſſis dignoſcere: ſed non minima ſententiae. *Uncta* enim cruore arma vix dici potuerunt, niſi ſtatim a praelio & caede, priuſquam tergerentur: *tincta* vero etiam diu poſtea manſerunt; quia macula, quae ſemel penitus inſederat ferro, ablui non poterat. Quare aptius

eſt

Digitized by Google

est huic loco & occasioni TINCTA; & sic alii passim scriptores; nemo usquam, quod sciam *uncta*. Virgil. Georg. III.

At vix suppositi tinguuntur sanguine *cultri*.

Noster Carm. III, 23.

Victima Pontificum securim Cervice tinguet.

Ovid. Trist. II, 387.

Tingeret *ut ferrum natorum* sanguine *mater*.

Ibid. IV. 2.

Victima purpureo sanguine tingat *humum*.

Ibid. IV. 6.

Quam cui tela suo sanguine tincta *rubent*.

Idem in Ibide.

Tincta *Lycambeo* sanguine *tela dabit*.

& iterum,

Sive meo tingent sanguine *rostra lupi*.

& iterum,

Ipse suo melius sanguine tinxit *humum*.

Quin, ut hic apud Nostrum *tincta cruoribus*, ita & utramque vocem apud alios sic positam reperias: ut praeter Ovidii & Senecae loca jam citata, ille Pont. III, 2.

Decolor affuso tincta cruore *rubet*:

Hic Thyeste, 257.

Cruore *saepe regio* tinctas *alit*.

Phaedrus Fab. II, 4.

Tinctum cruore *panem misit maleficus*.

Boetius Consol. II, 5.

Cruor *horrida* tinxerat *arma*.

V. 12. GRANDE MUNUS CECROPIO REPETES COTHURNO] Heinsius pater, *Forte*, ait, *scribendum est*,

Cecropii repetes cothurni.

Heinsius autem filius, in ora sui codicis, cujus exemplar penes me est, *Forte*, ait, *legendum*,

Cecropios repetes cothurnos.

Sed vix tanti haec videntur, ut a recepta omnium librorum lectione hic recedamus. Caeterum ista, *Mox ubi publicas Res ordinaris*, perperam accipiunt nuperi Interpretes. Rectius veteres Scholiastae, qui *ordinaris* explicant, *scripseris*. *Ordinare* quidem hoc sensu inusitatum est satis: sed Noster magnus Novator, a Graecis hoc accepit; quibus Συντάττειν, *ordinare*, est *librum scribere*, & Σύνταγμα, *liber*, *volumen*. Ipsa plane hic sententia sensum hunc efflagitat.

V. 21. AUDIRE MAGNOS JAM VIDEOR DUCES] Quid sodes narrant boni illi Duces, quos audire sibi videtur Noster?

Audire magnos jam videor duces,
Non indecoro pulvere sordidos;
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.

Nihil scilicet narrant: neque enim loquentes eos hic introducit. Quo autem ista pertinent, *Non indecoro pulvere sordidos?* Pulvis enim & sordes non ad *auditum*, sed ad *visum* pertingunt. In alio quidem loco Calliopen *audire sibi visus* est, Carm. III, 4.

Audire, & videor pios Errare per lucos:

& merito sane; quippe tum ea *longum melos* inceptabat: hic vero loci quos audire se putat Duces ne hiscunt quidem. Mirum profecto tot interpretes haec concoquere potuisse. Sed salvam fortasse rem praestabunt veteres Scholiastae: *Ambiguum*, ajunt; *utrum enim ipsos duces concionantes audire se dicat, an Pollionem de ducibus narrantem, incertum est*. Quid, obsecro vos, in medio praelii *pulvere* & nube *concionantes*? aut qua licentia illud *concionantes* in manca oratione supplendum omittebatur? Tum & posterius commentum, ut per *Duces* ipsum *Pollionem* intelligamus, quo tandem exemplo defendetur? Nimirum locus corruptus est, & explicari quidem negat, sanari facile patitur. Lego enim,

Videre *magnos jam videor duces*
Non indecoro pulvere sordidos.

Quid hac lectione clarius? mutarunt tamen boni librarii, quia praecesserat paullo ante, *murmure cornuum perstringis aures, jam litui strepunt*. Quasi vero non ejusdem esset hominis, & *audire* lituos canentes, & *videre* duces praelia obeuntes? *Videor videre*, trita sed eleganti locutione. Plautus Mostellaria I. 3.

Non videor videre *lenam callidiorem ullam alteram*.

Terent. Adelph. III, 3. Videre videor *jam diem illum, cum hinc egens Profugiet aliquo militatum*. Cicero in Catil. IV, 6, Videor *mihi* videre *hanc urbem subito uno incendio concidentem*. Cicero filius in Epist. Fam. XVI, 21. Video *enim* videre *eminentem te rusticas res, cum villico loquentem*. Prudentius Peristeph. II, 558

Videor videre *inlustribus*
Gemmis coruscantem virum.

Sic & ceteri poetae, in re simili, non *audire bella & duces*, (qui enim possunt) sed *videre* & *cernere* se fingunt. Virgil. Aen. VI.

Dardanida venient (*mitte hanc de pectore curam*)
Sed non & venisse volent: bella horrida bella,
Et Tiberim multo spumantem sanguine CERNO.

Claudianus Cons. Honorii III, 200.

Jam video *Babylona rapi, Parthumque coactum*
Non ficta trepidare fuga; jam Bactra teneri
Legibus, & famulis Gangem palle scere ripis.

Petronius:

Digitized by Google

Petronius: [*Philippos*,
Cerno *equidem gemino jam ſtratos Marte Theſſalicoſque rogos, & funera gentis Iberae, Jam* fragor *armorum trepidantes* perſonat aures:
ubi vides eandem, quae apud Noſtrum, oeconomiam. Ille *Fragorem* armorum *audit*; Philippos, & Theſſalica Hiſpanicaque funera *cernit*: ita Noſter cornuum quidem & lituorum ſonitum *audit*, regiones vero ſubactas, & victores duces *videt*.

v. 38. CEAE RETRACTES MUNERA NAENIAE] Nicolaus Heinſius ex conjectura legit FUNERA. Chabotius ex *vetuſtis quibuſdam exemplaribus* praefert, VULNERA. Neſcio equidem quaenam illa ſint vetuſta exemplaria: mea enim omnia, ut & Lambini, Cruquii, Torrentii, Pulmanni &c. ſummo conſenſu retinent, MUNERA. Quod placet. Noli, inquit, ſuſcipere munus viribus tuis impar, quod graviori Simonidis muſae magis convenit. Virgil. Aen. V. 846.

Ipſe ego pauliſper pro te tua MUNERA *inibo.*

Caeterum mox Cod. Petrenſis, ipſo metro repugnante.

Quaere modos leviore LYRA:

plectro tamen inter lineas addito pro varia lectione. *Leviore lyra, leviore chorda, leviore plectro*, eodem omnia recidunt. Ovid. Metam. X, 150.

cecini plectro graviore *gigantas*; & mox.
Nunc opus eſt leviore lyra.

Statius Theb. X. 440.

Vos quoque ſacrati, quamvis mea carmina ſurgant
Inferiore lyra. Seneca Agam. 329.
Sed quale ſoles leviore lyra
Flectere carmen ſimplex, luſus
Cum docta tuos Muſa recenſet.
Licet & chorda graviore *ſones,*
Quale canebas, cum Titanas
Fulmine miſſo fregere Dei.

Quae omnia ex hoc Horatii loco mutuati ſunt iſti.

CARMEN II.

v. 2. ABDITAE TERRIS INIMICE LAMNAE] Magnam ſe rem praeſtitiſſe credidit Lambinus, quod invitis omnibus libris, qui ABDITO *argento* hic exhibent, ABDITAE *lamnae* repoſuerit, hunc in modum:

Nullus argento color eſt, avaris
Abditae terris inimice lamnae
Criſpe Salluſti, niſi temperato Splendeat uſu.

Quippe, inquit, *ſi ita locutus eſſet Horatius, Nullus eſt color argento abdito terris (& proinde minime ſplendenti) niſi ſplendeat uſu temperato: nonne eſſet ineptiſſime locutus? Eſt enim ſimile ac ſiquis ita dicat, Nulla eſt mulieris deformis gratia & venuſtas, niſi formoſa ſit.* Recte quidem diſputat Lambinus; modo ita, ut ille ſomniat, Horatius eſſet locutus. Sed fefellit plane Lambinum ipſa verborum conſtructio. Ponamus enim Lectionem in omnibus MStis codicibus receptam, diſtinctionem tantummodo novam:

Nullus argento color eſt avaris
Abdito terris; inimice lamnae
Criſpe Salluſti, niſi temperato ſplendeat uſu.

Jam haec verba non negant colorem eſſe *argento* abdito, niſi *argentum* illud ſplendeat; ſed Salluſtium narrant inimicum eſſe *lamnae*, niſi *lamna* illa ſplendeat. Ubi nunc, obſecro, Lambini acumen? Et tamen omnes fere poſt ipſum Editiones ſcabies illa occupavit. Clara jam ſatis, ut opinor, ſententia eſt. *Nullus color*, nulla gratia, nihil pulchri eſt *argento abdito terris*, ſive in terras defoſſo, ut avaris mos eſt theſauros ſuos ſepelire. Noſter Serm. I, 1.

Quid juvat *immenſum te argenti pondus & auri*
Furtim defoſſa *timidum deponere* terra?
Quod ſi comminuas, vilem redigatur ad aſſem: [*acervus?*

At ni id fit, quid habet pulchri conſtructus Hoc verum eſſe tu, inquit, agnoſcis, Criſpe Salluſti, qui nihili facis *lamnam*, niſi in quantum humanis *uſibus* inſerviat. *Lamna* eſt ipſum argentum, vel aurum. Ovidius Faſt. I, 208.

Jura dabat populis poſito modo Conſul aratro,
Et levis argenti lamina *crimen erat.*

Seneca de Benef. VII. 10. *Nunc volo tuas opes recognoſcere*, laminas utriuſque materiae, *ad quas cupiditas noſtra caligat.*

v. 7. ILLUM AGET PENNA METUENTE SOLVI] Veterrimi quique Torrentii codices, ut & ex noſtris Leidenſis, Graevianus, Reginenſis, cum Porphyrione Scholiaſta legunt, AGIT. Parum intereſt; ſed potius ſequamur vetuſtos. Porro in verſu praecedente, vir doctus, qui Horatium nuper edidit, diſtinguendum cenſet poſt *notus*,

Vivet extento Proculeius aevo
Notus, in fratres animi paterni:

quod & miratur neminem ante ſe vidiſſe. Ego vero & miror & doleo tam pravam diſtinctionem

Digitized by Google

nem in mentem ei veniſſe. *Vivet notus*: quanto minus leviuſque hoc eſt, quam *vivet* abſolute. Velleius Paterc. II, 66. Vivit vivetque *Cicero per omnium ſaeculorum memoriam.* Ovidius in fine Metamorph.

Ore legar populi: perque omnia ſaecula fama
(Si quid habent veri vatum praeſagia) vivam.

Idem Amor. I, 15.

Vivet *Maeonides, Tenedos dum, ſtabit & Ide:*
Dum rapidas Simois in mare volvet aquas.

Vivet *& Aſcraeus: dum muſtis uva tumebit.*

Tum & illud, *In fratres animi paterni vir*, minus utique multo eſt, quam *Notus animi paterni*: illud enim nude φιλάδελφον fuiſſe Proculeium indicat; hoc, φιλαδελφίας nomine per ora hominum celebrem. Quid quod ſuaviſſimam figuram ex Graeco fonte deductam hoc pacto amiſimus, *notus animi*: quam primus, opinor, Noſter invexit, & poſteris imitandam tradidit. Silius Italicus, XV.

Hanc notam formae *conceſſit laetus ovanſque.*

& XVII.

inviſus Marti, notuſque fugarum.

Statius Theb. II, 274.

Cyclopes, notique operum *Telchines, amica*
Certatim juvere manu.

Symmachus Epiſt. II, 63.

Suſcipe igitur notum militiae *virum.*

v. 15. ET AQUOSUS ALBO CORPORE LANGUOR] Eleganter haec imitatus eſt Prudentius, Chriſtianorum Maro & Flaccus, Cathem: VIII, 61.

Ergo ne limum fragilem ſolutae
Deſerant vires, & aquoſus albis
Humor in venis *dominetur, aegrum*
Corpus inerrans.

& iterum Periſteph. II, 241.

Hydrops aquoſus lucido
Tendit veneno intrinſecus.

Sed apertius Serenus Sammonicus cap. 28, de Hydrope:

Unguine quo frangit vires languoris aquoſi: Quem ad partes citavit etiam Theod. Marcilius, & poſt eum Dacierius: atque eo fine & nos quoque adduximus, ne quis ſuperiore Prudentii loco confiſus temere apud Horatium reponat. *& aquoſus albi Corporis humor.*

v. 19. DISSIDENS PLEBI] Verior videtur Jacobo Cruquio Blandiniorum codicum lectio, *Diſſidens plebis*: & ſic ſane Codex noſter Reginenſis cum priſca editione Veneta. Non negamus, quin Graeca conſtructione *Diſſidens plebis* uti potuiſſet Noſter; ſicut alibi habet, *Regnavit populorum, Abſtineto irarum, Deſine querelarum:* Sed praevalere debet auctoritas Priſciani p. 1158. *Pauca ſunt, quae activa vocis tranſitive ſoli Dativo adjunguntur. Diſſidet tibi:* Horatius in II Carm. *Redditum Cyri ſolio Phraatem* Diſſidens plebi *numero beatorum Eximit virtus.* Et eo melior eſt lectio *Plebi*; quia hoc pacto vitatur ambiguum: ne forte *diſſidens numero plebis* cum Acrone Scholiaſta ridicule quis conſtruat.

CARMEN. III.

v. 2. NON SECUS IN BONIS] Ita noſtri ad unum omnes: ſequimur tamen potius ſcripturam duorum apud Lambinum codicum, *Non ſecus* AC *bonis.* Ea notiſſima & conſtructio τῦ *ſecus.* Noſter in Arte: *& in medias res,*

Non ſecus *ac notas, auditorem rapit.*

v. 9. QUA PINUS INGENS] Atque haec etiam lectio eſt ex MStis Lambini: noſtri enim omnes cum editionibus vetuſtis, *Quo pinus.* Sic & illud v. 11. *Ramis*, ET *obliquo*, jam vulgo receptum eſt: ſed adverſus fidem codicum, qui hic habent, *Ramis, quo obliquo*; vel *quoque* vel *quid*, vel *quo &*, vel *qua.* Forte legendum;

Umbram hoſpitalem conſociare amant
RAMOSQUE, *& obl.*

Caeterum lege cum co licibus, ALBAQUE populus: non ALTA, ut Lambinus ſuſpicatur ex Epod. 1.

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas *maritat populos.*

Cui loco addas licet Ciceron. de Leg. I, 5. *Sic nos inter has* proceriſſimas populos *in viridi opacaque ripa inambulantes.* Et Claudian: in Rapt. Proſerp. II, Praefat.

Ardua *nudato deſcendit* populus *Haemo.*

Quippe nihil frigidius eſſet gemino illo ejuſdem ſignificationis epitheto, *Ingens altaque.* Satis autem ex eo intelligitur & *album* illam *populum* pariter *ingentem* fuiſſe, quod umbram & ramos cum ingente pinu conſociaret; quod, niſi & ipſa quoque procera eſſet, facere nequiret. Ergo non opus erat epitheto *alta*, ad proceritatem indicandam.

v. 17. DE SCELESTA PLEBE DELECTAM] Omnes fere codices, DILECTAM: unde ambiguum evadit, utrum *amatam* intelligamus, ut Noſter alibi Epiſt. II, 1.

Dilecti tibi *Virgilius Variuſque poëtae:*

Digitized by Google

an *selectam, electam*: sic enim antiquitus etiam in ista significatione scribebant, DILECTUS *militum* &c. quod & alii notarunt. Uterque sensus satis est commodus; sed posterior magis placet. Ovid. Amor. I. 42.

Elige *cui dicas, Tu mihi sola places.*

Plinius Hist. VIII, 5. de Elephantis loquens: *Traditur unus amasse quandam in Aegypto corollas vendentem; ac nequis vulgariter electam putet, mire gratam Aristophani celeberrimo in arte Grammatica.* Ita Cl. Harduinus ex suis codicibus edidit; nam aliae Editiones, *vulgariter dilectam*: quod eodem redit, neque loco movendum erat. Caeterum frustra laborant Interpretes, ut *sceleste plebe* exponant *servili, misera, infelice.* Imo vero *sceleste* hic, ut semper alibi, *scelerata, impia.* Sic enim argumentatur poeta: Ex moribus & indole facile conjeceris natam esse eam honestis parentibus: quippe sic fidelis, sic lucro aversa non potuit nasci ex plebe, quae sceleste semper & infida & lucro addicta est. Lucretius II, 623.

Ingratos animos atque impia pectora vulgi
Conterrere metu quae possint numine divae.

Sceleste itaque non ad conditionem vulgi, sed ad mores spectat: ut contra in versiculo sequente, Matre *pudenda*, non ad mores referendum, sed ad conditionem; *matre ancilla, matre libertina*, Suetonius in Vitellio. c. 2. *Contra, pluribus auctorem generis* libertinum *prodiderunt.*—— *Caeterum, sive ille stirpis antiquae, sive* PUDENDIS *parentibus atque avis, eques certe Romanus.* Vide quae supra diximus ad Carm. I. 37. v. 15.

v. 24. CUJUS OCTAVUM TREPIDAVIT AETAS CLAUDERE LUSTRUM] *Claudere lustrum* MSti omnes, tam nostri, quam aliorum. Neque vero ex possessione sua dejicio lectionem hanc, quae & sic satis elegans est, & non dispari Nemesiani loco firmari potest, Eclog. I, 45.

Felices anni, nostrique novissimus aevi
Circulus innocuae clauserunt *tempora vitae.*

Suspicionem tamen meam dissimulare non possum, irrepsisse nempe librariorum seu incuria sive audacia *claudere* pro *condere*,

Cujus octavum trepidavit aetas
CONDERE *lustrum.*

Quis in Latinis literis adeo hospes est, ut receptissimam hanc locutionem nesciat? Suetonius Augusto 97. *Cum* lustrum *in Campo Martio magna populi frequentia* conderet. Vide Livium passim, Ciceronem, Valerium Maximum, & alios. *Condere* ibi est *finire.* Ut Noster Carm. IV, 5.

Condit *quisque* diem *collibus in suis.*

& Virgilius,

Cantando longos memini me condere soles.

Lucretius III, 1104.

Proinde licet quotvis vivendo condere saeclai

CARMEN. V.

v. 12. PURPUREO VARIUS COLORE] Ita nostri omnes: Lambini tamen aliquot,

Purpureus vario colore. Et utramvis quidem lectionem ille probat; ego vero neutram. Quis enim vel poeta dixerit, vel pictor finxerit Auctumnum, aut varium colore purpureo, aut vario colore purpureum? Sine dubio subest mendum. Quid si ex conjectura reposueris,

jam tibi lividos
Distinguet Auctumnus racemos,
Purpureo varios *colore.*

Certe posteriora verba ad *racemos*, non ad *Auctumnus* pertinent: Ovidius Metam. III, 483.

Non aliter quam poma solent, quae candida parte,
Parte rubent: aut ut variis *solet uva* racemis
Ducere purpureum, *nondum matura*, colorem.

Qui locus ex Horatiano hoc plane expressus videtur: utrobique enim habes *varios racemos*, & *purpureum colorem.* Propertius IV, 2.

Prima mihi variat liventibus uva racemis.

Plinius Hist. XVII, 22. *Ubi* uva varia *fieri coeperit, vites subligato.*

Ovidius in Nuce, 31.

Quaeque sibi vario distinguit poma colore,
Audiat hoc cerasus: stipes inanis erit.

v. 14. CURRIT ENIM FEROX AETAS] Et plures & vetustiores ex nostris, Leidensis, Graevianus, Reginensis cum aliis, CURRET. Sed placet recepta lectio: quippe si *curret* scripseris, de solius Lalages aetate capiendum erit: *currit* vero erit γνωμικὸν, & notabit omnem omnium aetatem velociter currere. Cicero Tusc. I, 31. *Veniet tempus, & quidem celeriter; & sive retractabis, sive properabis: volat enim aetas.* Ovid. Metam. X. 5. 19.

fallitque volatilis aetas,
Et nihil est annis velocius.

Juvenal. IX, 126.

festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustae miseraeque brevissima vitae Portio.

Digitized by Google

Sed quid eſt, obſecro, quod ſequitur:

Aetas, & illi, quos tibi demſerit,
Apponet annos.

Id vero explicant ex alio loco in Arte Poetica:

Multa ferunt anni venientes *commoda ſecum,*
Multa recedentes *adimunt.*

nempe uſque ad medium aetatis clivum anni *venire*; poſtea *recedere*, &, ut volunt interpretes noſtri, *demi* dicuntur. Sed *demere annos*, quod pace eorum dixerim, nihil aliud notare poteſt, quam detrahere de numero annorum, atque adeo vitae ſpatium decurtare. Ovidius Metam. VII, 168.

Deme *meis* annis, & demtos adde *parenti*:

Sunt Iaſonis verba, ad Medeam; ut vel ſuorum annorum diſpendio patri Aeſoni annos prorogaret: eadem plane ſententia, qua populus Romanus Trajano adulatus eſt,

De noſtris annis tibi Juppiter augeat annos.

Statius Silv. V. 1. v. 180.

Pars animae victura meae; cui linquere poſſim
O utinam, quos dura mihi rapit *Atropos*, annos.

Ovid. Metam. X, 24. *in quam calcata venenum*
Vipera diffudit, creſcenteſque abſtulit annos.

Hoc itaque ſignificare debent, ſi modo ſana ſunt, verba Flacci; *amputabit, auferet tuos annos, & ablatos illi addet & apponet.* Atqui hoc a poëtae mente ſic alienum eſt, ut nihil magis. Quid itaque fiet? Vide, an haec conjectura calculo albo notari mereatur.

currit enim ferox
Aetas; & illi, QUOD *tibi demſerit,*
Apponet ANNUS.

Hoc eſt, Quantum tu conſeneſces, tantum illa adoleſcet: demet tibi annus de flore aetatis, illi annus additus erit flos ipſe. *Annus* hic vel ſtricte proprieque capi poteſt, vel laxe pro quovis tempore, ut Nemeſianus Eclog. 4.

Donum forma breve eſt; nec ſe tibi commodat annus.

Noſter Carm. II, 15.

Et mihi forſan, tibi quod *negarit,*
Porriget hora.

Epiſt. II, 2.

Singula de nobis anni praedantur *euntes:*
Eripuere *jocos, venerem, convivia, ludum:*

& jam illud ex Arte melius huc quadrabit,

Multa ferunt *anni venientes commoda ſecum,*
Multa recedentes adimunt.

CARMEN. VI.

v. 18. ET AMICUS AULON FERTILI BACCHO] *Amicus* in omnibus membranis extat; neque opus eſt (ſi modo cetera ſe recte habeant) ut cum τῷ πάνυ Nic. Heinſio corrigamus. AMICTUS. Rectiſſime enim dicitur *amicus Bacchо Aulon.* Claudianus in Rapt. Proſerp. II, 108.

bellis accommoda cornus,
Quercus amica Jovi.

Seneca in Phoeniſſis, 607.

Hinc grata Cereri *Gargara.*

Idem Oed. 279.

Secat una gratum *Phocidos* Baccho *ſolum.*

& Troad 227.

Et cara Phoebo *Cilla.*

& Herc. Oet. 1874.

Caerula Crete, magno tellus.

Cara Tonanti.

Ita optime habet codex longe vetuſtiſſimus Florentinus; vulgo, *Clara Tonante*: unde fruſtra Gronovius, *parvo* tellus clara Tonante. Trochaeum enim non recipit iſte verſus.

Statius Silv. III, 8.

Caraque *non molli juga Surrentina* Lyaeo.

& IV, 8.

Plaga cara madenti *Surrentina* deo.

& iterum Silv. I, 2.

Qua Bromio dilectus *ager, colleſque peraltos*
Uritur, & praelis non invidet uva Falernis.

ubi totum hunc Horatii locum vel caſu, vel de induſtria expreſſit. Sed quid tandem erit *fertili Baccho*? Jure id diſplicuit Paſſeratio, Cantero, aliiſque: nam ſane illud Propertii, IV, 6.

Ingenium potis irritat mouſa poëtis:
Bacche, *ſoles Phoebo* fertilis *eſſe tuo,*

nihil ad rem facit, Etſi enim *fertilis Phoebo* recte Bacchus dicatur, non ideo abſolute & perpetuo epitheto *fertilis Bacchus* dicetur; neque ullo exemplo locutionem hanc defendere aut firmare poteris. Rectius itaque membranae aliquot veteres, ut ex meis Leidenſ. Petreniſque, una cum Servio ad Virgil. Aen. III, 553. *Fertilis Baccho*; Statius Silv. II, 7.

Quae Tritonide fertiles *Athenas*
Unctis, Baetica, provocas trapetis:

hoc eſt, fertiles oleo Athenas. Seneca Agam. 852. *Arborque* pomis fertilis *aureis.*

Severus in Aetna.

Caetera materies, quaecunque eſt fertilis igni.

Virgil. Georg. IV. 128.

nec fertilis *illa* juvencis,
Nec pecori opportuna feges, nec commoda Baccho,

Ita

Digitized by Google

felix, hilaris Baccho, Virgil. Aen. VII,

vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris.

Claudian. II, Stilich. 457.

hilares Baccho *frugumque feraces.*

Statius Theb. VII, 308. feracem

Messe Coroniam, Baccho *Glisanta colentes:* ubi vetus Scholiastes Lactantius, *Duae,* inquit, *civitates duorum numinum pari gaudent munere: Coronia* BACCHO FERTILIS *est.* Sequamur itaque meliorum codicum auctoritatem; fiatque, *& amicus Aulon Fertilis Baccho.* Sed ecce tibi aliud incommodum: si enim vera lectio est, *Fertilis;* tum altera illa *Amicus* vitiosa sit necesse est: quippe quae jam nihil habet, quo referatur. Quid multa? lege totum locum leviſſima mutatione,

& apricus Aulon
Fertilis *Baccho, minimum Falernis*
Invidet uvis.

Virgil. Eclog. IX.

Duceret apricis *in collibus* uva *colorem.*

& Georg. II.

Mitis in apricis *coquitur* vindemia *saxis.*

Tibullus I, 4.

Annus in apricis *maturat collibus* uvas.

Recte vero, postquam dixisset, *tepidas brumas,* subjunxit statim *apricus* Aulon; nam *apricitas* illa etiam hyemis teporem notat. Acron Scholiastes ad hunc locum: *Tarentini agri deliciis & amaenitate delectari se dicit: nam & melle & olivetis praecellit, hiemesquoque* APRICIORES *habes.*

CARMEN VIII.

v. 1. ULLA SI JURIS TIBI PEJERATI POENA, BARINE] Vitiosum videtur illud nomen *Barine,* ut acute observavit Tan. Faber; cum neque Latinum neque Graecum esse possit, quamvis Graecam formam prae se ferat. Immaniter tamen lapsus est idem Faber, cum, & testante & laudante hoc Dacierio, reposuit;

Ulla si juris tibi pejerati
Poena, Barine, *nocuisset umquam.*

Nempe, aiunt, *Barine, & Barinus cognomina fuisse satis frequentia testantur loca Martialis de Barino.* Addant, si velint, & Statium Praefat. in Silvarum lib. III. *Earinus Germanici libertus:* & Titulum Silv. III, 4. *Coma Earini,* vel ut Codd. quidam MSS. *Iarini.* Extat etiam apud Gruterum pag. 830, 10. ELPIDI. EARINAE. CONJUGI. Et pag. 1099. 8. QUINTILIA IARINE. & p. 460, 9. ATILIAE. IARINAE. CONCUBINAE. Restituendum credo hoc nomen apud eundem p. 746, 3. ubi mendose editum VENONIAE. IARILIAE, pro IARINAE. & iterum p. 875, 6. DEIS. MANIBUS. JULIAE LARINAE, corrigendum opinor, JULIAE IARINAE. Nisi fortasse LARINAE retinere malis ex illo Virgilii Aen. XI, 655.

Larinaque virgo,
Tullaque & aeratam quatiens Tarpeia securim,
Italides.

Sed uteumque hoc sit; bis peccavit in metri legem Tanaquillus, cum *Earine, Ineira* in versum Sapphicum intrusit; ter peccaturus, si *Farine Ineira* posuisset. Quippe in *Earine* tres priores syllabae Tribrachyn pedem faciunt, in *Larine* Dactylum. Ipse, quem citant, Martialis Epig. IX. 11. de Earino.

Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu Syllaba contumax repugnas:
Dicunt Iarinon *tamen poetae:*
Sed Graeci quibus est nihil negatum.

Proinde aliud quoddam excudendum erit nomen, si cui displicebit illud BARINE. Certe bona pars codicum habent, VARINE. In Graeviano nostro vetere, BARINE est; sed tres literae posteriores a manu recentiore sunt, scriptura antiqua erasa. Latet certe mendum: & plura quidem nomina se offerunt, *Larine, Nerine,* &c. ex quibus quodnam sit verum hariolari non possumus, nisi codex alicunde prodiens, quasi Deus ex machina, rem expediverit.

v. 24. TUA NE RETARDET AURA MARITOS] AURA etiam legitur apud Servium ad Virgil. Aen. VI, 204. ubi exponit, *splendor.* Et sic codices Horatiani summo consensu, unaque veteres scholiastae. Miras tamen tempestates concitat haec *aura* inter interpretes: quorum hi *splendorem,* illi *odorem,* alii *ventum* hic intelligunt. Mihi jam diu suspicio oborta est, *fallacem* hanc *auram* esse; & fortasse rescribendum quam minima mutatione unius literulae,

tua ne retardet
CURA *maritos.*

hoc est, ne amor tuus retardet, moretur, illigatos teneat maritos suos. Propertius. I, 1.

Hoc, moneo, vitate malum: sua *quemque*
moretur
Cura, *neque assueto mutet amore locum.*

& iterum I, 8.

Digitized by Google

Tun' igitur demens? nec te mea cura moratur?

Cato in Diris:

Dulcia amara prius fient, & mollia dura:
Quam tua *de noſtris emigret* cura *medullis:*
Quamvis ignis eris; quamvis aqua; ſemper amabo.

Ovid. Remed. Amor. 311.

Haeſerat in quadam nuper mea cura *puella.*

Et Propertius denuo I, 15.

Muta prius vaſto labantur flumina ponto,
Annus & inverſas duxerit ante vices:
Quam tua *ſub noſtro mutetur pectore* cura,
Sis quodcumque voles; non aliena tamen.

Noſter denique hoc ipſo in Carmine;

juvenumque prodis
Publica cura.

Qui tamen locus manum mihi injicit, ne nimium fidam huic conjecturae; nam eodem in carmine bis *curam* ingerere non uſquequaque caret culpa.

CARMEN X.

V. 12. FERIUNTQUE SUMMOS FULMINA MONTES] Jam a duobus fere ſaeculis pleraſque editiones occupavit FULMINA: Priſca tamen illa Veneta 1478. & Loſcheri altera 1498, agnoſcunt FULGURA; & ita omnes Cruquii, Berſmanni, Pulmannique codices; mei certe univerſi: ut mirer profecto, quid viro optimo Torrentio in mentem venerit, ut in omnibus ſuis FULMINA ſe repperiſſe aſſeveraret. Id, etſi incredibile eſt, credamus licet: ſed tamen Sanctum Hieronymum, omnibus Horatii codicibus, quotquot hodie extant, antiquiorem ſic in ſuis libris inveniſſe conſtat; ſic enim ille in Epitaphio Nepotiani: *Dicat aliquis, Regum talis conditio eſt: feriuntque ſummos* fulgura *montes*: & iterum in Epitaphio Paulae: *Semper quidem virtutes ſequitur Invidia; feriuntque ſummos* fulgura *montes*: denique in Prooemio ad Quaeſtiones Hebraicas: *Semper enim in propatulo fortitudo aemulos habet: feriuntque ſummos* fulgura *montes*. Recipiamus itaque hanc lectionem: nam *fulgur* idem ſaepe notare quod *fulmen* apud optimos Latinitatis auctores, Virgilium, Plinium, Tacitum, Suetonium alioſque, adeo notum eſt, ut exemplis id probare minime hic neceſſe ſit.

V. 18. QUONDAM CITHARA TACENTEM SUSCITAT MUSAM] Ita quidem codices plerique, & editiones credo omnes CITHARA: ſed longe elegantior lectio eſt, quam olim in ſuo codice Berſmannus, & nos in Graeviano noſtro vetere & Bodleiano altero invenimus, CITHARAE. Non enim hoc vult Horatius, Apollinem neſcio quam ex novem ſororibus tacentem vel dormientem cithara ſua ſuſcitare; quod ex vulgata lectione excudunt interpretes: ſed illud nimirum dicit, Apollinem, cujus geſtamina ſunt Arcus & Cithara, non ſemper arcum, ſed aliquando & citharam tendere: illud autem iratus facere ſolet, hoc laetus & propitius. *Muſa* ergo *Citharae* eſt ipſa Cithara, quam *tacentem ſuſcitat* Phoebus. Noſter alibi Carm. III, 19.

Cur pendet tacita *fiſtula cum* lyra?

Ovid. Ep. Sapphus.

Plectra *dolore* tacent, muta *dolore* lyra eſt.

Statius Silv. V, 3.

dux ipſa ſilenti *Fulta caput.* cithara.

Claudianus II. Rapt. Proſerp. in Praefat.

metuenſque leonum
Implorat citharae *vacca* tacentis *opem.*

Drepanius Florus.

Conticuit citharae quondà vox optima noſtrae;
Et Lyra dulcimodos preſſit amica ſonos.

Suſcitat autem, pulſat, quaſi e ſomno excitat, ut Lucretius II, 412.

Ac Muſaea mele, per chordas organici quae
Mobilibus digitis expergefacta *figurant.*

CARMEN XI.

V. 9. NON SEMPER IDEM FLORIBUS EST HONOS VERNIS] *Honos* hodie habes in omnibus editionibus: atqui principes illae Veneta & Loſcheri cum veteribus membranis, quotquot vidi, *Honor*. Recte, ut vitetur ſibilus iſte, *floribus, honos, vernis*. Qui primus mutavit, ei defuit aurium judicium.

V. 17. DISSIPAT EVIUS CURAS EDACES] Nicolaus Heinſius in ora Codicis, *Lege*, ait, DISSIPET. Non multum intereſt: tamen, ſi vetus codex accederet, conjecturam Heinſii libenter receperim.

V. 23. MATURET INCOMTUM LACAENAE MORE COMAM RELIGATA NODUM] De hoc loco quot capita, totidem fere ſententiae. Quidam IN COMTUM legunt, duobus verbis, & orationem ſic ordinant, *religata comam in nodum comtum*. Sed dubium eſt, an ſatis Latine dicatur, *Religa-*

re

Digitized by Google

re in nodum. Colligere in nodum passim quidem occurrit, ut Virgil. Aen. XI. 775.

chlamydemque sinusque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat *auro.*

Ovid. Metam. III, 170.

Sparsos per colla capillos
Colligit in nodum.

Sic *in nodum torquere* dixit Martialis Spectac. III.

Crinibus in nodum tortis *venere Sicambri.*

Et quod adhuc propius accedit, *in nodo sum globum ligare* reperias apud Statium Silv. I, 6.

Hic audax subit ordo pumilonum,
Quos natura brevi statu peracto
Nodo sum semel in globum ligavit.

Quidni itaque & *religata in nodum* recte dixerit Horatius: modo reliqua bene se haberent, & sententiam tanto poeta dignam parerent. Verum id aliter evenit: quid enim est *nodus comtus?* Sed totum illud *Comtum* poetae menti repugnat: jubet enim Lyden *maturare*, neque moram facere in *comendis* capillis: id enim *tarda arte* fieri solebat, ut eleganter Tibullus I, 8.

Illa placet; quamvis inculto *venerit ore,*
Nec nitidum tarda comserit arte *caput.*

Et praeterea non *comti*, sed *neglecti*, *simplices*, *incomti* potius capilli erant, cum *nodo* coercebantur. Ovidius Metam. VIII, 319.

Crinis erat simplex, *nodum collectus in unum.*

& ibid II, 413.

Vitta coercuerat neglectos *alba capillos.*

& Fast. V. 79.

Tum sic neglectos *hedera redimita capillos.*

An legamus itaque cum majore parte codicum INCOMTUM unica voce?

dic age cum lyra
Maturet incomtum Lacaenae
More comam religata nodum.

Sed neque hoc pacto aut sententia expeditu facilis est, aut verborum constructio. Nodus siquidem *incomtus* nihilo minus ineptum erit, quam nodus *comtus.* Tum autem, quod volunt Interpretes, ut *maturet incomtum nodum* significationem habeat agentem, ut *maturare fugam, necem* &c. id sane locum hic habere non potest. Jubet enim, ut *cum lyra eburna* maturet; nimirum, ut *maturet venire*, & lyram una secum afferat. Nam profecto non tenere debuit lyram, tum cum maturaret nodum. Quid ergo? Codex quidam Torrentio visus habuit *incomtam*; atque eo auctore totus locus sic constituendus est,

eburna dic age cum lyra
Maturet, incomtam *Lacaenae*
More comam religata nodo.

Recte *coma incomta*; quippe, ut amoris Magister ait in Arte III, 153.

Et neglecta decet multas coma:

& utcumque sit, veniam certe meretur mulier, quae amatori placuisse festinat. Recte etiam *religata nodo*; ut Tibullus I, 8.

Ipsa Venus magico religatum *brachia* nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.

Noster Carmin. III, 14.

Murreum nodo cohibere *crinem.*

& II, 19.

Nodo coërces *viperino*
Bistonidum sine fraude crines.

Seneca Hippolyto. v. 400.

& nodo *comas* Coëgit.

Caeterum crucem interpretibus fixit Noster, cum *more Lacaenae* comam religare jubet: nihil enim jam restat ex veterum monumentis, unde colligamus id magis in more fuisse Lacaenis faeminis, quam aliis. Utinam prodiret codex aliquis, qui pro *Lacaenae* exhiberet *Dianae*: nam Dea illa venatrix & pingitur ubique & describitur coma in nodum collecta. Ovidius ita apposite, ut ad hunc ipsum locum respexisse videatur. Art. III, 141.

Alterius crines *humero jactentur utroque:*
Talis es assumta, Phoebe canore, lyra.
Altera succinctae religetur more Dianae:
Ut solet, attonitas cum petit illa feras.

Statius Theb. II, 237.

Pallas, & asperior Phoebi soror, *utraque telis,*
Utraque torva genis, flavoque in vertice nodo.

& ita alii passim.

CARMEN XII.

v. 2. NEC DIRUM HANNIBALEM] Editiones quidem hodie occupavit illud *dirum*; sed in Membranis fere omnibus, meis certe Graevianno, Leidensi, Reginensi cum aliis inferioris notae, haeret vera lectio DURUM: neque aliter habent editio Veneta & Loscheri. Recte *durum*, ut

ut gratius fiat antitheton in MOLLIBUS *aptari citharae modis*. Virgilius:

quis aut Eurystheа durum?
& iterum, *aut diri miles Ulixi.*

v. 12. REGUM COLLA MINACIUM] *Minacium* habent vetustiores membranae Cruquii & aliorum. Sic ex nostris Leidensis: at Graevianus cum Reginensi *minatium* contra orthographiae rationem: unde ansa porrecta est recentioribus scribendi MINANTIUM: quod nuperis Editoribus in ipsum textum recipere placuit, altero ejecto. Nollem factum: Quamquam enim aliquorum regum *minantes* fuerint vultus, etiam tum cum catenati in triumpho ducerentur; ut Ovidius Trist. IV, 2.

Vinclaque captivа reges cervice gerentes,
Ante coronatos ire videbit equos:
Et cernet vultus aliis pro tempore versos,
Terribiles *aliis immemoresque sui:*

& mox,

Hic qui nunc in humo lumen miserabile figit,
Non isto vultu, cum tulit arma, fuit:
Ille ferox, oculis *& adhuc hostilibus* ardens,
Hortator pugnae consiliumque fuit:

non tamen omnes *minanti* tum vultu erant, quod hic ipse Nasonis locus satis indicat: imo plures dejecto & lugubri. Auctor Elegiae de morte Drusi v. 273.

Adspiciam regum liventia colla catenis,
Duraque per saevas vincula nexa manus:
Et tandem trepidos vultus, *inque illa* ferocum
Invitis lacrimas decidere ora genis.

Quare melius est, ut noster dixerit MINACIUM, sicut ille alter *ferocum*: scilicet qui *paullo ante* minaces & feroces erant. Noster alibi, Carm. II, 7.

Cum fracta virtus, & minaces
Turpe solum tetigere mento.

Adde, quod *minacium* utrosque reges comprehendit, tam eos qui paullo ante, quam qui jam adhuc minabantur; ut Carm. III, 4.

Aut quid minaci *Porphyrion statu?*

v. 13. ME DULCES DOMINAE MUSA LICYMNIAE] Membranae aliquot & praesertim recentiores, *Liciniae*; quod nollem ab editoribus nuperis receptum, cum in versus mensuram peccet, syllaba secunda brevi; ut paullo ante Carm. X.

Rectius vives, Licini, *neque altum.*

Codex Regiae Societatis, *Lacimniae*; alii *Lycimniae:* sed praestantiores LICYMNIAE, ut apud Virgilium, Aen. IX, 546.

Maeonio Regi quem serva Licymnia *furtim.*

ubi pari Lectionum diversitate Pieriani codices, *Lycimnia*, *Lacimnia*, & *Licinnia* exhibebant. Λικύμνιος notum Graecis nomen apud Homerum, Pindarum, Pausaniam & alios. Caeterum de Licymnia hac insignis sane locus est Scholiastae Acronis ad Serm. I. 2. v. 64, qui meretur hic describi. *Villius in Fausta Syllae gener) Semper incerta nomina pro certis, ut alibi,* Me dulcis dominae musa Licymniae *pro* Terentiae: *&*, Malthinus tunicis demissis ambulat, *pro* Maecenas: *& hic,* Villius in Fausta, *id est:* Annius in Fausta: *eodem numero syllabarum commutationem nominum fecit.* Haec Acron. Equidem de *Annio* non adsentior, ut ad locum ipsum pluribus dicam: de *Licymnia* autem valde probabile est, sub ficto eo nomine Terentiam Maecenatis uxorem signari. Certe si vero nomine vocaretur haec Licymnia, oportet eam fuisse Libertinam & meretricem, ut probe sciunt antiquitatis periti. Atqui Matronam hic describi certo certius est ex iis, quae statim sequuntur,

Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianae celebris die.

Quippe in sacris sollemnibus non nisi Liberas & Honestas, seu Virgines seu Matronas, saltitasse compertissimum est: Noster in Arte v. 232,

Ut festis Matrona *moveri jussa diebus.*

& Carm. IV, 6.

Virginum primae, puerique claris
Patribus orti.

Nec matronam tantum, sed & nobilem & primariam sub Licymniae titulo delitescere vel ex verbo illo *dedecuit* non obscure intelligas; *Quam nec ferre pedem* dedecuit *choris:* Neque enim periculum erat, ne inter *virgines lectas* saltare cuivis faeminae *dedecori* esset, excepta forte Livia Augusti vel Terentia Maecenatis, vel Octavia, aliave ex nobilissimis, quarum infra dignitatem id esse severioribus videri potuit. Fictum itaque nomen est *Licymnia*; & *Terentiam* quidem denotari veri est simillimum. Sed observanda sunt imprimis, quae subjungit Scholiastes, *Eodem numero syllabarum commutationem nominum fecit.* Recte hoc: neque eodem tantummodo *numero*, sed & *quantitate* syllabarum. Et data quidem opera id a poëtis factitatum, ut qui ejus rei conscii essent, &, quod dicitur, *clavem* haberent, facile pro ficto nomine verum substituere possent sine versus dispendio; ut hic,

Me

Digitized by Google

Me dulces dominae musa Terentiae:
Permutare velis crine Terentiae.

Sic & illud Perſii,

Auriculas aſini Mida *rex habet:*

qui Poëtae conſilium noverant, mutato nomine legere poterant,

Auriculas aſini Nero *rex habet.*

Non hic praetermittendus eſt praeclarus Apuleii locus in Apologia: *Eadem igitur opera accuſent Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit: & Ticidam ſimiliter, quod quae Metella erat, Perillam ſcripſerit: & Propertium, qui Cynthiam dicat, Hoſtiam diſſimulet: & Tibullum, quod ei ſit Plania* (alii codices, *Flavia, Plautia*) *in animo, Delia in verſu.* Vides hic a caeteris poëtis factum, quod in Flacco obſervavit Acron; commutata nempe eſſe nomina *eodem numero* (adde & quantitate) *ſyllabarum*; pro Clodia Lesbiam eſſe poſitam, pro Metella Perillam, pro Hoſtia Cynthiam, pro Plania ſeu Flavia ſive Plautia Deliam. Unde & magni Paſſeratii error evincitur, qui pro Hoſtia Propertii *Hoſtiliam* ſubſtituere voluit: neque enim convenit ſyllabarum numerus. De Metella Ticidae teſtis etiam eſt Ovidius Triſt. II, v. 433.

Quid referam Ticidae, *quid Memmi carmen, apud quos*
Rebus abeſt nomen, nominibuſque pudor?
Cinna quoque tris comes eſt, Cinnaque procacior Anſer,
Et leve Cornificî, parque Catonis opus:
Et quorum libris modo diſſimulata Perillae,
Nomine nunc legitur dicta, Metelle, *tuo.*

Ubi non Ticidam modo, ſed Memmium, Cinnam, Anſerem, Cornificium, Catonem, alioſque memorat, qui ſub falſo Perillae nomine amores ſuos cum Metella verſibus vulgaverant: atque id imprimis notandum addit, verum tandem Metellae nomen (poſt eorum credo obitus) a Librariis repoſitum eſſe, ficto illo rejecto. Caeterum nihil opus eſt, ut cum τῷ πάνυ Nicolao Heinſio verſiculum ultimum ſic refingamus, invitis codicibus,

Nomine nunc legitur dicta Metella ſuo.

Quippe lectio vulgata eodem plane redit, & quidem elegantior eſt: *dicta nomine Metelli*; hoc ipſum eſt, *dicta Metella.* Faeminae enim in omni familia a maribus nomina acceperunt; in Clodiorum gente Clodiae erant, in Hoſtiorum Hoſtiae, in Metellorum Metellae. Neque vero melius, imo longe deterius ſucceſſit viro magno; cum Rottendorphii ſui emendationem ſecutus, reclamantibus Membranis, in ipſo textu repoſuit, verſa ſecundo,

Rebus abeſt omnis *nominibuſque pudor.*

Nihil certius, inquit, *ea conjectura.* Imo nihil ea infelicius: nihil recepta codicum lectione certius, argutiuſque, & magis Naſonianum;

Rebus abeſt nomen, *nominibuſque pudor.*

Rebus, hoc eſt, argumento, materia operis: ipſe Pont. I, 1.

Invenies, quamvis non eſt miſerabilis Index,
Non minus hoc illo Triſte, quod ante dedi.

Rebus *idem*, titulo *differt.*

ubi dicit Epiſtolas ſuas ex Ponto *rebus* ſive argumento convenire cum priore opere quod Triſtia inſcripſerat, *titulo* tantum & nomine differe. Hoc itaque vult Ovidius; apud Ticidam & ejus ſimiles poëtas rebus ſive *argumento* verum *nomen* abeſſe; cum hic *Perillam*, alter *Lesbiam*, alter aliam quam falſo inſcriberent: *nominibus* porro illis *pudorem* abeſſe, cum ſcripta illa praeter turpes amores & flagitioſa adulteria nihil fere aliud continerent.

V. 25. DUM FLAGRANTIA DETORQUET AD OSCULA] Variant hic libri manuſcripti, ut & editiones vetuſtae. Princeps illa Veneta, FLAGRANTIAS; Loſcheri, FRAGRANTIA; quae poſterior lectio Lambino magis placuit. Sane ea oſculorum commendatio eſt, apud Statium Silv. II, 1.

blandis ubinam ora arguta querelis?
Oſculaque impliciti vernos redolentia flores?

& Martialem Epig. III, 65.

Quod madidas nardo ſparſa corona comas:
Hoc tua, ſaeve puer Diadumene, baſia fragrant.

& XI, 9. [*truncis,*
Lapſa quod externis ſpirant opobalſama
Ultima quod curvo quae cadit aura croco: &c. [*miſce:*
Singula quid dicam? non ſunt ſatis: omnia
Hoc fragrant *pueri* baſia *mane mei.*

Neque tamen ea de cauſa lectionem hanc alteri praeferimus: tum quia non oſcula Licymniae hic intelligit, cujus vel unus capillus divitis Arabum praeſtabat; ſed ipſius Maecenatis, quae interdum allium oboluerunt, narrante Noſtro in Epod. III, cum in ejus caena allium comediſſet:

At ſi quid umquam tale concupiveris,
Jocoſe Maecenas, precor
Manum puella ſuavio opponat tuo.

tum praeterea quia vox *Fragrantia*, ſic nude & per ſe poſita, mediae foret ſignificationis, & tam malum quam bonum odorem indicare poſſet: ut iterum Martialis I, 87.

Ne gravis hoſterno fragres, *Feſcennia, vino.*

Digitized by Google

Valerius Flaccus, de Harpyiis, IV, 493.

Fragrat *acerbus odor, patriiq; expirat Averni Halitus.*

Quamobrem, ut vitentur haec incommoda, melius est ut cum potioribus membranis, meis certe Leidensi, Graeviano, Reginensi cum aliis, legamus FLAGRANTIA, cujus verbi facilis est interpretatio, nec exemplis aut illustratione est opus.

v. 28. INTERDUM RAPERE OCCUPET] *Occupet* habent editiones, credo, omnes, jam inde a principe illa Veneta & Germanica Loscheri. Silent quoque interpretes, Lambinus, Cruquius, Torrentius, Pulmannus, &c. quasi omnes quos viderint Codices sic exhiberent. At ex meis melior majorque pars habet OCCUPAT, Graevianus certe & Reginensis, Zulichemianus, Galei, Battelianus, Magdalenensis, & duo Bodleiani: quibus accedunt Acron Scholiastes & Cruquii commentator, siquidem interpretantur *occupat, expetit.* Neque tu dubites, quin plerique aliorum codices sic clare exhibuerint; etsi id dissimulent editores. Recte vero OCCUPAT; ut *detorquet, negat*: & sententia est, Dum aut osculari se abs te patitur, aut grata protervitate negare simulat, aut ipsa prior occupat & osculа a te sumit. Nihil certius. *Magis poscente*, est, magis quam tu ipse qui poscis.

CARMEN XIII.

v. 1. ILLE ET NEFASTO TE POSUIT DIE] Vide modo totum locum:

Ille & nefasto te posuit die
Quicumque primum, & sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem opprobriumque pagi:
Illum & parentis crediderim sui
Fregisse cervicem.

Ita omnes ubique libri, & scripti & editi; *Ille & nefasto*: neque aliter hodie apud Diomedem Grammaticum veterem p. 513. Quocumque tamen te vertas, nullum in his verbis sententiae exitum invenias. Sive enim hoc modo construxeris verba, *Ille, quicumque primum posuit te nefasto die &c.* nihil reliquum erit quo *ille* pertineat: sive, ut vulgo solent, ordinaveris, *Ille & posuit te nefasto die, quicumque primum*; quid, obsecro, erit, quo referatur *quicumque*? Subaudiendum, inquiunt, *posuit*: ille *posuit* te nefasto die, quicumque primum *posuit*. Vah, ut exoraretur tam infractam stribligem, si ad vivos redire posset Horatius. Quid moramur in redarguenda barbarie? lege, ut edidimus,

ILLUM, o, *nefasto te posuit die*
Quicumque primum, &c.
Illum *parentis crediderim sui*
Fregisse cervicem.

Jam, opinor, agnoscis Horatii genium: quid enim clarius, rotundius, acrius dici possit? Repetitio *in illum* indignationem ostentat, ut paullo infra,

Te *triste lignum*, te *caducum.*

Atque haec prius commentatus eram, quam fugacissimi Nic. Heinsii codicem nactus essem: ubi cum summa voluptate comperi conjecturae nostrae tantum virum accedere. Legit enim, *Illum & parentis.* Optime; praeterquam quod non viderit cum illo ET languere sententiam; & necessario reponendum esse, O; quod magnam vim & acrimoniam orationi impertit.

v. 8. ILLE VENENA COLCHICA ET QUICQUID USQUAM] Ita editiones, opinor, omnes; & major pars membranarum, COLCHICA: & sic noster alibi Epod. 5, *Flammis aduri* Colchicis: Et 17.

Cales venenis officina Colchicis.

Sed quid opus est, ut syllaba ultima ad sequentem versum rejiciatur? cum pari, si non majore, elegantia dicere potuit *Venena* COLCHA: & sic certe vetustissimi Codices Cruquii & aliorum, ut & ex nostris Graevianus & Galei: Reginensis vero *Colchia*, ut & unus Bersmanni; unde error videtur primum emanasse. *Colcha* venena pro *Colchica*; ut *Marsi duelli, Italo caelo, Mauris jaculis*, de quo vide nos ad Carm. I, 22, Propertius III, 2.

Tuque tuo Colchum *propellas remige Phasin.*

uti ex libris scriptis edidit elegantissimus Broukhusius, cum antea ferretur *Colchon*: atque idem ad Propert. I, 1. probat hic loci apud Horatium *Colcha*, ex Ovidio in Metam. VIII, 394.

Sed postquam Colchis *arsit nova nupta* venenis.

Cui addas & sequentia, Metam. XIII, 24.

Litoraque intravit Pagasaea Colcha *carina.*

Heroid. VI,

Hanc tamen, o demens, Colchisque *ablate* venenis.

& XVI.

Laesa nec est Colcha *Thessala terra manu.*

Amor. III, 3.

Digitized by Google

Quo duce, trabs Colchas *sacra cucurrit aquas.*
Fast. III, 875.
Pervenit in Colchas *aurea lana domos.*
Sidonius Carm. XXIII, 274.
Qui factos super arva Colcha *dentes*
Expavit.
Martialis XII, 57.
Cum secta Colcho *luna vapulat rhombo.*
ubi perperam Nic. Heinsius ad Ovid. Fast. II, 575. corrigere jubet IOLCO *rhombo*. Dolet insignem Virum non attendisse ad analogiam. Regionis nomen est *Colchi*; inde adjectivum gentile *Colchus*, & possessivum *Colchicus*: sic ab *Italia* gentile *Italus*, possessivum *Italicus*; & sic alia sexcenta. Jam id poëtis familiare, ut gentilia pro possessivis usurpent, sive, ut Graeci dicunt, ἐθνικὰ ἀντὶ τῶν κτητικῶν; ita *Itala* arva pro *Italicis*, venena *Colcha* pro *Colchicis*. Atqui *Iolcus* nomen urbis tantummodo est, non etiam adjectivum gentile: neque *Iolco rhombo* dicere potuis, sed *Iolcio*: quippe τὸ ἐθνικὸν est *Iolcius*, & τὸ κτητικὸν, *Iolciacus*.

v. 17. MILES SAGITTAS ET CELEREM FUGAM PARTHI] Iraſcor membranis veteribus, quod conſtanter adeo lectionem hanc repraeſentent *celerem fugam*: certe ceſſavit hic bonus Horatius, ſi eo modo ſcripſit. Videamus, quid per *celerem fugam* commode notari poſſit. Noſter Carm. II, 7.
Tecum Philippos & celerem fugam
Senſi, relicta non bene parmula.
& IV, 8. *non* celeres fugae,
Rejectaeque retrorſum Hannibalis minae.
Virgilius Aen. III, 243.
celerique fuga *ſub ſidera labſae*
Semeſam praedâ & veſtigia foeda relinquunt.
Silius Italicus XVII.
Impletur terrore vago cuncta Africa pulſis
Agminibus, volucrique fuga *ſine Marte ruentes*
Tendunt attonitos extrema ad litora curſus.
ubi obiter annotandum, *ſine more* potius quam *ſine Marte* legi oportere. Martialis, VIII, 56.
Riſit Tuſcus eques, paupertatemque malignam
Reppulit, & celeri *juſſit abire* fuga.
Juvenalis XV, 75. *ſtant.*
Terga fugae celeri *praeſtantibus omnibus in-*
In his omnibus, & aliis, opinor, quibuſcunque locis non ficta & ſuſpecta, ſed *vera* fuga intelligitur, ubi *celerem* nominant. Quid ergo? an quid cauſae erat, ut miles Romanus *veram* Parthorum fugam *perhorreſceret*? ut victores uſque adeo timerent victos & fugatos? Haud vidi magis. Atqui aliud erat in Parthis perhorreſcendum, ne aſſuta ſcilicet fugae ſimulatione, & incaute ſequentes hoſtes ſagittis figerent averſi, & ſtatim verſis equis redeuntes majore cum impetu incurſarent. Id cum ex hiſtoria compertiſſimum eſt, tum & omnibus fere poëtis decantatum. Propertius III, 7.
Parthorum aſſutae *tela remiſſa fugae.*
IV, 3.
Subdolus *& verſis increpat arcus equis.*
Valerius Flaccus VI, 688.
Nunc fuga converſas ſpargit mentita *ſagittas.*
Statius Silv. V, 2.
Quae ſuſpecta *fides, & quae* fuga vera *ferocis*
Armenii?
Seneca Thyeſte 382.
Telis quae procul ingerit
Parthus, cum ſimulat fugam.
& Oedip. 118.
Vidit & verſas equitis ſagittas,
Terga fallacis *metuenda Parthi.*
& ſic alii bene multi. Quod ſi Horatius ad haec exempla dixiſſet, Perhorreſcit miles ſagittas & *aſſutam, ſubdolam, mentitam, ſuſpectam, ſimulatam, fallacem* fugam Parthi, omne utique punctum tuliſſet. Nunc cum *celerem* fugam Parthi nominet, quae aut *veram* prorſus indicat, aut certe *falſam* non indicat, ne excuſari quidem poteſt. Sed, obteſtor vos, an credibile eſt tantum ingenium tam caſtigato judicio praeditum adeo turpiter ſe dediſſe? Ego vero Librarios potius quam ipſum inſimulaverim; & proſit mihi, ſi extundere quidquam valeo, quod immunem eum culpae praeſtare videatur. Enimvero non celerem fugam Parthi, ſed celeres ex fuga recurſus miles metuebat, ut Noſter alibi Carm. I, 19.
Et verſis animoſum equis Parthum.
Inde Parthi *refugi* appellati, ut Lucan. VI, 50.
Moenia mirentur refugi *Babylonia Parthi.*
Claud. IV, Conſ. Honorii. 530.
refugo *quae ſit fiducia Partho.*
& I, Conſ. Stilichonis. 68.
Torquebat refugum, *Parthis mirantibus, arcum.*
Quid ergo? placetne ut reſcribamus,
Miles ſagittas & refugam *fugam Parthi.*
Minime vero; neque enim tam inficetam verborum junctûram apud Noſtrum inveneris. Illud & ad ſententiam aeque, & ad constructionem melius, & ad receptam lectionem propius convenit, ſi ſic repones,
Miles ſagittas & REDUCEM *fugam.*

Digitized by Google

Sic *reduces vias* Statius II. 7.

Et tardi reduces vias *Ulixi.*

Lucanus IX. 408.

Irreducemque viam *deserto limite carpit.*

& *reduces gressus* Statius Theb. IV, 771.

tantum reduces *det flectere* gressus *Iuppiter.*

& denique *reducem fugam* Prudentius, magnus Nostri imitator; Cathem. V, 104.

Nec non imbrifero ventus anhelitu
Crassa nube leves invehit alites,
Quae, diffiata in humum cum semel agmina
Fluxerunt, reduci *non revolant* fuga.

v. 23. SEDESQUE DISCRETAS PIORUM] Ita nostri omnes praeter unum ex recentissimis in Collegio Regio, quem vocant Bembinum: atque is habet DESCRIPTAS; sicut & Lambini aliquot, & Cruquii & aliorum. Et posterior quidem Lectio placuit Gisanio in Indice ad Lucretium: quin etiam in ipsum textum receperunt Lambinus Cruquiusque. Equidem non inficior recte & Latine dici, *sedes descriptas*, ut Cicero, *describere partes urbis, regionem, jugera*: & Tacitus Annal. XI, 19. *Et natio Frisiorum consedit apud agros a Corbulone descriptos.* Sidonius Carm. II, 412.

Halant rura rosis, indescriptosque *per* agros
Fragrat odor.

Omnino tamen melius est, ut cum majore Codicum parte & vetustis editionibus legamus DISCRETAS *sedes*, sive separatas, remotas a sedibus & contagione impiorum. Majus utique hoc est, quam si *descriptas* tantum dixeris, hoc est, certis finibus constitutas, & positis terminis ab impiorum sedibus divisas: sic enim nihilo minus alterae alteras contingere, & communem inter se limitem habere poterant: vel illud potius notaverit τὸ *descriptas*; nempe inter ipsos Pios singulorum sedes descriptas & definitas esse, ne alter alterius limites transiliat. Quorum neutrum hic admittendum. Recte itaque *discretas.* Claudianus Rufin. II, 477.

quaestor in alto
Constituus solio pertentat crimina Minos,
Et justis dirimit *fontes.*

Virgilius Culice, 374.

Et vastum Phlegethonta pati, quo maxima Minos
Conscelerata pia DISCERNIT *vincula* sede.

Statius Theb. IV, 524.

Et Styx discretis *interflua* manibus *obstat.*

Denique Lactantius, ex hoc ipso Horatii loco, Divin. Instit. VII, 7. *Esse Inferos Zenon Stoicus docuit, & SEDES PIORUM ab impiis esse* DISCRETAS.

v. 32. DENSUM HUMERIS BIBIT AURE VULGUS] Video omnes Manuscriptos constanter in hanc lectionem conspirare. Quo tamen illud *humeris*? Utique satis esset *densum vulgus.* Sed hoc facile condonari posset; sic enim & Ovidius Metam. XIV, 360.

Jussit & in densum trabibus nemus ire videri:

cum *densum nemus* per se sufficeret. Illud pejus; quod *aure* hic epitheto destitutum est; unde sicca & jejuna fit oratio, neque aures implet. Sensit hoc praestantissimus Nic. Heinsius, qui in ora sui codicis annotavit, *Forte legendum,* HILARI. Ingeniose: sed & propius licet ad vulgatam lectionem accedere, si reponas, *Densum* HUMILI; ut ad *silentium* illud *sacrum* & *admirationem* referatur. Melius tamen, opinor, sententiae consuluisset Noster, si sic scripsisset;

Densum avida *bibit aure vulgus.*

Ducunt huc nos Scholiastae veteres: quorum unus, BIBIT, *avide audit*; alter, *cupidissime audit.* Claudianus in Praef. Cons. Stilich. v. 4, 7.

haec nullis avidam *rumoribus* aurem
Pandit.

Ovid. Pont. III, 4.

Nos ea vix avidam *vulgo captata per* aurem
Scribimus.

Et nescio an fortasse ita scripserit, & illud *Humeris* ex Glossa in ipsum versum irrepserit.

v. 38. DULCI LABORUM DECIPITUR SONO] *Laborum* habent cum veteres editiones, tum & plerique scripti. Unde ambigua evasit oratio; ubi nescias fere, utrum *decipitur laborum*, an *sono laborum* construi debeat. Equidem nullus dubito, quin qui primi hanc lectionem commenti sunt, τὸ *laborum* ad *sono* retulerint. Superabat scilicet eorum captum elegantissimus ille Hellenismus, qui in potioribus membranis adhuc conspicitur,

Dulci laborem *decipitur sono.*

Ita duo codices Turnebo visi, totidemque Torrentio; & ex nostris Boileianus, & pro varia lectione Colbertinus: accedit & Bartelianus, qui habet *labore.* Recte vero *decipitur laborem.* Nam in figurato & poetico sermone Passiva, pariter ac Activa sua, cum casu quarto construuntur. Ergo uti dicimus, *decipere, fallere laborem, curas* &c. ut Noster alibi,

Molliter austerum studio fallente laborem:

Ovid. Metam. V, 60.

Brachia docta movent, studio fallente laborem:

& XIV, 121.

Cum

Cum duce Cumaea fallit *sermone* laborem: Statius Theb. XII, 220.

Cum tamen ista gravem luctu fallente laborem:

Ovid. Trist. IV, 10.

Sic tamen absumo decipioque diem: ita passive dicere licet, *decipi laborem*. Ut Virg. Aen. 1. 717.

Expleri mentem *nequit, ardescitque tuendo*. Lucan. IX, 713.

Pluribus ille notis variatam pingitur alvum. & sic alii non raro: praesertim in Participiis nihil hac figura frequentius.

v. 40. AUT TIMIDOS AGITARE LYNCAS] Editio Loscheri, TIMIDAS: atque ita unus codex Lambini, & alter Bersmanni. Neque aliter optimus noster Reginensis cum Graeviano, Petrensi, Galei, & a manu secunda Batteliano. Sane faeminino genere proferunt Virgilius, Plinius, Statius, atque. Neque τύφωνας causa variandum erat genus; ut vitaret homoeoteleuton: quippe in *timidas* ultima longa est, in *lyncas* brevis: & proinde diversus est sonus, neque aures offendit. Retinemus tamen TIMIDOS, auctore Prisciano, qui p. 689. haec habet, *Horatius in II Carm.* Nec curat Orion leones, Aut timidos agitare lyncas. *Et notandum est de genere, quod masculino genere protulit Horatius, cum Virgilius faeminino in III Georgicorum*, Quid Lynces Bacchi variae?

CARMEN. XIV.

v. 18. COCYTUS ERRANS] Codices nostri Leidensis, Zulichemianus, Reginensis, Magdalenensis, Galei, Petrensis, Bodleianus, COCYTOS, terminatione Graeca. Atque horum auctoritatem sequimur.

v. 27. ET MERO TINGUET PAVIMENTUM SUPERBO] Nostri quidem omnes SUPERBO *mero*: Lambinus tamen & Fabricius ex suis protulerunt, SUPERBUM *pavimentum*. Elegans sane pavimenti hujus epitheton; quod & suo marmore superbum erat, & quia tam pretioso vino tingueretur. Varro de Re Rust, III. 1. *Quum vitiam haberet opere tectorio & intestino, &* pavimentis nobilibus *spectandam*. Statius Silv. III, 3.

tu largus Eoa
Germina, tu messes Cilicumque Arabumque
superbis
Merge rogis:

ideo *superbi*, quia germinibus istis & messibus cumularentur. Virgilius Aen. II, 505.

Barbarico postes *auro spoliisque* superbi: nempe quia aurum & spolia terrent. Lucretius. IV, 1171.

postesque superbos
Unguit amaracino:

hoc est, propter amaracinum superbos. Nihil itaque lectione hac pulchrius, quantum ad sententiam: sed interim, quod & doctissimus Dacierius adnotavit, eadem terminatio toties recurrens,

Tinguet pavimentum superbum
Pontificum potiore caenis,

ingratissimum sonum efficit; qualem studiose evitare solet Noster. Illud tamen fortasse vitio huic mederi potest; si olim legerint aut pronunciaverint, *superbom*. Certe post consonantem v non *um* sed *om* proferebant aetate Augusti, *aevom, divom, Calvom* &c. ut cum ex Monumentis ejus aevi, tum ex vetustis Virgilii & Horatii codicibus constat. Esto itaque *superbom* quasi *supervom*: nam in Virgilii Ecloga II, *Atque superba pati fastidia*, codex antiquissimus Romanus SUPERVA habet, teste Pierio: ut eodem fere sono prolata fuisse olim minime dubitandum sit. Quod si concedatur, de Homoeoteleuti culpa securi esse possumus: neque enim similia refugiunt summi poetae, ubi etsi non literis, pronunciatione tamen differunt; ut Noster Carm. I, 2. *Jam* satis terris nivis. Virgil. (ut ad Carm. illud notavimus) *Aeternis regis imperiis*. Noster iterum Carm. III. 7. *Non sine multis Insomnis lacrimis agit*. Neque tamen damnamus lectionem in plerisque omnibus libris receptam, *mero* SUPERBO: etsi miretur Julius Scaliger, quo consilio id dixerit Noster. Illud magis displicet, quod, cum *superbo mero* dixisset, statim alterum epitheton subdidit, eandem rem bis inculcans.

Pontificum potiore *caenis*.

Aliam viam tentat Barthius Adversar. XXXVI. 14. *In τῷ* superbo, inquit, *si quid mutandum; malim* superbus, *quam cum Lambino* superbe in *scribere*. Quo etiam ducit nos Scholiastes Porphyrio: *Superbo, hypaliage*, pro *ipse superbus*. & etiam Acron, qui haec verba παραφράζει, *Perfundet pavimentum* negligens heres *vino deorum conviviis digno*. Atque hoc pacto, culpa quidem omni liberaveris Horatium: sed audacis epitheti laude, quae toties feliciter ei cessit, eadem opera privaveris.

Digitized by Google

CARMEN XV.

v. 6. TUM VIOLARIA ET MYRTUS ET OMNIS] Fabricius ex Manuscripto suo sic edidit,

tum violaria,

Myrtusque, *& omnis copia narium:*

atque ante illum Glareanus ex conjectura sic reposuit. Caeteri omnes libri reclamant, summoque consensu exhibent, *violaria, & Myrtus, & omnis copia narium.*

Quod mutatum ab iis, qui metuebant, ne versus pede claudicaret, & Trochaeo, loco Spondaei, incederet. Atqui aliud curare potius debuerunt: salva enim versus mensura est; siquidem *Myrtus* hic numero plurali legitur, ut ante nos alii monuerunt. Nos id recte ab Horatio factum esse demonstrabimus. *Errant*, inquit Charisius p. 9. *qui omnia genera arborum quartae declinationi solent assignare; inventis ipsis, praesertim apud Virgilium,*

Et vos, o lauri, *carpam, & te, proxima* Myrte.

Contendunt tamen nonnulli, dicentes Laurum & Myrtum *esse quartae declinationis, & tantum auctoritate mutari in vocativo casu.* Vides ex Grammaticorum quorundam sententia *Myrtus* probe dici numero plurali. Priscianus tamen p. 717 haec sola arborum nomina ponit, *quercum, laurum, pinum, cornum, ficum, quae tam secundae*, ait, *quam quartae inveniuntur.* Ubi primo perperam omisit *cupressum*, quae utriusque declinationis est, si ulla fides habenda est veteribus membranis. Noster in Arte v. 332. *Levi servanda cupresso*: duo ex nostris codicibus, *cupressi*, Carm. II, 14. *Praeter invisas cupressos*; multi ibi *cupressus*, ut videbis apud Lambinum, Torrentium, & alios. Epod. V. *Jubet cupressus funebres*: Ita in omnibus fere editionibus jam inde a prima Veneta excusum est: sic antiquissimi nostri Leidensis & Graevianus. Virgil. Aen. III, 64. *Atraque cupresso*: at in antiquis plerisque codicibus, *cupressu* extare jam dudum notavit Pierius. Atque hoc modo in caeteris etiam poëtis variant ubique fere hanc vocem membranae vetustae. Unde id certe pro comperto habeamus, si non in illis auctorum locis, at saltem in usu & consuetudine fuisse, ut *Cupressus* quartae etiam declinationis haberetur. Sed & *Myrtum* male omisit Priscianus, quae declinationis quartae est, non tantum in hoc Nostri loco, sed apud ipsum Virgilium Georg. II, 64.

Sed truncis oleae melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiae *de robore* myrtus.

ubi contendo *Paphiae myrtus* esse nominativi pluralis, ut *Oleae*, & *vites*: etsi recentiores Virgilii interpretes aliter accipiant, ut *Myrtus Paphiae* (Veneris) singulari numero efferatur. Sed non ita Servius, qui *Paphiae* interpretatur *Veneriae*, non, *Veneris*. & sic post Virgilium alii poëtae; Ovid. Arte III, 181.

Hic Paphias myrtos, *hic purpureas Amethystos.*

Statius Theb. IV, 301.

hi Paphias myrtos *a stipe recurvant.*

Seneca Oedipo. 539.

Amara baccis laurus, & tiliae leves,
Et Paphia myrtus.

Certum igitur est *Paphiae myrtus* plurali esse numero apud Virgilium; & sic Catullus Epithalamio Pelei,

Quales Eurotae progignunt flumina myrtus:

ita potiores codices & editiones, non *myrtos*.

v. 10. LAUREA FERVIDOS EXCLUDIT ICTUS] Jam olim monuit Lambinus nonnullos Codices habere *fervidos* AESTUS; caeteri interpretes tacent. Atqui & ipsos non aliter in quibusdam inveniisse, licet id dissimulent, inde colligis; quod ex nostris bona pars, Zulichemianus scil. Petrensis, Galei, Bodleianus & pro varia lectione Reginensis clare repraesentent AESTUS. Noster alibi Serm. I, 1.

cum te neque fervidus aestus
Dimoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum.

Carm. I, 17.

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus.

& III, 24.

si neque fervidis
Pars inclusa caloribus *Mundi.*

Virgil. Georg. IV, 401.

Ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus.

Haud damnanda itaque haec lectio est, *fervidos aestus*: alteram tamen jure merito ei praetuleris, quam & primae editiones & plures potioresque membranae confirmant,

Laurea fervidos excludet ictus.

Ovid. Metam. VI, 49.

Et breve post tempus candescere solis *ab* ictu.

ubi pariter interpolatum erat a Librariis, qui pro *ictu* substituerunt *ortu*. Idem Metam. V, 389.

Silva coronat aquas, cingens Latus omne; suisqi
Frondibus, ut velo, Phoebeos submovet ictus.

ubi

Digitized by Google

ubi & *ignes* ingesserunt. Sic Lucretius non semel, *radiorum exaugeat ictum, Verberibus radiorum, Gignuntur luminis ictu, Ardoribus ictus, Solis supra icta colore.* Ita & alii poëtae: sed vide hic Lambinum, & ad Ovid. Metam. V, 389 accuratissimum Heinsium. Audacior tamen caeteris Horatius: illi enim metaphoram temperaverunt vocabulo adjecto, *ictus solis, ictus Phoebi, ictus luminis*; noster figuratius, *fervidos ictus*, nulla *solis* mentione facta: quae Dithyrambica pene audacia est.

CARMEN XVI.

v. 1. IN PATENTI PRENSUS AEGAEO] Barthius in Adversar. XXXVI, 14, veterrimum quendam codicem clare ait habuisse IMPATENTI; quod & postea in Argentoratensis etiam Bibliothecae libro se reperisse. Quid autem sibi velit *impatenti*, neque ille nos docet, neque alius opinor, quisquam intelligat. Crediderim Typographi erratum esse, & reponendum ibi IMPOTENTI; quae sane tolerabilis foret lectio. Sic enim & Catullus de Phaselo,

Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse.

Et verior tamen & melior est, quam nostri & aliorum codices firmant, & editiones omnes receperunt; IN PATENTI. Virgil. Georg. II, 41.

pelagoque *volans da cela* patenti.

Bene enim, prensus in *patenti* mari; ubi nempe longe erat littus, & nullum a tempestate refugium. Caeterum ex Barteliano nostro, legendum esse PATENTE potius quam *patenti*, monui ad Carm. I, 25. v. 17.

v. 17. QUID BREVI FORTES JACULAMUR AEVO MULTA] Aliud extat in Bodleiano; ut etiam in Colbertino & Regiae societatis codice pro varia lectione; quod prima fronte multis, nisi falior, mire blandietur,

Quid brevi fontes *jaculamur aevo.*

Unde enim Librariis tam reconditum vocabulum, nisi ab ipso Horatio? Certe id genus hominum vix umquam communia verba delet, & rariora substituit. Re tamen penitius introspecta, damnabunt, credo, *fontes*; & illud alterum loco & sententiae aptius esse deprehendent. Quid *fortes*, ait, multa jaculamur? Quid frustra & nequicquam fortes tot & tanta molimur, mox morituri? Quid refert in tam brevi aevo,

Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti praestante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri?

Recte itaque habet *fortes*: & appositе sane Seneca Nat. Quaest. III, 1. *Libet*, inquit, *mihi exclamare illum poëtae inclyti versum,*

Tollimus ingentes animos, *& maxima parvo*
Tempore molimur.

ubi notandum illud *parvo tempore*, ut Horatius *brevi aevo*: & proinde repudiandum est Barthii acumen Adversar. XXXVI, 14, qui, *si codices assentirentur*, arcu *sane quam* aevo *legere mallet.* Multa sane brevi aevo molitus est ipse Barthius; & πολυμαθίας sive potius πολυπραγμοσύνας gloriam etiam juvenis consecutus est. verum enim cum ad Judicium res deveniunt; *brevi* sane *arcu* plerumque jaculatur, neque ad scopum pertingit.

v. 19. QUID TERRAS ALIO CALENTES] Locus quidem perdifficilis, & qui multos exercuit,

quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriae quis exul
Se quoque fugit?

Alio calentes sole, hoc est *dissitas, longe remotas*, ut Virgilius;

Atque alio *patriam quaerunt* sub sole *jacentem.*

Quid ergo est, *mutamus terras remotas? siquidem nemo mutare dici possit terras, in quas nondum pedem intulit:* ut H. Stephanus ad hunc locum. Quem ut nodum expediamus, illud imprimis proderit adnotasse; nempe verbum *Mutare* duplicem recipere constructionem. Exempli gratia, eodem plane sensu poteris dicere, *Mutavit patriam exilio*, & *Mutavit exilium patria.* Curtius III, 17. *Sisines Perses exilium patria sede mutaverat*: quod perinde est, ac si dixisset, *exilio patriam sedem mutaverat:* ut in eadem sententia Virgilius Georg. II, 511.

Exilioque domos & dulcia limina mutant:

& Ovid. Fast. VI, 665.

Exilio mutant urbem, Tiburque recedunt.

Jam in hac constructione Locus praesens, sive (ut Scholastici loquuntur) Terminus a quo, ponitur casu accusativo: in illa Locus absens sive Terminus ad quem: quam formam bis vel ter secutus est Noster, ut Carm. I, 17.

Velox amaenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus: & Serm. II, 7.
sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili:

hoc

hoc est, ut communius loquuntur, *Lycaeum Lucretili*, & *Strigilem uva*. His semel animadversis, falsum esse apparet Stephanum aliosque, qui contendunt *neminem dici posse mutare terras, in quas nondum pedem intulit*. Imo vero in ea *Mutandi* constructione, qua Locus absens est casus accusativi, id semper dicitur: Sic *Faunus mutat Lucretilem*, quo nondum pedem intulit; *Puer mutavit uvam*, quam nondum habuit. Quidni igitur *mutamus terras alio sole calentes*; etsi nondum eas attigimus? Eadem plane loquendi forma est: in eo tantum differunt, quod hic subintelligitur Terminus a quo; *Mutamus terras alio sole calentes*, terrâ nostrâ scilicet. Utique si plene ita dixisset, nihil hic difficultatis esset. Atqui & ex ipsius rei natura id facile subaudiri potest, & ex consuetudine fieri solet. Sic cum absolute dicunt auctores, *Mutare sedem, solum, larem*, & similia: id tacite extrinsecus supplendum est, *mutare sedem* sede, *solum* solo, *larem* lare. Neque quidquam interest, cum dicis *mutare sedem*, utrum sedem absentem intelligas, subaudita *sede praesente*; an sedem praesentem subaudita *absente*: ut cum Noster ait Carm. Saeculari,

Jussa pars mutare lares & urbem
Sospite cursu;

nihil refert, utrum *lares & urbem* interpreteris *Romam quo ituri erant*, an *Trojam unde ituri erant*. Imo vero, cum Latini dicere solent *locum ex loco mutare*, ut Plinius Hist. II, 48. *Locum ex loco mutans rapida vertigine*: & II, 37, *Ut volucres sedem ex sede mutantes*: luce ipsa clarius est ita dici, *mutare sedem* quo nondum venerant *ex sede* ubi tunc erant. Recte itaque & de more locutus est Horatius,

quid terras alio calentes
Sole mutamus?

quamvis in eas nondum pedem intulimus. Sed aliam viam insistit vir quidam eruditissimus, qui nodum hunc non solvere, sed discindere conatur, sic locum legendo & distinguendo,

quid terras alio calentes
Sole mutamus patria?

Ingeniose profecto, quicunque est: ipse enim nescio. Illud tantum conjecturae huic adversatur, quod hoc pacto frigeant aliquantulum ea quae sequuntur,

Quis exul *Se quoque fugit?*

Perit nempe Antitheti gratia & venustas singularis: *Quis* patriae *exul* se *quoque fugit?* Se ipsum *non fugiet, quamvis* patriam *fugerit*: ut Virgilius,

Nos patriam fugimus, *& dulcia linquimus arva.*

Recte autem *exul patriae*, ut Ovid. Metam. IX, 409.

Attonitusque malis, exul mentisque domusque.

v. 21. SCANDIT AERATAS VITIOSA NAVES CURA] Ita & nostri Codices & aliorum, NAVES vel NAVIS: & sic alibi Noster Carm. III, 1.

neque *Decedit* aerata triremi *Cura.*

Elegans tamen ea lectio est, quam submittrant Excerpta Bodleiana ab annis circiter quadringentis scripta,

Scandit aeratas vitiosa PUPPES.

Quippe Cura, cum fugientem navem consequitur, posteriorem partem sive puppem scandere debet. Ovid. Metam. VIII, 103.

Jussit & aeratas *impelli remige* puppes.

Virgil. Aen. V, 198.

vastis sonat ictibus aerea puppis.

v. 26. ET AMARA LENTO TEMPERET RISU] *Lento* habent manuscripti plerique omnes cum editionibus vetustis: unus tantum vel alter *laeto*, quod & editiones aliquot occupavit, Typothetarum magis incuria, ut opinor, quam Editorum consilio. Quid enim ineptius quam *laetus animus laeto risu*, eadem in sententia & prope eodem versu. Sed & illud *Lento* non usque adeo satisfacit. Nemo alius, quod sciam, *lentum risum* dixit. Et cum *amara* dixisset & *temperet*, figurâ a saporibus ductâ; utique eâdem metaphorâ claudere sententiam debuit, hoc vel simili verbo, *Et amara* dulci: vel, *amara* grato *Temperet risu*. Certe, nisi me destituit judicium, utrumvis ex his *lento illo risu* melius aptiusque exit. Cogitemus igitur, annon aliud verbum lateat, quod & receptae lectioni & metaphorae respondeat: neque diu quaerendum erat; quippe ecce tibi, *& amara* LENI

Temperet risu.

Nam principio, *Lene* in saporibus opponitur *aspero, austero, acri:* Ut Terent. Heauton. III, 1. asperum.

Pater, hoc est; aliud lenius *fodes vide.*

Deinde & *lenis risus*, aptissime: ut Cicero in Somn. Scip. *Hic* leniter arridens *Scipio, Quaeso, inquit, ne me somno excitetis.* Et postremo *Lenis, Levis, Laetus* & *Lentus* creberrime a Librariis confundi solent: ut apud Nostrum Carm. III, 18.

Lenis *incedas abeasque*:

Colbertinus Codex pro varia lectione, *Laetus*. Carm. I, 18. *Non* levis *Euius*; Codex Noster Reginensis, *letus*. Carm. IV. 6. *Levis Agyieu.*

unus

Digitized by Google

unus apud Cruquium, *Laetus*. Virgil. Aen. II, 782.

Leni fluit agmine Tybris:
membranae aliquot Pierii, *Laeto.*
Ovid. Epist. Acontii v. 120.

Quique subest nivei laetus *in ore rubor:*
plerique ici scripti, *Lenis*, ut testatur Nic. Heinsius. Ovid. Metam. VII, 82.

Sic jam lentus *amor, jam quem languere putares:*
plures ibi *lenis*, & unus, *laetus*. Quidni itaque & hic pariter errare poterant oculi manusve Librariorum? Sed praeterea mihi suspicio est, adhuc pejus hic grassatam esse horum hominum audaciam. Vide enim, an non veri sit similius sic totum hunc locum ab Horatio profectum esse;

Laetus in praesens animi, *quod ultra est*
Oderis *curare, & amara leni*
Temperes *risu. Nihil est ab omni*
Parte beatum.

Melius certe videtur, ut secunda persona dirigantur haec ad Grosphum, quam ut sententiose proferantur. Melius quoque, ut ipse Grosphus, quam ut ejus *animus ridere* jubeatur: melius denique illud infertur, quod sequitur paullo post, [*hora*

Et mihi forsan, tibi *quod negarit Porriget tibi* nempe, quem prius allocutus sum. Fraudi esse potuit Librariis Hellenismus ille elegans, *Laetus animi*. Velleius Paterculus II, 93. *Marcellus, sane, ut aiunt, ingenuarum virtutum*, laetusque animi *& ingenii, fortunaeque, in quam alebatur, capax*. Symmachus Epist. I, 8. *Ut vos sitis* laeti praesentium. Valerius Flaccus III, 659.

Laetus opum pacisque meae.
Virgil. Aen. XI.

quas laeta laborum *Ipsa suis Dido manibus.*
Sic *faelix animi* Juvenalis XIV, 119.

Et pater ergo animi felices *credit avaros.*
Sed plena sunt his poëtarum scripta. Porro *oderis* & *temperes* facile fuit Librariis, patiente id versus mensura, commutare in *oderit, temperet*: ita Epod. X. pro *Mergos juveris*, plures membranae *juverit*: Serm. II, 3. v. 133. pro, *ut demens genitricem* occidis *Orestes*; omnes habent *occidit*. II, 5. v. 90. pro *Difficilem & morosum* offendes *garrulus*; omnes similiter *offendet*.

CARMEN XVII.

v. 14. NEC SI RESURGAT CENTIMANUS GIGAS] Sic [illegible] Carm. III, 4. [*rum.*

Centimanus Centimanus Gigas *Sententia*- Codex [illegible] mei, quam aliorum, constanter [illegible] um editione Veneta & Lotichiana. Notus Muretus in Var. Lection. VI. [illegible] ait se *Gygen* invenisse, in [illegible] *Gyan*. Certe ex aliis poëtarum locis non [illegible] hic subesse constat; sed ubique fere, nisi cum obstitit versus ratio, Librariorum ignoranti [illegible] dissimulatum. Priscianus p. 718. *Hic centimanus, hu us centimanus: Horatius in III. Carm. Testis mearum centimanus* Gyges *sententiarum*. Ita quidem Editi. Sed Manuscripti, quos vidi quatuor, *Gigas*. Seneca Herc. Oet. 167.

Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges?
& iterum v. 1168. *nec truci victu* Gyges
Pindo cadaver obruit toto meum.
Utroque codex Florentinus longe antiquissimus, *Gigas*. Capitolinus in Maximo c. 8. *Tam crudelis fuit, ut illum alii Cyclopem, alii Busiridem, alii Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhoëa vel* Gygem *vocarent*: ubi vetustissimus Palatinus *Gigantam*. In Ovidio nomen proprium servatum est, quia *gigantem* versus ipsi excluserunt:
Amor. II, 1.

Ausus eram (memini) caelestia dicere bella,
Centimanumque Gygen: *& satis oris erat.*
Fast. IV. 593.

Quid gravius, victore Gyge, *captiva tulissem?*
Trist. IV, 7. [*rum.*

Centimanumque Gygen, *semibovemque vi-*
Sed in ultimo loco codex unus *Gyan*, alter *Giam*; ut adhuc dubium sit, quo nomine Centimanus ille vocandus sit. Quaeramus igitur apud Graecos, in quorum officinis haec omnia conficta sunt, & ad Latinos delata. Et Hesiodus quidem habet Γύγης Theogon. 149.

Κόττος τε, Βριάρεώς τε, Γύγης θ', ὑπερήφανα τέκνα,
618. Κόττῳ τ' ἠδὲ Γύγῃ δῶκε κράτερόν τε βίηνδέ
714. Κόττῳ τε, Βριάρεώς τε, Γύγης τ' ἀλκιόωπολέμοιο.
734. Ἔνθα Γύγης, Κόττῳ τε, καὶ ὁ Βριάρεως μεγάθυμος.

& sic praeter Hesiodum sex vel septem Grammatici, quorum loca videre potes apud eruditissimos Viros N. Heinsium & Munckerum, illum in Notis ad Ovid. Amor. II, 1, hunc ad

Digitized by Google

Hygini Praefationem. Contra Apollodorus non *Gygen*, ſed Γύην appellat; quin & Heſiodi quaedam optimae notae exemplaria non Γύγης in locis jam citatis, verum Γύης repraeſentant; ſi Mureto conſtat fides. Accedit huc, quod *Gyges*, nomen aliunde ſatis cognitum, priorem ſyllabam productam habeat, ut apud Noſtrum ſupra, Carm. II, 5.

Luna mari Cnidiuſve Gyges.

& III, 7.

Gygen *ille notis actus ad Oricum.*

Virgil. Aen. IX, 762.

Principio Phalerim, & ſucciſo poplite Gygen.

Propert. III, 9.

Lydia Gygaeo *tincta puella lacu.*

Neque aliter Graeci, ut, Bianor in Anthолog. Epigram. I, 70.

Σαρδίης αἰ τοπάλαι ΓΥΓΟΥ πόλις, ἄστ' Ἀλυάττω.

& Alpheus ibidem I, 12.

Οὐ τέρεν βαθυλαίης ἀρέσσας,
Οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, εἶα ΓΥΓΗΣ.

ubi obiter ſic emendandum eſt,

Οὐκ ὄλβον, πολύχρυσος εἶα Γύγης.

ſiquidem plane auctor reſpexit ad notum illum Archilochi locum.

Οὔ μοι τὰ ΓΥΓΕΩ τοῦ ΠΟΛΥΧΡΥΣΟΥ μέλει,
Οὐδ' εἶλέ πω με ζῆλος, οὐδ' ἀγαίομαι &c.

ubi caveant tirones, ne γυγέω primam brevem hic habere exiſtiment; nam diſſyllabon eſt, γεω in unam ſyllabam contracto, ut Πηλεϊάδεω Ἀχιλῆος. Corrigendus itaque eſt Anacreon Carmine XV, & in Anthолog. II, 47, ubi Γύγεω primam corripit, ut nunc quidem legitur:

Οὔ μοι μέλει Γύγεω,
Τοῦ Σαρδίων ἄνακτος.
Οὐδ' αἰρέει με χρυσὸς,
Οὐδὲ φθονῶ τυραννεῖ.

Certe huic lectioni praeter dialectum etiam ipſa ſententia repugnat. Sic enim Graeca haec vertenda eſſent; *Non curo Gygem, nihili facio Gygem Sardium Regem.* Ergo tum Gyges in vivis eſſe debuit, cum auctor haec ſcriberet: at diu ante Anacreontem natum Gyges ille ad plures abierat. Tu vero lege,

Οὔ μοι μέλει τὰ Γύγεω, Τῦ Σαρδίων ἄνακτος.

hoc eſt, *Nihili aeſtimo opes Gygis*, ſive, *quas Gyges olim habuit.* Nam ut Alpheus ille, quem ſupra citavimus, ita hic ſcriptor (ſi is eſt Anacreon: nam ex iis, quae ſub ejus nomine hodie feruntur, multa ſpuria ſunt) aperte nimis imitatus eſt eundem Archilochi locum.

Οὔμοι ΤΑ ΓΥΓΕΩ τῦ πολυχρύσε ΜΕΛΕΙ.

Quae omnia, ut ad Horatium revertar, dubium quidem faciunt, *Gygeſne*, an *Gyes* ſit ille Centimanus. Nos tamen plurium ſcriptorum auctoritatem ſecuti, prius illud praetulimus: recténe an ſecus, neque ſcire nunc fas eſt, nec hilum intereſt: neque enim Horatii ſalus in hoc nomine vertitur.

v. 24. VOLUCRISQUE FATI TARDAVIT ALAS] Lambini quidam codices, Berſmanni unus, & ex noſtris Petrenſis cum Editione Loſcheri habent, VOLUCRES. Et ſic etiam legitur apud Servium ad Aen: IV, 610. Quin & vetuſtiores membranae, quae exhibent VOLUCRIS, id ex antiqua ſcribendi ratione ſervant; ut nempe ſit quarti caſus numeri pluralis, non genitivi ſingularis. Et ſic in hac noſtra editione accipi volo, *volucris*, hoc eſt, *volucres*. Elegantius certe *volucres alas fati*, quam *alas fati volucris*: Noſter Carm. III, 29 de Fortuna:

Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, *reſigno quae dedit.*

Virg. Aen. V, 217. [alas

Radit iter liquidum, celeres *neque commovet*

Ovid. Art. II, 45.

Remigium volucres *diſponit in ordine* pennas.

CARMEN XVIII.

v. 3. NON TRABES HYMETTIAE] Vir celeberrimus Thomas Gale ὀμφαελίτης ſic legebat ex conjectura;

Non trabes Hymettias
Premunt columnas ultima reciſae *Africa.*

Quod minime contemnendum eſt: ut ordo ſit, non trabes (citreae) ex ultima Africa reciſae premunt columnas marmoris Hymettii. Celebres ſane erant columnae Hymettiae, ut Plinius Hiſt. XXXVI, 3. *Columnas Hymettias non plures ſex.* & ibid. XVII, 1. *Columnas quatuor Hymettii marmoris.* Val. Maximus IX, 1. *Cn. Domitius L. Craſſo objecit, quod columnas Hymettias in porticu domus haberet.* Trabes autem ex arbore citro ab Africa uſque petitae columnis marmoreis imponebantur. Appoſite Statius Silv. IV, 2.

Sed mihi non epulas, Indiſque innixa columnis
Robora Maurorum.

Recte vero *Trabes* de citro: ut Noſter Carm. IV, 1.

Ponet marmoream ſub trabe citrea:

& vide

& vide insuper ut apte inferatur illud *Recisae*, de trabibus ligneis: ut Carm. III, 6.

Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes.

Atque haec protulisse sufficiat ad Galei conjecturam firmandam. Verum cum omnes ubique codices in recepta lectione consentiant, & praeterea ex correctione Galei impeditior paullo & invenustior fiat ordo verborum; satius est fortasse locum sat bene se habentem non sollicitare. Trabes enim supra columnas politae, non e ligno solum, sed e lapide fiebant, ut Architectis notum: & proinde marmor Hymettium tam trabibus conficiendis, quam columnis erat aptum. Plinius narrat in domo Salaucis Colchorum regis trabes fuisse argenteas, Hist. XXXIII, 3. *Sed & illius aureae camerae, & argentae trabes narrantur, & columnae, & parastaticae.* In Veneris domo Smaragdinas trabes super Hyacinthinas columnas ponit Claudianus de Nuptiis Honorii v. 88.

Admiscens artem pretio, trabibusque smaragdis
Supposuit caesas hyacinthi rupe columnas.

Jam ergo *columnae* illa *ultima Africa recisae* erunt columnae marmoris Numidici, quae apud Romanos magno in honore erant, ut multa scriptorum loca testantur. Juvenalis VII, 182.

Parte alia longis Numidarum *fulta* columnis
Surgat, & algentem rapiat caenatio solem.

Ceterum illud quod mox v. 23. habetur, *Proximos revellis agri terminos,* clare imitatus est Quintilianus Declamat. XIII. *Quod cives pascebat, nunc divitis unius hortus est: postquam* proximos quosque revellendo terminos ager *locupletis inundavit.*

v. 30. RAPACIS ORCI SEDE DESTINATA] Editiones principes, utraque Veneta cum Loscheriana, FINE habent, non SEDE; unde prior illa lectio posteriores fere omnes occupavit:

Nulla certior tamen
Rapacis orci FINE *destinata,*
Aula divitem manet
Herum.

Ubi *Finem orci* Lambinus Daceriusque extrema & ima Tartara accipiunt, ubi scelerati poenis exercentur. Perperam profecto, si quid hic judico. Non enim de poenis sed de morte duntaxat hic agitur; ut & haec ipsa verba, & sequentia quoque clare ostendunt. Dum tu dives, inquit, proximos quosque agros coemendo tuum undique dilatas & extendis; ejicitur ex paterno lare pauper cliens cum uxore & liberis. Esto autem. Diruitur casa pauperculi, ne latisundia tua dehonestet: ipse inops vagatur, & laris incerti. Quid tum postea? nulla aula Plutonia domo sive sepulchro certior locupletem dominum manet, pariter ac humilem clientem. Quid enim? *Aequa tellus pauperi recluditur, Regumque pueris.* Eadem mox aeterna domus utrumque coercebit, & te qui novas tibi domos exstruis, & illum cui antiquo lare excedenti nulla ne conductitia quidem domus superest. Vides, opinor, non posse hic ima Tartara intelligi, nisi una cum divite & pauperem illum clientem eo velis detrudere. Quid quod Nostro haud convenit, Epicureo praesertim, tam iracunde & vehementer in commune locupletibus vitium intonare; ut qui vicina praedia suis jungat & continuet, ei cum Ixionibus & Sisyphis aeternae poenae luendae sint. Quare aliud quid excogitemus, si forte ab omnibus fere Librariis propagata lectio defendi & explicari possit. Ubi illud primum erit inquirendum, quid *Fine* sibi velit, quid *Destinata. Destinare,* praeter vulgariores significationes, etiam id notat, describere limites, designare terminos. Curtius IV, 32. *Cum rex urbis futurae muros polenta, ut Macedonum mos est,* destinasset. Vegetius II, 10. *Erat etiam praefectus castrorum —— ad quem castrorum positio, valli & fossae* destinatio *pertinebat.* Virgilius in Culice. 391.

Conformare locum capit impiger: hunc & in orbem
Destinat, *ac ferri capulum repetivit in usum.*

Plura vide apud accuratissimum Gronovium Patrem Observ. II, 8. Eodem sensu frequentius dicebant *Designare.* Virgilius Aeneid. V, 755.

Interea Aeneas urbem designat *aratro.*

& VII, 157.

ipse humili designat *moenia fossa.*

Livius Hist. I, 10, *In Capitolium ascendit Romulus, & simul cum dono* DESIGNAVIT *templo Jovis* FINES: qui locus notatu dignissimus: aeque enim potuit dixisse, *destinavit fines.* Revertamur jam ad Horatii verba, in quibus elucescere, ni fallor, incipit & sententiae nova species & constructionis: ubi *Destinata* casu patrio accipietur, & ad *Aula,* non ad *Fine* referetur. *Nulla certior,* hoc est, *non certior* (vide Servium ad Georg. I, 125.) aula manet divitem herum, quam pauperem

 clientem,

Digitized by Google

clientem. Qualis vero vel quanta illa aula? *destinata fine Orci*, sive designata & descripta termino ipsius Orci, aeque spatiosa ac ipse Orcus. *Fine* eo sensu eleganter dicunt auctores; Ovid. Pont. I, 4.

Ille est in Pontum Pelia mittente profectus,
Qui vix Thessaliae fine *timendus erat.*

hoc est, *Thessalia tenus*. Idem in Halieutico:

Cercurosque ferox scopulorum fine *moratus*;

i. e. scopulorum tenus. Lucretius IV, 628.

Deinde voluptas est e succo fine palati:

Sic ibi legendum, non ut vulgo *in fine*: palato tenus & non ultra, sapores gustamus. Gellius I, 3. Hac fini *anes, tamquam forte fortuna osurus*, hac *itidem* tenus *oderis, tamquam fortasse post amaturus*. Huc etiam pertinet illud Ovidii Metam. II, 131.

Zonarumque trium contentus fine, *polumque*
Effugito australem. junctamque aquilonibus
Arcton:

& illud Senecae de Beneficiis VI, 23. *Vide in quantum corporibus vagari liceat, quae non coercuit* fine terrarum, *sed omnem in partem sui misit*. Quod si huic interpretationi accedis; jam & aliud restabit ex conjectura emendandum. Quid enim hic faciet RAPACIS *Orci?* neque vero nescius sum alias sic recte dici, ut Seneca Hippol. 467.

Cum tam rapaces *cerneret* fati *manus.*

& 1152.

Pallas Actaeae veneranda genti,
Casta nil debes patruo rapaci,

i. e. Plutoni. Verum hic, ubi Orcus non *personam* notat, sed *locum*; & de ejus *fine*, limite, spatio agitur, iners plane epitheton & otiosum videtur illud *Rapax*. Literae versuum initiales facile in manuscriptis mutabantur; quia plerumque omissae erant a Librariis, ut postea minio scriberentur. Id, opinor, hic loci evenit; & corrigendum,

CAPACIS *Orci fine destinata.*

Cur, inquit, ex paternis aedibus extorrem agis pauperem clientem? eadem tandem, qua tu, aula habitabit: atque ea ampla satis, quippe quae *Capacis* Orci spatio terminata est. Ovid. Metam. IV, 439. in descriptione Orci,

Mille capax *aditus, & apertas undique portas*
Urbs habet: utque fretum de tota flumina terra;
Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli
Exiguus populo est, turbamve accedere sentit.

Seneca Herc. Fur. V. 658. de Dite,

Fas omne mundi, teque dominantem precor
Regno capaci.

Verum, utcunque haec sic satis speciosa sint; illa tamen, opinor, pluribus arridebit & adlubescet lectio, quam tres codices Ciuquiani & ex nostris Zulichemianus submministrant,

Nulla certior tamen
Rapacis Orci SEDE *destinata*
Aula dividem manet
Herum.

Idque, vel ob unum illum Taciti locum, Annal. I, 8. *Ne, ut quondam nimiis studiis funus Divi Julii turbassent, ita Augustum in Foro potius quam in Campo Martis* SEDE DESTINATA *cremari vellent*. Quin & ad has partes vocandus erit Servius, qui ad Aeneid. VI, 152.

Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro,

Sepulchrum, ait, SEDES *vocatur. Horatius: Nulla certior tamen rapacis orci* FINE *destinata aula divitem manet herum. Virgilius,* [VII, 3.] *Et nunc servat honos* SEDEM *tuus, ossaque nomen.* Quamvis enim illud FINE, quod hic legis, omnes ubique Servii editiones exhibeant, neque nunc nobis facultas detur Membranas consulendi; veri tamen simile est, quod & Lambinus aliique post ipsum animadverterunt, SEDE *destinata* dedisse olim Grammaticum; cum eo nomine verba adducat, ut sepulchrum probet *Sedem* appellari. Verum esto hoc, ut quisque volet: illud non omittendum, sive FINE, seu SEDE hic legeris, omnino aptius fore epitheton CAPACIS Orci, quam RAPACIS.

CARMEN XIX.

V. 7. PLENOQUE BACCHI PECTORE TURBIDUM LAETATUR] Vir summo ingenio Dan. Heinsius pro *Laetatur* substituit *Lymphatur:* idque adeo, quia τὸ *metu* in versu praecedente interpretatur, *furore, insania, lymphatione*; quod & ante illum fecit Torrentius, & post Dacerius. Utrumque perperam. nam & *metu* illic accipiendum pro *timore*; & recte habet *Laetatur* sive gaudet. Hoc enim fingit Horatius, se cum forte in abditis silvis carmina meditans vagaretur, incidisse in Bacchum cum comitatu Nympharum

Digitized by Google

rum & Satyrorum: ex hoc viſo ſe & *laetitia* & *metu* affectum eſſe: & *laetitia* quidem, tum quia propinquo ejus numine tactus eſſet, tum quia amicum ſibi Deum vidiſſet: ſiquidem Poëtae erant ſub Liberi tutela: ut Noſter Carm. I, 1. *me gelidum nemus*

Nympharumque *leves cum* Satyris *chori*
Secernunt populo: Epiſt. I, 19.
Adſcripſit Liber Satyris *Faunique poëtas*:

& Ep. II, 2. [*umbra*:

Rite cliens Bacchi, *ſomno gaudentis & metu* vero, quia mortalis non poteſt non terreri deorum immortalium aſpectu: ut Aeneas ipſe, fortiſſimus licet, toto corpore cohorruit, cum Dii Penates ſibi in ſomno apparuiſſent, Virgil. Aen. III, 175.

Talibus attonitus viſis, *ac voce deorum.*
Tum gelidus toto manavit corpore ſudor.

& poſtea viſo Mercurio, Aen. IV, 279.

At vero Aeneas aſpectu obmutuit *amens,*
Arrectaeque horrore *comae, & vox faucibus haeſit.*

Sponte tamen & Penates & Mercurius ſe Aeneae conſpiciendos dederunt; juſtior itaque Horatii *metus*, qui inopinatus & injuſſus Bacchi & Nympharum conſilium oculis temeraverat. Quippe, ut vulgo tum creditum eſt, ſine magno malo vel ſummo diſcrimine nemo unquam Deum aliquem invitum conſpexit. Notum illud Homeri Iliados I, v. 131.

Χαλεποὶ δὲ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς.

& Callimachi, Hymno in Palladem v, 100.

Κρύπτοι δ' ὧδε λέγοντο νόμοι,
Ὅσσε τιν' ἀθανάτων, ὅσα μὴ θέμις αὐτὸς ἰδέσθαι,
Ἀθήνῃ, μισῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

ubi vide plura ad hanc rem apud Illuſtriſſ. Spanhemium τὸ πάνυ καὶ τὸ παράσχον. Jure itaque fingit Horatius, ſibi, viſo Bacchо, cor *metu* trepidare; mixta tamen *laetitia*, quia noverat (Carm, I, 17) *pietatem ſuam & Muſam diis eſſe cordi.* Recte igitur habet, TURPIDUM LAETATUR; ut intelligamus voluptatem eam cum horrore fuiſſe junctam. Quo modo & Lucretius III, 28.

His tibi me rebus quaedam divina voluptas
Percipit, atque horror.

Recte etiam, mens TREPIDAT metu & LAETATUR; ut fere Perſius dixit, *Laetari praetrepidum cor.* Sed operae pretium eſt, ut totus Perſii locus hic deſcribatur, cum & explicatione & emendatione egeat, Sat. II, 53.

Si tibi crateras argenti, incuſaque pingui
Auro dona feram; ſudes, & pectore laevo
Excutias guttas: laetari praetrepidum cor:

ubi perperam magnus Caſaubonus *guttas* interpretatur *lacrimas*; & *laevo* pectore, *ſtulto.* Tu vero lege & diſtingue; neque mea fide, ſed MSti codicis Tho. Galei:

Sudas, *& pectore laevo*
Excutiet *guttas laetari praetrepidum cor.*

Vel, ſi forte id mavis, *ſudes*, & *excutiat.* Quorum hic ſenſus atque ordo eſt: *Sudes, & cor praetrepidum* ſive properans *laetari excutiat guttas* ſudoris *pectore laevo*, ſive ſiniſtra parte pectoris, ubi cor ſalit, & ſudor erumpere ſolet. *Praetrepidum laetari*, conſtructione Graeca, & tam Perſio, quam Horatio familiari, de qua vide nos ad Carm. I, 1.

V. 9. FAS PERVICACES EST MIHI THYADAS] *Fas eſt*, ut hic explicant veteres Scholiaſtae, non ſignificat quod alibi ſolet, *Licet*, ſed *Poſſibile eſt*: ut *Nefas* & τὸ ἀδύνατον notat & τὸ ἀθέμιτον. Sed utrovis modo acceperis, non belle cohaeret cum filo totius carminis. Metu trepidus poëta, ne forte Bacchus a ſe conſpectus graviter offenderetur, & (ut pulchre iidem Scholiaſtae) *per mentis perturbationem putans ſibi infeſto thyrſo deum imminere*, deprecatur ejus veniam verbis ſubmiſſis; *Parce, Liber,*

Parce gravi metuende Thyrſo:

& deinde per totum carmen Bacchum ipſum compellat, & propitium ſibi facit; *Tu flectis amnes*; *Tu cum parentis: Te vidit inſons Cerberus.* Unde igitur tanta fiducia, ut ſtatim ingerat, FAS EST *mihi Thyadas & vini fontem* & caetera Liberi Patris miracula vulgo proferre. Haec non ſunt verba *metuentis* aut *deprecantis.* Tu vero corrige, reclamantibus licet codicibus,

Fas *pervicaces* ſit *mihi Thyadas*:

Bacchum enim his verbis, ut caeteris quae ſequuntur omnibus, alloquitur: *Parce*, inquit, quod te inopinus viderim; *fas ſit* te a me viſum eſſe, aliis narrare; *liceat* ea quae viderim carmine celebrare. Id enim niſi cum Bacchi venia non auſus fuiſſet; ut alibi Carm. I, 18. *non ego te, candide Baſſareu,*

Invitum quatiam; nec variis obſita frondibus
Sub dium rapiam.

Sic & Virgilius, ea quae ſub inferis ſunt narraturus, prius Deorum & Manium veniam precatur. Aen. VI, 262.

Di quibus imperium eſt animarum, umbraeque ſilentes,
Et Chaos & Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui: ſit numine veſtro
Pandere res alta terra & caligine merſas.

Porro in hoc ipſo verſu *Thyadas* vel *Thiadas* habent Horatii codices: Orthographia tamen &

auctoritas magis poſtulat, ut *Thyiadas* ſcribamus. Velius Longus p 2210. *Quotiens duabus vocalibus interjecta I littera eſt, duarum conſonantium obtinet vicem; ſic non erit acephalus verſus:*

Thyias *ubi audito trepidant trieterica Baccho,*
&, Troiaque *nunc ſtares;* *&*,
Aio *te, Aeacida, Romanos vincere poſſe.*

Sed tamen editum eſt *Thyas* etiam apud Velium, plane contra ipſius Velii effatum: tria enim exempla profert, ubi duabus vocalibus I interjicitur, *Aio, Troia, Thyias.* Verſus autem eſt Virgilii Aen. IV, 302. [*cho.*

Thyias, *ubi audito ſtimulant trieterica Bac-*

Ita olim in ſuis codicibus Velius reperit; ita, teſte Pierio, nunc exhibet vetuſtiſſimus Codex Mediceus. Ceteri tamen apud Pierium *Thyas*; & ſic Inſcriptio apud Gruterum. p. 599. 1. ATENNIA. THYAS. Eadem eſt diverſitas etiam apud Graecos. Θυάδες nunc legitur in editionibus Aeſchyli, Sophoclis & aliorum: at Heſychius cum vocali gemina, Θυιάς, Βακχίς: ubi ipſe literarum ordo de ſcriptura dubitare non finit. Placet igitur *Thyiadas*, ut *Agyieus, Harpyia, Ilithyia, Orithyia.*

v. 15. DISJECTA NON LENI RUINA] Editiones principes Veneta & Loſcheri, cum recentioribus codicibus, habent LEVI. *Non levi ruina*, ut Seneca Phoeniſſis v. 284.

atque urbes movet
Graias in arma: non levis *feſſis venit*
Ruina *Thebis.* *ſic* gravis ruina,

ut Noſter Serm. II, 8.

Interea ſuſpenſa graves *aulaea* ruinas
In patinam fecere.

Rectius tamen vetuſtiores membranae LENI, ut Blandiniae Cruquii, & ex meis Leidenſes, Graevianae, & ex prima manu Reginenſes. *Non leni*, i. e. *crudeli*: quippe Pentheus a matre lymphata vivus diſcerptus eſt. Male igitur *non levi* hic praeferunt editiones quaedam, etiam recentes: neque enim in eo loco Trochaeum, ut *nōn lĕ*, admittere ſolet Noſter. Nam quod vir eruditus id ab Alcaeo factitatum obſervat, ut.

Ω Βακχί, φάεμακον δ' ἄελιον, &
Μειλιχόγ' αὐδᾷ' ἀμφὶ κέρασα,

id quidem verum eſt, ſed nihil ad Horatii morem. Quin & in Sapphico carmine, Trochaeum in ſecundo loco ſaepe adhibuerunt & Alcaeus & Sappho, ut

Ποικιλόφρον ἀθάνατ' Ἀφρόδιτα,
Παῖ Διός δολόπλοκε, λίσσομαί σε:

quod ſecutus eſt etiam Catullus, ut in XI.

Seu Sacas Sagittiferoſque Parthos: & LII,

Otium, Catulle, tibi moleſtum eſt:

tamen data opera Noſter a Trochaeo in eo loco abſtinuit, tam in hoc Sapphico verſu, quam in illo Alcaico. Idque optimo conſilio factum; nempe ut verſus illi *tardiores paullo graviores-que venirent ad aures*: nam ſine ſpondaeo celeres nimium volubileſque & ſine pondere feruntur. Vide nos ad Carm. III, 2. v. 1.

v. 23. RHOECUM RETORSISTI LEONIS] Et iterum Carm. III, 4. v. 55.

Quid RHOECUS *evulſisque truncis Enceladus?*

Ita nunc editiones pleraeque contra omnium membranarum fidem, quae ſumma conſtantia habent *Rhoetum*, vel *Retum*, vel *Rethum*; ut ſemper ſcribatur litera T, non C. Solus Cruquius ex uno codice profert *Rhoecum*: idem tamen fatetur C in litura fuiſſe; ut ex prima manu etiam iſte codex exhibuerit *Rhoetum*. Neque aliter habent editiones veteres ante annum MDL. Quicumque primus immutavit, id videtur feciſſe auctoritate Apollodori, qui unum ex Centauris POIKON, *Rhoecum* memorat, lib. III. c. 9. Κενταύρων, ΡΟΙΚΟΣ ὃ Υλαῖος: quo modo & Aelianus XIII, 1. Δύο τῶν κενταύρων Υλαῖός τε ὁ ΡΟΙΚΟΣ; & Callimachus Hymno in Dianam v. 221.

Οὐδὲ μὴν Υλαῖον τε ὃ ἄφρητα ΡΟΙΚΟΝ ἔκτανε

Quin & praeter illum Centaurum, nomen *Rhoecus* aliunde erat Graecis notum, ut POIKOΣ ille, de cujus amoribus cum Nympha Hamadryade vide Scholiaſtem Apollonii Rhodii ad lib. II, v. 479. & Samius ille Architectus & Plaſtes apud Herodotum III, 60. & Pauſaniam lib. VIII. de quo & Plinius XXXV, 12. *Sunt qui in Samo primos omnium Plaſticen inveniſſe* RHOECUM *& Theodorum tradant.* Eſto igitur, ſi velint, Centauri nomen RHOECUS: quid hoc ad *Gigantem*, de quo agit Noſter? Gigantem certe nemo Graecorum, quod ſciam, POIKON nominavit. Quamquam & Centaurum illum non *Rhoeci*, ſed *Rhoeti* nomine ſcriptores Latini appellent, aut alios credo auctores, aut alios codices ſecuti: ut Virgil. Georg. II, 456.

Centauros leto domuit. Rhoetumque *Pho-*
lumque,
Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.

ita omnes Pierii codices, nullus *Rhoecum*. Ovid. Metam. XII. de pugna Centaurorum cum Lapithis. v. 271.

Ecce rapit mediis flagrantem Rhoetus *ab aris.*

& 285. *Gaudia nec retinet* Rhoetus. & 301.

Rhoetus *& ipſe ſuo made factus ſanguine fugit.*

Ita omnes apud Heinſium ſcripti. Valer. Flacc. I, 141. *multoque inſanus Iaccho* Rhoetus.

Et

lt. III, 65. Rhoetus *iniqui Nube meri.* Sic omnes utrobique membranae tam Heinſii, quam Carrionis. Lucan. VI, 390.

Teque ſub Oetaeo torquentem vertice vulſas,
Rhoete *ferox, quas vix Boreas inverteret, ornos.*

ita editiones veteres cum codicibus Pulmanni & Berſmanni: male magnus Grotius in ſuis editionibus, *Rhoece.* Claudianus in Nuptias Honorii, praefat. v. 13, [Rhoeton,

Centauri Faunique negant; quae flectere
Quae rigidum poterant plectra movere Pholum?

Jam vides Latinos uno conſenſu *Centaurum* illum *Rhoetum* appellaſſe: ut fortaſſe controverſia movenda ſit de lectione ΡΟΙΚΟΣ apud Callimachum, Apollodorum, & Aelianum. Verum hoc eſto, ut libet. Sed nulla interim ratio eſt, cur in *Gigantis* nomine codicum omnium ſcripturam repudiemus, praeſertim cum omnia, quae apud Graecos extant hujus nominis veſtigia lectioni huic patrocinentur. Apollodorus I, 6. de pugna Deorum & Gigantum. Τῶν δὲ λοιπῶν Ἀπόλλων μὲν Ἐφιάλτην τὸν ἀριστερὸν ἐτόξευσεν ὀφθαλμὸν, Ἡρακλῆς δὲ τὸν δεξιόν. Εὐρυτὸν δὲ θυρσῷ δρυὸς ἔκλεινε. Κλύτιον δὲ φυσὶν, Ἑκάτη, μαχόμενον δὲ Ἥφαιστος βαλὼν μύδροις. Ubi obſecro te quid haec ſibi volunt, Εὐρυτὸν δὲ, θυρσῷ δρυὸς: hoc eſt, *Eurytum autem thyrſo quercus peremit Herculis?* Quid, malum, Hercules cum *thyrſo* pugnans? anne *clavam* tum perdiderat? codex manuſcriptus pro δρυὸς habet δίος. Corrigendum ſine dubio, Διόνυσος, ut & ante nos vidit Doctiſſimus Galeus ad locum. *Ex Gigantibus,* ait auctor, *Ephialtem ſagittis confecerunt Apollo & Hercules, Eurytum thyrſo interemit Bacchus; Clytium occidit vel Hecate vel Vulcanus.* Habemus jam, opinor, gigantem, quem quaerimus. Vide enim: *Eurytus* a Baccho peremtus eſt, ſecundum Apollodorum: *Rhoetus* ab eodem Baccho ſecundum Horatium. Nimirum iſte *Eurytus* idem eſt, qui *Rhoetus*: & omnino pro Εὐρυτὸν reſcribendum eſt Ῥοῖτον. ει & υ apud Graecos eodem ſono proferebantur; unde paſſim in Scriptis Codicibus confundi ſolebant, ut mille locis videre eſt apud Suidam, Heſychium, & alios. Pro Ῥοῖτον igitur ſcriptum erat Ῥύτον, inde correctores dederunt Εὐρυτὸν. Neque nos moveat, quod ille Thyrſo, noſter ſub Leonis ſpecie Bacchum pugnaſſe dicat: nam in fictis fabulis pro lubitu mentiebantur auctores veteres. Apud Hyginum inter nomina Gigantum habentur, *Ephialtes, Erytus:* ubi ex Apollodoro reſcribunt *Eurytus*; ego & hic quoque repoſuerim *Roetus.* Scholiaſtes Heſiodi ad Theogoniam, *Nomina,* ait, *Gigantum ſunt haec,* Ἀγχυνευὺς, Ἐγκέλαδος, Ποῤφυρίων, Μίμας, Φοῦβος, Ὄμβριμος. Iterum pro corrupto illo φοῦβος, repono ΡΟΙΤΟΣ. Haec ſola, ni fallor, nunc apud Graecos reſtant veſtigia hujus nominis ſeu *Rhoeti* ſive *Rhoeci:* & in his, ut vides, litera T eſt, non K; ut longe facilius ex eis extundas ΡΟΙΤΟΝ quam ΡΟΙΚΟΝ. C tamen vel K retinet Naevius in Carmine Belli Punici primo, cujus locus extat apud Priſcianum p. 669 ſic ad Saturnios verſus reducendus:

Inerant ſigna expreſſa, quomodo Titani,
Bicorpores Gigantes, magnique Atlantes,
Rhuncus *atque* Purpureus, *filii Terrâs.*

Nam ſine dubio Rhuncus ille & Purpureus iidem ſunt, ac *Rhoecus* ſive *Rhoetus* & *Porphyrion* apud Horatium & alios. Codex Priſciani ſcriptus habet *Runcus,* alter *Ruchus.* RHOETUM tamen clare confirmat Sidonius Apollinaris. Carm. VI, 24.

Pindus, Othrys, Pholoe, dextris cecidere Gigantum.
Decidit & RHOETI jam gravis Oſſa manu.
Sternitur Aegeon, Briareus, Ephialta, Mimaſque
Arctoas ſueti lambere calce rotas.
Enceladus *patri jacuit, fratrique* Typhöeus,
Euboicam hic rupem ſuſtinet, hic Siculam.

v. 24. HORRIBILIQUE MALA] Sententia quidem comperta eſt; Bacchum ſcilicet in Leonem ſe transformaſſe, & ſub ea ſpecie cum Rhoeto pugnaſſe: ſed verba non adeo clare id indicant,

Rhoetum retorſiſti leonis
Unguibus horribilique mala.

Nihil enim verba haec vetant, quin verum Leonem intelligas; quales cum Tigridibus & Pardis multos in comitatu habere ſolitus eſt Bacchus. Quare vide, annon forte reſcribendum,

Rhoetum retorſiſti Leonis
Unguibus horribiliſque *mala,*

& ordo erit, *Tu horribilis unguibus malaque leonis retorſiſti Rhoetum.* Ea particulae *que* ſtructura familiaris Horatio eſt, ut mox in hoc ipſo Carmine,

ore pedes tetigitque crura.

III, 1. *Moribus hic meliorque fama.*
& III, 4. *Ludo fatigatumque ſomno.*

Verum quidem eſt, quot hodie extant codices *horribili* habere: at non ita olim, quantum ex vetere Scholiaſta Acrone licet conjicere; ſic enim ille, Horribilique mala) *maxilla* METUENDUS. Certe haec interpretatio eſt, non τῷ *horribili,* ſed τῷ HORRIBILIS.

CARMEN.

Digitized by Google

CARMEN XX.

v. 1. NEC TENUI FERAR] Codices noſtri, Reginenſis & Petrenſis,

Non uſitata, non *tenui ferar.*

v. 3. NEQUE IN TERRIS MORABOR] Graevianus, Reginenſis, Galei, Magdalenenſis, Bodleianus cum pluribus Torrentii, TERRA.

v. 6. NON EGO QUEM VOCAS DILECTE MAECENAS OBIBO] Nolim haec ſana praeſtare, quamvis ita exhibent omnes ſcripti editique. Laborant autem interpretes, ut ſenſum aliquem extundant. Quibuidam *quem vocas* eſt, quem *ad caenam* vocas; ut Catullus,

Quaerunt in trivio vocationes. &,

Qui tunc vocat *me, cum malum legit librum.*

& Plautus in Sticho.

Negare nulli ſoleo, ſiquis me vocat.

Verum haec interpretatio paratiti potius gulam, quam gratum Clientis animum exprimit: Quaſi vero majus eſſet cum Maecenate pulpamenta comedere, quam vitam, pecuniam, & agrum in Sabinis ei debere. Aliam igitur viam inſiſtunt Interpretum pars melior, & ne locum interpungunt,

Non ego, pauperum
Sanguis parentum, non ego quem vocas
Dilecte, Maecenas, obibo.

ut ſententia ſit; non ego, quem ſic tu compellare ſoles *o dilecte*: ſive, quem tu Dilectum vocas. Sed neque haec interpretatio multo melior eſt altera. Nam primo, ab ambiguo laborabit ſententia, quo vitio minime tenebatur Noſter: quippe ſi puncta, ut olim, abruerint, quis non potius *Dilecte* cum *Maecenas* conjunxerit? ut alibi, *Clare Maecenas eques, Jocoſe Maecenas, Beate Maecenas, Candide Maecenas, Maecenas docte.* & Statius Silv. II, 4 ad Meliorem Atedium,

quo tu, Melior dilecte, *recluſo*
Numquam ſolus eras.

Deinde, inepte hoc & alieno prorſus loco ponetur, *Ego pauper, ego quem Dilectum vocas, non obibo*: quaſi eo magis mirum foret, ſe non obiturum eſſe, quod a Maecenate diligeretur. Recte & acute Vir magnus Julius Scaliger, *Illa tamen*, inquit, *non conveniunt loco*, Non ego, quem vocas Dilecte, Maecenas, obibo: *Quid enim? quod παῖος? Imo nihil mirum, poëtam qui placeat Maecenati, interire.* Sed tantum abſunt, ut Horatium intelligant, ut ne Scaligerum intellexerint. Scripſit enim Scaliger, *Imo nihil mirum, poëtam qui placeat Moecenati*, NON *interire*, hoc eſt, Scripta ejus immortalia fore. Male Typographus negativam particulam omiſit. Quid multa? ſine dubio ſic conſtruendus eſt locus, *Non ego, non ego obibo, quem vocas Sanguis pauperum parentum.* Hic nihil jam ineptum; hic pulchre habet Antitheſis; non ego, quem pauperis Libertini filium vocas, obibo: Neque paupertas neque ignobilitas generis obſtabit, quo minus ſempiternum nomen ex ſcriptis meis conſequar. Sed quale, quaeſo illud, quod *a Maecenate* ſe vocari narrat Libertini filium? Quid? an ille umquam Horatio ſuo ignobilitatem exprobraverit? Ille ne ut hoc fecerit, *qui non* (Serm, I, 6)

Ut plerique ſolent, naſo ſuſpendit adunco
Ignotos:
Qui referre negat, quali ſit quiſque parente
Natus, dum ingenuus:
qui turpi ſecernit honeſtum,
Non patre praeclaro, ſed vita & pectore puro?

numquam hoc ſerio Maecenas. Proinde aut *ludo jocoque* ſe ſic a Maecenate *vocari* ſolitum intelligamus, aut, quod fortaſſe melius eſt, ſic levi mutatione locum emendemus.

Non ego, Pauperum
Sanguis parentum, non ego quem VOCANT,
Dilecte Maecenas, obibo.

quem Rivales ſcilicet & Invidi ſic ſugillare ſolent;

Quem rodunt omnes libertino patre natum.

Proclive autem fuit Librariis pro VOCANT ſubſtituere VOCAS, quia ſtatim ſequitur vocativus ſingularis, quo cum jungendum id eſſe profua ſapientia exiſtimabant.

v. 10. ET ALBUM MUTOR IN ALITEM SUPERNE] Ita Codices plerique omnes SUPERNE; & ſane ultimam corripit auctoritate Lucretii, cujus hoc eſt libro VI, 543.

Terra ſuperne *tremit, magnis concuſſa ruinis,*

& ſic *inferne* ibidem v. 696.

Tecta ſuperne *timent, metuunt* inferne *cavernas.*

Similiter & Prudentius Periſteph. XII, 39

Omnicolor vitreas pictura ſuperne *tinguit*

& Cathem. III, 10, [*undas.*

Denique quod ſumus aut agimus,
Trina ſuperne *regat pietas.*

ubi Nic. Heinſius *interne* etiam notat ex Auſonio, Epiſt. V.

Implicitum quam te noſtris interne *medullis.*

Cui addas ex carmine de Burdigala ejuſdem.

Implici-

Digitized by Google

Diſtinctas interne *vias mirere domorum.*
Feſtus denique Avienus in Orae Maritimae deſcriptione,
nullus aethram diſcutit
Superne *venti ſpiritus, pigra incubat*
Caligo terras.
Legat itaque, qui volet, & in Horatio SUPERNE. Verum cum diſertiſſimus Muretus aſſeveret vetuſtos quoſdam codices habere SUPERNA; & ſic e Noſtris Zulichemianus, ſi Heinſianis Excerptis fides: quibus favent Leidenſis & Magdalenenſis noſter, ubi habetur SUPERNAE: melius videtur ut cum Mureto reponamus,
& album mutor in alitem
Superna, *naſcunturque leves.*
Neque enim apud ullum politioris aevi poëtam, correptam in his adverbiis ultimam invenies; neque tam aptum hic & appoſitum eſt *Superne*, quam *Superna*. Quippe *ſuperna* nihil aliud notet, quam Supernas corporis partes: at *Superne*, magis quae ſupra corpus & caput ſunt, quam ſuperiora corporis. Elegans vero conſtructio eſt, a Graecis hauſta, *Mutor ſuperna* in alitem; ut Ovidius Metam. IX, 81.
Sic quoque devicto reſtabat tertia tauri
Forma trucis: tauro mutatus membra *rebello.*
Neque vero formides ſyllabarum earundem concurſum, *Superna nascuntur*: ſic enim Virgilius, *Achaica castra*, *Dorica castra*; & plura ſimilia.

v. 13. JAM DAEDALEO OCIOR ICARO] Miror equidem, cur Icari exemplo hic uti voluerit Noſter. Quid opus erat, ut male ſibi ominaretur? Melius profecto ſapuit Carm: IV, 2.
Pindarum quiſquis ſtudet aemulari,
Jule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Quiſquis ergo *Icari* exemplo volaverit, ſive *ocior* ſive tardior nihil intereſt, is certe male rem geſturus eſt, & temerariis auſis excidet in aquis periturus. Vix crediderim tam naſutum poëtam a tam ſiniſtro omine non ſibi caviſſe. Codex noſter Leidenſis plus DCCC annorum pro *ocior* habet NOTIOR. Nimirum jam olim turbabant codices in hoc vocabulo. Quid ſi reſcripſeris:
Jam Daedaleo TUTIOR *Icaro,*
Viſam gementis litora Boſpori.
hoc eſt, ego jam in cycnum mutatus, non Icari exemplo, ſed *tutis* pennis volabo, & remotas regiones viſam. Ovid. Triſt. III. 4.
Quid fuit, ut TUTAS *agitarit* Daedalus *alas,*
Icarus *Icarias nomine ſignet aquas?*
Nempe quod hic alte, demiſſius ille volabat:
Nam pennas ambo non habuere ſuas.
ubi recte acutiſſimus Heinſius, *agitarit* pro *agitaret*: debuit quoque ex quatuor ſcriptis *Icarias* pro *immenſas*, quod nive ipſa frigidius eſt. Perperam vero idem contra omnes codices in ipſo textu repoſuit,
Nam pennas ambo nonne *habuere ſuas?*
Recte enim veteres libri: *Non* habuere ſuas: hoc eſt, Ambo enim pennas habuere *non ſuas*, ſive *alienas*, *factitias*: cur non igitur aeque ambo aut tuti erant, aut perierunt? nempe hic alte, ille demiſſe volabat. Virgil. Georg. II, 82.
Miraturque novas frondes & non ſua poma.

NOTAE AD CARMINUM LIB. III.

CARMEN I.

v. 9. EST UT VIRO VIR LATIUS ORDINET] Ita quidem codices, quotquot extant: ſed excutiamus ſententiam, EST UT, hoc eſt, *fieri poteſt*, ut vir viro, ſive unus altero, ſit ditior, nobilior, melior, gratioſior. *Fieri poteſt* autem? quid hoc tam mirum? imo ita fieri neceſſe eſt; ita ſemper fuit ſemperque erit. Cave igitur credas tam frigidam gnomen ab Horatio profectam eſſe. Corrigo:
ESTO, *ut viro vir latius ordinet*
Arbuſta ſulcis:
hoc eſt; *concedamus*, alium divitiis, alium nobilitate praecellere: hunc moribus & fama, illum gratia & popularitate pollere: Quid tum? quid proderit? aequa enim lege omnes morientur, tam inſignes, quam infimi. Jam hoc, niſi fallor, poëta noſtro dignum eſt. Et firmat noſtram conjecturam Scholiaſtes vetus Cruquii: EST, ait, *pro* SIT. Imo vero ESTO pro SIT.

v. 39. TRIREMI ET POST EQUITEM] In omnibus Berſmanni, Pulmannique & noſtris Codicibus; crede etiam & aliorum, quamvis illud diſſimulent, deeſt particula ET: deeſt etiam in editione Loſcheri. Princeps tamen Veneta habet ET, unde in ceteras manavit. Mollius, opinor, fluet verſus, ſi ſic legeris ſyllaba liquefacta:

Digitized by Google

Decedit aerata triremi,
Posteque equitem sedet atra Cura.
ut Virgilius Georg. III, 116. [*armis.*
Impositi dorso atque equitem docuere sub.
& Aeneid. X, 893. [*cursus.*
Verberat, effusumque equitem super ipse se-
v. 48. DIVITIAS OPEROSIORES] Si accederet codicis alicujus auctoritas, legere posses,
Cur valle permutem Sabina
Divitias ONEROSIORES?
ut Noster alibi. Serm. I. 6. v. 99. de divitiis,
Nollem ONUS, *haud umquam solitus, portare molestum.*
Ovid Metam. IX, 575. onerosior *altera sors est.* Favet Scholiastes Porphyrio, qui locum hunc sic explicat: *Cur*, inquit, *relicto Sabino agro, suo quo securam vitam ago contentus, appetam amplissimas domuum fundorumq; possessiones, quae mihi* ONERI *& molestiae sint.* Verum eodem fere redit, sive *operosas* sive *onerosas* opes dixeris: proinde nihil necesse est, ut a recepta lectione recedamus.

CARMEN II.

v. 1. ANGUSTAM AMICI PAUPERIEM PATI] Multo plures Codices cum editione Veneta & Loscheri AMICE; de quo dubium fuerit, an adverbium sit, an vocativus singularis. Vocativum vero esse vix patitur versus ratio; quamquam Alcaeus, primus hujus Metri auctor, unde & nomen ei accrevit Alcaïcum, Trochaeum in eo loco saepe adhibuerit; ut & Hephaestion tradit, & exemplis comperimus: ut
Πολὺ μὲν ἦ ἄντλῳ ἰσοπέδαν ἴχει.
& Εἴ τις δύναιτο, καὶ παλάμην ἔχοι.
& illud apud Athenaeum lib. X. p. 430.
Οὐ χρὴ κακοῖσιν θυμὸν ἐπιτρέπειν.
Προκόψομεν γὰρ ἐδὲν ἀσύμμετοι,
Ω Βακχὶ, φάρμακον δ' ἄελπτον
Οἶνος ἐνεικαμένους μεθύσθαι.
quem locum eo integrum citavimus, ut emendatior fieret: vulgo enim ἀσύμμετοι, & μεθυσθῆναι: quorum hoc contra versum est, illud & contra versum & sententiam. Sed quamquam, ut jam vides, Trochaeo hic usus est Parens hujus carminis Alcaeus; numquam tamen Horatius; sed ubiq; Spondeum eo loci posuit: quo autem consilio abstinuerit a Trochaeo, ostendi ad Carm. II, 19, v. 15. Restat igitur, ut AMICE sit adverbium, & constructio sit, *Fuer condiscat* amice pati *angustam pauperiem.* Quamquam hoc jam nimium esse videatur: cur enim adeo *amice*? satis profecto est, si *patitur*: ut alibi Carm. IV, 9.
reflius occupat
Nomen Beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque *callet* pauperiem pati,
Pejusque leto flagitium timet.
Quid quod nemo ita locutus est, *amice pati* pro facile & aequo animo? Placetne igitur, ut cum 11 libris Pulm. & plerisque editis legamus,
Angustam, AMICI, *pauperiem pati.*
quo nos invitant ἐπιγραφὴ & Tituli hujus Carminis in membranis vetustis. Sic Graevianus & Leidensis; DE INSTITUTIONE AD AMICOS LOQUITUR. Reginensis; DE INSTRUCTIONE AD AMICOS LOQUITUR. Acron Scholiastes, etiam manuscriptus; *Hanc oden ad* AMICOS *generaliter scribit.* Editio Veneta; *Ad* AMICOS *Paraenetice tricolos.* Sic & alibi Noster amicos suos compellat; ut I, 37.
Tempus erat dapibus, sodales.
I, 27. *Impium Lenite clamorem,* sodales.
Art. Poet. *risum teneatis,* amici.
Epod. XIII, *rapiamus,* amici.
Occasionem de die.
ubi tamen contrario errore peccaverunt Librarii; nam ut hic *amice* posuerunt pro *amici*, ita vice versa in Epodo *amici* pro *amice* substituerunt, ut ad eum locum ostendam.

v. 14. MORS ET FUGACEM PERSEQUITUR VIRUM] Tolerabilis sane lectio est *persequitur*: sic enim alibi Serm. II, 7. v. 115.
Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fugacem.
& Seneca Controvers. VIII, 4. *Quis miretur eum mori voluisse, quem* fugientem *quoque Fortuna* persequitur? Variatum tamen olim in libris: nam tres Lambini Codices, & unus Cruquii, cum nostris Graeviano & Petrensi, PROSEQUITUR. Nimirum facilis & frequens librariorum lapsus erat in praepositionibus compositis; ut qui manibus membranas veteres verterunt, probe sciunt. Quale & hic accidisse crediderim. Quippe, quod alii jam observarunt, aperte hic Noster imitatus est Simonidem, & verbum de verbo reddidit,
Οὐδ' ἂν ἡλκὼ ἴκοιτο ἐς τὸν φυγέμαχον.
Atqui EKIXE majus quiddam est, quam *persequitur.* Nam *persequi* nihil aliud est quam *sequi*: κιχεῖν vero est *assequi, consequi, nancisci, prehendere.* Quare nullus dubito, quin Horatius sic scripserit,
Mors

Digitized by Google

Mors & fugacem consequitur *virum.*
Quid hoc interfit, ex Seneca discs de Beneficiis, V, 5. *Non est turpe non* consequi, *dummodo* sequaris. Curtius adeo apposite, ut ad hunc ipsum Flacci locum respexisse videatur, IV, 55. *Effugit* mortem, *quisquis contemserit*: timidissimum *quemque* CONSEQUITUR.

v. 16. POPLITIBUS TIMIDOQUE TERGO] Rectius aliquot Lambini & Pulmanni cum meis Petrensi & Galei, TIMIDOVE: & sic Acron Scholiastes, tam editus, quam in Bibliotheca Regiae Societatis manuscriptus. *Aut* poplitibus, *aut* tergo, non utrisque: quid enim opus, ut bis eundem percuteret Mors, cujus unus quivis ictus letalis est. Latinus Pacatus in Panegyrico p. 131. *Miles urgere; eminus, cominus, gladiis, hastis, punctim, caesim, ferire: alii* poplitibus *immmere, alii* terga *configere; aut quos cursu non poterant continere*, (lege, contingere) *jaculis occupare.* Ubi nota, *alii* poplitibus, *alii* terga: recte itaque hic *Timidove* non *que.* Livius tamen XXII, 48. Quingenti *Numidae aversam adoriuntur Romanam aciem*, tergaque ferientes AC poplites caedentes, *stragem ingentem fecerunt.* Verum, cum de quingentis hoc narrat, non de uno milite; nihil vetat, quin & hic intelligamus, *alios* ex quingentis terga ferire, *alios* poplites caedere.

v. 18. INTAMINATIS FULGET HONORIBUS] Gifanius in Indice Lucretiano pag. 432. reponit ex codice suo;

Virtus repulsae nescia sordidae
incontaminatis *fulget honoribus.*

cui adsentiuntur liber unus Lambini, & Pulmanni duo. Quin & editiones Pulmanni & Cruquii ea lectio occupavit. Caeterum vox *Incontaminatus* Livio, Varroni, aliisque usurpata est: *Intaminatus*, ut aiunt, nusquam reperias. Esto. Annon & alia sunt verba apud Nostrum & Ciceronem & alios, quae jam post tot scriptores deperditos singularia sunt, & semel inventa? Certe ut ab abioleto verbo *Tamino*, composita illa in usu erant, *contaminatus, attaminatus*, quidni & *intaminatus*? Justin. XXI. 3. *Omnibus ante juratis viris, ne quis ullam* attaminet *faeminam* Priscianus. p. 559. *D in compositione transit in T, ut Attinet*, Attamino, *Attingo.* Capitolinus in Gordiano Tertio, c. 27. *Ita ut nihil quod ad eorum fortunas pertineret*, attaminaret: ubi Casaubonus plura profert exempla ex Ambrosio, Augustino, Aurelio victore, & Codice Theodosiano. Numquam igitur evincent, quin recte & ex analogia formatum sit *Intaminatus.* Imo vero vox ipsa reperitur apud Cyrillum in Glossario: ita tamen, ut jure cum Ovidio dixeris, *tu non inventa reperta*

Luctus eras levior:

Quippe contrario plane sensu ibi ponitur, magisque officit receptae apud Flaccum lectioni, quam si nusquam extitisset. Sic enim Glossographus, INTAMINATA, MIANΘENTA. Non nescis, quid sit μιανθεντα: *polluta* scilicet, *inquinata.* Glossographus alter: MIAINΩ, *attamino, contamino, inquino, polluo, incesto, violo.* Ergo si fides Glossario habenda est, *Intaminatis honoribus* idem foret, quod *contaminatis*; sententia a Poetae mente prorsus aliena. Neque vero contemnenda facile est Cyrilli auctoritas. Nam in aliis hujus generis Compositis, ubi verbum simplex *pollutionem, contagium,* vel *mixturam* notat, praepositio IN non negativa est, sed auget & intendit significationem: sic *intinctus, illitus, insuccatus, incrustatus, incoctus, infuscatus, impicatus, immixtus, infucatus, inauratus, inustus, inebriatus,* & similia, non negant, verum affirmant. Quidni igitur *contaminare, attaminare, intaminare* eandem vim habeant; ut *commiscere, admiscere, immiscere,* & id genus alia? Neque tamen sum nescius, participia quaedam cum IN composita, duplicis esse significationis, & negativae, & affirmativae. Proinde eligat Lector peritus, utrum velit; sive INTAMINATIS, sive INCONTAMINATIS honoribus; me quidem volente utrumvis legerit: ita tamen ut ad posteriorem lectionem magis inclinet animus; cum videam Decomposita illa in usu fuisse, apud multos *Incontaminatus*, apud Tertullianum, *Inattaminatus*: De Corona Militis Cap. XV. *Serva deo rem suam inattaminatam:* quod eo consilio factum videtur, quia compositum *Intaminatus* diversam plane significationem haberet.

v. 19. NEC SUMIT AUT PONIT SECURES] Tres ex nostris, Reginensis, Battelianus, Vigornensis, *Nec ponit aut sumit.* Frustra: prius enim est *sumere*, quam sumtum *ponere.* Seneca Quaest. Natural. I, 7. *Speciem falsi coloris, qualem columbarum cervix* & sumit & ponit, *utcumque deflectitur.*

v. 27. QUI CERERIS SACRUM VULGARIT ARCANAE] Recte vetusti Codices, Graevianus & Reginensis, VOLGARIT; non ut quidam ex recentioribus, *Vulgavit.* Porro, est qui legendum autumet,

qui Cereris sacrum
Vulgarit ARCANUM.

ut alibi Epod. V. Arcana *cui fiunt* sacra. Ovid. Epist. Medea.

Per triplicis vultus arcanaque sacra *Dianae.*

Digitized by Google

Statius Silv. III, 3. ſacriſque *Deorum*
Arcanis *haerere datum.*
Seneca Medea, 912.
Artus juvat ſecuiſſe, & arcano patrem
Spoliaſſe ſacro.
idem Hippolyto, 107.
Jactare tacitis *conſcias* ſacris *faces.*
& Troad. 843.
An ſacris *gaudens* tacitis *Eleuſin.*
Sed nihil mutandum. Nam & idem valet *arcanae*, ac ſi *arcanum* dixiſſet, & figuratius eſt: ſic Virgil. Georg. IV, 521.
Inter ſacra deûm, nocturnique *orgia* Bacchi:
ubi & editiones veteres & ſcripti aliquot perperam habent *nocturnaque.*

v. 28. FRAGILEMQUE MECUM SOLVAT PHASELUM] Primo legendum *Fragilem* VE, repugnantibus licet codicibus: centies enim milliesque *ve* mutatum eſt in *que*, ut ſciunt qui manuſcriptos tractant. Vetabo, inquit, qui myſteria Cereris revelaverit, *aut* terra ſub eodem tecto mecum ſit, *aut* mari in eadem navi. Deinde ſcribe cum Leidenſi, Graeviano, Batteliano, & Acrone manuſcripto, PHASELON, formatione Graeca. ut Ovid. Amor. II, 10.
Errant, ut ventis diſcordibus acta Phaſelos.
Stat. Silv. III. 2,
Quaeque ſecaturam religens poſt terga Phaſelon.
Porro imitatus eſt hunc locum Prudentius contra Symmachum II, 329.
Inſiterant tenues cumbae, fragileſque phaſeli.

CARMEN III.

v. 6. NEC FULMINANTIS MAGNA JOVIS MANUS] Melior ſuaviorque ordo eſt in editione Veneta 1478 & omnibus ubique codicibus;
Nec fulminantis magna manus Jovis.
Loſcheri tamen editio 1498 priorem lectionem ſequitur, unde in poſteriores omnes derivata eſt. Paucis a natura datum eſt habere aurem.

v. 7. SI FRACTUS ILLABATUR ORBIS] Leidenſis noſter vetuſtiſſimus cum Petrenſi & alio recentiore, ILLABETUR. Nihil muta. Hieronymus Epiſtola ad Demetriadem: *Próbans in ſe verum eſſe, quod in Lyrico Carmine ſuper juſti praeconio dicitur, Si fractus* illabatur *orbis, Impavidum ferient ruinae.* Et ſic iterum citat Epiſtola ad Julianum Diaconum.

v. 10. INNIXUS ARCES ATTIGIT IGNEAS] Sic editiones veteres Veneta & Loſcheri, INNIXUS, quarum exemplum poſteriores pleraeque ſecutae ſunt. At Graevianus noſter & Reginenſis cum ſex aliis *Inniſus*: Leidenſis, Petrenſis, Vigornienſis & Regiae Societatis, ENISUS: neque aliter vetuſtiſſimae membranae Cruquii & aliorum. Recte. Qui pondus aliquod ſuſtinet, is fulcro *innititur*, ne cadat: qui in altum aſcendere conatur, *enititur.* Itaque, apte dicere poſſes, Hac arte *innixus* Hercules caelum cervicibus tulit, feſſo Atlante: nunc, cum alia ſententia ſit, quod nempe arces igneas attigerit, & ad caelum eſcenderit, omnino hic arte *enisus* id effeciſſe dicatur. Tacitus Annal. I, 70. *Tandem Vitellius* in editiora eniſus *eodem agmen ſubduxit.* Valer. Flaccus II, 462.
Reſtitit Alcides, viſaque eniſus, *in* alta
Rupe truces manicas defectaque virginis ora
Cernit.
Plinius Hiſt. XVIII, Sect. 68. *Sol ipſe ad Aquilonem ſcandens, ac* per arctua eniſus *ab ea meta incipit flecti.* Ita alii ſcriptores paſſim.

v. 12. PURPUREO BIBIT ORE NECTAR] Recte Graevianus noſter, Reginenſis, Batteliauus, cum Bodleianis duobus BIBIT: Jam tunc enim *praeſens deus* erat Auguſtus, ut, recte alii monuerunt. Ceterum fruſtra hic litigant Interpretes de *purpureo* illo *ore.* Unus purpureum *vultum* intelligit, minio ſcilicet pictum. ut Deorum ſtatuae ſolebant. Sane *vultum & faciem* ſignificavit Statius, cum dixit Theb. III, 440.
Tertia jam nitidum terris Aurora deiſque
Purpureo *vehit* ore *diem.*
Sed ineptum eſt plane hic *vultum* interpretari; cum addat *bibit ore*: quis enim *vultu* bibit? Alius igitur, ideo purpureum os dici vult, quia rubicundo nectare madidum erat. Fruſtra uterque. Quin nihil aliud eſt *purpureo ore*, quam *pulchro & formoſo*, quale deo convenit; ut recte veteres Scholiaſtae. Simonides apud Athenaeum lib. XIII, p. 604.
Πορφυρέᾳ ἀπὸ στόμᾳ θ' ἱεῖσα φωνὰν παρθένος.
Virgo ab ore purpureo *vocem mittens.*
Catullus Epigram. XLVI.
At Acme leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore *ſuaviata.*

v. 16. MARTIS EQUIS ACHERONTA FUGIT] *Martis equis* Codices noſtri omnes; ut & aliorum, qui Flaccum ediderunt. Sic Ovidius Remed. Amor. v. 6. Cupidinem alloquens,
Non ego Tydides, a quo tua ſaucia mater
In liquidum rediit aethera Martis equis.
Sed celeberrimus Barthius Adverſ. XXXIX. 9. ſcriben-

Digitized by Google

scribendum, ait, *cum omnium vetustissimis membranis*.

PATRIS *equis Acheronta fugit*.

Elegantius certe & majus quiddam videtur *Patris* quam *Martis*. Nam in eo quod *Patrem* dicit, & *Martem* satis indicat, & vim insuper honoremque addit paternae necessitudinis. Favet codici Barthiano Scholiastes Cruquii, qui sic παραφράζει: MARTIS EQUIS) *patria virtute*. Enimvero quicumque hoc adnotavit, in suo codice invenerat, PATRIS *equis*; alioqui non *patria*, sed *Martia virtute* interpretaturus. Ovidius Fast. II, 496. De Romulo, & hac ipsa re loquens. [*aether*:

Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus
Fit fuga: rex patriis *astra petebat* equis.

v. 23. CASTAEQUE DAMNATUM MINERVAE] Vide quaeso circuitum periodi, *Ilion, Ilion judex & mulier peregrina vertit in pulverem, damnatum mihi & Minervae* &c. hoc est, *Ilion damnatum*. Ubi, ut & obscuritas & ambiguitas evitetur, malim Ilion DAMNATAM: quippe intervenit τὸ *pulverem*, dubiumque prima facie reddit, utrum *Ilion damnatum* an *pulverem damnatum* velit. Porro Ilion faeminino genere declinat Noster alibi, ut Carm. IV, 9.

Non semel Ilios vexata.

Ovid. Epist. Penelopae v, 48.

Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilios, *& murus quod fuit ante, solum*.

Idem Ep. Paridis, 49.

Arsuram *Paridis vates canit* Ilion *igni*.

& Helenae, 240.

Ilion arsuram *praemonuisse ferunt*.

Ita edidit magnus Heinsius, idque ex unico codice: cum caeteri omnes neutro genere ARSURUM habuerint; ut hic nostri DAMNATUM.

v. 32. TROICA QUEM PEPERIT SACERDOS] Heinsius in ora sui exemplaris, *Lege*, inquit, TROIA: atque ita Carm. I, 6. v. 14. *Pulvere* Troico. *Forte*, ait, TROIO. Tu vide ipsum de hoc plura differentem, ad Ovidium Epist. Penel. v. 28. Ubique certe Virgilius & nomen gentile & possessivum ponit *Troius*, ut *Troius heros*, *Troia castra*, *Troïa gaza*: numquam *Troïcus*. Contra, ne unus quidem, quod sciam, Horatii codex aliter habet, quam *pulvere Troïco*, & *Troica sacerdos*. Equidem in priore loco nihil temere mutaverim invitis membranis: quandoquidem & Latinorum alii sic scribunt, & Homerus saepius habet τρωϊκός; & Tragici item veteres, τρωϊκὸν πήλημα, τρωϊκὸν πόλισμα, τρωϊκῆς χθονός, & similia. Tamen in posteriore, cui melius convenit gentile, quam possessivum; accesserim libens Heinsii judicio. & legerim ad Virgilii normam *Troïa sacerdos* ubi potuisset etiam *Dardana*, ut Statius Silv. I, 2. de hac ipsa Ilia, *nisi* Dardana *furto*

Cepisset Martem, me non prohibente, sacerdos.

v. 34. DUCERE NECTARIS SUCCOS] Mirum profecto tot codices vetustos habere DISCERE, ut ex nostris Graevianus, Reginensis, Battelianus, Vigornensis, Bodleianus, Galei, & a prima manu Magdalenensis; & pro varia lectione Colbertinus: neque aliter duo ex Torrentianis, & Editiones principes Veneta & Loscheri. Agnoscit etiam Scholiastes Porphyrion, & explicat, *Assuescere saporibus nectaris*. Quid fiet? enimvero non usque adeo damnanda haec lectio est: *discere succos nectaris*, nempe quibus non antea assueverat: ut fere Virgil. Eclog. V.

Candidus insuetum *miratur* limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes & sidera Daphnis.

& contra Manilius I, 344.

tum magni Jovis ales fertur in altum
Assueto *volitans gestet ceu fulmina* mundo,
Digna Jove & caelo, quod sacris instruit armis.

Sic legendum, *assueto mundo*, sententia manifesta; non ut vulgo, *assueto-mundi*: in quo explicando frustra laborant viri magni Scaliger & Huetius. *Discere* autem *succos* ita dictum; ut illud Statii Silv. II, 2.

nunc cerne jugum discentia *saxa*.

Sic Seneca Herc. Furente 1077 de somno,

Pavidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem.

Claudianus Epithalamio. 130. ubi Venus loquitur,

Vivite concordes, & nostrum discite munus;
Oscula mille sonent.

Idem Stilich. II, 74.

Hinc fuit, ut primos in conjuge disceret ignes.

& Rapt. Proserp. II, 368.

unanimi consortia discite *semni*.

ubi pariter ut hic in codicibus variatum: plurimi enim *Ducite* habent. Vera tamen apud Horatium lectio est, quam alii codices exhibent cum Acrone Scholiaste, DUCERE. *Discuntur* enim quae vel difficultatem vel metum vel fastidium habent: at in nectare degustando nihil horum est. Non placet igitur *discere*: quod interpolatum ab iis existimo, qui *succos* cum Porphyrione *sapores* interpretabantur: absurdum enim iis visum est *ducere*, sive *libere sapores*. Atqui aliud hic per *succos* intelligendum est, *liquorem* scilicet, *lasticem*, *humorem*; ut passim usurpant auctores; & proinde *succi* ii

nectaris duci sive *bibi* possunt. Ovidius Remed. Amor.

Saepe bibi succos, *quamvis invitus, amaros.*

& in Ibide.

Cantharidum succos, *dante parente,* bibas.

& Pont. IV, 3.

I, bibe *purgantes, dixissem, pectora* succos.

Cicero denique de Divinatione I, 9.

Mollipedesque boves spectantes lumina caeli
Naribus humiferum ducunt *ex aëre* succum.

Ceterum *ducere* idem esse ac *bibere* fuse ostendit acutissimus Heinsius ad Ovid. Metam. XII, 316.

v. 53. QUICUMQUE MUNDI TERMINUS OBSTITIT, HUNC TANGAT ARMIS] Primo, omnes fere codices aliorum, & nostri praeter unum & alterum ex recentioribus, MUNDO, non *mundi*; & sic editiones veteres Veneta & Loscheri. Primus ut opinor, Lambinus introduxit *mundi*; quem posteriores plerique male secuti sunt. Quid enim? cuinam *mundi terminus obstitit*? Romano scilicet. Atqui si jam *obstitit* Romano, jam is obstantem *tetigit.* Unde ergo, quod mox sequitur, *Hunc tangat armis?* Mira certe elegantia: *Tangat terminum, quem jam ante tetigit.* Enimvero si *mundi* legeris, necesse est ut *obstiterit* legas, non *obstitit.* Sed recte habet prisca lectio, *Quicumque terminus obstitit mundo,* hoc est, orbem terrarum habitabilem claustit; Deinde illud non omittendum, multo plures codices cum editionibus vetustis habere TANGET, non *tangat.* Sed melius est TANGAT, ut supra *stet, possit, extendat.* Illud denique minus placet, QUICUMQUE *terminus.* Quot enim, obsecro, sunt mundi termini? Legerim potius,

QUACUMQUE *mundo terminus obstitit,*
Hunc tangat armis.

ut mox sequitur, QUA *parte ignes,* QUA *nebulae.*

v. 66. TER SI RESURGAT MURUS AHENEUS, AUCTORE PHOEBO] Tres vetusti codices, quorum unus Achillis Statii fuit, alter Cruquii, tertius Pulmanni, habent DUCTORE *Phoebo*: quod editiones aliquot receperunt. Lectio sane non inelegans: ubi *ductore* volunt esse *conditore murorum.* Sic Noster Carm. IV, 6.

Rebus Aeneae potiore ductos *Alite* muros.

Virgil. Aen. I, 423.

Instant ardentes Tyrii: *pars* ducere muros,
Molirique arcem, & manibus subvolvere saxa.

ubi inter alia Servius: *Proprie cum aedificantur muri,* duci *dicuntur; ut Sallustius:* Murum *ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam* duxit, His adde Livium I, 44. *Pomoerium est circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua* murum ducturi *erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant.* & Statium Theb. IV, 151.

rarus vacuis habitator in arvis
Monstrat Cyclopum ductas *fudoribus* arces.

Sed idcirco minus placet haec lectio, quia proxime praecesserat,

Ducente *victrices catervas;*

ut inficetum fuerit statim repetere,

Ductore *Phoebo: ter pereat meis.*

ut ne dicam *ductorem* pro *conditore* nusquam reperiri: neque enim sequitur, quia *ducere muros* recte dixeris, ideo te & *ductor murorum* recte dicturum; non magis, quam *dux murorum.* Usus & consuetudo, non Analogia, loquendi normam faciunt. Equidem, si quid mutatum velim, sic potius legerim,

Ter si resurgat murus aheneus,
STRUCTORE PHOEBO.

Notum est enim ex historia veteri, Phoebum & Neptunum suis ipsos manibus Trojae moenia aedificasse, & humeris subvectasse lapides. Ovid. Metam. XI. de Apolline,

Cumque tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam, Phrygioque tyranno

Aedificat muros, *pacto pro moenibus auro.*

Statius Theb. I, 699. de eodem,

Seu Troiam Thymbraeus habes, ubi fama volentem
Ingratis Phrygios humeris subiisse *molares.*

Recte autem *structor murorum,* ut Seneca Herc. Fur. 262 de Thebis,

Cujusque muros *natus Amphion Jove*
Struxit, *canoro saxa modulatu trahens.*

Statius Theb. X, 871 de iisdem,

Et quidnam egregium prosternere moenia *molli*
Structa *lyra?* ubi obiter corrigendum;
Et QUID TAM *egregium,* ut docebimus ad Serm. II, 3. v. 283. Silius Italicus, XIV.

structis *qui pube secuta*
In longum ex sese donarunt nomina muris.

Ovidius Epist. Paridis v. 179. de his ipsis Trojae muris,

Ilion aspicies, firmataque turribus altis
Moenia, *Phaebeae* structa *canore lyrae.*

Neptunus apud Virgilium Aen. V, 8. 2. de iisdem;

cuperem cum vertere ab imo
Structa *meis manibus perjurae* moenia *Trojae.*

Cicero Epist. ad Quintum Fratrem II, 6. *A puero*

Digitized by Google

puero ut discessi, in aream tuam veni: res agebatur multis STRUCTORIBUS; i. e. aedificatoribus. Apuleius in Floridis. *Quippe* STRUCTOR *orationis hujus egomet, non e meo monte* lapidem *directim caesum afferam.* Sed utcumque hoc speciosum sit, &, si faverent codices, omni exceptione majus; nihil tamen muto a recepta lectione, quam centum manuscripti confirmant, cum editionibus vetustis; *Ter si resurgat murus aheneus,* AUCTORE *Phoebo.* Sic *Cynthius,* sive Apollo, Virgilio dictus *Trojae auctor,* Georg. III, 36.

Stabunt & Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissaeque ab Jove gentis
Nomina; Trosque parens, & Trojae Cynthius auctor:

ubi Servius: *Vel Apollinem dixit propter* MUROS; *vel Cynthium regem Trojae, quem in Troicis suis Nero commemorat.* Nugae meae de Rege Cynthio. Recte Philargyrius: *Cynthius, Apollo a Cynthо Deli monte: & utrum, quia ex Oraculo ejus condita est Troja, an quia muros ipse aedificavit, dictus Trojae auctor?* Enimvero utramque ob causam. Et ideo valde placet apud Nostrum, *Auctore Phoebo;* quia utrumque sensum comprehendit: sive, ait, Phoebi monitu, jussu, auctoritate, auspiciis, oraculo; sive adeo ipsius Phoebi manibus aut operis ter resurgat Troja, ter peribit meo ductu ab Argivis eversa. Utravis significatione recte dicitur *Phoebus auctor murorum*: Priore, ut apud Senecam Agamem. 294.

Auctore Phoebo, *gignor: haud generis pudet:*

& Statium Theb. I, 399.

non tu ipse pater, non docte futuri
Amphiarae, vides: etenim vetat auctor Apollo:

& Theb. X, 894. *gemit* auctor Apollo,
Quas dedit ipse, domos:

posteriore, ut apud Propertium IV, 6.

Quam nisi defendes murorum *Romulus* auctor
Ire Palatinas non bene vidit aves.

Ita habet codex vetustus, non *augur,* teste diligentissimo Broukhusio ad locum; qui tamen & hic apud Horatium probat, *Ductore,* (ad Propertium I, 7) & illic mavult *Romulus augur*: quod firmat ex Cicerone de Divin. I, 2. *Hujus urbis* parens *Romulus.* Frustra: nam illud ipsum astipulatur alterae lectioni, *Auctor.* Quippe *Auctor* idem plane, quod *Parens.* Ovidius Heroid. X. [*thrae*

Nec pater *est Aegeus, nec tu Pittheidos Ae-*
Filius: auctores *saxa fretumque tui.*

hoc est, *parentes tui.* Ergo ut Cicero, *Parens Urbis,* ita Propertius *auctor* sive *parens murorum.* Silius Italicus lib. II. de Sagunto:

Urbs habitata diu Fidei, caeloque parentem
Murorum *repetens,* i. e. Herculem.

Nonne hoc idem plane, ac *auctorem murorum?* Sic idem alibi, *Sator murorum,* hoc est, parens, auctor, lib. XI, de Capua.

Laetus circumfert oculos, & singula discit;
Qui muris Sator, *& pubes sit quanta sub*
armis.

Sic *auctor statuae* & *Tabulae pictae,* Plinius XXXIV. cap. 8. Sect. 35. *In mentione statuarum est & una non praetereunda, licet* auctoris *incerti.* Et XXXVI, 5, 8. *Multa in eadem Schola sine* auctoribus *placent: Satyri quatuor* &c. Idem Praefat. ad lib. I. *Quo apparuit summam artis securitatem* auctori *placuisse*; hoc est, pictori. Denique, ne nimii simus, *auctor porticus,* ut Ovid. Art. Amat. I.

Nec tibi vitetur quae priscis sparsa tabellis
Porticus auctoris *Livia nomen habet.*

v. 69. NON HAEC JOCOSAE CONVENIUNT LYRAE] Ita Loscherus anno 1498 *Haec conveniunt:* quod hodie editiones plures sequuntur. Lambinus ex suis profert, *haec convenient.* At Cruquii omnes, Torrentiique, & Pulmanni, cum editione prima Veneta,

Non HOC *jocosae* CONVENIET *lyrae.*

Recte: & ita nostri universi, nisi quod Bottelianus, Bodleianus, & Vigornienſis *conveniat*; Petrensis autem *convenit.* Quid opus est in re nihili ab omnibus fere membranis discedere?

CARMEN. IV.

v. 4. SEU FIDIBUS, CITHARAVE PHOEBI] Codex Graevianus magnae vetustatis CITARAQUE habet, litera tamen Q jam erasa. Nescio certe, an rectius sit illud *citharaque.* Nam quid ve sibi velit, neque ego satis intelligo, nec Interpretes quidquam expediunt; cum *fides* aut per synecdochen ipsa *Cithara* sit, aut proprie pars *Citharae,* nempe nervi sive chordae. Festus; *Fides, genus Citharae.* Glossarium Latino-graecum: *Fidis,* λύρα, κιθάρα, χορδή. Graeco-latinum; Χορδαὶ λύραι, *fides.* Χορδὴ ἁπτὴ λύρας, *fides, chorda.* Νεῦρα, τὰ τῆς κιθάρας, *fides.* S. Ambro-

Digitized by Google

Ambrosius de obitu Theodosii ; *Unde arbitror, quod* fila chordarum citharae *ideo* fides *dicuntur, quoniam & mortuae sonum reddunt.* Vide itaque, annon reducenda sit lectio Graeviani codicis,

Seu fidiéns citharae QUE *Phoebi;*

hoc est, Seu *voce* nunc mavis, Seu *chordis & citharae* Apollinis. Ita Noster alibi *fides* pro *nervis Lyrae*, Carm. IV, 3.

Romanae fidicen Lyrae.

ubi *fidicen lyrae* nihil aliud est, quam *Qui cano fidibus lyrae.* Prudentius Cathem: III, 8.

Quae veterum tuba, *quaeve* lyra,
Flatibus *inclyta vel* fidibus?

ubi *lyra fidibus inclyta*, est chordis, nervis eximia.

v. 6. ET VIDEOR PIOS ERRARE PER LUCOS] Vetus Scholiastes Acron, cum quibusdam ex recentioribus, *pios lucos* interpretatur *amoenos lucos* ELYSII. Unde vir quidam eruditus sic locum corrigendum autumat, & insolentiam Epitheti eo pacto devitat,

audire & videor PIORUM
Errare per lucos:

ut syllaba ultima ad sequentem versum rejiciatur, quod saepe fit apud Nostrum. Ingeniose & docte. Nam *sedes, luci, arva Piorum* in Elysio notissima. Noster supra Carm. II, 13.

sedesque discretas Piorum.

Claudianus Eutrop. v. 452.

tuque ô si forte Piorum
Jugera, & Elysias scindis, Serrane, novales.

Martialis Epig. XII, 52.

Accipiunt olim cum te loca laeta Piorum,
Non erit in Stygia notior umbra domo.

Nemesianus Eclog. I, v. 20.

Quem nunc emeritae permensum tempora vitae [rum.
Secreti pars orbis habet, mundusque Pio-

Ovid. Metam. XI, 64.

quaerensque per arva Piorum
Invenit Eurydicen, cupidisq; amplectitur ulnis

Valerius Flaccus I, 650.

Nec jam merito tibi, Tiphy, quietum
Ulla parens volet Elysium, manesque Piorum.

& v, 843. *donec* silvas *& amaena* Piorum
Deveniant, camposque, ubi sol totumque per annum *Durat aprica dies.*

Silius Italicus II,

Elysium, & casias sedes decorate Piorum.

& iterum XIII.

His laeti rediere duces loca amaena Piorum.

Lucanus III, 11,

Sedibus Elysiis campoque expulsa Piorum.

Virgil. Aen. V, 734. *sed amaena* Piorum
Concilia Elysiumque colo.

Cicero Philippica XIV. cap. 12. *Vos vero qui extremum spiritum* in victoria *effudistis*, Piorum *estis sedem & locum consecuti.* Nemo itaque inficias iverit, quin, si codices astipulentur, & de Elysio hic agatur, eleganter legi possit, *Et videor* Piorum *Errare per lucos.* Neque tamen, vel sic, ego quidquam temere mutaverim; cum Epithetorum audaciam tantopere sectetur Noster, & potius figurate *pios lucos*, quam *Piorum*, data opera dixisse videatur. Sic enim & alii dixerunt; ut Auctor Elegiae De morte Drusi. v, 329. [arvo

Ille pio *(si non temere haec creduntur)* in
Inter honoratos excipietur avos.

Virgilius Culice v. 38.

Et tibi sede pia *maneat locus.*

& ibid. 373. *quo maxima Minos*
Conscelerata pia *discernit vincula* sede.

Pio arvo, pia sede: cum Ovidius, Silius aliique, locis jam citatis, *Piorum arva, Piorum sedes* dixerint. At alibi Ovidius, eadem figura *Pia farcina* dixit, Epistola Didûs; [nati:

Diva parens, Seniorque pater, pia farcina
Currus pios Valerius Flaccus II, 411.

Illic servati genitoris conscia sacra
Pressit acu curruque pios: & sic aliialia.

Recte igitur se habebit recepta apud Nostrum lectio;

audire & videor pios
Errare per lucos, amaenae
Quos & aquae subeunt, & aurae:

etiamsi cum Acrone de Elysio interpreteris. Sed omnino cum Acrone suo falluntur, qui ad Elysios lucos Horatium hic ablegant, tamquam aut ipse mortuus, aut Eurydicen inde aliquam ad vivos reducturus esset. Quin nihil aliud vult nisi Lucos & nemora Musarum, Liberi patris, Heliconis &c. quibus omnem paginam replent Poëtae, ubi vagari se & cum Diis versari fabulantur. Ita Noster Carm. III. 25.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum, quae nemora *& quos agor in specus?*

Statius Silv. V. 3. v. 210.

Me quoque vocales lucos *lustrataque Tempe*
Pulsantem, cum stirpe tua descendere dixi,
Admirere deae. & ibid. V. 5. v. 6.
Numquid inaccesso posui vestigia luco?
Num vetito de fonte bibi?

Silius XIV. *vatum*
Ora excellentum, sacras qui carmine silvas,
Quique Syracosia resonant Heliconia camena.

Vide etiam quae attulimus ad Carm. I, 32. v. 1.

v. 9. ME

v. 9. ME FABULOSAE VULTURE IN APPULO] Vix oculis meis fidem habeo, cum lego in ora codicis Heinſiani, *Forte Sabuloſae*. Omnino aliud agebat Vir in his rebus incomparabilis. Bis enim peccat; primo contra metri legem, quia *Sabuloſus* primam ſyllabam corripit: deinde adverſus conſtructionem: neque enim cum veteribus Scholiaſtis & Torrentio *fabuloſae Apuliae* copulandum eſt, ſed *fabuloſae Palumbes*. Vide nos ad Carm. I, 22. v. 6. Et potuerat quidem Horatius vitare ambiguum, ſi cum Lucilio, Plauto, Plinio aliiſque maſculino genere protuliſſet,

Me fabuloſi *Vulture in Appulo* ——
Fronde nova puerum palumbes *Texere.*

Sed obſtinate faemininum hic exhibent codices manuſcripti:

v. 10. ALTRICIS EXTRA LIMEN APULIAE] *Altricis* habent codices noſtri vetuſtiores, Leidenſis, Graevianus, Reginenſis cum aliis: ſed multi & bonae quidem notae NUTRICIS; quod Editores aliquot, qui *Apuliae* nempe, non Regionis, ſed Faeminae nomen eſſe autumant, cupide arripuerunt, veriti ne illud alterum de Muliere dici non poſſit. Sed haec vana formido eſt. Statius Silv. II, 1. [rentes?

Quid referam altricum *victos pietate pa-*
Idem Theb. I, 530.

Natarum haec altrix, *eadem fidiſſima cuſtos.*
Seneca Hippolyto. 250. (Phaedra ad nutricem)

Paremus, altrix. & 258. Altrix, *profare.*
Propertius IV, 1.

Sanguinis altricem *nunc pudet eſſe lupam.*
Ovid. Metam. II, 683.

Altrici, *quae luctus cauſa roganti,*
Nulla eſt, Halcyone, nulla eſt, ait.

Poteris itaque cum vetuſtis membranis ALTRICIS; utcumque acceperis, ſeu pro mulierenutrice, ſeu pro terra altrice. Sed vide locum totum,

Me fabuloſae Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliae,
Ludo fatigatumque ſomno
Fronde nova puerum palumbes Texere.

ubi, ut jam dixi, in diverſa abeunt Interpretes. Pars enim exponunt, *extra limen*, ſive *finem*, *terminum* terrae *Apuliae*; ut *limen Aeoliae* dixit Valerius Flaccus VI. 364.

magno veluti cum turbine ſeſe
Ipſius Aeoliae *frangunt in* limine *venti.*

Sed quale illud quaeſo eſt, dormientem in vulture *Appulo* extra limen *Apuliae?* nonne hoc ἀσύστατον eſt, & ſecum pugnat? Utique ſi in monte Appulo; tum *intra* Apuliae fines fuerit, neceſſe eſt. Sed, ut hoc nodo ſe expediant, aiunt Vulturem montem in ipſis regionum confiniis ſitum, adeo ut pars ejus Apuliae, pars Lucaniae aſſcriberetur. Quod ex ipſo Horatio colligunt: qui Venuſium, oppidum monti huic proximum, neſcire ſe ait, utrum Lucaniae, an Apuliae adjudicet: Serm. II, 1.

Jequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps:
Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus.

Dormiebat ergo, aiunt, in Vulture *Appulo* (ſic de parte, quae Apuliae erat, totum montem συνεκδοχῇ Appulum vocavit) in ea tamen montis parte, quae extra limen Apuliae erat, & ad Lucaniam pertinebat. Haec illi: ſed miſeret me Horatii, ſi tali auxilio & iſtis defenſoribus eget. Quid enim? quis in proletario quovis poëta hoc ferret, ut in unam ſententiam haec σύνταξιν congereret? Eſto, ut pars Vulturis in Lucaniam pertigerit (quod tamen non probant) & hoc voluerit Horatius: certe in eodem loco & eodem pene verſu non totus mons dicendus fuerit *Appulus*. Si hoc ei condonamus; etiam quidvis quantumvis ineptum albo calculo probare poſſumus. Quid vero ad rem attinet? quem ſcopum ferit? quid tam dignum memoratu, ſi modo in Vulture dormiebat, utrum hac vel illa parte jacuit? cum in tota fortaſſe Roma vel duo vel nemo erat, qui in Vulture confinia illa agnoſceret. Imo vero, cum ne Venuſium quidem ipſum, oppidum ſatis celebre, utrum Appulorum an Lucanorum eſſet, ſcire ſe profiteatur: qui fit, ut in montis avii ſaltibus tam peritus agrorum metator hanc partem Apuliae, illam Lucaniae adſignare ſciret? Ergo is ipſe locus, quem advocatum ſibi duxerunt, Serm. II, 1. *Lucanus an Appulus, anceps*, adverſus eos cauſam dicit, & interpretationem illam prorſus evertit. Proinde alia pars interpretum nomen Mulieris hic intelligunt, *cujus extra limen* evagatus puer Horatius in monte Vulture obdormierit. Melius profecto, quam illi alteri: ſi *Apulia* aut nomen aut cognomen eſſe poſſet. Sed nulla talis familia, neque cognomen uſquam occurrit. *Apuleiae* quidem plurimae reperiuntur, ſed verſus eas recuſat. Poteramus quidem levi mutatione rem conficere,

Altricis extra limen Amuliae,
Altricis extra limen Aquiliae:

niſi ineptum plane & abſurdum foret, de nutricis nomine hic cogitare? Quid? ille ne *patre Libertino & pauperculo* natus, qui num-

Digitized by Google

quam Patrem ipſum aut Matrem in ſcriptis ſuis nomine appellavit, nutriculae ſuae nomen ingereret? qualem vero altricem in tam paupere domo? ancillulam ſcilicet ſole coctam, cui nomen *Phrygiae* credo, aut *Syrae*. Niſi potius, ſervulae inopia, eadem illa quae peperit, mammam dederit. Cave credas igitur, tam vanum & ſtolidum fuiſſe Noſtrum, ut ſicut Aeneas nutricem Caietam, ita hic *Damae aut Dionyſii filius* ſuam memoriae traderet. Quid itaque fiet? haeret profecto aqua: neque quicquam juvant aut enarratores aut codices. Periclitemur paullulum, an conjectura aliqua non ſocordi laboranti poetae ſuccurrere poſſimus. Gloriatur hic Noſter, ſe ab ipſis incunabulis Diis charum & dilectum fuiſſe: id eo argumento, quia *puer* olim, imo *infans*, ut verſu 20,

Non ſine Dis animoſus infans,

ludo fatigatus, obdormiiſſet ſolus in monte deſerto: ubi mirum, ni a viperis eſſet morſus, vel devoratus ab urſis, qui in iis regionibus frequentes, ut Ovidius Halieutico:

Foedus Lucanis *provolvitur* urſus *ab antris:*

at tandem a ſuis inventus eſt, adhuc ſomno devinctus, ſoſpes & incolumis a feris & ſerpentibus, quinetiam laurea myrteaque fronde a palumbibus tectus. Hoc miraculi inſtar de ſe narrat; unde jam tum per viciniam famam eſſe ditatam, magnum aliquid de puero iſto deos portendere. Recte igitur & ex decoro addit, *extra limen altricis* vagatum eſſe; quippe de ſe *infante* hic loquitur, cum adhuc ſub nutrice eſſet. Idque auget miraculi vim, quod ſolus, a nutricis domo evagatus, ſoſpes tamen evaderet; ſi enim cum nutrice & domeſticis fuiſſet, nihil adeo admirandum eſſet. Omnia igitur belle haberent, ſi modo illud APULIAE removere aliquo poſſemus: neque enim nomen mulieris id eſt, neque nutrix hic nomine ſuo indigitari debuit. Equidem crediderim ſic ab Horatio ſcriptum eſſe; *Altricis*, ſive ut alii codices, *Nutricis*,

Me fabuloſae Vulture in Appulo,
Nutricis extra LIMINA SEDULAE:

Nam primo *Limina* de una domo dicitur, ut Virgilius Aen. I, 392. [na *perfer:*

Perge modo, atque hinc te reginae ad limi-

& ſic idem alibi, aliique paſſim. Deinde *ſedulae* perpetuum eſt *nutricis* Epitheton, ut Noſter in Arte Poet. v. 116.

Maturuſne ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus; &, matrona potens, an ſedula nutrix,

Ovidius Epiſt. Cydippes.

Sedula *me* nutrix *alias quoq; ducit in aedes.*

& Metam. X. 438.

Nacta gravem vivo Cinaram male ſedula nutrix.

& paullo ante v. 409. ipſa nutrix loquitur, *& in hoc* mea (*pone timorem*)

Sedulitas *erit apta tibi.*

Feſtus Avienus in Arateis:

Sique ſues lentae, ſi lanae ſedula nutrix.

Porro neque literae ipſae in LIMINA SEDULAE multum abeunt a LIMEN APULIAE: & praeterea credibile eſt Librarium in ultimam vocem prioris verſus *Appulo* conjeciſſe oculos, eoque errore in ſequenti repoſuiſſe *Apuliae*. Id vero quam ſollemniter peccent exſcriptores, probe ſciunt, quibus datum eſt membranas veteres triviſſe.

v. 27. DEVOTA NON EXTINXIT ARBOS] *Arbos* jam ab annis plus centum in omnibus editionibus viſitur: cum & Loſcheri & Veneta & membranae meae omnes uno conſenſu exhibeant ARBOR. Sic & omnes Pulmannianae: ne de caeterorum codicibus dubites, etſi ipſi diſſimulent. Quae haec prurigo eſt, ut, nullo commodo, contumeliam facere aveant libris vetuſtis? Ita ſupra Carm. II, 11. *honos* pro *honor* contra omnium Mſſ. fidem ſuppoſuerunt; cum tamen verſus ipſe, *floribus eſt honos vernis*, talem correctionem ſibilo explauderet.

v. 31. TENTABO ET ARENTES ARENAS LITORIS ASSYRII VIATOR] Editio Veneta 1478 ARENTES; at Loſcheri 1498 URENTE 5; eademque eſt varietas in libris ſcriptis: unde pro vario hominum captu etiam nuperiores editiones nunc hanc, nunc illam lectionem repraeſentant. Neque ſane multum intereſt; utraque enim proba eſt & fidejuſſores ſuos habet. *Urentes* Leidenſis noſter & Reginenſis, cum aliis inferioris notae. Seneca Nat. Quaeſt. II, 30 *Aetna aliquando multo igne abundavit, ingentem vim* ARENAE URENTIS *effudit.* Curtius VI, 18 de Bactriana regione: Arenas *vapor aeſtivi ſolis* accendit; *quae ubi* flagrare *caeperunt, haud ſecus quam continenti* incendio *cuncta torrentur.* Idem IV, 8. de Ammonitide: *Steriles* arenae *jacent*, quas *ubi vapor ſolis* accendit, fervido *ſolo* exurente *veſtigia, intolerabilis aeſtus exiſtit:* & paullo poſt, *Et in arido ſolo & fervido ſabulo nulla erat aqua.* Sic *calida arena*; ut Silius Italicus, de Adyrmachidis Libyca gente, lib. III.

Sed menſis aſper populus, victuque maligno:
Nam calida *triſtes epulae torrentur* arena.

& Marius

Digitized by Google

& Marius Victor lib. II.

Australis Libye calidis *quod nutrit* arenis.

& Alcimus Avitus lib. V.

o terque quaterque beati,
Quos morte absumtos calidis *Aegyptus* arenis
Condidit.

sic *arena incensa*, Claudianus II Rufin. 241.

Te vel ad incensas *Libyae comitabor* arenas.

Sic *fervens* & *ardens arena*, Plin: Hist. VII, 1. *Gymnosophistas* ferventibus arenis *toto die alternis pedibus insistere.* Boëtius Consol. Philos. II, 6.

Quos Notus sicco violentus aestu
Tollit ardentes *recoquens* arenas.

Seneca Nat. Quaest. IV, 2. de Aethiopia: *Saxa velut igni fervescunt, non tantum medio, sed inclinato quoque die:* ardens pulvis, *nec humani vestigii patiens.* Non male igitur, siquis URENTES *arenas* apud Horatium legerit. Neque tamen deterior est lectio altera, ARENTES; quam inter alios codex Graevianus magnae vetustatis exhibet, & praeter similia Scriptorum loca, suavis ille syllabarum concursus, *arentes arenas*, magnopere commendat. Silius Italicus lib. V.

Turbidus arentes *lento pede sulcat* arenas
Bagrada. quod a Lucano hausit, lib, 588.
Bagrada lentus agit, siccae sulcator arenae.

Corippus Africanus, IV.

Cogit dura sitis, cumulosque arentis arenae
Objiciunt, pinguisque soli declivia claudunt.

Dracontius Hexaemero.

Arida *vipereos angues suscepit* arena.

Seneca Herc. Fur. 319.

Cum per arentem *plagam,*
Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas.

Avienus in descriptione Orbis.

Aret *humus, cassaeque solo torrentur* arenae.

Claudian. Cons. Honor. IV, 436.

Libyes arentis arenas
Audebit superare pedes.

Ita codex vetus teste Heinsio: vulgati, *Libyae squalentis.* Sulpicius Severus Dialogo 1. de Libya: *Nulla ibi semina, germina nulla proveniunt: quippe instabili solo,* ARENTIBUS ARENIS *ad omnem motum ventorum cedentibus.* Caeterum, quid illud, quaeso est, *Litoris Assyrii*, cum Assyria non sit regio maritima, sed mediterranea? Recte Scholiastes Acron: *Litus etiam camporum extremitatem veteres dicebant.* Proinde tu hic intellige arenosos campos Assyriae, ubi Crassus cum toto exercitu periit: ii erant in *confiniis* Arabiae & Assyriae, Ἀραβίων καὶ Ἀσσυρίων μεθορίᾳ, ut in Crasso Plutarchus. *Litoris* ergo *Assyrii*; hoc est, extremitatis, marginis, orae, confinii. Sed & alia ratio est, cur *litus* vocet: quippe arenae illae ingenti planicie undique porrectae potius *litoris* vel *aequoris* quam terrestris regionis speciem ostentant; ut ibidem Plutarchus, Οὐ φυτὸν ἐρῶσιν, ἀσφοδέλην ὄρος καδιεῖ, ἀλλ' ἀπείρων πεδίων ΠΕΛΑΓΙΟΝ ΤΙ ΧΕΥΜΑ, ΘΙΝΩΝ πολὺν ἐρήμων πεδιάδων τὸ ἔρημον. Sic de arenis Bactrianis Curtius VI, 18. *Camporumque non alia quam vasti & profundi maris species est.* Seneca loco supra citato:

Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas.

v. 38. FESSAS COHORTES ABDIDIT OPPIDIS] *Abdidit* habent Editiones principes Veneta & Loscheri: unde in omnes sequentes derivatum est. Quod defendunt Interpretes ex alio loco Epist I. 1.

Veianius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

Atqui hoc aliud est, nempe *occultatus, absconditus, latens*; ut Suetonius in Tiberio 12. *Enimvero tunc non privatum modo, sed etiam obnoxium & trepidum egit, mediterraneis* agris abditus, *vitansque praeternavigantium officia.* Certe, non metu, neque ut ibi laterent, cohortes suas in oppida misit Augustus: sed aut missionem eis & agros militiae praemia daturus, aut in hibernis eos collocaturus. Quare melior omnino lectio est, quam neque pauciores neque deteriores codices exhibent; REDDIDIT: ex meis certe Bodleiani duo, Galei, Battelianus, Colbertinus pro varia lectione. Atque his astipulantur Graevianus vetustus, qui a prima manu habuit REDDITIS, ut ad Musas referatur; & Reginensis, qui REDDITAS. Cohortes scilicet, quas ex *oppidis* deduxerat, cum dilectum institueret militum, jam tandem *missione* facta *oppidis* suis *reddidit.* Nihil verius. Noster Epistola I, 7. *Vitae me* redde *priori.* Tacitus Annal. I, 17. de re eadem. *An praetorias cohortes, quae binos denarios acciperent, quae post sexdecim annos* penatibus suis reddantur, *plus periculorum suscipere?* Et similiter Hist. II, 69. *Cohortes Batavorum in Germaniam remisisse*: reddita civitatibus *Gallorum auxilia.* Caeterum non contemnenda est doctissimi Lambini conjectura, ubi pro *fessas* reponit *fessus*; adeo ut locus totus constituatur hunc in modum,

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessus *cohortes* reddidit *oppidis,*
Finire quaerentem labores

Digitized by Google

Pierio recreatis antro.

Quippe ea quae ſequuntur, *quaerentem finire labores*, & *recreatis Caeſarem*, efflagitant potius, ut ipſe Caeſar, quam Cohortes, militia defatigari dicatur. Utinam accederet MStorum auctoritas! tamen, vel reclamantibus eis, vera emendatio eſt.

v. 44. FULMINE SUSTULERIT CADUCO] Nemo ex omnibus ſcriptoribus, praeter Noſtrum in hoc loco, *fulmen* vocavit *caducum*. Non indignus itaque nodus erat, in quo interpretum cura & induſtria ſe exerceret. Nihil tamen hic proferunt praeter unicum locum ex Carm. II, 13.

Te triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Quaſi vero nihil diſcrepet, utrum *lignum* prae ſenio & carie ſponte ſua ruinoſum, an *fulmen* magna manu Tonantis miſſum & contortum, *caducum* appelletur. Nos verbum & ſententiam ipſam conſiderabimus diligentius. *Cadere* & *decidere* fulmen paſſim apud Auctores dicitur: neque exemplis in re manifeſta eſt opus. *Caducum* tamen *fulmen*, ut jam dixi, nemo quiſquam appellavit. Quid ita? nempe quia *a Caducus*, etſi a *cadendo* ductum ſit, notioni tamen cadendi ſemper ſuperaddat infirmitatem, debilitatem, fragilitatem: adeo ut non quaecumque quoquo modo cadant, *caduca* recte dicantur: ſed ea ſola, quae ſponte & ſuapte imbecillitate ad caſum & ruinam tendant. Ita *lignum caducum* apud Noſtrum, quia prae vetuſtate diutius ſtare non potuit; ita alii, *folia caduca*, *glandes*, *frondes*, *flores*, *guttas*, *rivos*, *lacrimas*, *ſpes*, *res caducas*, & ſimilia, dixerunt. Quid? anne hoc ſenſu fulmen in Gigantas actum *caducum* vocitandum eſt? Haud vidi magis. Sed praeterea vide modo hoc Senecae, de Fulgure ſine fulmine, Nat. Quaeſt. II, 23. *Credibile eſt*, ait, *& veriſimile*, ignem caducum *excuti*, *& cito interiturum*, *quia non ex ſolida materia oritur*, *nec in qua poſſit conſiſtere*. Differt igitur inane Fulgur a Fulmine, quia illud *ignis caducus* debilisque ſit, *& cito interiturus*: hoc, aliud quid longe fortius & majus. Quid igitur? an bonus ille Juppiter, tum cum maxime caelo ſuo & imperio metuebat, tam *caduco igne* & debili fulmine contra Titanas uſurus erat? Porro autem tralatitium eſt, *Jovis telum* a poëtis nuncupari fulmen: ut, praeter alios, Ovidio in Ibide,

Aut Jovis infeſti telo *feriare triſulco*:

& Amor. II, 5.

Excutere irato tela *triſulca Jovi*,

atqui *telum caducum* eſt debile & caſſum, nullo impetu, & invalido brachio tortum; ut oſtendet tibi Propertius Horatii noſtri & Maecenatis Sodalis, IV, 2.

Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hoſtes turpi terga dediſſe fugae.

Ergo laſſus, opinor, & viribus defectus juppiter *caducum telum* & caſſum fulmen in Enceladum & fratres jaculatus eſt. Quin potius centum Librariis fides abroganda eſt, quam ut Horatium credamus hujus culpae affinem eſſe potuiſſe. Crediderim equidem, ſi res ipſa ſineret, ex Aeſchylo hoc expreſſiſſe Noſtrum, qui κέραυνον ΚΑΤΑΙΒΑΤΗΝ dixit, in Prometheo v. 358. ubi Typhöea, ut hic Horatius, a Jove fulminatum narrat,

Αλλ' ἦλθεν αὐτῷ Ζηνὸς ἄγχουσον βέλος,
Καταβάτης πέφαυρος, ἐκπνέων φλόγα.

quippe καταβάτης venit a καταβαίνειν, *deſcendere*, *demittere*: quod a *Cadendo* non procul abeſt. Verum obſtat, ut dixi, auctoritas & ſermonis Latini ratio, quae nihil quicquam *caducum* dicit, niſi quod infirmum & debile eſt. Quod ſi acrius contendat quiſpiam, potuiſſe Flaccum nove dicere *caducum fulmen* pro *cadente* ſive καταβάτῃ; idem tamen fateatur neceſſe eſt, & incautum, & infelicem hic fuiſſe Noſtrum: cum & ridicule plane in Ambiguum inciderit, & neminem poſt ſe habuerit, qui ſequi & imitari vellet. Sed non ita eſt: neque dubitare poſſum, quin levi mutatione ſic locus ſit refingendus, qualis a poëtae manu primum profectus eſt;

ſcimus ut impios
Titanas, *immanemque turmam*
Fulmine ſuſtulerit CORUSCO:

tam apto & forti & uſitato hoc epitheto, quam illo altero inepto, debili, & inaudito. Ipſe alibi Carm. I, 34. *namque Dieſpiter*
Igni coruſco *nubila dividens*.

Virgil. Aen. VIII, 391. [ruſco
Non ſecus atque olim tonitru *cum ruptus co-*
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

& Georg. I, 328,
Ipſe pater media nimborum in nocte coruſca
Fulmina *molitur* dextra. Ovid. Faſt. VI.
Signa dedit genitor, tu cū capus igne coruſco
Contigit. Lucret. VI, 236 de Fulmine.
uſque adeo pollens fervore coruſco.

Valerius Flaccus I, 622.
Cum picei fulſere poli, pavidamque coruſcae
Ante ratem cecidere faces. & VI, 55.
Nec primus radios, miles Romane, coruſci
Fulminis, *& rutilas ſcutis diffunderis alas*.

Statius Theb. I, 216. *taedis ſaevire* coruſco
Fulmine.

Silius Italicus VI. *quater inde* coruſcum
Con-

Digitized by Google

Contorsit dextra fulmen. Idem lib. VIII.
Axe super medio, Libyes a parte, coruscae
In Latium venere faces.
Et lib. XV. *bis terque* coruscum
Addidit augurio fulmen *pater.*
& iterum.
Ut torrens, ut tempestas, ut flamma coruscí
Fulminis.
Severus in Aetna, de Jove & Gigantibus;
Juppiter e caelo metuit, dextramque coruscá
Armatus flamma *removet caligine mundum.*
Auctor de Morte Drusi.
Hoc fuit Evadne, tunc cum ferienda coruscis
Fulminibus *Capaneus impavida ora dedit.*
Petroniusde Mutat: Reipub.
Vix dum finierat, cum fulgure *rupta* coruscó
Intremuit nubes, elisoque absidit ignes.
Seneca Oedip. 1029.
Non si ipse mundum concitans Divûm sator
Coruscá *saeva* tela *jaculetur manu.*
Ausonius Epist. XXI.
Flammis coruscí fulminis *vibrator.*
Cicero Tuscul. II, 9. *tuque caelestium sator,*
Face, obsecro, in me vim coruscam fulminis:
Sed jam nimii fumus: i nunc, &, si potes, *caducum potius fulmen* ab invalida Jovis dextra, quam a terribili brachio *coruscum* in Gigantas tortum crede.

v. 46. ET URBES, REGNAQUE TRISTIA, DIVOSQUE MORTALESQUE TURBAS] Editio Veneta omnium princeps TURMAS, & sic major pars Codicum: at Loscherus *Turbas*, cum Batteliano nostro & Petrensi. Recte. Nam jam praecesserat, *Immanemque Turmam*; neque ea vox bis inculcari debet. Verum ibi quoque codices aliquot, *Immanemque Turbam*, non *Turmam*. Nimirum hoc certum est, aut ibi esse legendum *immanemque turbam*, & hic *mortalesque turmas*; aut ibi *turmam* & hic *turbas* poni oportere. Neque hilum fere interest. Sed jam totum locum videamus, ne inani forte verborum strepitu pulset potius aures, quam sensu animum tangat:

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum & urbes, regnaque tristia:
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

Jam dic, obsecro quid sibi velit, *urbes & mortales turbas*? Enimvero hoc ineptum est, & Tautologia mera. Nisi forte *urbes*, non hominum coetus, sed lapidum & lignorum congeriem stulte hic interpretari velis. Corrige vero mecum, & distingue cum vetere Scholiaste:

Qui terram inertem, qui mare temperas
Ventosum; & UMBRAS regnaque tristia,
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

Unus regit omnes, Deos, homines, inferosque. *Umbras & regna tristia*; ut Seneca Medea v. 10. *noctis aeternae chaos,*
Aversa superis regna, manesque *impios,*
Dominumque regni tristis.
Idem Oedipo, 869. *tuque tenebrarum potens*
In Tartara ima, rector umbrarum, *rape.*
Virgil. Aen. V, 735. *non me impia namque*
Tartara *habent,* tristesque umbrae.
& alii passim.

v. 64. DELIUS ET PATAREUS APOLLO] Codex noster Vigornienſis, DELIOS; ut utrobique Graeca enunciario sit, *Delios & Patareus*, Δήλιος & Πάταρεύς; non, ut Latini, *Delius & Patarensis*.

v. 69. CENTIMANUS GYGES] *Gygesne an Gyas* hic dicendus sit, jam supra disseruimus ad Carm. II, 17. ut & de *Rhoeto* versu hic 55, diximus ad Carm. II, 19. Ceterum male hic in omnibus hoc & superiore saeculo editionibus distinguitur, *Testis mearum centimanus Gyges Sententiarum notus:* tu vero interpungo:

Testis mearum Centimanus Gyges
Sententiarum, notus & integrae
Tentator Orion Dianae.

Sic Carm. I, 37. *Fortis & asperas Tractare serpentes:* ubi pari modo a plerisque peccatum erat. In vulgata distinctione, & sententiae vis perit, & collocationis gratia. Nam si *notus* adeo *testis*, quid opus ut hic citetur? *notus* vero *tentator Orion*, quippe quem Mythologi & Poëtae passim commemorant. Porro eodem, quo nos, modo interpungunt Editiones Principes Veneta & Loscheri; tum MSti Graevianus, Reginensis, Battelianus, Petrensis, aliique, cum Porphyrione Scholiasta.

CARMEN V.

v. 8. CONSENUIT SOCERORUM IN ARMIS] Ita omnes, credo, qui nunc extant, codices, ARMIS. Non placet. Quomodo enim in *Socerorum armis*, si sub *rege Medo* erant? Certe non *soceri*, sed *rex ipse* militibus arma ministrabat. Deinde non queritur, Crassi milites captivos contra patriam tulisse arma; quod & falsum & inauditum: sed illud indignatur, quod verum erat,

Digitized by Google

vivos captos in servitute apud Parthos consenuisse, quin & uxores ibi duxisse, Romani nominis oblitos. Quare diu est, cum legendum vidi, *arvis*, non *armis*, ut & Tanaquil Faber:

Consenuit socerorum in ARVIS:

quod & postea sagacissimum Heinsium sensisse didici, cujus haec notula in exemplaris sui margine, *Forte Arvis*. Rectissime: sic enim Seneca Epist. XLVII in re simili. *Variana clade, quam multos splendidissime natos fortuna depressit: alium ex illis* pastorem, *alium* custodem casae *fecit*. Ergo ut post cladem Quintilii Vari, multi Romanorum per Germaniam; ita post cladem Crassi, per Mediam in *arvis* consenuerunt, hi pastores facti, illi casarum custodes. Id autem sollemne fere apud veteres, ut captivi ad *arva* colenda adhiberentur: ut Euripides in Rheso v. 74.

Οἱ δ' ὸ βορᾶισι δύσμοιοι λελησμένοι
Φευγῶν ἀρούρας ὰμαθῶσι γαπονεῖν.

& mox v. 175.

Οὐ μὴν τὸν Οἰνέως παῖδα μ' ἐξαλεῖς λαθεῖν.
Κακὴν γεωργεῖν χεῖρες ὧ πεπλημμέναι.

Quin & olim ARVIS legerunt veteres Scholiastae: quorum hic interpretatur, *Oblitos Romanae virtutis apud Parthos* RESEDISSE; alter, *Velut propriis in* SEDIBUS *omnem jam aetatem ageret*. Quae certe verba non cum *Armis*, sed *Arvis* conveniunt.

v. 10. ANCILIORUM, NOMINIS, ET TOGAE] Ita codices aliquot scripti, & jam pleraeque editiones. Sed conjunctionem ET inserunt Lescherus & Veneta,

Anciliorum, & nominis, & togae:

& sic nostrae Membranae, Graevianae, Reginenses, cum pluribus aliis: quin & sic legitur apud Charisium pag. 46. Cledonium pag. 1898 & Servium ad Virgilii Aen. VII, 188. Recte: ut vitetur ambiguum, ne *nomen anciliorum*, non *nomen Romanum* forte intelligas. Imitatus est hunc locum Florus, IV, 9. de Antonio: *Sed patriae*, nominis, togae, *fascium* oblitus, *totus in monstrum illud desciverat*: Quod & ante nos vidit optimus & doctissimus Torrentius.

v. 15. ET EXEMPLO TRAHENTI] Ita primus ex conjectura reposuit vir eruditus Gulielmus Canterus, in Novarum Lectionum VII, 30. ex quo tempore plerique in ipsum Versum receperunt: cum in vetustis editionibus, & codicibus, credo, qui nunc extant, omnibus habeatur *trahentis*, hunc in modum:

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Foedis, & exemplo trahentis
Perniciem veniens in aevum.

Quae ineptam plane sententiam efficiunt, & poetae menti prorsus contrariam. Enimvero, stante hac lectione, sic locus refingendus esset,

Foedis, NEC *exemplo trahentis*:

hoc est, repudiantis foedas conditiones, *neque* malo suo exemplo trahentis perniciem in posteros. Sed melius omnino Canterus, qui literula una semota clarum sensum reddidit, ita ut *conditiones illae foedae* sint *exemplum* trahens perniciem. Livius II, 43. *Injussu signa referunt, maestique redeunt in castra: nec huic tam* pestilenti exemplo *remedia ulla ab imperatore quaesita sunt*. Minime itaque sua laude fraudandus est Canterus. Sed, cum mirum mihi visum esset omnes ubique codices *Trahentis* exhibere; neque quicquam in Canteriana Lectione difficultatis appareret, quod Librarios posset offendere, si eam in suis codicibus umquam reperissent: subiit animum latuisse forte hic olim elegantis aliquid & reconditae constructionis, quod non intellectum in fraudem eos injecerit. Et e vestigio suspicionem nostram res ipsa confirmavit; sic enim scripserat Horatius,

Dissentientis conditionibus
Foedis, & EXEMPLI TRAHENTIS
Perniciem veniens in aevum:

hoc est, *Conditionibus, quae foedae erant & pernicios exempli*. Ita solebant hanc vocem genitivo casu proferre: quam structuram cum ignorarent boni Librarii, locum contaminarunt. Suetonius Aug. 32. *Pleraque* pessimi exempli *correxit, quae in* perniciem *publicam extiterant*. Idem Vitell. 10. *Quicquid cohortium praetorianarum fuit, ut* pessimi exempli, *uno exauctoravit edicto*. Plin. Nat. Hist. VII, 16. *In feminis ea res* inauspicati *fuit* exempli. Quintilianus Declam. VI. *Illa* exempli *mulier, illa saeculi decus, virum redimi noluit*. Livius I, 28. *Primum ultimumque illud supplicium* exempli *parum* memoris *legum humanarum fuit*. II, 55. *Sub hac* pessimi exempli *victoria delectus edicitur*. III, 44. *Vir* exempli recti *domi militiaeque*. IV, 48. *De seditione, quam Maecilius Metiliusque largitione* pessimi exempli *concirent*.

v. 17. SI NON PERIRET] Glareanus vir sua aetate doctus, ex conjectura olim reposuit,

Si non perirent *immiserabilis Captiva pubes*:

ut Virgilius, *Pars in frusta secant*; & similia passim. Quippe, ait, in caesura hac semper longam syllabam adhibet Horatius. De qua re dixi ad Carm. III, 2. v. 1. Tamen versiculus hic ex memoria exciderat, cum ea typographo traderem.

v. 33.

Digitized by Google

v. 33. QUI PERFIDIS SE CREDIDIT HOSTIBUS] Nemo usquam sic locutus est, *credidit se hostibus.* Scribe aut TRADIDIT, aut DEDIDIT; utrum velis, nihil interest: sed hoc aliquanto propius accedit ad lectionem receptam. Silius Italicus lib. X.

Succinctique dolis, fugerent ceu Punica castra,
Dediderant *dextras.*

Cicero de Officiis III, 29. *Quod ni ita esset, numquam claros viros Senatus vinctos* hostibus dedidisset. & paulo post, *Qua rogatione accepta,* est hostibus deditus. Pomponius, Digest. lib. 50. Tit. 7. Leg. 17. *Itaque eum, qui legatum pulsasset, Quintus Mucius* dedi hostibus, *quorum erant legati, solitus est respondere.* Cicero de Invent. II. *Imperatore* Samnitibus dedito, *quidam in Senatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit,* dedi *oportere.* & mox, Dedendus ne *sit* hostibus, *nec ne.* Quintilianus Instit. III. 10. *Ut cum illis Opiterginis damus consilium, Ne* se hostibus dedant. Livius XXII, 60. *Nunc autem cum prope gloriati sint, quod* se hostibus dediderint. Ita ille & Caesar passim: ut Bello Gallico VII, 26. *Ne se & communes liberos* hostibus *ad supplicium* dederent. VII, 71. *Neu se in cruciatum* hostibus dedant. Corrigendus Quintilianus Declam. 339, ubi hunc Horatii locum respexisse videatur, *Ille vero, qui se inter virtutem hosti dedit* (lege, qui se in servitutem hosti dedidit) *qui abjectis armis parata* (lege, paratas) *in vincula praebuit manus, quam sandem nobis spem in posterum facit?* Multa ad hunc locum protert Lambinus, ut ostendat *credere* idem interdum esse quod *committere:* quid tum? *committere se hostibus* dicetur, qui in medios hostes ardore pugnandi armatus irruit. Atqui de hoc non agitur. Nihil sane ad rem attulit praeter hoc Ciceronis Epist. Fam. IV, 7. *Aut enim renovare bellum conati sunt, hique se in Africam contulerunt; aut, quemadmodum nos, victori sese crediderunt.* Sed cum omnes fere Codices ibi *esse* habeant, non *sese; victores esse crediderunt:* vel, *se victos esse crediderunt:* apparet, postquam semel mendose scriberetur *esse,* tum posteriora interpolatum esse *crediderunt,* ut cum τῶ *esse* conveniret. Lego itaque etiam illic, *Aut, quemadmodum nos, victori sese dediderunt,* vel, *tradiderunt.* Ipse Cicero de Officiis I, 31. *Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri, qui se in Africa* Caesari tradiderunt? Idem pro Sextio, 20. *Navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi* dedicissent: *si id vectores negarent, & mecum simul interire, quam me* tradere hostibus *mallent,* &c. Valerius Max. V, 5. *Non erat dubium, quin Falisci* traditurі se *nostro imperatori essent.* Caesar B. Gall. VII. 77 *Vitam toleraverunt, neque* se hosti transdiderunt.

v. 37. HIC UNDE VITAM SUMERET INSCIUS] *Inscius,* quia primas editiones Venetam & Loscheri possederat, postea in omnes propagatum est; neque quicquam de Lectionis varietate monent Lambinus, Cruquius, Torrentius, Pulmannus. Primus adeo Henricus Stephanus se fando audivisse narrat, *aptius* legi non *inscius* in vetusto libro Antonii Contii. Post hunc Bersmannus ex tribus quos inspexit codicibus unum habere *aptius* memorat. At sancte testari possum, ex Nostris Graevianum, Regionensem, Regiae Societatis, Petrensem, Bodleianum clare & sine litura APTIUS exhibere: neque aliter a prima manu Magdalenensem; & pro varia lectione Battelianum & Colbertinum. Quid ergo? an credibile est, ceteros Interpretes in nullis libris lectionem hanc reperisse; cum constet plane ex nostris, qui e variis regionibus huc in Angliam allati sunt, dimidiam fere librorum partem ei patrocinari. Sed sollemne est iis hominibus, quod non probent aut non intelligant, dissimulare ac supprimere. Nos totum locum, qui sane impeditissimus est, evolvere & emendare conabimur.

Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!

in quo illud, *timuitque mortem,* jure opinor redarguemus. Quid enim? minor certe culpa est *timere mortem,* quam, ea quae praecesserant, abjecisse arma, dedidisse se hostibus, & paratas ad lora manus praebuisse. *Timet* quidem *mortem* etiam fortissimus quisque: atque ita ipsa natura comparati omnes sumus. Is demum vir est, non qui omnino mortem non timet, sed qui minus, quam turpem vitam & salutem flagitio quaesitam. Noster alibi Carm. IV, 9.

Pejusque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire.

Ergo praeter decorum minuit vim orationis, cum post caetera pudenda illud addit ut gravissimum, *Timuitque mortem.* Deinde quid sibi vult, HIC? *Hic unde vitam sumeret inscius.* Respondebunt, opinor, *Hic miles.* Atqui hoc coactum est plane, & Horatio indignum. Non enim de uno milite, sed de multis agitur, ut supra. *Et arma* militibus *sine caede, dixit, Derepta vidi.* Postea vero, cum in orationis cursu ait,

Digitized by Google

air, *erit* ILLE *fortis, qui perfidis se dedidit hostibus*: si de *illo* homine vocabulum *hic* intelligi velis. dicendum utique fuerit,

Ille, *unde vitam sumeret inscius.*

Atque hanc, opinor, ob caussam non jam pronomen esse, *Hic*, sed adverbium, etsi quantumvis inepte, credidit Scholiastes Acron. HIC, ait, *id est, in bello.* Quid multa? levi mutatione sententiae subveniet, qui sic legerit, & distinxerit,

Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem
HINC, *unde vitam sumeret* APTIUS;
Pacem ET *duello miscuit.*

Hinc timuit mortem, *unde* aptius vitam sumeret. Ut alibi Carm. III, 11.

Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, *detur.*

hinc, id est, a pugna, ferro, manu: *unde* viri fortes aptius vitam quaerunt, quam deditione aut fuga. Homerus Iliad. O, 741.

Τῷ οὐ χερσὶ φίλῃς, ἀ μειλιχίῃ πολέμοιο.

Salust. Jugurth. 39. *Ante omnes infesti ac maxime, qui bello saepe praeclari fuerunt; quod armatus*, dedecore *potius, quam* manu, salutem quaesierit. Paterculus I, 2. *Quis enim* (Codrum) *non miretur, qui iis artibus* mortem quaesierit, *quibus ab ignavis* vita quaeri *solet.* Deinde addidimus ET: *pacem* & *duello*: facile enim a Librariis id omissum, ubi sine versus dispendio fieri potuit; ut supra in hoc ipso carmine,

Anciliorum, nominis, & togae:

pro *& nominis.*

v. 38. O PUDOR] Notandum illud, *O pudor*; hinc enim defendi debet recepta lectio apud Ovidium Epist. Deianirae vers. 111, de Hercule, cum apud Omphalam desidêret, & leonina pelle illam indueret:

O pudor! *hirsuti* costis *exuta leonis,*
Aspera texerunt vellera molle latus.

ubi perperam praestantissimus Heinsius ex paucis codicibus reposuit *Pro pudor!* deinde multo infelicius *costas* edidit ex unico libro; *elegantis*, ut ait, *Graecismo.* Dolet virum insignem alibi hic mentem habuisse. Certe cum Virgilius dixit Aen. IV. 517.

Unum exuta pedem *vinclis*,

exuta pedem *suum* subintelligimus; atque ita in omnibus ubicumque Graecismi hujus exemplis. Potesne igitur dicere, *vellera exuta costas suas?* an vellera costas habent? Sed hoc obiter. Valerius Flaccus VIII, 269. *nobis*,

O pudor, & muros & stantia tecta reliquit.

Ita edidit & ipse Heinsius: neque variant codices.

v. 43. A SE REMOVISSE.] *A se* habent recentiores & codices & editiones. At Veneta princeps, & membranae meliores, Graevianae, Leidenses, Reginenses, Zulichemianae, Batteliana cum aliis nostris; crede & multis aliorum; AB SE. Recte.

v. 51. DIMOVIT OBSTANTES PROPINQUOS] Lascherus edidit, obstantes *amicos*; & sic sane libri nostri Graevianus, Reginenses, cum quattuor aliis. Atqui hoc versu abhinc quarto praecesserat, *Interque maerentes amicos.* Recte *propinquos*, ut editio Veneta cum bona parte membranarum. Cicero de Officiis I, 13, quem locum Horatius ante oculos videtur habuisse. *Primum, ut venit* (Regulus) *captivos reddendos non esse in Senatu censuit: deinde, cum retineretur* ab amicis & propinquis, *ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere.* Idem de Amicitia c. 12. *Hunc etiam* (T. Gracchum) *post mortem secuti* amici & propinqui, *quid in P Scipionem effecerunt, sine lacrimis non queo dicere.* Quintilianus Decl. VI. *Pessime de tua feritate sentirem, si in quacumque filii curatione non adhiberes* propinquos, *non interrogares* amicos. Ita alibi haud semel ea verba sic junguntur.

CARMEN VI.

v. 10. NON AUSPICATOS CONTUDIT IMPETUS NOSTROS] Scabrum profecto hoc est, *inauspicatos impetus nostros*, & pedestri orationi, quam carmini, similius. Vix crediderim ab Horatio profectum esse. In Prisciano p. 891. ubi hunc versiculum adducit, sic hodie legitur,

Inauspicatos contudit impetus Nostris.

Sed in duobus, quos versavi, codicibus ibi quoque *Nostros* habetur: in tertio tamen, eoque vetustissimo & optimo, *Nostris*, & supra emendatum *Nostros*. Imo vero rectissime habet *Nostris*, casu dativo, ut Serm. II, 7.

postquam illi *justa cheragra*
Contudit *articulos.*

Nostris autem hoc est, *Romanis*; ut passim Historici Latini, ubi de Suis loquuntur. Hirtius Bello Gallico VIII, 10. *Quae res etsi mediocre detrimentum* Nostris *afferebat.* & 12. Nostri, *explorato hostium consilio, ad proeliandum animo atque armis parati.* Poteris etiam legere

NOSTRO-

Digitized by Google

NOSTRORUM; idque fortasse melius:

Non auspicatos contudit impetus
Nostrorum, & *adjecisse praedam.*

Impetus nostrorum; ut iisdem verbis Caesar Bello Civili II, 25. *Neque vero primum* impetum nostrorum *Numidae ferre potuerunt*: & ibidem 41. *Numidae integri celeritate* impetum nostrorum *effugiebant*. Et III, 51. *Neque vero conspectum aut* impetum nostrorum *tulerunt*. Sic & alibi ipse aliique. Certe hac correctione & verbis & sententiae novus nitor accedit.

V. 20. IN PATRIAM POPULUMQUE FLUXIT] Ita quidem codices ad unum omnes: numquam tamen a me impetrabunt, ut huic lectioni calculum apponam. Quid enim? Ex adulteriis, inquit, tamquam ex fonte, derivata clades in *patriam populumque* fluxit. Quid vero aliud est *patria*, quam *populus*? nisi forte in *patriam terram* & *solum* perditissimi illi mores fluxerint. Non adeo jejunus rerum, aut judicii vacuus erat Noster, ut otiosum illud Synonymum, quasi diversum quid, ingereret. Vix dubito, quin sic scripserit Horatius,

Hoc fonte derivata clades
INQUE PATRES *populumque fluxit:*

in *patres & populum*, hoc est, in universos cives Romanos, tam patricios & Senatores, quam plebem. Ea sollemnis formula est apud omne genus Scriptorum, quos hic pleno modio accumulabimus, ut audaciam hujus conjecturae numero ipso densisq; phalangibus sustentemus.

Virgil. Aen. IV, 682. [tresque
Extinxti me teque, soror, populumque patresque
Sidonios, urbemque tuam.
IX, 492.
Aeneam acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt. Georg. II, 509.
hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque
Corripuit. Aen. VIII, 679.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum patribus populoque, *penatibus & magnis dis.*

Ovidius Metam. XV. [patresque,
Extinctum Latineque nurus, populusque
Deflevere Numam.

Martialis VII, 5.
Si desiderium, Caesar, populique patrumq;
Respicis, & Latiae gaudia vera togae.
VIII, 50. [treique.
Vescitur omnis eques tecum populusque patresque
IX, 49. [*casti.*
At tu continuo populumque patresque *vocasti.*
XII, 3.
Ille dabit populo patribusque *equitique legendum.*

Statius Silv. I, 4.
Quis mihi tot coetus inter populi patrumq;
Sit curae votique locus?
II, 5. *quod te maesti* populusque patresque
Ingemuere mori.
Theb. II, 443. *pudet heu* plebisque patrumque

Silius Italicus lib. X.
Quod vero reduci tum se populusq; patresq;
Offerrent. & XI.
Et senior manus & juxta populusque patresque.

Ausonius in Mosella, 409. [patresque
Quique caput rerum Romam, populumque
Tantum non primo rexit sub nomine.

Prudentius contra Symmachum II, 310.
cum scita patrum populique *frequenter*
In tabulis placiti sententia flexa novarit.

Lucilius apud Lactantium Div. Instit. V, 9.
Totus item pariterque dies, populusque patresque [*quam.*
*Factare induforo se omnes, decedere nusCicero de Divinat. I, 12. ex II lib. de suo Consulatu, *si solis ad ortum*
Conversa, inde patrum *sedes* populique *videret.*

& mox ibidem, [*tebat.*
Voeibus Allobrogum patribus populoque *pa-*

Sidonius Apollinaris Epist. IX, 16.
Qui patrum ac plebis *simul unus olim*
Iura gubernas.

Claudian. Stilich. II, 116.
quos praeficit ipse regendis
Rebus, ad arbitrium plebis patrumq; *reducit*

idem IV Cons. Honor. 332.
Acrior interea visendi principis ardor
Accendit cum plebe patres.

idem Bello Gildonico, 46.
Armato quondam populo patriisque vigebam Consiliis.

Ita edidit vir longe acutissimus Nicolaus Heinsius, cui Claudianus nitorem suum restitutum debet. Sed quid hic, obsecro, est *patriis consiliis*? Sunt verba deae Romae, ex prosopopoeia. Jam autem *patriis consiliis* est *patris mei consiliis*; neque alio sensu ea verba umquam accipi queunt. Ergo hic inepta & aliena sunt: neque enim Roma patre quoquam nata est. Figurate quidem *urbis parens* Romulus dictus est: sed non hic Romuli *consilia* aut *casam* intelligit, cum dicit verbis proxime sequentibus,

domui terras, urbesque revinxi
O *Legibus,*

Digitized by Google

Legibus, ad ſolem victrix utrumque cucurri. Ipſo Heinſio teſte, longe plures codices, nempe ex triginta omnibus ſeptem & viginti, *patrum* habent non *patriis*; & omnes, uno excepto, *armatis populis* non *armato populo*; porro & duo optimi, *conciliis*, non *conſiliis*: Lego igitur, unica duntaxat litera ſepoſita, [*bam*

Armatis quondam populi patrumque *vige-*
Conciliis:

certiſſima emendatione; *armatis conciliis populi patrumque*; ut mox verſu 53. *bellatoremque Senatum*, & 97. *Ille dius miles populus.* Valerius Flaccus VIII, 281.

patriae veniam da quaeſo ſenectae:
Quin omnes alti pariter populique patreſque
Mecum adſunt.

ubi idem Heinſius ex conjectura *alto* i. e. *mari*. Ego vero ſic legerim:

Quin omnes alii, *pariter* populuſq; patreſq;. hoc eſt, *excuſa modo patris abſentiam; alii omnes mecum adſunt.* Cicero de Legibus III, 4. *Cum* populo patribuſque *agendi jus eſto Conſuli.* Tacitus Annal. IV, 2. *Apud* patres & populum *celebraret.* XIII, 17. *Fovendum* patribus populoque *principem.* Livius I, 26. *Atrox viſum id facinus* patribus plebique. I, 40. *Apud* patres plebemque *longe maximo in honore Servius Tullius erat.* Sed jam ſatis ſuperque exemplorum eſt: quare finem hic faciemus, ne omnia cum ipſo pulviſculo corradere videamur. Id vero ingenuitatis eſt noſtrae, ut locum unum & item alterum non praetereamus, quae receptae apud Noſtrum lectioni primae fronte patrocinantur. Prior apud Ovidium eſt Metam. XV, 572. ubi Cipus loquitur civis Romanus;

Quicquid, ait, Superi, monſtro portenditur iſto, [*Quirini;*
Seu laetum eſt. patriae *laetum* populoque
Sive minax, mihi ſit.

Quid nunc fiet? nonne magno conatu nihil egimus? Ecce enim tibi, plane ut apud Noſtrum; *patriae populoque.* Ego vero & hic corrigendum eſſe contendo, [Quirini,

Seu laetum eſt, patribus *laetum* populoque

hoc eſt, ut in Monumentis veteribus ſollemne habetur, *Id felix fauſtumque ſit Senatui Populoque Romano.* Quod & ipſe Cipus mox firmat, verſu 590. [*que* ſenatum

Dixit, & extemplo populumque *gravem-*
Convocat:

& Ovidius alibi totidem verbis, Faſt. I, 69.

Dexter ades, patribuſque *tuis* populoque
Quirini.

Jam hoc telum, feliciter evitavimus: poſterior locus extat apud Juvenalem XIV, 71.

Gratum eſt quod patriae *civem populoque*
dediſti:
Si facis ut patriae *ſit idoneus, utilis agris,*
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.

Vah, quam inficeta & inconcinna repetitio eſt, *patriae, patriae.* Quin & hic etiam, tot teſtibus & auctoribus freti, fidenter reponimus,

Gratum eſt, quod patribus *civem* populoque
dediſti:
Si facis ut patriae *ſit idoneus.*

Quod ſi demus in Ovidio & Juvenale recte ſe habere *Patriae*: nihilo minus in hoc Horatii loco vitioſum fuerit. Quippe *Patria* nomen reciprocum eſt, retroque ſemper ad praecedens verbum reſpicit, & ubique pronomen aliquod *mea, tua, ſua* &c. extrinſecus ſubaudiendum habet. Hoc veriſſimum eſſe, qui Latine ſciunt, agnoſcent. Ergo *clades fluxit in patriam ſuam*, ſive *ipſius cladis patriam*: quo nihil abſurdius fingi poteſt. Sed nondum tamen rem totam confecimus: ecce enim vir ſummus Jo: Frid: Gronovius ad Livium XXV, 6. & in Indice, remante nobis inauditam docet; nempe *Patriam* ſignificare *Magiſtratum & Senatum*: ut ipſi Senatores *Patres* vocantur. Quod ſi verum & certum probaverit, fruſtra ſane nos hunc Flacci locum ſollicitamus; quippe hoc pacto

In patriam populumque fluxit,

perinde erit, ac ſi dixiſſet, *In ſenatum populumque*: quod ipſum illud eſt, quo nos emendatione noſtra pervenire conamur. Sed videamus locum Livii: ubi milites, Cannenſis cladis reliquiae, in Siciliam ſenatuſconſulto relegati, Marcellum Conſ. alloquuntur; *Niſi hoc*, aiunt, *ſperaſſemus, in provinciam nos morte regum turbatam ad grave bellum adverſus Siculos ſimul Poenoſque mitti, & ſanguine noſtro* vulneribuſque nos patriae *ſatisfacturos eſſe.* Ubi *patriae* Gronovius interpretatur *Senatui*; (de quo mox dicemus) & teſtimonio citat alterum Livii locum, V, 4. ex oratione Appii Claudii: *Invitus in hac parte orationis, Quirites, morer: ſic enim agere debent, qui* mercenario *milite utuntur: at nos tamquam cum* civibus *agere volumus; agique tamquam* cum patria *nobiſcum aequum cenſemus. Cum patria*, hoc eſt, *cum ſenatu.* Sed, quod viri acutiſſimi pace dictum ſit, nihil tale ex his verbis excudi poteſt. Nam primo, non in Senatu, ſed in concione ad plebem haec loquitur Appius: *deinde opponit mercenarium* ſive extraneum militem domeſtico militi & *civi*, qui pro *patria* ſua & Republica

Digitized by Google

lica ad bellum mittitur. Ergo *Patria* tam hic, quam alibi, eſt *civitas, ſedes natalis.* Pergit vir ſagaciſſimus & Tacitum allegat Annal. IV, 8. *Erepto Druſo preces ad vos converto, diiſque & patria coram obteſtor. Auguſti pronepotes ſuſcipite, regite.* Etiam hic *coram patria* vult eſſe *coram Senatu.* Fruſtra: nam Tiberii verba ſunt in Senatu, & ad Senatum: & idcirco, ſi *patria* hic eſt *ſenatus,* perinde foret ac ſi diceret, *Obteſtor vos coram vobis.* Quod cum ineptum inſulſumque ſit, etiam hic, ut ubique alias, *patria* eſt *Reſpublica & civitas.* Sed revertamur jam ad priorem Livii locum XXV, 6. *Niſi ſperaſſemus, ſanguine noſtro vulneribuſque* nos patriae *ſatisfacturos eſſe.* Ubi verba illa *nos patriae* ſola Gronovii conjectura nituntur, utcumque in contextum temere recepta. Nam ipſo teſtante, Codices Manuſcripti pro *nos patriae* habent *noſtratui.* Ergo omnes Gronovii copiae, quibus efficere voluit *patriam* eſſe *ſenatum,* jam ad nihilum redactae ſunt. Quin ſi conjecturam ſuam viro in hiſce rebus felici concedimus; nihil tamen cogit, ut *patria* ibi notet *ſenatum.* Quidni enim *patriae ſatisfacturos* ſit idem ac *reipublicae*? Ut Cicero alicubi in Philippicis: *C. Panſa aut* morte *ſua aut victoria ſe* ſatisfacturum reipublicae *ſpopondit.* Quid, quod Gronovius Filius, aliam emendationis viam tentat; neque *nos patriae*, ſed *nos reatui ſatisfacturos* pro ſolita ita *σολοικία vere*, ut ait, *reſtituit.* Haud vidi magis. Quintilian. Inſtit. VIII, 3. *Nam & quae vetera verba nunc ſunt, fuerunt olim nova: & quaedam uſu perquam recentia; ut Meſſalla primus* reatum, *munerarium Auguſtus primus dixerunt.* Meſſalla iſte & Livius eodem anno nati ſunt, ut in Chronico Hieronymus. Ut proinde merito dubitandum ſit, an verbum illud procuderit Meſſalla, priuſquam haec ſcripſerit Livius. Sed eſto: ut prius procuderit. Illud non dubitandum, reconti tum & muſteo, dubiaeque adhuc auctoritatis vocabulo non uſurum fuiſſe in Hiſtoriis Livium. Sed quid, obſecro, eſt Reatus? an culpam, *crimen, commiſſum* voluit Meſſalla, ut Jacobus hic interpretatur? minime gentium. *Reatus*, ut eruditis notum, erat ſtatus & conditio reorum & ſordidatorum, dum judicium in longum procedit; ut *caelibatus*, conditio caelibis & ſimilia. Reatus pro crimine, peccato, eſt barbarorum. Enimvero, etſi ſatis arrideat Gronovii Patris conjectura, ſed alio, quam is voluit, ſenſu; leviore tamen manu ſanari poteſt locus hunc in modum: *Niſi ſperaſſemus, ſanguine noſtro vulneribuſque* nos ſenatui *ſatisfacturos eſſe.* Quippe ſenatuſconſulto, non plebis ſcito in Siciliam relegati erant. Dixerant ii milites paullo ante, *Quum primum de nobis, etſi non iniquum, certe triſte* Senatus conſultum *factum eſt.* Ex compendio ſcriptionis pro *Nos ſenatui* factum eſt *Noſtratui.* Sed jam manum de tabula: quippe & nos, niſi fallimur, emendationi huic noſtrae cumulate ſatisfecimus.

v. 22. FINGITUR ARTIBUS] Mire variant hic codices ſcripti; alii enim *Fingitur artubus*, alii *frangitur artubus*, alii *fingitur artibus* habent. Quae omnes lectiones prima fronte ſatis ſpecioſae ſunt, ſuoſque patronos ſingulae ſunt nactae: ut ſubtilis judicii ſit, quae melior veriorque ſit, & ab Horatii manu fluxerit, dignoſcere.

Motus doceri gaudet Ionicos,
Matura virgo & FINGITUR ARTUBUS;

Hoc ſecuti ſunt Scholiaſtae, editiones veteres, & codicum pars major, mei certe quam plurimi; & defendi poſſe videtur aliorum Scriptorum exemplis. Fingere artus, ut fingere *corpora, membra, ora*, &c. Virgil. Aen. VIII, 634.

Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Claudian. Rufin. I, 97. *linguiſque triſulcis*
Mollia lambentes finxerunt ora *ceraſtae:*

ſive ut alii ibi codices, *Membra.* Sed illud obſtat (ut animadvertit quoque Lambinus) quod hoc ſenſu *fingitur artus* Graeca conſtructione dicendum foret, non *fingitur artubus.* Nam ablativus hic caſus non poteſt materiem notare, ſed inſtrumentum. Ut in locis Virgilii & Claudiani jam allatis, *fingere linguâ*; & Perſii Sat. III, 24.

nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus *ſine fine* rota.

Ut ergo aliud eſt, *fingitur lingua*, lambendo ſcilicet & tergendo; aliud *fingitur linguam*, nempe ad loquelam & orationis cultum: ita *fingitur artus* quid ibi velit intelligo; *fingitur artubus* tamquam inſtrumento, ne Oedipus, quid ſit, deprehenderit. Itaque melius fortaſſe legeris FRANGITUR ARTUBUS, cum uno Torrentii codice, Pulmanni altero, & pluribus Lambini. Sane hanc lectionem ſolam tuetur & probat magnus Heinſius ad Claudian. Eutrop. I, 262, miraturque verbi hujus elegantiam interpretibus non intellectam: *frangitur artubus*; ut Petronius, *fracti greſſus*; Prudentius, *fracta membra.* Addidiſſe potuit & Ciceronis illud de Finibus, V, 12. *Flexi* fractique motus, *quales protervorum hominum aut mollium eſſe ſolent.* & Sidonii Epiſt. IX, 13.

Juvat & vago rotatu

Digitized by Google

Dare fracta membra *ludo,*
Simulare vel trementes
Pede, veste, voce, Bacchas:

& plura loca similia. Sed & haec lectio eodem, quo prior illa, vitio laborat. Quippe *frangitur artus*, non *artubus*, dictum oportuit; ut Noster alibi Serm. I. 1.

Miles ait, multo jam fractus membra labore:

nam ablativus, ut ibi *re labore*, caussam & instrumentum designaret. Restat igitur, ut FINGITUR ARTIBUS, quod duo Codices Cruquii, Pulmanni tres, Lambini aliquot, & duo ex nostris subministrant, quo se pretio commendet videamus. Et meo quidem judicio nihil melius, elegantius, venustius dici potuit;

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artibus:

artibus fingitur ad saltationem, gestum, motum, cultumque corporis, ut adulteris placere possit. *Artibus*, ut Noster Carm. IV, 13. de meretrice,

Felix post Cinaram, notaque & artium
Gratarum facies.

ubi eleganter Scholiastes Blandinii Codicis apud Petrum Nannium Miscellan. III. 17. *Quae motu oculorum, superciliorum, cervicis placet.* Ovid. Amor. II, 10.

Utraque formosa est: operosae cultibus ambae:
Artibus *in dubio est haec sit, an illa, prior.*

& ibid. II, 4.

Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte latus.

Propertius I, 4.

Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat:
Ingenuus color, & multis decus artibus.

Seneca Epist. XC, *Itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinae, hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus* DOCENTIUM, *mollesque cantus & infractos.* Ita Noster hic, *Doceri motus Ionicos*, quod *artis* est. Recte vero *fingitur* artibus; ut Gratius V. 512.

sed tamen illi
Est animus, fingitque *meas se jussus in* artes.

Servius ad Virg. Aen. VIII. 534. Fingere *significat, formare aliquid, & ad integram faciem* arte *perducere.* Ovid. Remed. Amor. 341.

Proderit & subito, cum se non finxerit *ulli,*
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.

& Metam. IV, 319. [*mictus,*
Quam se composuit, quam circumspexit a-
Et finxit *vultum, & meruit formosa videri.*

Virgil. Aen. VI, 81.

tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domas, fingitque *premendo.*

Varius apud Macrobium Saturn. VI, 2.

Quem non ille finit lentae moderator habenae
Qua velit ire; sed angusto prius ore coërcens,
Insultare docet campis, fingitque *morando.*

ubi pro *ore* certissime legendum *orbe*: de equo loquitur, quem ad gressus instituit magister.

v. 23. JAM NUNC ET INCESTOS.] Mala distinctio hic obtinuit in plerisque editionibus;

fingitur artibus
Jam nunc; & incestos amores
De tenero meditatur ungui.

Imo vero, *Jam nunc de tenero ungui:* ut Noster Epist. II, 1, v. 127.

Os tenerum *pueri balbumque poëta figurat,*
Torquet ab obscaenis jam nunc *sermonibus aurem.*

Sed cum de praeterito tempore, ut hic, loquuntur; usitatius dicunt *Jam tunc.* Cicero Epist. Fam. III. 12. *Nisi* jam tunc *omnia negotia confecissem.* Virgil. Georg. IV, 137.

Ille comam mollis jam tum *tendebat acanthi.*

Aen. VII, 737. *late* jam tum *ditione premebat*
Sarrastis populos. Sed hic reclamant MSti.

v. 27. CUI DONET IMPERMISSA.] Pulmanni codex & Galeanus noster, INTERMISSA; alter Pulmanni, & Achillis Statii liber, IMPROVISA. Sed recte habet priscarum editionum & pluriumcodicum lectio, *inpermissa gaudia*; etsi nemo veterum, quod meminerim, hanc vocem usurpaverit. *Impermissa*, hoc est, *inconcessa, interdicta.* Virgil. Aen. I, 651.

Pergama cum peteret, inconcessosque *Hymenaeos.*

Ovid. Metam. X, 154. inconcessique *puellas*
Ignibus attonitas meruisse libidine paenam.

IX, 637. [*fatetur*
Famque palam est demens, inconcessamque
Spem Veneris.

& Amor. III, 4.

Indignere licet: juvat inconcessa *voluptas.*

Noster Serm. III, 4. [*uti*
Ne sequerer moechas, concessa *cum venere*
Possem. & I, 2.
Si interdicta *petes, vallo circumdata.*

Ovid. Metam. X. 336.

Spes interdictae *discedite: dignus amari*
Ille, sed ut pater, est.

v. 36. HANNIBALEMQUE DIRUM.] Torrentii quidam, & Pulmanni codices, & ex nostris Vigornienſis, DURUM, neque aliter Lotscherus edidit, ut Carm. II, 12. *Nec durum Hannibalem;* ubi similiter codices aliquot, & Editiones pleraeque

Digitized by Google

pleraeque *Dirum*. Nos, ut eo loco *durum* cum majore membranarum parte probavimus: ita hic magis arridet *dirum*, quod codices plurimi repraesentant. Quintilianus Instit. VIII, 2. *At illud jam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo solet, ut proprie dictum id sit, quo nihil inveniri possit significantius: ut Cato dixit*, C. Caesarem ad evertendam Remp. sobrium accessisse; *ut Virgilius*, Deductum carmen; *& Horatius*, Acrem tibiam, Hannibalemque dirum.

CARMEN VII.

v. 4. CONSTANTIS JUVENEM FIDE] Editiones principes, Veneta & Loscheri,

Constanti *juvenem* fide.

at membranae omnes ubicumque, *Constantis*; & plurimae *fidei*; nostrae certe omnes; nisi quod Zulichemianae *fidi*. Recte vero Lambini aliquot, & Cruquii unus *fide*, casu genitivo, more illius aevi. De quo vide A. Gellium IX, 14, Priscianum fine libri VII, Vossium de Analogia p. 770. Non placet hic ablativus, *constanti fide*; tum quod omnes codices refragentur, tum quod *constante* Noster, non *constanti*, dicere voluisset; ut supra ostendi ad Carm. I, 25. v. 17.

v. 20. FALLAX HISTORIAS MOVET] Codices tres apud Torrentium, & ex nostris Bodleianus, MOVET, non *monet*. Utrumque recte. Ovidius Art. III, 651.

Quid juvat ambages praeceptaque parva monere?

Illud tamen magis placet, ut figuratius & πεπλασμένως, *Historias movet*; ut Virgilius bis,

Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete.

Et Aen. 160. [*mordet*

Hic tibi (fabor enim quando haec te cura remordet) Longius & volvens fatorum arcana movebo.

Ovid. Metam. XIV, 20.

At tu, sive aliquid regni est in carmine, carmen Ore move *sacro*. & Fast. III. 11.

Ilia vestalis (quid enim vetat inde moveri) *Sacra lavaturas mane petebat aquas:*

inde moveri, id est, inde initium *narrationis* sumi. Ita Livius, *Mentionem movere, mentionem agitare*. Cicero in Oratore c. 12. *Primisque ab his* (Herodoto & Thucydide) *ut ait Theophrastus*, historia commota est, *ut auderet uberius, quam superiores, & ornatius dicere*.

Porro illud FALLAX non levis mihi suspicio est ex interpretatione in versum irrepsisse, pro PELLAX; quod altero non paullo aptius & significantius est. Virgil. Aen. II, 90.

invidia postquam pellacis *Ulixei*:

ubi Servius: *Pellacis, per blanditias decipientis: Pellicere enim est per blanditias illicere*. Multi tamen codices apud Pierium *fallacis* ibi habent. Hieronymus Praefat. in VI comment. Ezech. *Qui nostra simulantes genetricis antiquae & pellacis Ulixei venena non deserunt*. Lucretius.

Subdola cum videt placidi pellacia *ponti*.

Virgil. Georg. IV. 443.

Verum ubi nulla fugam reperit pellacia:

ubi plures ex Scriptis *fallacia*: adeo proclive erat Librariis vocabulum illud corrumpere. Glossae Graecolatinae: Επαγωγός. *pellax, illex*. Martianus Capella lib. IV. *Circulatrix* pellacissima, *& metarum Marsicarum incola*. Arnobius lib. II, *Homo, qui sit aut unde sit anceps, varius, mobilis*, pellax, *multiplex, multiformis*. Et lib. V. *Quid pro cycnis & Satyris, quid pro aureis imbribus, in quos idem se* pellax (Juppiter) *fraude induit perfida, formarum varietatibus ludens*.

CARMEN VIII.

v. 5. DOCTE SERMONES UTRIUSQUE LINGUAE] Tam veteres editiones, quam omnes fere codices, & mei & aliorum, habent

Docte sermonis *utriusque linguae*.

atque ita Acron Manuscriptus in Bibliotheca Regiae Societatis: *Ordo est, Docte Sermonis utriusque, id est, Graecè & Latinè*. Sane in caesura, etiam syllaba brevis produci potest, ut Carm. I, 3.

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

& III, 16.

Quam si quicquid arat impiger Appulus:

Doctus autem *Sermonis*, casu genitivo, ut Statius Theb. II, 692.

ille haec praevíderat omnia, doctus Aëris, *& nulla deceptus in alite Maeon*.

& Noster ipse in Arte Poet. V. 380.

Indoctusque pilae, *discive, trochive quiescit*.

Sed eo minus placet haec lectio, quod vox alterutra, aut *sermonis*, aut *linguae*, redundans

Digitized by Google

plane & otiosa foret; cum satis sit dicere, vel *docte sermonis utriusque*, vel *Docte linguae utriusque*. Suetonius Claudio c. 42. *Cuidam barbaro Graece & Latine differenti, Cùm* utroque, *inquit*, sermone *nostro jis paratus*. Idem Illust. Gram. cap. 1. *Iidem & Poëtae & Oratores semigraeci erant: Livium & Ennium dico, quos* utraque lingua *domi forisque docuisse adnotum est*. Plinius Hist. XII, 1. *Et platanus una insignis* utriusque linguae *monumentis*. Plinius alter Epist. VII, 25. *Quam Graeca? quam Latina? nam tantum in* utraque lingua *valet*. Martialis X, 76.

Jucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua *doctus* utraque.

Apuleius Floridis, 18. *Et vox mea* utraque lingua *jam vestris auribus probe cognita*. Non sum nescius, extare alibi apud Nostrum Serm. I, 10.

at sermo lingua *concinnus* utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.

Unde suspicetur quis, eo exemplo posse dici *sermo linguae utriusque*. Sed aliud est. Certe sermo utraque lingua *concinnus*, sive compositus & commixtus tamquam *cinnus ambarum*, ut cum Cicerone loquar, recte dicitur. Poterit etiam dixisse, *sermo utroque sermone concinnus*: sed non ideo quisquam dixerit, *sermo sermonis utriusque*, neque itidem, *sermo linguae*. Quamobrem, si retinere libet *sermonis*, vide annon sic potius rescribendum fuerit,

Docte sermonis utriusque, CILNI:

ut C. *Cilnium Maecenatem* intelligamus. Mirum enim, & propemodum insolens videtur, ut sic aliquem compellet, *Docte sermonis utriusque linguae*, neque tamen quis ille demum sit, nisi octavo post versu certiores nos faciat,

Sume, Maecenas, *cyathos amici.*

Atque hoc pacto primum, *Cilni*, Nomine scilicet eum appellaverit; deinde Cognomine, *Maecenas*: plane ut in Carm. IV, 2. ad Iulum Antonium, primo sic infit,

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, *ceratis ope Daedalea*:

& postea versu 26.

Multa Dircaeum levat aura cycnum
Tendit, Antoni, *quoties in altos.*

Sed missis conjecturis, tutius satiusque est lectionem alteram sequi, quam duo Lambiniani, & Regiae Societatis codex subministrant,

Docte SERMONES *utriusque linguae*:

ut Carm. III, 9.

Dulces docta modos, *& citharae sciens.*

Atque hanc confirmat Donatus ad Terentii Eunuchum III, 2.

quae liberum
Scire aequum est adolescentem, sollertem dabo. utrum HAEC *solertem, ut Horatius, Docte sermones utriusque linguae: an assumendum est* HIS *extrinsecus?* Equidem in vetere Donati editione anno 1503, & nescio an in aliis, etiam hic reperias *Sermonis*. Sed inepte, & contra ipsius Donati propositum; qui ideo hoc citat, ut ostendat *sollertem* cum accusativo *quae* vel *haec quae* posse jungi, ut apud Horatium *Doctus* eundem casum recipit. Accedit huic & Consentius vetus Grammaticus, p. 2035. *Accusativum trahunt, sed figurate, doctus sermonem, exosus bella, praescius futura*. Neque enim dubites, quin ad hunc Nostri locum respexerit; pariter ut ad Virgilii illum Aen. XII, 517.

Et juvenem exosum *nequicquam* bella *Menoeten.*

Esto igitur vera lectio, *Docte sermones*: nunc de ipsa sententia videamus; quae, si omnes interpretes audis, nihil aliud erit quam hoc: *Tu, qui bene Graece Latineque loqueris, miraris, cur ego, cum caelebs sim, Martiis Calendis rem divinam faciam.* Ubi libenter doceri velim, quid ad *Martias Calendas* attineat, aut quomodo *admirationem* Maecenatis aut minuat aut augeat, quod utramque eum linguam bene callere dicit? Quod si nihil ad rem istam occasionemve pertineant ea verba, non video quin putide prorsus & ἀπροσδιονύσως hic ingerantur. Neque enim eximia quaedam Maecenatis laus erat Graece Latineque scire, cum Romae ea tempestate quiuis Senatoris Equitisve filius, imo & de plebe innumeri, libertini etiam & servi, Graece loquerentur. Enimvero aliud quid & majus hic significant *Sermones*, nempe *Libros, Tractatus, Historias*, ut apud Graecos ΛΟΓΟΙ. Xenophontis Οἰκονομικὸς λόγος &c. inde Oratores, Philosophi, Historici, Λογογράφοι appellati. Ita Horatius Satiras suas *Sermones* sive Λόγους inscripsit; & Carm. III, 21.

Non ille, quamquam Socraticis *madet*
Sermonibus, *te negliget horridus*:

id est, Σωκρατικοῖς λόγοις. Ergo hoc vult Horatius,

Docte sermones utriusque linguae, miraris.
Martiis caelebs quid agam Calendis: h. e. tu qui & Latinorum & Graecorum libros accurate legisti, qui utriusque gentis historias, ritus, sacra probe intelligis, jure miraris, cur ego caelebs Calendis Martiis sacra faciam; cum nihil aut in Graiorum aut in patriis monumentis

Digitized by Google

tis sit, quod festum illud ad caelibes quicquam pertinere, sed ad matronas duntaxat & maritos, significet. Scias itaque, me non publico instituto hodie, sed privatim rem divinam facere, quod hoc quondam die ab interitu ex ruina arboris deorum beneficio conservatus fuerim.

v. 15. VIGILES LUCERNAS. PERFER IN LUCEM] *Perfer* habent editiones veteres & plerneque ex recentioribus. Nicolaus Heinsius in ora codicis sui, Forte *Profer*: & sic Georg. Fabricius, i. e. ut volunt, *protrahe, produc*; ut Noster Carm. III, 21,

Te Liber & si laeta aderit Venus,
Vivaeque producent *lucernas,*
Dum rediens fugat astra Phoebus:

hoc est, producent, protrahent, extendent in lucem usque. Sane codices nostri Reginenses & Magdalenenses clare habent, PROFER; ceteri cum aliorum codicibus *Perfer*. Utrovis modo legeris; me lubente, facies. Tamen consulto potius voce *Perfer* hic usus videtur Horatius, ut ambigui culpam evitaret, quia notissimo loquendi genere *proferre in lucem* idem est ac palam facere, in medium, in apertum proferre: ut Noster ipse Epist. II, 2.

Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem *speciosa vocabula rerum.*

Cicero pro Archia c. 6. *Ut nihil possint ex his, neque ad communem afferre fructum, neque in adspectum* lucemque proferre. Ita alibi bis vel ter locutus est, & alii non semel. Quare melius, credo, cum multo majore parte Codicum legemus hic *Perfer*. Porro pro SOSPITIS versu praecedente, Graevianus noster & Colbertinus, *Hospitis*. Sed nihil mutandum. *Sospitis*, quia cadentis arboris ictum evaserat. *Centum*, inquit, *cyathos fume*, & totidem annos amico *sospiti* precare; ut Ovidius Fast. III, 531.

Sole tamen vinoque calent: annosque precantur, [*bibunt.*
Quot sumant cyathos, *ad numerumque*
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quae sit per calices facta Sibylla suos.

v. 18. OCCIDIT DACI COTISONIS AGMEN] Torrentius memorat multo plures & meliores ex suis habere *Cotisontis*: quod vix credibile est, cum mei ad unum omnes, & quantum intelligere datur, aliorum etiam, COTISONIS prae se ferant. Atque ita Suetonius in Augusto c. 63. *Primum eum Antonio filio suo despondisse Juliam, deinde* Cotisoni *Getarum regi*. Neque ibi in terminatione variant Membranae. Lucius Florus IV, 12. *Daci montibus inhaerent*, Cotisonis *regis imperio*. Frontinus Strateg. I, X, 4. *Scorylo dux Dacorum*, *cum sciret dissociatum armis civilibus populum Romanum* &c. ubi pro *Scorylo* reponendum fortasse *Cotiso*. Utcumque sit; ex eo quod *Scorylo* dixerit non *Scorylon* casu recto, satis apparet in obliquis non *ontis* more Graeco, sed *onis* inflectendum esse. Neque vero ulla causa erat Romanis, cur Dacum nomen enunciatione Graeca efferrent. Eruditissimus tamen Broukhusius ad Propert. IV, 10. *Cotisontis* hic malle videtur.

v. 19. MEDUS INFESTUS] Elegans est Nic. Heinsii conjectura, quam in margine exemplaris sui adnotaverat,

Medus INFESTIS *sibi* LUCTUOSUS
Dissidet armis:

Atque ita clare & sine ulla litura codex noster Galeanus; cui aliquatenus accedunt Regiae Societatis membranae, a prima manu *luctuosus* exhibentes. Propertius IV, 1.

Nec rudis infestis *miles radiabat in* armis.

Ovid. Epist. Oenones.

Tyndaris infestis *fugitiva reposcitur* armis.

Seneca Phoenissis, 560.

Quin tuae caussae nocet
Ipsum hoc, quod armis *vertis* infestis *solum.*

Livius I, 25. *Datur signum*, infestisque armis *concurrunt*. *Medus* autem *luctuosus*, ut Carm. III, 6.

Di multa neglecti dederunt
Hesperiae *mala* luctuosae.

Neque tamen ex toto damnari potest recepta lectio, quam & editiones, & praeter Galeanum codices omnes repraesentant,

Medus INFESTUS *sibi* LUCTUOSIS
Dissidet armis.

Nam *luctuosa arma* recte dicuntur, ut Vegetius IV, 12. *Mutuo utrinque periculo, sed majore oppugnantium sanguine, exercentur* luctuosa certamina. Ita Tacitus, *Luctuosum fecimus*, Cicero *luctuosum diem, perluctuosum funus*. Tum autem *infestus sibi*, erit sibi adversus, sibi inimicus, ob discordiam nempe civilem. Sed in altera lectione & verborum collocatio venustior est, & sonus syllabarum dulcior; ac non potest non iis placere, qui raras & eruditas aures habent.

v. 26. PARCE PRIVATUS] Nullus est omnium interpretum, quin ad hunc locum, veluti ad scopulum, naufragium fecerit. Praefectus Urbis tum erat Maecenas, cum Horatius haec scriberet; unde illud supra v. 17.

Mitte civiles super urbe curas, & III, 29.
Tu civitatem *quis deceat status*
Curas, & urbi sollicitus times.

Ergo

Digitized by Google

Ergo hic litigant & turbas concitant, quo ſenatu idem & *Praefectus Urbis* fuerit, & potuerit dici *Privatus*: ſiquidem iſta inter ſe opponuntur. *In fortuna*, ait Cicero, *quaeritur, ſervus ſit an liber, pecuniosus an tenuis, privatus an cum poteſtate.* Torrentius, hoc pacto ſe expedire conatus, quod, ut ait, Praefectura Urbis duntaxat Officium erat, non Magiſtratus, jamdudum vapulavit. Rutgerſius, T. Faber, Dacieriuſque hic ſubintelligunt, *tamquam, quaſi: Ita parce nimium cavere*, tamquam ſi *privatus* eſſes. Quod quam coactum, durum, & ſine exemplo ſit, nemo non videt: & merito Rutgerſius in repetita Editione notulam hanc ſpongia delevit. Sed emendatione rem conficere vult Daniel Heinſius, pro *Parce* ſubſtituens *Parte*; quod & diu ante eum fecerat Matthaeus Bonfinis, homo ineptiſſimus:

Negligens, ne qua populus laboret
Parte *privatus, nimium cavere.*

Sane PARTE habet codex noſter Battelianus, & pro varia lectione Colbertinus: ut ordo ſit, *ne qua parte laboret*: plane ut Noſter alibi Serm. I, 2.

Audire eſt operae pretium, procedere recte
Qui moechos non vultis, ut omni parte laborent.

& favet Acron, qui ſic locum enarrat, *Quia non timeret*, ne qua *Reſpublica* parte *laboraret*. Sed quid tandem illud erit, *Populus privatus?* ſunt *οἱ πολλοὶ*, inquit Heinſius. Vellem exemplum ejus locutionis vel unum addidiſſet. Sed nullum erat: imo vero *privatus* plane opponitur *populo*: tantum abeſt, ut ita conjungi poſſit. Cicero in Verrinis: *Quod privatus a populo petit, aut populus a privato, Senatus ex aliqua civitate, qui judicet, datur.* Sed eſto, ut *populus privatus* ſint *οἱ πολλοί*; tamen non procedit oratio; neque ſententiae quicquam eſt, quod palato non fatuo placere poſſit. Nos totum locum aperire, & ex tenebris his in apertam lucem proferre, paucis conabimur. Invitaverat Maecenatem Noſter, ut Martiis Calendis ſecum biberet. Hortatur autem, ut animo veniat hilari, & a curis publicis privatiſque expedito: *Mitte*, inquit, *civiles ſuper Urbe curas*: quid enim? nihil eſt, cur ſollicitus ſis: victi praelio ſunt *Daci*, *Medi* bellis civilibus occupati, ſubacti *Cantabri*, *Scythae* repreſſi, tuta ſunt omnia. Quocircà,

Neglegens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere:

hoc eſt, Cum jam *neglegens* ſis, *ſecurus* (ut bene Acron) *non timens* (ut Groſſae codicis Petrenſis) ne qua populus laboret; cum, rebus tam proſperis, non ſollicitus ſis ne res publica detrimenti quid capiat; parce *privatus* cavere nimium, noli de privatis tuis & domeſticis negotiis nimium providere, noli de re familiari nimium attentus atque anxius eſſe. Proinde animo puro & defaecato ad me veni; & tam *civiles* quam *domeſticas* curas vel domi relinque, vel abjice. Haec ſine dubio loci hujus ſententia eſt; neque verba ipſa difficultatis quicquam jam habent, ſi modo ſtili Horatiani genium agnoveris. *Neglegens*, pro *ſecurus, non timens*, nove & eleganter ponitur, ut ſupra Carm. I. 28.

Neglegis *immeritis nocituram*
Poſtmodo te natis fraudem committere! fors &
Debita jura viceſque ſuperbae
Te maneant ipſum.

in quo ſimiliter, ut hic, lapſi ſunt Interpretes. *Neglegis committere?* hoc eſt, *non times committere? ſecurus* audes committere hanc fraudem; quia non tibi, ſed poſteris duntaxat tuis nocitura eſt? at fortaſſe *tu ipſe* commiſſum hoc magno tuo exitio lues. Neque vero in voce *Privatus* jam quiſquam haerebit amplius. Quippe rem ſuam familiarem *privatus* curat etiam Magiſtratus, etiam ſi non Praefectus modo Urbis, ſed Orbis Princeps fuerit.

v. 27. DONA PRAESENTIS RAPE LAETUS HORAE] *Cape* habent Editiones principes Veneta & Loſcheri: atque ita multo major pars Codicum. Tamen aliquot habent *Rape*, ut ex Noſtris Graevianus, Battelianus, Bodleianus, & pro varia lectione Colbertinus. Atque hoc poſt Lambinum avide rapuerunt Interpretes; & ex eo alius poſt alium ad nauſeam uſque ingerunt Ciceronis illud ex Ennio, De Oratore III, 40.

vive, Ulixes; dum licet.

Oculis poſtremum lumen radiatum rape:

Non dixit cape, *non* pete: *haberet enim moram ſperantis diutius eſſe ſeſe victurum: ſed* rape. *Hoc verbum eſt ad id aptatum.* Quid tum? eſto, ut ibi Ennius efficacius dixerit *rape*, quam *cape*: an ideo ubicumque in aliis auctoribus *cape* occurrit, ſubſtituemus illico *rape*? Quin potius ex loci cujuſque indole & orationis filo ſtatuimus, hoc an illud magis aptum convenienſque ſit. Quemadmodum in his verbis,

Dona praeſentis cape *laetus horae*,

ex adjuncto illo *dona* perſpicue, ſi quid ſpimus, videmus retinendum hic eſſe *cape*; neque audiendos eſſe codices, qui *rape* ſupponunt. Quid enim opus eſt, obſecro vos, ut ea quae *donata*

ſunt

Digitized by Google

sunt, *rapere* velimus? Rapiamus, si fas est, negata aut fugientia: quae oblata praesto sunt, capiamus & sumamus. Nam ut noster ait Epist. I. 17.

Distat sumasne *pudenter*,
An rapias.

hoc est, multum interest, capiasne donatum, an non donatum rapias. Cicero de Legibus III, 4. Donum *ne* capiunto, *neve danto*. Virgil, Aen. III, 489, cape dona *extrema tuorum*. Corippus Africanus lib. I.

Rumpe moras, cape dona *dei*.

Caeterum, a fine hujus versiculi in omnibus meis Codicibus abest conjunctio ET vel AC; itaque a prioris fine, unde itidem abest in Regimenti nostro & editionibus, huc eam reduximus.

CARMEN IX.

v. 5. DONEC NON ALIA MAGIS] *Alia* editiones priscae, & plerique codices: sed ex nostris Leidensis, Reginensis, Galei, Bodleiani duo, ALIAM. ut Virgilius,

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

Et Gellius VII, 8. *Sed* pueros *forma liberali, naviculis forte aut in vadis litorum conspectos, miros & humanis modis* arserunt *delphini*. Tamen alibi Horatius, *Arsit virgine, Arsisse Bathyllo*. Non hilum interest. Sed, quandoquidem ex duobus non nisi alterutrum a poetae manu esse potest, verisimilius est vulgarem hanc, quam figuratam illam constructionem, Librariis deberi: & facilius erat literam M in illis codicibus a sequente absorberi, quam in his addi.

v. 10. ET CITHARAE SCIENS) A Prisciano p. 1177, sic citatur hic versus:

Me nunc Thressa Chloe regit
Dulces docta modos, & citharam sciens.

ubi *citharam* ineptum est; quippe esset, Sciens quid *citharа* sit. Potuit esse *citharâ*; ut Terentius dixit *Scire fidibus*. Sed cum addit Priscianus simile exemplum ex Homero, Πολέμων ἄδε ἰδυίης, quod extat Iliad. Δ. 310.

Ὡς ὀλέων ἄπτυνε πάλαι πολέμων ἐν ἰδυίῃς:

apparet apud ipsum Priscianum scriptum fuisse CITHARAE: ut Noster alibi I, XV. *Sthenelus sciens pugnae*. Ceterum Petrensis codex & Torrentiani duo cum editione Lascheri CRESSA; quod Fabricius ideo amplectitur, quia *Cretenses Musicae periti*: potuisset addere quia *Chloe* nomen Graecum est, non Thracium. Sed haec parvi momenti sunt; nam Libertinae, qualis haec Chloe, & nova nomina, dum ancillae erant, indebantur, & in Musicis aliisque artibus herili sumtu instituebantur. Certe *Cressa Chloe*, ob asperitatem consonantium durissime exit; & omnino, si nos legitimum sonum aure calemus, inverso potius ordine posuisset Noster,

Me nunc Cressa regit Chloe,
Dulces docta modos,

Quod cum nulli usquam codices exhibeant; melius est, ut *Thressa Chloe* sine controversia recipiamus. *Pro Thressa* autem Librarii veteres *Tressa* soliti sunt scribere, ut praeter Torrentianos aliquot Graevianus noster hic habet: unde facilis lapsus erat ad *Cressa*; praesertim cum in versus initio litera T omitteretur, postea minio describenda. Porro mira lectio est, quam veterrimi libri Leidensis, Colbertinus, & a prima manu Graevianus praeferunt,

Me nunc Thressa Chloe riget,

non *regit*: quam & sic enarrat Glossator Graevianus, *Riget, indurat me, ne te amem*; quo nihil absurdius fingi potest.

v. 14. FILIUS ORNITHI] Miror, unde malis avibus se in omnes fere editiones intulerit hic *Ornithus*; cui si nomen ἀπὸ τοῦ ὄρνιθος impositum sit (ut certe volebat ille, qui primus introduxit) tum syllabam mediam produci oportuit. Tu vero cum libris meis omnibus & Editione Veneta lege ORNITI vel rectius ORNYTI, ut Graecis Ὄρνυτος nomen est notissimum. Apollonius in Argon. II, 65.

Τῷ δ' αὖ Λερνίς τε καὶ Ὄρνυτος, ἠδὲ καὶ Ἥδεια.

Virgil. Aen. XI, 677, *procul* Ornytus *armis Ignotis, & equo venator Iapyge fertur*.

Val. Flaccus III. 173.

Nec tibi Thessalicos jam profuit, Ornyte, *reges*.

Statius Theb. XII, 143.

Squalidus ecce genas, & hianti vulnere pallens Ornytus.

Silius Italicus XIV.

Innatat ecce super transtris fumantibus asper Ornytos.

Calpurnius Eclog. I. bis, ter.

Ornite, *jam dudum velut ipso numine plenus*.

Digitized by Google

CARMEN. X.

v. 1. EXTREMUM TANAIM] Pro *Tanaim*, quod editiones omnes, occupavit, repone ex vetuſtiſſimis meis Leidenſi, Graeviano, Reginenſi, & aliis TANAIN, enunciatione Graeca.

v. 3. PORRECTUM ANTE FORES] Neſcio quo malo fato evenit, ut omnes, quotquot extant, Horatii codices tribus quattuorve locis PORRECTUM habeant PRO PROIECTUM: quod ſi in aliis auctoribus idem accidiſſet, jam diu eſt, cum vox *Projectum* extra Linguae Latinae pomoeria projiceretur. Tu vero hic repone, reclamantibus quantum queant & ſcriptis & editis,

me tamen aſperas
PROIECTUM *ante fores objicere incolis*
Plorares Aquilonibus:

Ovidius Amor. II, 19. de eadem re; & iiſdem pene verbis,

[poſtes
Et ſine me ante *tuas* projectum *in limine*
Longa pruinoſa frigora nocte pati.

Silius Ital. lib. I,

noctemque vigil ducebat in armis,
Interdum projectus humi, & lib. VII.
Qua ſuper inſtratos projectus gramine *campi*
Preſſerat ante toros. & lib. XV,
Stramine projectos *duro patiere ſub aſtris*
Inſomnes noctes, friguſque famemq; domabis.

Virgil. Aen. XI, 87.

Sternitur & toto projectus *corpore terrae.*

Statius Theb. I, 387.

hic artus imbri ventoque rigentes
Projicit, *ignotaeque acclinis poſtibus aulae*
Invitat tenues ad dura cubilia ſomnos.

& iterum V. 587. *viridi nam ceſpite terrae*
Projectum *temere, & patulo caelum ore trahentem.*

Vide quae dicemus ad Epod. X. v. 22.

v. 6. INTER PULCHRA SITUM TECTA] *Situm* habent Editiones principes Veneta & Loſcheri: unde in ſequentibus locum ſemel poſſeſſum tenuit. Memorant quidem Interpretes ſe in nonnullis codicibus SATUM, non *ſitum* reperiſſe: ſed ea vox, ut variae lectiones pro vario captu hominum ſua fata ſortiuntur, ſpreta & rejecta eſt. Ex noſtris Leidenſis veterrimus, Galei, Colbertinus, & a manu ſecunda Graevianus agnoſcunt *Satum*. Atque ita Acron editus & manuſcriptus, *Inter tecta* Satum *nemus viridarium dicit*. Porro hanc lectionē probat praeſtantiſſimus Nic. Heinſius in ora ſui exemplaris, ubi mittit nos ad Annotata ſua in Propert. IV, 4. verſ. 3. & in Silium Ital. X. 534, quae utinam, ut jam pollicitus eſt, maturaret in lucem edere vir celeberrimus Petrus Burmannus. Interea vicem Heinſii optime ſupplet diſertiſſimus Broukhuſius ad dictum Propertii locum,

Lucus *erat felix hederoſo* conſitus *antro*:

& ad I, 14 verſ. 5.

Et nemus omne ſatas *intendat vertice* ſilvas: ubi & *Satum* hic in Horatio defendit, & (poſt Torrentium & Marcilium) verba Senecae adducit ex Epiſt. 122. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in ſummis turribus* ſerunt, *quorum ſilvae in tectis domorum ac faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egiſſent*? Porro verſus Silii, quo mittit nos Heinſius, ſic habet:

At ferale decus, maeſtas *ad buſta cupreſſus*, ubi neſcio an codices MSti inter alias variationes *Satas* exhibeant. Verum id, cum prodibunt Heinſianae notae, videbimus. Interim non deſunt aliunde, quae ad evincendam hanc lectionem ſola ſufficiant. Varro de Re Ruſt: III, 5. *Extra eas columnas eſt* ſilva manu ſata, *grandibus arboribus tecta, ut infima perluceat, tota ſepta maceriis altis*. Alfenus in Digeſt. VIII, 5, 17. *Cum in domo Gaii Seii locus quidam aedibus Annii ita ſerviret, ut in eo loco poſitum habere jus Seio non eſſet, & Seius in eo* ſilvam ſeviſſet. Plinius Hiſt. XV. Sect. 20. *Colitur ficus arbor in foro ipſo: illic areſcit, rurſuſque cura ſacerdotum* ſeritur: —— *eadem fortuito* ſatu *vivit in medio foro:* —— *aeque fortuita eodem loco eſt vitis atque olea, umbrae gratia ſedulitate plebeia* ſatae. & ibid. Sect. 36. *Haud ſcio an prima omnium myrtus in locis publicis Romae* ſata, *fatidico quidem & memorabili augurio*, & Sect. 40. *Et quia* manu ſatarum *receptarumque in domos, laurus fulmine ſola non icitur*. Ex his clare conſtat, ſilvas, arbores, *inter tecta* & in domos vel loca urbis publica receptas, non *ſitas* duntaxat, quod omnibus ſilvis locisque convenit, ſed SATAS fuiſſe; & proinde hic legendum eſſe, *quo* nemus

Inter *pulchra* ſatum tecta *remugiat*.

v. 7. VENTIS ET POSITAS] Videamus totum locum:

Audis, quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulchra ſatum tecta remugiat
Ventis? & poſitas ut glaciet nives

Pur

Puro numine Juppiter?

ubi primo risum jocumque movet Tanaquillus Faber, vir caetera ingeniosus & doctus; qui velut somno repente excitus clamat, *Mendum turpe, turpe*, quo ventis. *Isthuccine vidisse neminem? lego*, Queis ventis. Sed bene est, quod errantem socerum in viam reduxit doctissimus Dacierius; nam *strepitu* hic bis accipiendum esse, *quo strepitu janua, quo strepitu nemus remugiat ventis*, ante Fabrum natum omnes, puerique patresque, viderunt. Illud & mihi, sed meliore omine, mirari liceat, *vidisse neminem* absurdum illud & ἀναπόλυθον, quod in hac sententia non latet, sed plane extat. Tu mecum ad calculum verba redige: *Audis*, quo strepitu janua & nemus remugiat? & *Audis*, ut Juppiter glaciet nives? Quid audio? an gelu & trigus auditu percipiuntur? Nemo quisquam mihi persuaserit, aut Horatium haec scripturum fuisse, aut amicos queis recitabat, tam facile condonaturos. Certe non adeo digna haec erant, quae *Jovis auribus servarentur*. Sed notior, opinor, est Horatii indoles, quam ut ipsum, & non Librarios potius, culpae hujus insimulemus. Quippe levissima mutatione, nempe unius literulae, quae & ipsa plerumque omittebatur, melius, nisi falior, procedet oratio, in hunc modum

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat?
SENTIS *& positas ut glaciet nives*
Puro numine Juppiter.

Sentis, ut ipse alibi in re non absimili Carm. III, 28.

Inclinare meridiem
Sentis *& veluti stet volucris dies,*
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.

Remugiat autem absolute, sine dativo *ventis*: ut Virgil. Aen. IX, 504.

Sequitur clamor, caelumque remugit.

XII, 928. [git

Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remu-
Mons circum.

Claudianus Eutrop. II, 162.

responsat Athos, Haemusque remugit.

idem Rapt. Proserp. I, 10. [git.

Auditur fremitus terris, templumque remu-

Prudentius Apotheos. 286.

Quicquid in aere cavo reboans tuba curva
remugit.

Neque vero opus erat, ut *ventis* hic inculcaret Noster; cum jam paullo ante *Aquilones* nominasset. Quid quod necesse est, stante hac lectione, ablativo casu efferri *ventis*; non ut vulgo creditum est, dativo: ut in illis Virgil. Aen. XII, 722. gemitu *nemus omne* remugit: Statii Theb. XII, 612.

alio si forte remugit Bellatore *nemus*:

Martiani Cap. lib. 5. *raucumque per aethram*
Cantus, & ignoto caelum clangore remugit.

Jam autem quam inconcinne & pene insulse geminetur hic ablativus, *remugiat ventis strepitu*, nemo est qui non videat. Equidem duo loca, neque plura, memini, ubi dubites, dativusne sit casus, an ablativus; ut Virgilii illud de Sibylla, Aen. VI, 99. [git:

Horrendas canit ambages, antroque remu-

& Statii Theb. XII, 271. de Cerere & Enceladо:

Illius insanis ululatibus *ipse* remugit
Enceladus, raptoque vias illuminat igni.

ubi esto, si ita vis, dativus; adeo ut *remugire* hic sit *contra mugire*: tamen vides, opinor, multum interesse; & tam apte & ex vero dativum hic poni, quam apud Horatium stulte & inepte. Quippe *Sibylla* & *Enceladus* clamorem ex se edere, & contra mugire possunt: *nemus* autem atque *janua* nullum suapte vi faciunt strepitum; sed totum, quantus quantus est, ventis acceptum referunt. Quod si, his ipsis pretis obstinate adhuc quisquam retinere velit *ventis*; is aliam viam insistere possit, & pro ET legere EN: atque idem, cum vetusto codice Fabricii, commodius tum leget, *Audi*:

AUDI, *quo strepitu janua, quo nemus*
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis! EN, *positas ut glaciet nives*
Puro numine Juppiter!

vv. 8. PURO NUMINE JUPPITER] Nondum ex salebroso hoc loco evasimus: quid enim sibi vult, *puro numine?*

positas ut glaciet nives
Puro numine Juppiter.

qua in lectione codices nostri omnes consentiunt. Et laborant quidem Interpretes, inque omnes partes se vertunt; nulla tamen certior est explicatio, quam quae olim a Porphyrione prolecta est, *puro numine*, hoc est sudo & sereno caelo: *nam*, ut ait, *post nivem positam in Aquilone vento serena tum esse solent praesertim in Italia frequenter.* Atqui non una de causa non placet haec enarratio. Etenim primo, *numen Jovis* sive aeris hic ponitur, tamquam *causa* gelationis: ergo tale epitheton addi debuit, quale *causam* illam intenderet & promoveret, ut *frigidum*, *vehemens*, *acre*, *acutum*:

Digitized by Google

tum: jam autem *purum* otioſe hic ingeritur; neque enim puritas aëris, etſi gelum plerumque comitetur aut ſequatur, ulla ex parte gelationem efficit. Deinde *purum* illud non parum officit ſententiae, & conſilio poëtae. Tetra enim & pruinoſa illa nox verbis exaggeranda erat, ut Lyce citius miſereſceret amatoris ſub dio ante limen morantis. At *puro* & ſudo caelo ad fores excubare non adeo miſerum erat, quam foedo & ſordido. Male oravit igitur cauſſam ſuam, ſi *puro* hic praeter ſententiam addidit. Equidem, ut haec incommoda eviteutur, ſic potius ab Horatio ſcriptum eſſe crediderim:

Sentis & poſitas ut glaciet nives
Puro *numine Juppiter.*

D in P propter ſimilitudinem facile mutabatur; praeſertim, ut ſaepe dixi, in initio verſus. Ideo autem *duro* numine, quia *nives gelu* glaciaret & *duraret*, de quo vide nos ad Carm. III, 24. verſ. 39. Sic alibi I, 23.

Quod latus mundi nebulae, maluſque
Juppiter *urget.*

& I, 1. *manet ſub* Jove frigido *Venator.* Claudian. Conſ. Olybr. verſ. 36.

Audiit & gelido ſiquem Maeotia paſcit
Sub Jove.

Silius Italicus XII.

Queis gelidas ſuetum noctes thoracis gravatis
Sub Jove non aequo *trahere.*

Ergo, ad haec exempla, *duro* numine Juppiter nives glaciavit; & ſane olim in libris *duro* extitiſſe non leve eſt argumentum, quod in codice quodam alia lectio reperta eſt, memorantibus Cantero & Turnebo;

& poſitas ut glaciet nives
Puro limine *Juppiter*:

in quo fruſtra ſunt, qui pro *limine* reponunt *lumine*, atque id pro genuina hujus loci ſcriptura venditant: nihil enim illo *lumine* ineptius, cum propter alia, tum quod noctu haec, non interdiu, agerentur. Imo vero, quicumque lectionis illius *limine* primus fuit auctor, ſic locum hunc concipiebat,

DURO LIMINE *Juppiter*:

nives poſitas *duro limine*, ubi tunc Horatius *ante fores projectus* excubabat: ſic Epod. XI.

Limina dura, *quibus*
Lumbos & infregi latus.

Ovid. Remed. Amor. 708.

Nec dic blanditias, nec fac convitia poſti:
Nec latus in duro limine *pone tuum.*

V. 10. NE CURRENTE RETRO FUNIS EAT ROTA] Alius, &, niſi fallor, melior eſt verborum ordo in Petreni noſtro & Galei:

Ne currente rota *funis eat* retro.

ut in Arte Poët. currente rota *cur urceus exit?* Et *retro*, cum priorem ſyllabam corripit, ſuavius ponitur in fine verſus, atque ita ſemper Noſter, ut I, 35.

At vulgus infidum & meretrix retro.

II, 11. *Poſcentis aevi pauca: fugit retro.*

III. 4. *Non me Philippis verſa acies retro.*

adde, quod in recepto ordine, ambiguum foret, utrum *currente retro rota*, an *funis retro eat*, conſtruendum ſit.

V. 18. NEC MAURIS ANIMO MITIOR ANGUIBUS] Editiones primae Veneta & Loſcheri, ANIMO; poſtea neſcio quis ANIMUM primus introduxit. Ab eo tempore in hunc uſque diem, ut cuique editorum viſum eſt, nunc hoc, nunc illud locum obtinuit. Lambinus, Cruquius, Torrentius de ſuis codicibus tacent. Ex quinque Pulmanni tres *animo*; duo reliqui *animum*, ut etiam ex tribus Berſmanni unus. Certe ex omnibus noſtris unicus Graevianus agnoſcit *animum*, idque manu recentiore mutatum eſt in *animo*. Rectum tamen illud, elegante & familiari Poëtis Graeciſmo. Statius Silv. IV, 6. de Hercule,

Sic mitis vultus, *veluti de pectore gaudens*
Hortetur menſas.

ubi *vultus* non rectus ſingularis eſt, ſed accuſativus pluralis; ut Claudian. Stil. II, 135.

Blanda quidem vultus.

CARMEN XI.

V. 9. QUAE VELUT LATIS] Anacreon:

Πῶλε Θρηϊκίη, τί δή μοι Νομαῖος φεύγεις; —
Νῦν δὲ λειμῶνας τε βόσκεαι,
Κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις.

Noſter:

Quae velut latis equa trima campis
Ludit exſultim, metuitque tangi.

Atque haec ex illis expreſſa eſſe, poſt Henricum Stephanum, multi annotarunt. Sed animadvertit ceteris acutior celeberrimus Dacierius, Anacreontis illud λειμῶνας *prata* non ad amuſſim reſpondere *latis campis*: & ideireo, ut propius inter ſe conveniant, contra omnes codices reponendum eſſe contendit, *lactis campis*:

Digitized by Google

pis. ita Carm. II, 5. [*vencae.*
Circa virentes *est animus tuae* Campos *ju-*
Addidisse potuit Carm III, 18.
Ludit herboso *pecus omne* campo. & IV, 4.
Qualemve laetis *caprea* pascuis;
ut Ovidii illud Fast. IV, 476.
Sacrorumque Melan pascua laeta *boum.*
Jam ut concedamus Nostrum Anacreontea illa ante oculos habuisse, quamquam hoc quidem incertum est; novimus tamen eum non multum amare *fidos* illos *interpretes*, & serviles imitatores, qui *verbum verbo* exprimendum curant. Equidem id de plano ausim affirmare, multo aptius loco huic & sententiae convenire *Latis*, quam *Laetis*. Quippe cum addit, *metuitque tangi*, bene certe potuit *latos campos*, ubi nimirum fugae erat locus & spatium, ne *tangi* & prehendi posset. Quid quod de more *latos campos* dixit, perpetuo apud Poëtas epitheto. Virgil. Aen. VI, 888.
Aëris in campis latis, *atque omnia lustrant.*
& XI. 465. latis *diffundite* campis.
& III, 537. [*misse vidi,*
Quattuor hic, primum omen, equos *in gra-*
Tondentes campum late, *candore nivali.*
VII, 486. *cui regia parent*
Armenta, & lati *custodia credita* campi.
Stat. Silv. IV. 7.
Jam diu lato *spatiata* campo.
Silius Ital. VIII. *jam* latis *obvia, credo,*
Stat campis *acies.* & XVII.
Ne si miscebit latis *fera praelia* campis.
Sic *lata arva* Ovid. Fast. I, 546. [*vagantur*
Dumque huic hospitium domus est Tegeaea;
Incustoditae lata *per* arva *boves:*
ubi dolet praestantissimum Heinsium, pari quo hic Dacierius errore, *laeta arva* ex pauculis codicibus substituisse; cum & major librorum pars & ipsa res alterum efflagitet. *Lata* enim sine dubio, quia dixerat *vagantur*. Ipse Ovidius Fast. II, 210.
Non aliter, quam cum Libyca de rupe leones
Invadunt sparsos lata per arva *greges.*
ubi recte *lata*, quia *sparsos*: neque variant codices. Idem Amor. I, 7.
Stravit deprensos lata per arva *greges.*

v. 18. CAPUT EJUS ATQUE SPIRITUS] Nihil verius, quam quod Dacierius libere & candide hic adnotavit; *Totum*, inquit, *hoc Carmen dehonestat vocula* EIUS, *qua utinam Horatius non usus fuisset.* Equidem jamdudum male oderam illud *ejus*, & hanc viri insignis censuram magna cum voluptate postea legi:
Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, *atque*
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui.
Auser enim hinc *ejus*, & integer tamen sensus manebit. Quippe cum *Cerberum* jam nominasset, satis erat dixisse *furiale caput*: neque opus erat τοῦ *ejus*, ut cujus sit caput certo scire possemus. In Sermonibus quidem, qui ad pedestrem orationem proxime accedunt, venia danda est Nostro, cum II, 1. & II, 6. ait,
Scilicet uni aequus virtuti atque ejus *amicis:*
Et quae sit natura boni, summumque quid
ejus:
& Lucretio, cum in poëmate Philosophico passim hanc voculam adhiberi,
Quin etiam repetunt a caelo atque ignibus ejus.
Nec refert quibus adsistas regionibus ejus.
Neque vero peccavit Noster in Carm. IV, 8.
Ejus, qui *domita nomen ab Africa*
Lucratus rediit, clarius indicant Laudes:
Tolli enim hic non potest τοῦ *ejus*, nisi cum totius sententiae dispendio: ut neque apud Propertium IV, 2. vers. 35.
Est etiam aurigae species Vertumnus, & ejus
Trajicit alterno qui *leve pondus equo.*
Sed Poëtae Epici, magno sane cum judicio, vocabulum hoc perpetuo mulctarunt exilio; ne Heroici carminis majestatem humi serpere cogeret; utpote singulis fere periodis recursurus, ni stilo poetico subintelligeretur extrinsecus, neque praesentia sua versus inquinaret. Inde est, quod in toto Virgilio ne semel quidem occurrit *Ejus*. Bis duntaxat in Ovidio, ut Trist. III, 4.
Non foret Eumedes orbus, si filius ejus
Stultus Achilleos non adamasset equos.
ubi sublato *ejus*, nihil deest sententiae: positio autem, in prosam orationem versus degeneraret: plane ut hic apud Nostrum. Eo tamen pejus Noster, & quod in Carmine Lyrico longe supra Ovidii Elegos surgere debuerit; & quod statim subjunxerit *atque*, Caput *ejus atque*: adeo ut bis tanto carminis sublimitatem magis deprimerit. Quin in verbis sequentibus, est quod excusari forsitan possit, probari certe & laudari minime mereatur:
Spiritus teter saniesque manet:
hoc est, *spiritus manet*, & *sanies manet*. Atqui *spiritus* sive halitus *manare* nemo usquam dixit. *Sanies* quidem *manat*, atque omne genus humorum & liquorum, *lactis, sanguis, sudor, mel, aqua, pix* & similia; spiritus nequaquam, si accurate loquimur. Nam cum Lucretius *sonitum* & *frigus manare* dixit, illud

Digitized by Google

nimirum vult, per *poros & priva foramina corporum permeare*: non ut hic Noſter de *ſpiritu*, cum aperta via per fauces prodeat. Quid igitur fiet? an Horatium hic captum & damnatum ſub cultro relinquemus? an potius,

O Tite, ſiquid ego adjuro curamque levaſſo,
Ecquid erit pretii?

Vide igitur, annon in Librarios potius culpam transferamus, & levi mutatione ab utroque Noſtrum crimine una opera liberemus. Sic ergo repone,

Cerberus: quamvis furiale centum
Muniant angues caput, EXEATQUE
Spiritus teter, ſanieſque manent
Ore trilingui.

Ovidius Metam. III, 75 de Dracone loquens:

plenis tumuerunt guttura venis:
Spumaque *peſtiferos* circumfluit *albida rictus*: [tus exit
Terraque raſa ſonat ſquamis; quique hali-
Ore niger Stygio, vitiatas inſicit auras.

ubi paria vides omnia: *ſpuma circumfluit*, plane ut *ſanies manet*: *halitus* autem *niger exit*, ita ut hic *exeat ſpiritus teter*: & utrobique quidem ex *ore trilingui*: nam & ſerpenti illi, verſu ſibi 34. [tes.

Tres *vibrant* linguae, *triplici ſtant ordine dentes*. Iterum Ovidius Triſt. V, 6.

Spiritus *hic Scythica quem non bene ducimus aura,*
Quod cupio, membris exeat *ante meis.*

& ibid. IV, 3.

Spiritus *hic per te patrias* exiſſet *in auras.*

& Art. Amat. III, 745.

Exit, *& incauto paullatim pectore lapſus*
Excipitur miſeri ſpiritus *ore viri.*

Verum hic notandum eſt, quod in his locis *Spiritus exit* de iis duntaxat dicatur, qui moribundi animam expirant. Quare ad evitandum Ambiguum, utinam Noſter ſcripſiſſet potius, *Exeatque Halitus teter.*

V. 30. IMPIAE, NAM QUID POTUERE MAJUS] *Nam quid*, & membranae & editiones. Solus codex Magdalenenſis a manu ſecunda,

Impiae, NUMQUID *potuere majus?*

Non male. Nihil tamen mutaverim, niſi a prima manu codex aliquis *numquid* exhibuerit.

V. 36. ET IN OMNE VIRGO NOBILIS AEVUM] *Nobilis* habent omnes, quod ſciam, & Editi & Scripti. Barthius tamen ad Claudianum ſuum p. 1225. *Legendum*, inquit, NUBILIS *ex vetuſtiſſimis Membranis, non* Nobilis *ut vulgo. Dicere enim vult ingenioſiſſimus poëta, aeternae gloriae velut* nuptui *datam eam virginem, quia eorum genialem noluit novi mariti ſanguine conſcelerare, quod tot ipſius ſorores fecerant.* Vide quanti ſit ſapere. Sibi certe belius homo viſus eſt, cum inſulſum hoc & refutatione indignum protulit. Verum nimirum erat, quod ex puteo ſuo Democritus hauſit, τὴν πολυμαθίαν οὐκ εἶναι διδάσκειν, multifariam lectionem nemini conferre mentem & judicium; quippe quae Dei & Naturae dona ſunt, non noſtrae operae & laboris.

V. 43. NEC TE FERIAM NEC INTRA] Ita recentiores Editiones: at antiqua Veneta & Loſcheriana NEC te feriam, NEQUE intra. Quis primus mutaverit neſcio, neque ſcire quicquam intereſt; certe non eſt ſecutus meliores pluresve codices. Ex tribus Berſmanni, duo habuerunt NEQUE: & ſic ex noſtris Leidenſis, Graevianus, Reginenſis, Zulichemianus, optimi & vetuſtiſſimi quique, cum aliquot aliis. Ceteri interpretes tacent: quaſi credo nihil referret, *nec* an *neque* ſcripſeris, ubicumque verſus ratio utrumvis admittere poteſt. Equidem, ut in his minutiis nec linguae Latinae neque Flacci ſalutem litam eſſe confiteor, ita ſemel ſuſcepto hoc labore, mei jam muneris penſique eſſe exiſtimo, ne leviſſima quidem praeterire. Quamobrem illud animadverto, varietatis hic gratiam quaeſiviſſe Noſtrum, &, quoties liber erat a metri neceſſitate, *Nec, neque*, vel *Neque, nec*: non bis eandem particulam *nec, nec*, aut *neque, neque* poſuiſſe. ut Carm. I, 6.

Nos, Agrippa, neque *haec dicere,* nec *gravem.*
II, 16.

Groſphe non gemmis, neque *purpura ve-*
Nale, nec *auro.*

Ergo & hic ex MStis legendum; *nec* te feriam, *neque* intra. Et ſimiliter in toto opere decies opinor vel amplius ex melioribus membranis revocavimus: de quibus ſemel hic dixiſſe ſufficiat.

CARMEN XII.

V. 1. MISERARUM EST] Quales ſint in hoc Carmine verſus, & quomodo digerendi, non modo inter Interpretes, ſed inter vetuſtos Grammaticos magna controverſia eſt. Quam ſi aliquando tandem dirimere, & rem extra dubium collocare poſſumus; & gratiam, niſi fallimur, inibimus a Lectore φιλομούσῳ: & eo pacto inſigne flagitium, quod per ducentos jam annos

Digitized by Google

nos carmen hoc faediſſime luxavit, in poſterum cohibebimus. Principio, ſcriptor vitae Horatii a Jacobo Cruquio editus, hanc Oden *tricolon tetraſtrophon* eſſe vult, hoc eſt, ex *quattuor* verſibus conſtare, quorum *tres* diverſa habeant metra: duos autem priores eſſe *Sapphicos trimetros acatalectos*, tertium *Anacreonteum dimetrum* (lege, trimetrum) *catalecticum*, quartum *Adonium*. Ergo ex hujus hominis ſententia ſic digerendi fuerint verſus;

Miſerarum eſt nec amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere, aut ex-
Animari metuentes patruae
Verbera linguae.

Atque hanc formam ſecutus eſt in editione ſua Cruquius, quam & in tribus vetuſtis codicibus ſe reperiſſe narrat. Sane & in noſtris, Graeviano, Regiuenti, Batteliano, diſpoſitio fere eadem eſt; praeterquam quod vocabula in fine verſuum non in duas partes ſecant, more Cruquiano,

Studium auſert, Neobule, Liparae-
i nitor Hebri,
Celer alto latitantem frutice-
to excipere aprum:

ſed integra continuant hoc modo,

Studium auſert Neobule, Liparaei
Nitor Hebri.
Celer alto latitantem fruticeto
Excipere aprum.

Quin & eandem normam tenuiſſe codices Cruquii nullus dubito; atque id ipſum eſt, quod eos dicit *nonnihil ſua ope adjutos fuiſſe in pedibus ordinandis*. Jam autem quam inepta, prava, diſtorta, deformia haec ſint, quid attinet dicere? Satis profecto ſuperque id conſtabit ex iis quae dicturi jam ſumus de vero metiendi modo. Pes metricus ex quatuor ſyllabis conſtans, quorum priores duae breves, poſteriores longae ſunt, ut *Diomedes, metuentes, Cytherene*, Graecis Ἰωνικὸς ἀπ' ἐλάσσονος, Latinis *Ionicus minor* appellatur. Hoc unico pede totum Carmen ab initio ad finem uſque decurrit: quale unum ab Alcmane olim compoſitum eſſe narrat Hephaeſtion p. 37. cujus hoc initium: [πλοις.

Ἔκαβε μὲν Διὸς ὖιον παῖδι μώσαι χροχόπε-

& a Sappho alterum, quod ſic incepit,

Τί μοι Παυδίονις ἀράνα χαλιδάν:

ab Alcaeo vero πεντάκωλα *multa* conſcripta eſſe idem teſtatur. Praeterea & duo genera fuiſſe ait (pag. 66) horum carminum Ionicorum: unum (id ἐξ ὁμοίων vocat) quod nullo certo pedum numero claudebatur; ſed ubicumque auctori viſum eſt, vel pedem ſiſtebat, vel pari tenore ultra procedebat: quale crediderim Alcmanis illud & Sapphus fuiſſe, ſolis Ionicis conſtans, caetera legibus ſolutum. Atque hujus generis unum exhibet Terentianus Maurus, ſuumne an forte Septimii Sereni equidem neſcio: pag. 2428. [*belli*

Diomedem modo magnum dea fecit, dea
Dominatrix, Phrygas omnes ut in armis
ſuperaret:
Patulis agmina campis jacuerunt data leto:
Pavidi tergaque dantes petierunt trepidae
moenia Trojae.

ubi vides pedum numerum non eſſe definitum ſed carmen per ſynaphiam, ut vocant, quouſque velit, progredi. Quod & antea nos docuerat p. 2416. [*artant*:

Non verſibus *iſtud*, numero aut pedum, *co-*
Sed continuo carmine, quia pedes gemelli
Urgent brevibus tot numero jugando longas;
Idcirco vocari voluerunt συνάφειαν.

Alterum Ionicorum genus, quod καθ' ὑπεῖρον vocat Hephaeſtion, certo eorundem pedum numero incedebat; quo ſimul ventum erat, claudebatur ſententia: atque inde rurſus exordiens pari iterum numero decurrebat: quae *redditio* & *revolutio* (ἀνταπόδοσις ἢ ἀνακύκλησις) toties iterabatur, quoties voluit auctor carminis: ea lege, ut neque pauciores neque plures pedes habuerit in clauſulis ſequentibus, quam in prima habuit. Tale, inquit, erat Alcaei carmen, cujus hoc initium;

Ἐμὲ θελᾶν, ἐμὲ πασᾶν κακοζήλων πάθ' ἴσχειν.

qui locus obiter corrigendus eſt: MSti, quos vidi, παῖδ' habent, non πάθ'; ſollemni errore αι pro ε, quia eodem ſono efferebantur: lege igitur,

Ἐμὲ θελᾶν, ἐμὲ πασᾶν κακοζήλων πεδίχεσθαι.
Me miſeram, me omnium calamitatum ex-
pertam.

πεδίχεσθαι Aeoleuſium dialecto pro μετίχεσθαι. Addit Hephaeſtion; Ἄπειρος μὲν ἄν τις φήσειεν εἶναι αὐτὸ ἐξ ὁμοίων εἶναι, ἐξ Ἰωνικῶν ἀπ' ἐλάσσονος καταλήξεως. ἡμεῖς δὲ, ἐπὶ ΚΑΤΑ ΔΕΚΑ ὀξύτητι αὐτὸ συζυγίας χρησαμένου, καθ' ὑπεῖρον αὐτὸ κεκλῆσθαι φαμέν. Hoc eſt, *Imperitus quidem aliquis hoc carmen Alcaei ſolutum legibus eſſe crediderit: nos vero, cum* DECEM *ubique pedibus decurrere videamus, legem id conſtrictum eſſe pronunciare poſſumus.* Ubi in primis obſervandum, omnes ejus carminis clauſulas fuiſſe DECEM PEDUM. Inde enim luce ipſa clarius conſtabit, ad Alcaei exemplar hanc, de qua agimus, Odam ab Horatio compoſitam eſſe.

Digitized by Google

esse. Quippe haec similiter decem pedibus Ionicis decurrit: inde rursus initio capto stadium idem metitur; & quattuor ejusmodi decapodiis tota finitur. Porro & illud ex verbis Hephaestionis discimus, nullum versiculi finem aut divisionem esse, donec ad *decimum* pedem deventum sit: & proinde nihil referre, utrum tribus, an duabus aut unicâ, si fieri posset, lineâ decapodia quaeque scribatur: cum nulla pausa aut incisio sit ante decimum pedem. Sed quandoquidem chartae paginaeque spatium tam longum lineam admittere & continere non posset; & proinde necesse esset, ut decempedalis versus in partes divideretur: inde dubium ortum est, quibusnam in locis commodissime fieri posset incisio. Ubi ridiculum plane & insulsum se praebuit Scriptor Cruquianus; qui in medio pede Ionico caesuram posuit, & praeterea sexies in tam brevi carmine versum exire fecit in dimidiatum verbum. At plerisque placuit, ut in tria membra discerperetur, quorum duo priora trimetra Ionica essent, tertium tetrametrum; quo modo omnes hodie Editiones praeter Cruquianam exhibent.

Miserarum est nec amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere aut exanimari metuentes patruae verbera linguae.

Ita dividunt Marius Victorinus. p. 2618. Diomedes p. 510, & 524; Atilius Fortunatianus 2704; Plotius 2660; & Scholiastes Acron. Verum in ea divisione illud incommodi accidit, quod in medio verbo ter fiat incisio, inconcinne prorsus & odiose;

Neque dulci mala vino lavere aut ex-
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis eques ipso melior Bel-

quae deformitas nebuloni cuidam ansam porrexit, ut immane facinus aggrederetur, de quo mox plura dicemus. Nos potius in his Graecum Hephaestionem secuti sumus, qui, ut jam vidimus, primam in Alcaeo caesuram fecit πεντάμετρον,

Ἐμὶ δείλαν. ἀμὶ πασᾶν κακοζόλων πεδήσασα.

Cui accedit Marius Victorinus pag. 2538, 2507, & 2496, ubi exemplum Ionici ἀπ' ἐλάσσονος tetrametri acatalecti hoc adducit;

[que dulci.
Miserarum est neque amori dare ludum ne-

Quorum exemplo priores duos in hac nostra editione scripsimus tetrametros, tertium autem dimetrum, hoc modo:

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno,
Neque segni pede victus.

Atque hoc pacto, ut in libro ipso videre est, nulla linea dimidiato vocabulo claudatur: neque aliter ab Horatii manu profectum esse quovis pignore contenderim. Illud tamen semper memineris, utcumque scriptionis commodo versus dividatur, unicum tamen revera esse, & continuato cursu properare usque ad decimum pedem.

Caeterum ineptus est Scholiastes Acron, cum *metrum hoc Sotadicum dici* tradit; unde deceptus vir cetera pereruditus mirum somnium habet de scopo & proposito Poëtae; quasi Hebrus ille, quem tantopere laudare videtur Noster, *turpis & vetulus moechus* esset, & *Sotadico hoc Satyricoque rhythmo* ironice sugillaretur. Quippe numquam hoc versu usus esse traditur maledicus ille Sotades: Ionico quidem pede scripsit, unde lapsus est Acron; sed Ionico ἀπὸ μείζονος, sive majore, qui contrarius plane est hujus Carminis pedi, nempe Ionico minori. Hic post duas breves totidem longas habet syllabas, ut *Fruticeto*: ille vice versa a duabus longis exit in totidem breves, ut *Contendere*. Sotadicorum haec exempla notissima sunt (praeter eos Terentiani Mauri hic obiter citatos)

Στείνει μελίᾳ Πηλιάδα δέξει κατ' ἄκρον.
Εἰς ὦκ ὀσίην τερπνολιὴν τὸ κέντρον ἀφῆς.

ubi vides non Iambeum ab Heroico magis dissonum esse, quam Sotadicum ab hoc Horatii. Neque levius falluntur ii, qui hanc Oden *pede parum elaborato procedere* dictitant, adeo ut bene factum sit, quod semel duntaxat Noster hoc metrum adhibuerit. Imo vero & in primis dulce est metrum, & longe omnium operosissimum. Geminas enim breves & geminas longas, repetita identidem vice, pauciissima verba suppeditabunt; ut agnoscet, si quis Musarum cliens in hoc metro periculum sui fecerit. Unde magis credibile est, difficultate operis offensum Horatium non amplius semel hoc conatum esse. Nam magister ejus Alcaeus πολλάκι, ut jam vidimus, *multa* carmina hoc metro detexuit; & profecto, si ad lyram canatur, ut omnia haec chordis socianda erant, mirum quendam leporem habet Ionicus minor καὶ χίσιν iteratus & revolutus: ut jure de hac Oda dixerit Terentianus Maurus p. 2428.

Simili lege sonantes numeris ad Neobulen
Dedit uno modulatus lepide *carmine* Flaccus.

v. 6. LIPARAEI NITOR HEBRI, EQUES IPSO] In editionibus priscis, Veneta & Loscheriana, hac forma & ordine versus hi conspiciuntur:

Studium aufert, Neobule, Liparaei nitor
Hebri:

Simul

Digitized by Google

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis, eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno, neque segni pede victus. Et sic omnia scripta exemplaria, tam mea, quam aliorum, nisi quod verba non dividant in fine versuum. Exortus tamen est ante annos ducentos sceleratus nescio quis, qui os sublevit Aldo Manutio, mentitus *antiquum quendam codicem Viennae apud Stanislaum Zaur* sic versus hos exhibere, nova specie dispositos;

Studium aufert, Neobule, Liparaei nitor Hebri,
Eques ipso melior Bellerophonte,
Neque pugno, neque segni pede victus,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis.

Quo mendacio inductus Aldus, neque sibi tum viso eo codice nec cuiquam postea, versus hos ad eam formam in Editionibus suis expressit; & ex eo tempore, quod indignandum magis an dolendum sit nescio, omnes omnium editiones praeter unam Cruquianam flagitium hoc commaculavit. Sed audiamus, quibus rationibus inductus hoc primum commentus est ille nebulo. Primo, *ut servarentur integrae dictiones*; neque tam deformiter in binos versus divellerentur. Atqui ego, antiquo verborum ordine servato, mutatis tantummodo caesurae locis, id melius praestiti. Deinde, ait, *ne claudicet versus in dictione* BELLEROPHONTE, quam corripere ultimam putat, quia genitivum facit *Bellerophontis*. Piumbeum sane pugionem, & facile retundendum! Quippe casus huic rectus est *Bellerophontes*, ut Graeci Βελλεροφόντης: Seneca Epist. 115. *Dabit in illa fabula poenas* Bellerophontes. Hyginus Fab. 273. *Ludis Acasti, Zethus dolichodromo vicit, Calais diaulo,* Bellerophontes *equo.* Jam autem notissimum est Graeca ejusmodi nomina ablativos E longo saepe producere; ut Juvenalis XIII, 98.

si non eget Anicyra nec
Archigene: quid enim. quamquam casu genitivo *Archigenis* recte dixeris terminatione Latina. Quod si concedamus *Bellerophonte* esse ultima brevi: nihil tamen ei syllabae consuluit homo imperitus, cum in versus extremum eam trajecit. Quippe, ut jam ante ostendi, versus unus & non interruptus decurrit usque ad decimum pedem: neque ulla hic syllabae communis, qualis in Hexametrorum aliorumve fine, licentia est, nisi forte in decimo quôque pede. Pari modo, ac in Anapaestis nulla syllaba communis est, priusquam ad ultimam clausulam sive versum Paroemiacum devenerint; ut primus olim docui in Dissertatione ad Joannem Antiochenum Malelam, & postea multo fusius in Scripto Anglico de Epistolis Phalaridis. Caeterum quis risum tenere potest, cum inter interpretes tot turbas concitaverit novus ordo a terrae filio inductus, *Liparaei nitor Hebri,*

Eques ipso melior Bellerophonte.

Quomodo enim *nitor Hebri* est *eques? Nitor Hebri*, inquiunt, est μεταφορικῶς *ipse Hebrus*, ut βίη Ἡρακλείη, *sententia Catonis, sapientia Laeli*, hoc est, Hercules, Cato, Laelius. Hoc plerisque obstrucbat os: & eo ipso nomine pulchra dictio videbatur, quia Horatius sic loqui voluit. At *non obtusa adeo gestabant pectora* sagacissimi viri Torrentius & Tan: Faber, quin libere & fidenter clamitabant, *sine exemplo & vitiose locutum esse Horatium, pessimam esse hanc & corruptissimam cacozeliam: nitor Hebri equitis,* non *eques* dictum oportuisse. Recte illi & vere: nisi quod pro illo tenebrione poëta vapulavit. Neque tamen hi ipsi ob prolatam libere sententiam sic impune abierunt. Ecce enim, qui eos in jus vocet, & *salvo pudore dejerare possit, hoc loco* Equitis *vitiosum fore.* Ain' vero, vir doctissime? Vide, quanta opinionis vis est! Dum ab Horatii partibus stare se credit, ea laudat & defendit, quae alioqui pro summa sua eruditione cum primis damnavisset. *Nitor Hebri equitis* vitiosum hic foret? Quid illud ergo, Carm. I, 19.

Urit me Glycerae nitor
Splendentis *Pario marmore purius?*

An vitiose ibi locutus est Noster, quia *splendentis* dixit, non *splendens?* Quin potius is locus argumento est, luxatos esse versus; quippe *equitis* hic dixisset Horatius, ut ibi *splendentis.* Sed praeterea vide, ut ex uno absurdo aliud sequatur. Hoc enim dicit larvatus Horatius; Hebrum *equo, pugno, pede*, sive campestribus exercitiis, *invictum esse,*

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis:

id est, *postea quam lavit.* Atqui hoc plane est ὕστερον πρότερον. Nam primum exercebant se in Campo Martio, & tum postea in Tiberi lavabantur: ut praeter alios Vegetius narrat, I, 3. *Sudorem cursu & campestri exercitio collectum nando juventus abluebat in Tiberi*: & ibidem 10. *Romani veteres Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt; in quo juventus post exercitium armorum sudorem pulveremque diluerent, ac lassitudinem cursus natandi labore deponeret.* Quanto igitur melius verus Horatius, qui Neobulen perculsam esse dicit *Hebri nitore,* simul ac ille equitatione, pugilatu, & cursu lassus in

Digitized by Google

Tiberi se abluit, & inde domum rediens se ab exercitio rubentem & roseum puellis visendum praebuit. Quare, aut valde fallor, aut genuinus demum versuum ordo, quem libri omnes uno consensu tuentur, editoribus Flacci in posterum placebit.

v. 10. CATUS IDEM PER APERTUM] *Catus* hoc loco habent codices universi: sed tu totam clausulam contemplare,

Catus *idem per apertum fugientes agitato*
Grege cervos jaculari, & celer alto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

Catus, inquit, *jaculari*, & *celer excipere*. At amicus quidam meus, vir insigni doctrina, potius vice versa Nostrum scripsisse autumat,

Celer *idem per apertum*—Catus *alto latitantē*.

Nam *celeritatis* est, inquit, *fugientes* cervos jaculo consequi: *cati* hominis est excipere aprum latitantem. Atque hoc quidem valde speciosum esse fateor, & prima fronte mire adblandiri. Sed videamus quid sit *excipere aprum*. Curtius VIII, 2. *Cum* leo *magnitudinis rarae ipsum invasurus incurreret, feram non* excepit *modo, sed etiam uno vulnere occidit*. Quintilianus Instit. IV, 2. *Pastorem, quod is* aprum, *quem ipsi muneri obtulerat*, exceptum *esse a se* venabulo *confessus esset, in crucem sustulit*. Seneca de Ira I, 2. *Atqui & venientes feras excipit venator, & fugientes persequitur*. Spartianus in Caracallo: Excepit apros *frequenter*; *contra leonem etiam stetit*. Iterum Seneca, de Providentia cap. 2. *Si adolescens constantis animi* irruentem feram venabulo excepit; *si leonis incursum interritus pertulit*. Vides jam opinor *celeritate* & viribus ei opus esse, qui vel *venientem aprum exceperit*. Is vero παχυχειρία insigni esse debet, &, ut Achilles Homericus, περὶ χεῖρας ἰσχύειαν, celeritatem manus quasi igneam habere, qui aprum in fruticeto adhuc *latentem* venabulo occupare poterit, neque incurrendi & irruendi moram illi concedere. Quare placet, quod in Codicibus habetur, *Celer excipere*: neque minus arridet alterum, *Catus jaculari*, non *celer*. Quippe jam antea proximis verbis a *celeritate* satis Hebrum commendaverat, *Neque segni pede victus*. Ergo novam hic laudem memorat, *Catus jaculari fugientes*, quod & virtutem & artem notat. Qui enim *fugientes* cervos jaculo consequitur, & valido lacerto torquere eum debet, & docta manu ad scopum dirigere.

v. 12. CELER ALTO LATITANTEM] *Alto* habet editio Veneta: at Loscheriana ARCTO: quod inventum in codicibus suis secutus est Lambinus: caeteri fereomnes *alto* retinuerunt. Utrumvis sat bene habet, & bonis auctoribus defendi potest. *Alto fruticeto* i. e. profundo, ut saepe Homerus ΒΑΘΕΙΗΣ ὕλης, & in re simili Iliad. Λ. 415. [αἰζηοὶ

Ὡς δ' ὅτε κάπριον ἀμφὶ κύνες ἠλιθοι ἠδὲ νομῆες
Σεύωνται. ὁ δ' ἔκ τ' εἴσι βαθείης ἐκ ὑλάκης.

Lucret. V, 42. [profundis.

Per nemora, ac montes magnos, silvasque
Virgil. Aen. VII, 515. [fundae.

Contremuit nemus, & silvae insonuere pro-
Georg. II, 390. [fundi.

Complentur valles que cavae, saltusque pro-

Sed, ut vides, potius *profundus* hoc sensu dixerunt Latini, quam *altus*; ad evitandum credo ambiguum, cum de *silvis* loquantur. Quamobrem omnino verior est lectio altera, quam meliores codices subministrant, ut ex Nostris Bodleiani duo, Galei, Graevianus, & pro varia lectione Battelianus. Seneca Oedip. 277.

Frondifera sanctae nemora Castaliae petens
Calcavit artis *obsitum* dumis *iter*.

Ita recte magnus Gronovius edidit ex omnium veterrimo Mediceo: caeteri libri pari, ut hic, errore *altis* habebant. Et sane proclivis est ad errorem lapsus, quia *Artus* non *Arctus* perpetuo scribunt codices antiqui. Silius Italicus lib. X. 82.

Ut canis occultos agitat cum Belgicus apros,
Deprendit spissis *arcana cubilia* dumis.

Ovid. Metam. I, 123. *domus antra fuerunt*,
Et densi frutices, *& vinctae cortice* virgae.

Sic Homerus, de hac ipsa re, Λοχμῷ πυκινῷ, hoc est, verbum verbo, *Arto fruticeto*, Odyss. T. 439.

Ἔνθα δ' ἐξ ἰ ΛΟΧΜΗ ΠΥΚΙΝΗ κεκλιόθε μίζας ΣΥΣ.

CARMEN XIII.

v. 1. O FONS BLANDUSIAE] Editio utraque, Veneta & Loscheri, *Blandusiae*: unde in caeteras propagatum est. Et sic codices aliquot, praesertim recentiores. At multo potiores & vetustate & numero BANDUSIAE; neque aliter Acron MStus in bibliotheca Regiae Societatis. Ita sane ex nostris Graevianus, Reginensis, cum tribus aliis. Quare rescribamus hic *Bandusiae*:

Digitized by Google

dusiae; cum enim nihil aliunde compertum sit de fontis hujus nomine, neque quisquam mentionem ejus fecerit; quae pervicacia est, ex iis codicibus quos solos hic auctores habemus, non vetustissimos atque optimos sequi? *Blandusiae* credo supposuerunt ingenioli homines, quia fons bellus atque elegans *blando* nomine dignus videbatur.

v. 6. NAM GELIDOS INFICIET TIBI] *Gelidos* habent omnia exemplaria: neque id loco nunc movendum est. Tamen cum de hoc ipso Bandusiae fonte sic narret alibi Noster Epist. I, 16.

Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior *Thracam* nec purior *ambiat Hebrus*;

ubi vides eum non minus a *puritate*, quam a *frigore* commendari: demiror equidem, cur *gelidos rivos* hic maluerit, quam aliud Epitheton a *puritate* tractum. Ego vero, si pace tot Exemplarium fieri posset, sic libens reponerem:

Frustra: nam LIQUIDOS *inficiet tibi*
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.

Hic certe venusta antithesis est; *liquidos rivos rubro* sanguine inficiet; qui prius liquidi erant & *vitro splendidiores* rivi, nunc *rubro* colore inquinabuntur. *Liquidus* autem *rivus* Noster ipse Epist. I, 12. & *liquidos fontes* passim poëtae, ut Virgilius ter quaterque. Sic Ecloga I, 59.

floribus austrum
Perditus, & liquidis *immisi* fontibus *apros*;

apros scilicet, qui fontes prius liquidos volutando turbarent, & polluerent. Pone ibi *gelidis fontibus*, & omnem venerem, imo totam animam de sententia sustuleris. Atqui eodem modo jacet & languet recepta Flacci lectio. Quorsum enim hic *gelidos*? quid *frigus* aut obstat aut proficit, aut quoquo modo pertinet ad *colorem rubrum*? Adde huc, quod in sequentibus abunde satis laudat ob frigus & umbram,

Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere, tu frigus amabile &c.

ut minime necesse fuerit, alieno loco hic *gelidos* inculcare.

v. 16. UNDE LOQUACES LYMPHAE DESILIUNT TUAE] Princeps Veneta habet *Nymphae*, Lescheriana autem *Lymphae*, quod posterius obtinuit in editionibus sequentibus. At non in Veneta tantum edita, sed & scriptis nonnullis reperitur ea lectio, quantumvis hic mussitent Interpretes: Certe ex meis Graevianus, Galei, Regiae Societatis, Bodleianus, & pro varia lectione Colbertinus, NYMPHAE clare exhibent: unde de aliorum membranis conjectura fieri potest. Atque hanc unice probat vir summo ingenio Janus Broukhusius ad Propertium III, 14.

Et cadit in patulos Nympha *Aniena lacus.*

ubi pari atque hic inconstantia membranae aliquot praeferunt *Lympha*. Idem etiam Epod. XV. vers. 48. ubi nunc habetur, *montibus altis*

Levis crepante lympha desilit pede:

ex Codice Graeviano, quo nos τῷ μαναξίτῃ beneficio nunc utimur, reponit *Nympha*. Certe sic ibi habuerunt quattuor Torrentiani, & Gisanii unus; & ex nostris, praeter Graevianum, pro varia lectione Petrensis. Plura etiam exempla suggerit Nic. Heinsius ad Ovid. Heroid. V. 31. Equidem ut non negaverim *Nymphas* aliquoties pro *aqua* poni, ut Martial. VI, 43.

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baiae;
Canaque sulfureis Nympha *natatur aquis:*

& 47. [*puro*
Nympha, *meo Stellae quae fonte domestica*
Laberis, & domini gemmea tecta subis:

ita utrobique apud Horatium praetulerim *Lympha*: nam longe figuratius est & παιγνιώτερον *lymphae* sive *aquae* dare *pedes*, quos non habet; quam *Nymphae*, quos habet, concedere. Atque ita Lucretius bis. V, 273. VI, 638.

Qua via secta semel liquido pede *detulit*
undas.

& Virgilius Culice Vers. 17.

Castaliaeq; sonans liquido pede *labitur unda.*

Porro, cave hic cum vulgo verba construas, *unde lymphae loquaces tuae desiliunt*, quod prosam Orationem sapit; & in hac structura Poeta dixisset *tibi* non *tuae*: sed in hunc modum colloces, *Unde lymphae tuae desiliunt loquaces*, quod Horatiano stilo est pro *loquaciter*.

CARMEN XIV.

v. 2. MORTE VENALEM PETIISSE LAURUM] Theodorus Marcilius: *In membranis plerisque*, MARTE *venalem. Recte.* i. e. *pugna & contentione belli.* Ubi illud *plerisque* indictum erat melius; nullae enim ex Nostris, nec Interpretum aliorum, neque Editiones ullae agnoscunt *Marte*. Quare habeat secum Marcilius & ineptissimam lectionem, & nusquam, credo, ni-

Digitized by Google

si in somniis sibi repertam. Quanto melius Scholiastes Acron, *Mortis contemptu laus Victoris quaeritur & triumphi:* ut Virgilius, Aen. 205.

Est hic, est animus lucis contemtor, & istam
Qui vita *bene credat* emi, *quo tendis, honorem.*

Nam perinde est, sive *morte venalem*, seu *vita venalem* dixeris: eodem utrumque recidit. Ut & illud, quod addit Acron, Aen. V, 230.

Vitamque *volunt pro laude* pacisci,

eodem plane sensu dicitur, quo Terentius Phorm. I, 3.

ut mihi licent tam diu quod amo frui,
Jam depecisci morte *cupio.*

Quintilianus Instit. IX, 3. *Melius atque acrius, quod, cum figurâ jucundum est, etiam sensu valet*; Emit morte *immortalitatem.*

v. 6. JUSTIS OPERATA DIVIS] *Divis* Editio Veneta; at Loscheriana SACRIS, ut & dimidia fere pars Codicum. Ex nostris certe Leidensis, Reginensis, Bodleianus, Colbertinus, Vigornicnsis, & pro varia lectione Petrensis. Quid ab Horatii manu profectum hic fuerit, subtilis est judicii res & lubricae conjecturae. *Operata divis*, ut Curtius VIII, 33. *Per decem dies* Libero Patri operatum *habuit exercitum.* Tibullus II, 5.

Tunc operata deo *pubes discumbet in herba.*

Silius Ital. II,

Tartareo est operata Jovi, *poenasque ministrat.*

Justis autem *Divis*, non, ut Lambinus, *patriis, & consuetudine atque usu receptis*, sed cum Scholiasta, *specialiter* justis, *quia victoriam & reditum Caesari* merenti *dederint.* Ovidius in Epist. Hypsipylae:

Iustus *ades votis* Iuppiter *ipse meis.*

& Trist. IV, 2.

Donaque amicorum *templis promissa* deorū
Reddere victores Caesar uterque parent.

& mox,

Cumque bonis nuribus pro sospite Livia *nato*
Munera det meritis, *saepe datura*, deis.

ut contra Noster II, 4. penates *maeret* iniquos. & Silius Ital. XV. *quonam se fine minanti*
Servitio eripiat, divosque *evadat* iniquos.

Recte itaque habet recepta nunc in Editis Lectio,

Prodeat JUSTIS *operata* DIVIS.

Neque tamen temere rejiciendum SACRIS, quod tot scripta exemplaria, & in eis vetustissima aliquot subministrant. *Operari* enim *sacris* purissimae Latinitatis dictio est, ut Virgil. in Ciri, 142.

violaverat insscia sedem,
Dum sacris operata *deae lascivit.*

Valerius Max. VI, 6. *Amplissimi & integerrimi viri sanctitatem, Reipub. usibus & sacris* operatam. Livius I, 31. *Ipsum regem* (Tullum) *tradunt volventem commentarios Numae, cum ibi quaedam occulta sollemnia sacrificia Jovi Elicio facta invenissent*, operatum his sacris *se abdidisse*; *sed non* rite *initum aut curatum id sacrum esse.* Ubi obiter pro *operatum* rescribendum puto *operaturum.* Sed quid sodes erit *justis sacris*? an legitimis, &, ut modo Livius, *rite initis & curatis*? Non video, quid aliud denotare possit; & tamen friget admodum sententia. Nullum enim periculum erat, ne sacris, aut lege vetitis, aut contra caeremonias factis, operaretur Livia. Quamobrem, si retinendum erit illud *sacris*, sic potius levi mutatione locum constituerim,

Prodeat CASTIS *operata* SACRIS:

hoc est, prodeat jam Livia ad occursum Augusti ex Hispania in urbem revertentis, quae toto absentiae ejus tempore *castis sacris* operata est, & *pudica vota* fecit pro salvo mariti reditu. Non enim *prodeat operata*, ut Scholiastes vetus aliique perperam accipiunt, est *prodeat ut nunc operetur*: quippe eo sensu *operatura* dicendum fuerit; non *operata*, quod tempus jam praeteritum indicat. *Castis* autem *sacris*; quia Liviam pudicitiae gloria celebrem omnis historia tradit, unde hic de ea Noster,

Unico gaudens mulier marito.

Ovidius Amor. III, 13.

Casta *sacerdotes Junoni* festa *parabant.*

Statius Achilleidos I, 370. de Virginibus;

Dehinc sociare choros, castisque *accedere* sacris [*gaudent.*
Hortantur; *ceduntque locum, & contingere*

Hypsipyle Iasoni vers. 73.

Adde preces castas, *immistaque* vota *timori*:
Nunc quoque te salvo persoluenda mihi.

preces & vota pro Iasonis reditu: ut Liviae pro Augusti. Deianira Herculi vers. 35.

Ipsa domo vidua, votis operata pudicis,
Torqueor; *infesto ne vir ab hoste cadat.*

v. 7. ET SOROR CLARI DUCIS] Ea est Octavia. Sed veterrimus noster Graevianus, CARI, non *claris* ut de eodem Augusto Ovidius Fast. VI, 637.

Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede
Livia, *quam* caro *praestitit illa* viro.

Verum recte quidem *caro viro*, ut passim *carus genitor, cara nutrix, cari nepotes*, & cetera *necessitudinum* nomina: sed *carus dux* non minus inepte

inepte diceretur, quam Carm. I, 20, *Carus eques*. Vide autem, ut incerta & caeca fortuna in exemplaribus dominetur: unus ibi codex Regiae ſocietatis *clare eques* recte habet, cum caeteri omnes *care*: unus hic Graevianus perperam *cari ducis*, cum alii ubique *clari*. Seneca Troad. 255.

Quid caede dira nobilem clari ducis
Aſpergis umbram?

& Octav. 677.

Ubi Romani vis eſt populi,
Fregit claros *quae ſaepe* duces?

V. 11. JAM VIRUM EXPERTAE] Non immerito miratur Torrentius, cur addat *jam virum expertae*; cum potius par erat, ut cum pueris *innuptae* puellae conjungerentur. Unde idem, quod rariſſime facit, a conjectura opem petere voluit, & ſic locum refingere:

vos o puerae *& puellae*
Jam virum expertae.

Infeliciter profecto: nam & *puerae* obſoletior vox eſt, quam ut Horatio ſub calamum veniret: & ridiculum eſt, in eodem verſu *pueras* dici, quae innuptae ſint, *puellas* (quod alterius diminutivum eſt, atque adeo minori aetati convenit) quae jam virum ſint expertae. Sed & aliam viam tentat vir doctiſſimus, non meliore ſucceſſu,

Vos o pueri, & puellae, ET
Jam virum expertae:

nam poſtremum illud *jam virum expertae*, ſi a *puellae* disjungatur, etiam *virginum matres* comprehendet, quas antea compellaverat: & praeterea verſus hoc pacto nimis aſper ſcaberque & rubiginoſus exibit. Equidem, ſi per codices liceret, ſic potius emendaverim,

Vos o pueri & puellae
NON *virum expertae:*

ut alibi Noſter Epiſt. II, 1. verſ. 132.

Caſtis cum pueris ignara puella mariti
Diſceret unde preces, vatem niſi Muſa dediſſet?

& Carm. III, 1. Virginibus puerisque *canto*.
I, 21. *Dianam tenerae dicite*, virgines;
Intonſum pueri, *dicite, Cynthium.*
Carm. Saecul.
Virgines *lectas*, pueroſque *caſtos.*
IV, 6. [*orti.*
Virginum *primae*, puerique *claris Patribus*

Nam Virgines eas innuptas & *non virum expertas* fuiſſe, oſtendit quod mox ſubſequitur,

Nupta *jam dices, ego dis amicum*
Reddidi carmen:

ergo eo tempore nondum nupta erat.

V. 11. MALE OMINATIS PARCITE VERBIS] Editiones vetuſtae, Veneta & Loſcheri, NOMINATIS: at Codices in diverſa diſtrahuntur: nam dimidia pars habent, *nominatis*, & totidem fere *ominatis*: adeo ut alteri alteris nec numero neque vetuſtate concedant. Diverſa etiam ſecuti ſunt Editores, pro ſuo quiſque judicio nunc hoc nunc illud praeferentes. Interea hoc pro comperto jam habetur, melius facere ad ſententiam *Ominatis*, niſi quod verſus menſuram hiatu ſuo labefacere videatur. Cui tamen opitulari conati ſunt Muretus & Schottus, interjecto D, ad hunc modum,

Jam virum expertae, maled *ominatis.*

In quo ridiculine ſint magis, an odioſi, in dubio eſt; cum rubiginem hanc Noſtro affricare ſtudeant, quam in Ennio Naevioque & caſcis Opicorum carminibus vix aequis auribus accipimus. Itaque alii defendunt, *male ominatis*, ut neglectâ hic Synaloephâ vocalis E non elidatur; qualia multa occurrere putant in terſiſſimis etiam poëtis. In qua ſententia eſt ſagaciſſimus Heinſius ad Claudian. Sec. Conſ. Stilich. verſ. 167. ubi fuſe hanc lectionem tuetur. Sed illud non animadvertit vir inſignis, pleraque omnia, quae ibi profert, hiatuum exempla in Caeſuram ſive in primam pedis ſyllabam cadere: non, ut hic, in Dactyli tertiam, aut ſecundam. Atqui hoc multum intereſſe ſciunt rhythmorum & muſicae periti. Fateor equidem etiam extra caeſuram ſaepe negligi Synaloepham, ut apud Noſtrum, Epod. V.

Et Eſquilinae alites.

Et Serm. I, 9.

Si me amas, inquit, paullum hic ades.

Sed imprimis notandum, non niſi in longis vocalibus hiatus illos admitti; cujus rei a Muſica ſimiliter petenda eſt ratio. Sic in illis Virgilianis; [*fiagunt?*

Credimus, an qui amant, ipſi ſibi ſomnia
Et longum, formoſe, vale, vale, inquit, Iola.
Clamarent, ut litus Hyla, Hyla, omne ſonaret.
Te Corydon, o Alexi —— *Pelio Oſſam.*
Inſulae Ionio —— *Te amice, nequiti.*
Glauco & Panopeae & Inoo Melicertae:
Implerunt montes, flerunt Rhodopeiae arces.
Victor apud rapidum Simoënta ſub Ilio alto.

vides longam eſſe vocalem, quae hiatum faciat; non brevem, ut hic *male ominatis*: male enim ante conſonantem ſemper poſteriorem corripit. Nuſquam memini obſervaſſe, vocalem brevem extra caeſuram hiatum facere, praeterquam in duobus locis, uno Catulli, Virgilii.

Digitized by Google

Ambrosius de obitu Theodosii ; *Unde arbitror, quod* fila chordarum citharae *ideo* fides *dicuntur, quoniam & mortuae sonum reddunt.* Vide itaque, annon reducenda sit lectio Graeviani codicis, *Seu fidibus citharae* QUE *Phoebi*; hoc est, Seu *voce* nunc mavis, Seu *chordis & citharae* Apollinis. Ita Noster alibi *fides* pro *nervis Lyrae*, Carm. IV, 3.

Romanae fidicen Lyrae.

ubi *fidicen lyrae* nihil aliud est, quam *Qui cano fidibus lyrae.* Prudentius Cathem: III, 8.

Quae veterum tuba, *quaeve* lyra,
Flatibus *inclyta vel* fidibus?

ubi *lyra fidibus inclyta*, est chordis, nervis eximia.

v. 6. ET VIDEOR PIOS ERRARE PER LUCOS] Vetus Scholiastes Acron, cum quibusdam ex recentioribus, *pios lucos* interpretatur *amoenos lucos* ELYSII. Unde vir quidam eruditus sic locum corrigendum autumat, & insolentiam Epitheti eo pacto devitat,

audire & videor PIORUM
Errare per lucos:

ut syllaba ultima ad sequentem versum rejiciatur, quod saepe fit apud Nostrum. Ingeniose & docte. Nam *sedes, luci, arva Piorum* in Elysio notissima. Noster supra Carm. II, 13.

sedesque discretas Piorum.

Claudianus Eutrop. v. 452.

tuque ô si forte Piorum
Jugera, & Elysias scindis, Serrane, novales.

Martialis Epig. XII, 52.

Accipiunt olim cum te loca laeta Piorum,
Non erit in Stygia notior umbra domo.

Nemesianus Eclog. I, v. 20.

Quem nunc emeritae permensum tempora vitae [rum.
Secreti pars orbis habet, mundusque Pio-

Ovid. Metam. XI, 64.

quaerensque per arva Piorum
Invenit Eurydicen, cupidisq; amplectitur ulnis

Valerius Flaccus I, 650.

Nec jam merito tibi, Tipky, quietum
Ulla parens volet Elysium, manesque Piorum.

& v, 843. *donec* silvas *& amaena* Piorum
Deveniant, camposque, ubi sol totumque per annum Durat aprica dies.

Silius Italicus II,

Elysium, & castas sedes decorate Piorum.

& iterum XIII.

His laeti rediere duces loca amaena Piorum.

Lucanus III, 11,

Sedibus Elysiis campoque expulsa Piorum.

Virgil. Aen. V, 734 *sed amaena* Piorum
Concilia Elysiumque colo.

Cicero Philippica XIV. cap. 12. *Vos vero qui extremum spiritum* in victoria *effudistis*, Piorum *estis sedem & locum consecuti.* Nemo itaque inficias iverit, quin, si codices astipulentur, & de Elysio hic agatur, eleganter legi possit, *Et videor* Piorum *Errare per lucos.* Neque tamen, vel sic, ego quidquam temere mutaverim; cum Epithetorum audaciam tantopere sectetur Noster, & potius figurate *pios lucos*, quam *Piorum*, data opera dixisse videatur. Sic enim & alii dixerunt; ut Auctor Elegiae De morte Drusi. v, 329. [arvo

Ille pio *(si non temere haec creduntur)* in
Inter honoratos excipietur avos.

Virgilius Culice v. 38.

Et tibi sede pia *maneat locus.*

& ibid. 373. *quo maxima Minos*
Conscelerata pia *discernit vincula* sede.

Pio arvo, pia sede: cum Ovidius, Silius aliique, locis jam citatis, *Piorum arva, Piorum sedes* dixerint. At alibi Ovidius, eadem figura *Pia sarcina* dixit, Epistola Didûs; [nati:

Diva parens, Seniorque pater, pia sarcina *Currus pios* Valerius Flaccus II, 411.

Illic servati genitoris conscia sacra
Pressit acu curruque pios: & sic alii alia. Recte igitur se habebit recepta apud Nostrum lectio;

audire & videor pios
Errare per lucos, amaenae
Quos & aquae subeunt, & aurae:

etiamsi cum Acrone de Elysio interpreteris. Sed omnino cum Acrone suo falluntur, qui ad Elysios lucos Horatium hic ablegant, tamquam aut ipse mortuus, aut Eurydicen inde aliquam ad vivos reducturus esset. Quin nihil aliud vult nisi Lucos & nemora Musarum, Liberi patris, Heliconis &c. quibus omnem paginem replent Poëtae, ubi vagari se & cum Diis versari fabulantur. Ita Noster Carm. III, 25.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum, quae nemora *& quos agor in specus?*

Statius Silv. V. 3. v. 210.

Me quoque vocales lucos *lustrataque Tempe*
Pulsantem, cum stirpe tua descendere dixi,
Admirere deae. & ibid. V. 5. v. 6.
Numquid inaccesso posui vestigia luco?
Num vetito de fonte bibi?

Silius XIV. *vatum*
Ora excellentum, sacrasqui carmine silvas,
Quique Syracosia resonant Heliconia camena.

Vide etiam quae attulimus ad Carm. I, 32. v. 1.

v. 9. ME

v. 9. ME FABULOSAE VULTURE IN APPULO] Vix oculis meis fidem habeo, cum lego in ora codicis Heinſiani, *Forte Sabuloſae*. Omnino aliud agebat Vir in his rebus incomparabilis. Bis enim peccat; primo contra metri legem, quia *Sabuloſus* primam ſyllabam corripit: deinde adverſus conſtructionem: neque enim cum veteribus Scholiaſtis & Torrentio *fabuloſae Apuliae* copulandum eſt, ſed *fabuloſae Palumbes*. Vide nos ad Carm. I, 22. v. 6. Et potuerat quidem Horatius vitare ambiguum, ſi cum Lucilio, Plauto, Plinio aliiſque maſculino genere protuliſſet,

Me fabuloſi *Vulture in Appulo* ——
Fronde nova puerum palumbes *Texere*.

Sed obſtinate faemininum hic exhibent codices manuſcripti:

v. 10. ALTRICIS EXTRA LIMEN APULIAE] *Altricis* habent codices noſtri vetuſtiores, Leidenſis, Graevianus, Reginenſis cum aliis: ſed multi & bonae quidem notae NUTRICIS; quod Editores aliquot, qui *Apuliae* nempe, non Regionis, ſed Faeminae nomen eſſe autumant, cupide arripuerunt, veriti ne illud alterum de Muliere dici non poſſit. Sed haec vana formido eſt. Statius Silv. II, 1. [*rentes?*

Quid referam altricum *victos pietate pa-*
Idem Theb. I, 530.

Natarum haec altrix, *eadem fidiſſima cuſtos*.
Seneca Hippolyto. 250. (Phaedra ad nutricem)

Paremus, altrix. & 258. Altrix, *profare*.
Propertius IV, 1.

Sanguinis altricem *nunc pudet eſſe lupam*.
Ovid. Metam. II, 683.

Altrici, *quae luctus cauſa roganti*,
Nulla eſt, Halcyone, nulla eſt, ait.

Poteris itaque cum vetuſtis membranis ALTRICIS; utcumque acceperis, ſeu pro mulierenutrice, ſeu pro terra altrice. Sed vide locum totum,

Me fabuloſae Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliae,
Ludo fatigatumque ſomno
Fronde nova puerum palumbes Texere.

ubi, ut jam dixi, in diverſa abeunt Interpretes. Pars enim exponunt, *extra limen*, ſive *finem*, *terminum* terrae *Apuliae*; ut *limen Aeoliae* dixit Valerius Flaccus VI, 364.

magno veluti cum turbine ſeſe
Ipſius Aeoliae *frangunt in* limine *venti*.

Sed quale illud quaeſo eſt, dormientem in vulture *Appulo* extra limen *Apuliae*? nonne hoc ἀσύνθετον eſt, & ſecum pugnat? Utique ſi in monte Appulo; tum *intra* Apuliae fines fuerit, neceſſe eſt. Sed, ut hoc nodo ſe expediant, aiunt Vulturem montem in ipſis regionum confiniis ſitum, adeo ut pars ejus Apuliae, pars Lucaniae aſcriberetur. Quod ex ipſo Horatio colligunt: qui Venuſium, oppidum monti huic proximum, neſcire ſe ait, utrum Lucaniae, an Apuliae adjudicet: Serm. II, 1.

ſequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps:
Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus.

Dormiebat ergo, aiunt, in Vulture *Appulo* (ſic de parte, quae Apuliae erat, totum montem συνεκδοχῇ Appulum vocavit) in ea tamen montis parte, quae extra limen Apuliae erat, & ad Lucaniam pertinebat. Haec illi: ſed miſeret me Horatii, ſi tali auxilio & iſtis defenſoribus eget. Quid enim? quis in proletario quovis poëta hoc ferret, ut in unam ſententiam haec ζεύγλυφα congereret? Eſto, ut pars Vulturis in Lucaniam pertigerit (quod tamen non probant) & hoc voluerit Horatius: certe in eodem loco & eodem pene verſu non totus mons dicendus fuerit *Appulus*. Si hoc ei condonamus; etiam quidvis quantumvis ineptum albo calculo probare poſſumus. Quid vero ad rem attinet? quem ſcopum ferit? quid tam dignum memoratu, ſi modo in Vulture dormiebat, utrum hac vel illa parte jacuit? cum in tota fortaſſe Roma vel duo vel nemo erat, qui in Vulture confinia illa agnoſceret. Imo vero, cum ne Venuſium quidem ipſum, oppidum ſatis celebre, utrum Appulorum an Lucanorum eſſet, ſcire ſe profiteatur: qui fit, ut in montis avii ſaltibus tam peritus agrorum metator hanc partem Apuliae, illam Lucaniae adſignare ſciret? Ergo is ipſe locus, quem advocatum ſibi duxerunt, Serm. II, 1. *Lucanus an Appulus, anceps*, adverſus eos cauſam dicit, & interpretationem illam prorſus evertit. Proinde alia pars interpretum nomen Mulieris hic intelligunt, *cujus extra limen* evagatus puer Horatius in monte Vulture obdormierit. Melius profecto, quam illi alteri: ſi *Apulia* aut nomen aut cognomen eſſe poſſet. Sed nulla talis familia, neque cognomen uſquam occurrit. *Apuleiae* quidem plurimae reperiuntur, ſed verſus eas recuſat. Poteramus quidem levi mutatione rem conficere,

Altricis extra limen Amuliae,
Altricis extra limen Aquiliae:

niſi ineptum plane & abſurdum foret, de nutricis nomine hic cogitare? Quid? ille ne *patre Libertino & pauperculo* natus, qui num-

Digitized by Google

quam Patrem ipsum aut Matrem in scriptis suis nomine appellavit, nutriculae suae nomen ingereret? qualem vero altricem in tam paupere domo? ancillulam scilicet sole coctam, cui nomen *Phrygiae* credo, aut *Syrae*. Nisi potius, servulae inopia, eadem illa quae peperit, mammam dederit. Cave credas igitur, tam vanum & stolidum fuisse Nostrum, ut sicut Aeneas nutricem Caietam, ita hic *Damae aut Dionysii filius* suam memoriae traderet. Quid itaque fiet? haeret profecto aqua: neque quicquam juvant aut enarratores aut codices. Periclitemur paullulum, an conjectura aliqua non socordi laboranti poetae succurrere possimus. Gloriatur hic Noster, se ab ipsis incunabulis Diis charum & dilectum fuisse: id eo argumento, quia *puer* olim, imo *infans*, ut versu 20,

Non sine Dis animosus infans,

ludo fatigatus, obdormiisset solus in monte deserto: ubi mirum, ni a viperis esset morsus, vel devoratus ab ursis, qui in iis regionibus frequentes, ut Ovidius Halieutico:

Foedus Lucanis *provolvitur* ursus *ab antris*:

at tandem a suis inventus est, adhuc somno devinctus, sospes & incolumis a feris & serpentibus, quinetiam laurea myrteaque fronde a palumbibus tectus. Hoc miraculi instar de se narrat; unde jam tum per viciniam famam esse ditatam, magnum aliquid de puero isto deos portendere. Recte igitur & ex decoro addit, *extra limen altricis* vagatum esse; quippe de se *infante* hic loquitur, cum adhuc sub nutrice esset. Idque auget miraculi vim, quod solus, a nutricis domo evagatus, sospes tamen evaderet; si enim cum nutrice & domesticis fuisset, nihil adeo admirandum esset. Omnia igitur belle haberent, si modo illud APULIAE removere aliquo possemus: neque enim nomen mulieris id est, neque nutrix hic nomine suo indigitari debuit. Equidem crediderim sic ab Horatio scriptum esse; *Altricis*, sive ut alii codices, *Nutricis*,

Me fabulosae Vulture in Appulo,
Nutricis extra LIMINA SEDULAE:

Nam primo *Limina* de una domo dicitur, ut Virgilius Aen. I, 392. [na *perfer*:

Perge modo, atque hinc te reginae ad limi-

& sic idem alibi, aliique passim. Deinde *sedulae* perpetuum est *nutricis* Epitheton, ut Noster in Arte Poet. v. 116.

Maturusne senex, an adhuc florente juventa
Fervidus; &, matrona potens, an sedula nutrix,

Ovidius Epist. Cydippes.

Sedula *me* nutrix *alias quoq; ducit in aedes.*

& Metam. X. 438.

Nacta gravem vino Cinaram male sedula nutrix.

& paullo ante v. 409. ipsa nutrix loquitur, *& in hoc* mea (*pone timorem*)

Sedulitas *erit apta tibi.*

Festus Avienus in Arateis:

Sique sues lentae, si lanae sedula nutrix.

Porro neque literae ipsae in LIMINA SEDULAE multum abeunt a LIMEN APULIAE: & praeterea credibile est Librarium in ultimam vocem prioris versus *Appulo* conjecisse oculos, eoque errore in sequenti reposuisse *Apuliae*. Id vero quam sollemniter peccent exscriptores, probe sciunt, quibus datum est membranas veteres triviisse.

v. 27. DEVOTA NON EXTINXIT ARBOS] *Arbos* jam ab annis plus centum in omnibus editionibus visitur: cum & Loscheri & Veneta & membranae meae omnes uno consensu exhibeant ARBOR. Sic & omnes Pulmannianae: ne de caeterorum codicibus dubites, etsi ipsi dissimulent. Quae haec prurigo est, ut, nullo commodo, contumeliam facere aveant libris vetustis? Ita supra Carm. II, 11. *honos* pro *honor* contra omnium Mss. fidem suppositum; cum tamen versus ipse, *floribus est honos vernis*, talem correctionem sibilo explodaret.

v. 31. TENTABO ET ARENTES ARENAS LITORIS ASSYRII VIATOR] Editio Veneta 1478 ARENTES; at Loscheri 1498 URENTES; eademque est varietas in libris scriptis: unde pro vario hominum captu etiam nuperiores editiones nunc hanc, nunc illam lectionem repraesentant. Neque sane multum interest; utraque enim proba est & fidejussores suos habet. *Urentes* Leidensis noster & Reginensis, cum aliis inferioris notae. Seneca Nat. Quaest. II, 30 *Aetna aliquando multo igne abundavit, ingentem vim* ARENAE URENTIS *effudit.* Curtius VI, 18 de Bactriana regione: Arenas *vapor aestivi solis* accendit; *quae ubi* flagrare *caeperunt, haud secus quam continenti* incendio *cuncta torrentur.* Idem IV, 8. de Ammonitide: *Steriles* arenae *jacent*, quas *ubi vapor solis* accendit, fervido *solo* exurente *vestigia, intolerabilis aestus existit*: & paullo post, *Et in arido solo & fervido* fabulo *nulla erat aqua.* Sic *calida arena*; ut Silius Italicus, de Adyrmachidis Libyca gente, lib. III.

Sed mensis asper populus, victuque maligno:
Nam calida *tristes epulae torrentur* arena.

& Marius

Digitized by Google

& Marius Victor lib. II.

Auſtralis Libye calidis *quod nutrit* arenis.

& Alcimus Avitus lib. V.

o terque quaterque beati,
Quos morte abſumtos calidis *Aegyptus* arenis
Condidit.

ſic *arena incenſa*, Claudianus II Ruſin. 241.

Te vel ad incenſas *Libyae comitabor* arenas.

Sic *fervens* & *ardens arena*, Plin: Hiſt. VII, 1. *Gymnoſophiſtas* ferventibus arenis *toto die alternis pedibus inſiſtere.* Boëtius Conſol. Philoſ. II, 6.

Quos Notus ſicco violentus aeſtu
Tollit ardentes *recoquens* arenas.

Seneca Nat. Quaeſt. IV, 2. de Aethiopia: *Saxa velut igni ferveſcunt, non tantum medio, ſed inclinato quoque die:* ardens pulvis, *nec humani veſtigii patiens.* Non male igitur, ſiquis URENTES *arenas* apud Horatium legerit. Neque tamen deterior eſt lectio altera, ARENTES; quam inter alios codex Graevianus magnae vetuſtatis exhibet, & praeter ſimilia Scriptorum loca, ſuavis ille ſyllabarum concurſus, *arentes arenas*, magnopere commendat. Silius Italicus lib. V.

Turbidus arentes *lento pede ſulcat* arenas
Bagrada. quod a Lucano hauſit, lib. 588.
Bagrada lentus agit, ſiccae ſulcator arenae.

Corippus Africanus, IV.

Cogit dura ſitis, cumuloſque arentis arenae
Objiciunt, pinguiſque ſoli declivia claudunt.

Dracontius Hexaemero.

Arida *vipereos angues ſuſcepit* arena.

Seneca Herc. Fur. 319.

Cum per arentem *plagam,*
Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas.

Avienus in deſcriptione Orbis.

Aret *humus, caſſaeque ſolo torrentur* arenae.

Claudian. Conſ. Honor. IV, 436.

Libyes arentis arenas
Audebit ſuperare pedes.

Ita codex vetus teſte Heinſio: vulgati, *Libyae ſqualentis.* Sulpicius Severus Dialogo 1. de Libya: *Nulla ibi ſemina, germina nulla proveniunt: quippe inſtabili ſolo,* ARENTIBUS ARENIS *ad omnem motum ventorum cedentibus.* Caeterum, quid illud, quaeſo eſt, *Litoris Aſſyrii*, cum Aſſyria non ſit regio maritima, ſed mediterranea? Recte Scholiaſtes Acron: *Litus etiam camporum extremitatem veteres dicebant.* Proinde tu hic intellige arenoſos campos Aſſyriae, ubi Craſſus cum toto exercitu periit: ii erant in *confiniis* Arabiae & Aſſyriae, Αραβίων καὶ Ασσυρίων μεθορίᾳ, ut in Craſſo Plutarchus. *Litoris* ergo *Aſſyrii*; hoc eſt, extremitatis, marginis, orae, confinii. Sed & alia ratio eſt, cur *litus* vocet: quippe arenae illae ingenti planicie undique porrectae potius *litoris* vel *aequoris* quam terreſtris regionis ſpeciem oſtentant; ut ibidem Plutarchus, Οὐ φυτὸν ἐρῶσιν, ἄσκοπον ὄρος καθιείς, ἀλλ' ἀπείρου ΠΕΛΑΓΟΣ ΤΙ ΧΕΥΜΑ, ΘΙΝΩΝ πολὺν ἐρήμων πεδιάδων τὸ ἄστατον. Sic de arenis Bactrianis Curtius VI, 18. *Camporumque non alia quam vaſti & profundi maris ſpecies eſt.* Seneca loco ſupra citato:

Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas.

V. 38. FESSAS COHORTES ABDIDIT OPPIDIS] *Abdidit* habent Editiones principes Veneta & Loſcheri: unde in omnes ſequentes derivatum eſt. Quod defendunt Interpretes ex alio loco Epiſt I. 1.

Veianius, armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

Atqui hoc aliud eſt, nempe *occultatus, abſconditus, latens*; ut Suetonius in Tiberio 12. *Enimvero tunc non privatum modo, ſed etiam obnoxium & trepidum egit, mediterraneis* agris abditus, *vitanſque praeternavigantium officia.* Certe, non metu, neque ut ibi laterent, cohortes ſuas in oppida miſit Auguſtus: ſed aut miſſionem eis & agros militiae praemia daturus, aut in hibernis eos collocaturus. Quare melior omnino lectio eſt, quam neque pauciores neque deteriores codices exhibent; REDDIDIT: ex meis certe Bodleiani duo, Galei, Battelianus, Colbertinus pro varia lectione. Atque his aſtipulantur Graevianus vetuſtus, qui a prima manu habuit REDDITIS, ut ad Muſas referatur; & Reginenſis, qui REDDITAS. Cohortes ſcilicet, quas ex *oppidis* deduxerat, cum dilectum inſtitueret militum, jam tandem *miſſione* facta *oppidis* ſuis *reddidit.* Nihil verius. Noſter Epiſtola I, 7. *Vitae me* redde *priori.* Tacitus Annal. I, 17. de re eadem. *An praetorias cohortes, quae binos denarios acciperent, quae poſt ſexdecim annos* penatibus ſuis reddantur, *plus periculorum ſuſcipere?* Et ſimiliter Hiſt. II, 69. *Cohortes Batavorum in Germaniam remiſſae:* reddita civitatibus *Gallorum auxilia.* Caeterum non contemnenda eſt doctiſſimi Lambini conjectura, ubi pro *feſſas* reponit *feſſus*; adeo ut locus totus conſtituatur hunc in modum,

Vos Caeſarem altum, militia ſimul
Feſſus *cohortes* reddidit *oppidis,*
Finire quaerentem labores

Digitized by Google

Pierio recreatis antro.

Quippe ea quae sequuntur, *quaerentem finire labores*, & *recreatis Caesarem*, efflagitant potius, ut ipse Caesar, quam Cohortes, militia defatigari dicatur. Utinam accederet MStorum auctoritas! tamen, vel reclamantibus eis, vera emendatio est.

v. 44. FULMINE SUSTULERIT CADUCO] Nemo ex omnibus scriptoribus, praeter Nostrum in hoc loco, *fulmen* vocavit *caducum*. Non indignus itaque nodus erat, in quo interpretum cura & industria se exerceret. Nihil tamen hic proferunt praeter unicum locum ex Carm. II, 13.

Te triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Quasi vero nihil discrepet, utrum *lignum* prae senio & carie sponte sua ruinosum, an *fulmen* magna manu Tonantis missum & contortum, *caducum* appelletur. Nos verbum & sententiam ipsam considerabimus diligentius. *Cadere* & *decidere* fulmen passim apud Auctores dicitur: neque exemplis in re manifesta est opus. *Caducum* tamen *fulmen*, ut jam dixi, nemo quisquam appellavit. Quid ita? nempe quia *Caducus*, etsi a *cadendo* ductum sit, notioni tamen cadendi semper superaddat infirmitatem, debilitatem, fragilitatem: adeo ut non quaecumque quoquo modo cadant, *caduca* recte dicantur: sed ea sola, quae sponte & suapte imbecillitate ad casum & ruinam tendant. Ita *lignum caducum* apud Nostrum, quia prae vetustate diutius stare non potuit; ita alii, *folia caduca*, *glandes*, *frondes*, *flores*, *guttas*, *rivos*, *lacrimas*, *spes*, *res caducas*, & similia, dixerunt. Quid? anne hoc sensu fulmen in Gigantas actum *caducum* vocitandum est? Haud vidi magis. Sed praeterea vide modo hoc Senecae, de Fulgure sive fulmine, Nat. Quaest. II, 23. *Credibile est*, ait, *& verisimile*, ignem caducum *excuti*, *& cito interiturum*, *quia non ex solida materia oritur*, *nec in qua possit consistere*. Differt igitur inane Fulgur a Fulmine, quia illud *ignis caducus* debilisque sit, *& cito interiturus*: hoc, aliud quid longe fortius & majus. Quid igitur? an bonus ille Juppiter, tum cum maxime caelo suo & imperio metuebat, tam *caduco igne* & debili fulmine contra Titanas usurus erat? Porro autem tralatitium est, *Jovis telum* a poëtis nuncupari fulmen: ut, praeter alios, Ovidio in Ibide,

Aut Jovis infesti telo *feriare trisulco*:

& Amor. II, 5.

Excutere irato tela *trisulca Jovi*,

atqui *telum caducum* est debile & cassum, nullo impetu, & invalido brachio tortum; ut ostendet tibi Propertius Horatii nostri & Maecenatis Sodalis, IV, 2.

Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fuga.

Ergo lassus, opinor, & viribus defectus Juppiter *caducum telum* & cassum fulmen in Enceladum & fratres jaculatus est. Quin potius centum Librariis fides abroganda est, quam ut Horatium credamus hujus culpae affinem esse potuisse. Crediderim equidem, si res ipsa sineret, ex Aeschylo hoc expressisse Nostrum, qui κέραυνον ΚΑΤΑΙΒΑΤΗΝ dixit, in Prometheo v. 358. ubi Typhöea, ut hic Horatius, a Jove fulminatum narrat,

Ἀλλ' ἦλθεν αὐτῷ Ζηνὸς ἄγχιστον βέλος,
Καταβάτης κέραυνος, ἐκπύπων φλόγα.

quippe καταβάτης venit a καταβαίνειν, *descendere*, *demittere*: quod a *Cadendo* non procul abest. Verum obstat, ut dixi, auctoritas & sermonis Latini ratio, quae nihil quicquam *caducum* dicit, nisi quod infirmum & debile est. Quod si acrius contendat quispiam, potuisse Flaccum nove dicere *caducum fulmen* pro *cadente* sive καταβάτῃ; idem tamen fateatur necesse est, & incautum, & infelicem hic fuisse Nostrum: cum & ridicule plane in Ambiguum inciderit, & neminem post se habuerit, qui sequi & imitari vellet. Sed non ita est: neque dubitare possum, quin levi mutatione sic locus sit refingendus, qualis a poëtae manu primum profectus est;

scimus ut impios
Titanas, immanemque turmam
Fulmine sustulerit CORUSCO:

tam apto & forti & usitato hoc epitheto, quam illo altero inepto, debili, & inaudito. Ipse alibi Carm. I, 34. *namque Diespiter*

Igni coruscо *nubila dividens.*

Virgil. Aen. VIII, 391. [ruscо

Non secus atque olim tonitru *cum rupta cо-*
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

& Georg. I, 328,

Ipse pater media nimborum in nocte coruscа
Fulmina *molitur* dextra. Ovid. Fast. VI.
Signa dedit genitor, tũ cũ caput igne coruscо
Contigit. Lucret. VI, 236 de Fulmine.
usque adeo pollens fervore coruscо.

Valerius Flaccus I, 622.

Cum picei fulsere poli, pavidamque coruscae
Ante ratem cecidere faces. & VI, 55.
Nec primus radios, miles Romane, corusci
Fulminis, *& rutilas scutis diffunderis alas.*

Statius Theb. I, 216. *tardit saevire* coruscо Fulmine.

Silius Italicus VI. *quater inde* coruscum

Con-

Digitized by Google

Contorſit dextra fulmen. Idem lib. VIII.
Axe ſuper medio, Libyes a parte, coruſcae
In Latium venere faces.
Et lib, XV. *bis terque* coruſcum
Addidit augurio fulmen *pater.*
& iterum.
Ut torrens, ut tempeſtas, ut flamma coruſci
Fulminis.
Severus in Aetna, de Jove & Gigantibus;
Juppiter e caelo metuit, dextramque coruſca
Armatus flamma *removet caligine mundum.*
Auctor de Morte Druſi.
Hoc fuit Evadne, tunc cum ferienda coruſcis
Fulminibus *Capaneus impavida ora dedit.*
Petroniusde Mutat: Reipub.
Vix dum finierat, cum fulgure *rupta* coruſco
Intremuit nubes, eliſoſque abſcidit ignes.
Seneca Oedip. 1029.
Non ſi ipſe mundum concitans Divûm ſator
Coruſca *ſaeva* tela *jaculetur manu.*
Auſonius Epiſt. XXI.
Flammis coruſci fulminis *vibrator.*
Cicero Tuſcul. II, 9. *tuque caeleſtium ſator,*
Jace, obſecro, in me vim coruſcam fulminis:
Sed jam nimii ſumus: i nunc, &, ſi potes, *caducum potius fulmen* ab invalida Jovis dextra, quam a terribili brachio *coruſcum* in Gigantas tortum crede.

v. 46. ET URBES, REGNAQUE TRISTIA, DIVOSQUE MORTALESQUE TURBAS] Editio Veneta omnium princeps TURMAS, & ſic major pars Codicum: at Loſcherus *Turbas*, cum Batteliano noſtro & Petrenſi. Recte. Nam jam praeceſſerat, *Immanemque Turmam*; neque ea vox bis inculcari debet. Verum ibi quoque codices aliquot, *Immanemque Turbam*, non *Turmam*. Nimirum hoc certum eſt, aut ibi eſſe legendum *immanemque turbam*, & hic *mortaleſque turmas*; aut ibi *turmam* & hic *turbas* poni oportere. Neque hilum fere intereſt. Sed jam totum locum videamus, ne inani forte verborum ſtrepitu pulſet potius aures, quam ſenſu animum tangat:

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum & urbes, regnaque triſtia:
Divoſque mortaleſque turbas
Imperio regit unus aequo.

Jam dic, obſecro quid ſibi velit, *urbes & mortales turbas*? Enimvero hoc ineptum eſt, & Tautologia mera. Niſi forte *urbes*, non hominum coetus, ſed lapidum & lignorum congeriem ſtulte hic interpretari velis. Corrige vero mecum, & diſtingue cum vetere Scholiaſte:

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum; & UMBRAS regnaque triſtia,
Divoſque, mortaleſque turbas
Imperio regit unus aequo.

Unus regit omnes, Deos, homines, inferoſque. *Umbras & regna triſtia*; ut Seneca Medea v. 10. *noctis aeternae chaos,*
Averſa ſuperis regna, maneſque *impios,*
Dominumque regni triſtis.
Idem Oedipo, 869. *tuque tenebrarum potens,*
In Tartara ima, rector umbrarum, *rape.*
Virgil. Aen. V, 735. *non me impia namque*
Tartara *habent*, triſteſque umbrae.
& alii paſſim.

v. 64. DELIUS ET PATAREUS APOLLO] Codex noſter Vigornienſis, DELIOS; ut utrobique Graeca enunciatio ſit, *Delios & Patareus*, Δήλιος & Παταρεύς; non, ut Latini, *Delius & Patarenſis*.

v. 69. CENTIMANUS GYGES] *Gyges*ne an *Gyas* hic dicendus ſit, jam ſupra diſſeruimus ad Carm. II, 17. ut & de *Rhoeto* verſu hic 55, diximus ad Carm. II, 19. Ceterum male hic in omnibus hoc & ſuperiore ſaeculo editionibus diſtinguitur, *Teſtis mearum centimanus Gyges Sententiarum notus:* tu vero interpunge:

Teſtis mearum Centimanus Gyges
Sententiarum, notus & integrae
Tentator Orion Dianae.

Sic Carm. I. 37. *Fortis & aſperas Tractare ſerpentes:* ubi pari modo a pleriſque peccatum erat. In vulgata diſtinctione, & ſententiae vis perit, & collocationis gratia. Nam ſi *notus* adeo *teſtis*, quid opus ut hic citetur? *notus* vero *tentator Orion*, quippe quem Mythologi & Poëtae paſſim commemorant. Porro eodem, quo nos, modo interpungunt Editiones Principes Veneta & Loſcheri; tum MSti Graevianus, Reginenſis, Batteliānus, Petrenſis, aliique, cum Porphyrione Scholiaſta.

CARMEN V.

v. 8. CONSENUIT SOCERORUM IN ARMIS] Ita omnes, credo, qui nunc extant, codices, ARMIS. Non placet. Quomodo enim in *Socerorum armis*, ſi ſub *rege Medo* erant? Certe non *ſoceri*, ſed *rex ipſe* militibus arma miniſtrabat. Deinde non queritur, Craſſi milites captivos contra patriam tuliſſe arma; quod & falſum & inauditum: ſed illud indignatur, quod verum erat,

Digitized by Google

vivos captos in ſervitute apud Parthos conſenuiſſe, quin & uxores ibi duxiſſe, Romani nominis oblitos. Quare diu eſt, cum legendum vidi, *arvis*, non *armis*, ut & Tanaquil Faber:

Conſenuit ſocerorum in ARVIS:

quod & poſtea ſagaciſſimum Heinſium ſenſiſſe didici, cujus haec notula in exemplaris ſui margine, *Forte Arvis*. Rectiſſime: ſic enim Seneca Epiſt. XLVII in re ſimili. *Variana clade, quam multos ſplendidiſſime natos fortuna depreſſit: alium ex illis* paſtorem, *alium* cuſtodem caſae *fecit*. Ergo ut poſt cladem Quintilii Vari, multi Romanorum per Germaniam; ita poſt cladem Craſſi, per Mediam in *arvis* conſenuerunt, hi paſtores facti, illi caſarum cuſtodes. Id autem ſollemne fere apud veteres, ut captivi ad *arva* colenda adhiberentur: ut Euripides in Rheſo v. 74.

Οἱ δ' ἐν βορείοις ἅρμιοι λελησμένοι
Φευγὼν ἀέθλους ἐκμαθοῦσι γηπονεῖν.

& mox v. 175.

Οὐ μὴν τὸν Οἰνέως παῖδα μ' ἐξαλεῖς λαθεῖν.
Κωγὼ γεωργεῖν χεῖρας οὐ πεφυκμένας.

Quin & olim ARVIS legerunt veteres Scholiaſtae: quorum hic interpretatur, *Oblitos Romanae virtutis apud Parthos* RESEDISSE; alter, *Velut propriis in* SEDIBUS *omnem jam aetatem agerent*. Quae certe verba non cum *Armis*, ſed *Arvis* conveniunt.

v. 10. ANCILIORUM, NOMINIS, ET TOGAE] Ita codices aliquot ſcripti, & jam pleraeque editiones. Sed conjunctionem ET inſerunt Loſcherus & Veneta,

Anciliorum, & nominis, & togae:

& ſic noſtrae Membranae, Graevianae, Reginenſes, cum pluribus aliis: quin & ſic legitur apud Charifium pag. 46. Cledonium pag. 1898 & Servium ad Virgilii Aen. VII, 188. Recte: ut vitetur ambiguum, ne *nomen anciliorum*, non *nomen Romanum* forte intelligas. Imitatus eſt hunc locum Florus, IV, 9. de Antonio: *Sed patriae*, nominis, togae, *faſcium* oblitus, *totus in monſtrum illud deſciverat*: Quod & ante nos vidit optimus & doctiſſimus Torrentius.

v. 15. ET EXEMPLO TRAHENTI] Ita primus ex conjectura repoſuit vir eruditus Gulielmus Canterus, in Novarum Lectionum VII, 30. ex quo tempore plerique in ipſum Verſum receperunt: cum in vetuſtis editionibus, & codicibus, credo, qui nunc extant, omnibus habeatur *trahentis*, hunc in modum:

Hoc caverat mens provida Reguli
Diſſentientis conditionibus
Foedis, & exemplo trahentis
Perniciem veniens in aevum.

Quae ineptam plane ſententiam efficiunt, & poetae menti prorſus contrariam. Enimvero, ſtante hac lectione, ſic locus refingendus eſſet,

Foedis, NEC *exemplo trahentis*:

hoc eſt, repudiantis foedas conditiones, *neque* malo ſuo exemplo trahentis perniciem in poſteros. Sed melius omnino Canterus, qui literula una ſemota clarum ſenſum reddidit, ita ut *conditiones illae foedae* ſint *exemplum* trahens perniciem. Livius II, 43. *Injuſſu ſignа referunt, maeſtique redeunt in caſtra: nec huic tam* peſtilenti exemplo *remedia ulla ab imperatore quaeſita ſunt*. Minime itaque ſua laude fraudandus eſt Canterus. Sed, cum mirum mihi viſum eſſet omnes ubique codices *Trahentis* exhibere; neque quicquam in Canteriana Lectione difficultatis appareret, quod Librarios poſſet offendere, ſi eam in ſuis codicibus umquam reperiſſent: ſubiit animum latuiſſe forte hic olim elegantis aliquid & reconditae conſtructionis, quod non intellectum in fraudem eos injecerit. Et e veſtigio ſuſpicionem noſtram res ipſa confirmavit; ſic enim ſcripſerat Horatius,

Diſſentientis conditionibus
Foedis, & EXEMPLI TRAHENTIS
Perniciem veniens in aevum:

hoc eſt, *Conditionibus, quae faedae erant & perniciosi exempli*. Ita ſolebant hanc vocem genitivo caſu proferre: quam ſtructuram cum ignorarent boni Librarii, locum contaminarunt. Suetonius Aug. 32. *Pleraque* peſſimi exempli *correxit, quae in* perniciem *publicam extiterant*. Idem Vitell. 10, *Quicquid cohortium praetorianarum fuit, ut* peſſimi exempli, *uno exauctoravit edicto*. Plin. Nat. Hiſt. VII, 16. *In feminis ea res* inauſpicati *fuit* exempli. Quintilianus Declam. VI. *Illa* exempli *mulier, illa ſaeculi decus, virum redimi noluit*. Livius I, 28. *Primum ultimumque illud ſupplicium* exempli *parum* memoris *legum humanarum fuit*. II, 55. *Sub hac* peſſimi exempli *victoria delectus edicitur*. III, 44. *Vir* exempli recti *domi militiaeque*. IV, 48. *De ſeditione, quam Maecilius Metiliuſque largitione* peſſimi exempli *concirent*.

v. 17. SI NON PERIRET] Glareanus vir ſua aetate doctus, ex conjectura olim repoſuit,

Si non perirent *immiſerabilis Captiva pubes*:

ut Virgilius, *Pars in fruſta ſecant*; & ſimilia paſſim. Quippe, ait, in caeſura hac ſemper longam ſyllabam adhibet Horatius. De qua re dixi ad Carm. III, 2. v. 1. Tamen verſiculus hic ex memoria exciderat, cum ea typographo traderem.

v. 33.

Digitized by Google

v. 33. QUI PERFIDIS SE CREDIDIT HOSTIBUS] Nemo usquam sic locutus est, *credidit se hostibus.* Scribe aut TRADIDIT, aut DEDIDIT; utrum velis, nihil interest: sed hoc aliquanto propius accedit ad lectionem receptam. Silius Italicus lib. X.

Succinctique dolis, fugerent ceu Punica castra,
Dediderant *dextras.*

Cicero de Officiis III, 29. *Quod ni ita esset, numquam claros viros Senatus vinctos* hostibus dedidisset. & paulo post, *Qua rogatione accepta,* est hostibus deditus. Pomponius, Digest. lib. 50. Tit. 7. Leg. 17. *Itaque eum, qui legatum pulsasset, Quintus Mucius* dedi hostibus, *quorum erant legati, solitus est respondere.* Cicero de Invent. II. *Imperatore* Samnitibus dedito, *quidam in Senatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit,* dedi *oportere.* & mox, Dedendus ne *sit* hostibus, *nec ne.* Quintilianus Instit. III, 10. *Ut cum illis Opiterginis damus consilium, Ne* se hostibus dedant. Livius XXII, 60. *Nunc autem cum prope gloriati sint, quod* se hostibus dediderint. Ita ille & Caesar passim: ut Bello Gallico VII, 26. *Ne se & communes liberos* hostibus *ad supplicium* dederent. VII, 71. *Neu se in cruciatum* hostibus dedant. Corrigendus Quintilianus Declam. 339, ubi hunc Horatii locum respexisse videatur, *Ille vero, qui se inter virtutem hosti dedit* (lege, qui se in servitutem hosti dedidit) *qui abjectis armis parata* (lege, paratas) *in vincula praebuit manus, quam tandem nobis spem in posterum facit?* Multa ad hunc locum protert Lambinus, ut ostendat *credere* idem interdum esse quod *committere:* quid tum? *committere se hostibus* dicetur, qui in medios hostes ardore pugnandi armatus irruit. Atqui de hoc non agitur. Nihil sane ad rem attulit praeter hoc Ciceronis Epist. Fam. IV, 7. *Aut enim renovare bellum conati sunt, hique se in Africam contulerunt; aut, quemadmodum nos, victori se crediderunt.* Sed cum omnes fere Codices ibi *esse* habeant, non *se se; victores esse crediderunt:* vel, *se victos esse crediderunt:* apparet, postquam semel mendose scriberetur *esse,* tum posteriora interpolatum esse *crediderunt,* ut cum τῶ esse conveniret. Lego itaque etiam illic, *Aut, quemadmodum nos, victori se dediderunt,* vel, *tradiderunt.* Ipse Cicero de Officiis I, 31. *Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri, qui se in Africa* Caesari tradiderunt? Idem pro Sextio, 20. *Navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi* decidissent: *si id victores negarent, & mecum simul interire, quam me* tradere hostibus *mallent,* &c. Valerius Max. V, 5. *Non erat dubium, quin Falisci* traditurii *se nostro imperatori essent.* Caesar B. Gall. VII, 77 *Vitam toleraverunt, neque* se hosti transdiderunt.

v. 37. HIC UNDE VITAM SUMERET INSCIUS] *Inscius,* quia primas editiones Venetam & Loscheri possederat, postea in omnes propagatum est; neque quicquam de Lectionis varietate monent Lambinus, Cruquius, Torrentius, Pulmannus. Primus adeo Henricus Stephanus se fando audivisse narrat, *aptius* legi non *inscius* in vetusto libro Antonii Contii. Post hunc Bersmannus ex tribus quos inspexit codicibus unum habere *aptius* memorat. At sancte testari possum, ex Nostris Graevianum, Reginensem, Regiae Societatis, Petrensem, Bodleianum clare & sine litura APTIUS exhibere: neque aliter a prima manu Magdalenensem; & pro varia lectione Battelianum & Colbertinum. Quid ergo? an credibile est, ceteros Interpretes in nullis libris lectionem hanc reperisse; cum constet plane ex nostris, qui e variis regionibus huc in Angliam allati sunt, dimidiam fere librorum partem ei patrocinari. Sed sollemne est iis hominibus, quod non probent aut non intelligant, dissimulare ac supprimere. Nos totum locum, qui sane impeditissimus est, evolvere & emendare conabimur.

Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!

in quo illud, *timuitque mortem,* jure opinor redarguemus. Quid enim? minor certe culpa est *timere mortem,* quam, ea quae praecesserant, abjecisse arma, dedidisse se hostibus, & paratas ad lora manus praebuisse. *Timet* quidem *mortem* etiam fortissimus quisque: atque ita ipsa natura comparati omnes sumus. Is demum vir est, non qui omnino mortem non timet, sed qui minus, quam turpem vitam & salutem flagitio quaesitam. Noster alibi Carm. IV, 9.

Pejusque leto *flagitium* timet,
Non ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire.

Ergo praeter decorum minuit vim orationis, cum post caetera pudenda illud addit ut gravissimum, *Timuitque mortem.* Deinde quid sibi vult, HIC? *Hic unde vitam sumeret inscius.* Respondebunt, opinor, *Hic miles.* Atqui hoc coactum est plane, & Horatio indignum. Non enim de uno milite, sed de multis agitur, ut supra, *Et arma* militibus *sine caede, dixit, Derepta vidi.* Postea vero, cum in orationis cursu

ait,

ait, *erit* ILLE *fortis, qui perfidis se dedidit hostibus*: si de *illo* homine vocabulum *hic* intelligi velis. dicendum utique fuerit,

Ille, *unde vitam sumeret inscius.*

Atque hanc, opinor, ob causſam non jam pronomen esse, *Hic*, sed adverbium, etsi quantumvis inepte, credidit Scholiastes Acron. HIC, ait, *id est, in bello.* Quid multa? levi mutatione sententiae subveniet, qui sic legerit, & distinxerit,

Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem
HINC, *unde vitam sumeret* APTIUS;
Pacem ET *duello miscuit.*

Hinc timuit mortem, *unde* aptius vitam sumeret. Ut alibi Carm. III, 11.

Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, *detur.*

hinc, id est, a pugna, ferro, manu: *unde* viri fortes aptius vitam quaerunt, quam deditione aut fuga. Homerus Iliad. O, 741.

Τῷ σὺ χερσὶ φάος, ἠ μελιαχίῃ πολέμοιο.

Salust. Jugurth. 39. *Ante omnes infesti ac maxime, qui bello saepe praeclari fuerunt; quod armatus*, dedecore *potius, quam* manu, salutem quaesierit. Paterculus I, 2. *Quis enim* (Codrum) *non miretur, qui iis artibus* mortem quaesierit, *quibus ab ignavis* vita quaeri *solet.* Deinde addidimus ET: *pacem* & *duello*: facile enim a Librariis id omissum, ubi sine versus dispendio fieri potuit; ut supra in hoc ipso carmine,

Anciliorum, nominis, & togae:

pro *& nominis.*

v. 38. O PUDOR] Notandum illud, *O pudor*; hinc enim defendi debet recepta lectio apud Ovidium Epist. Deianirae vers. 111, de Hercule, cum apud Omphalam desidêret, & leonina pelle illam indueret:

O pudor! *hirsuti* costis *exuta leonis*,
Aspera texerunt vellera molle latus.

ubi perperam praestantissimus Heinsius ex paucis codicibus reposuit *Propudor!* deinde multo infelicius *costas* edidit ex unico libro; *elegans*, ut ait, *Graecismo*. Dolet virum insignem alibi hic mentem habuisse. Certe cum Virgilius dixit Aen. IV. 517.

Unum exuta pedem *vinclis*,

exuta pedem *suum* subintelligimus; atque ita in omnibus ubicumque Graecismi hujus exemplis. Potesne igitur dicere, *vellera exuta costas suas?* an vellera costas habent? Sed hoc obiter. Valerius Flaccus VIII, 269. *nobis*,

O pudor, & muros & stantia tecta reliquit.

Ita edidit & ipse Heinsius: neque variant codices.

v. 43. A SE REMOVISSE.] *A se* habent recentiores & codices & editiones. At Veneta princeps, & membranae meliores, Graevianae, Leidenses, Reginenses, Zulichemianae, Batteliana cum aliis nostris; crede & multis aliorum; AB SE. Recte.

v. 51. DEMOVIT OBSTANTES PROPINQUOS] Loscherus edidit, obstantes *amicos*; & sic sane libri nostri Graevianus, Reginenses, cum quatuor aliis. Atqui hoc versu abhinc quarto praecesserat, *Interque maerentes amicos.* Recte *propinquos*, ut editio Veneta cum bona parte membranarum. Cicero de Officiis I, 13, quem locum Horatius ante oculos videtur habuisse. *Primum, ut venit* (Regulus) *captivos reddendos non esse in Senatu censuit: deinde, cum retineretur* ab amicis & propinquis, *ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere.* Idem de Amicitia c. 12. *Hunc etiam* (T. Gracchum) *post mortem secuti* amici & propinqui, *quid in P. Scipionem effecerunt, sine lacrimis non queo dicere.* Quintilianus Decl. VI. *Pessime de tua feritate sentirem, si in quacumque filii curatione non adhiberes* propinquos, *non interrogares* amicos. Ita alibi haud semel ea verba sic junguntur.

CARMEN VI.

v. 10. NON AUSPICATOS CONTUDIT IMPETUS NOSTROS] Scabrum profecto hoc est, *inauspicatos impetus nostros*, & pedestri orationi, quam carmini, similius. Vix crediderim ab Horatio profectum esse. In Prisciano p. 891. ubi hunc versiculum adducit, sic hodie legitur,

Inauspicatos contudit impetus Nostris.

Sed in duobus, quos versavi, codicibus ibi quoque *Nostros* habetur: in tertio tamen, eoque vetustissimo & optimo, *Nostris*, & supra emendatum *Nostros*. Imo vero rectissime habet *Nostris*, casu dativo, ut Serm. II, 7.

postquam illi *justa cheragra*
Contudit *articulos.*

Nostris autem hoc est, *Romanis*; ut passim Historici Latini, ubi de Suis loquuntur. Hirtius Bello Gallico VIII, 10. *Quae res etsi mediocre detrimentum* Nostris *afferebat.* & 12. Nostri, *explorato hostium consilio, ad proeliandum animo atque armis parati.* Poteris etiam legere

NOSTRO-

Digitized by Google

NOSTRORUM; idque fortasse melius:

Non auspicatos contudit impetus
Nostrorum, *& adjecisse praedam.*

Impetus nostrorum; ut iisdem verbis Caesar Bello Civili II. 25. *Neque vero primum* impetum nostrorum *Numidae ferre potuerunt:* & ibidem 41. *Numidae integri celeritate* impetum nostrorum *effugiebant.* Et III, 51. *Neque vero conspectum aut* impetum nostrorum *tulerunt.* Sic & alibi ipse aliique. Certe hac correctione & verbis & sententiae novus nitor accedit.

V. 20. IN PATRIAM POPULUMQUE FLUXIT] Ita quidem codices ad unum omnes; numquam tamen a me impetrabunt, ut huic lectioni calculum apponam. Quid enim? Ex adulteriis, inquit, tamquam ex fonte, derivata clades in *patriam populumque* fluxit. Quid vero aliud est *patria*, quam *populus*? nisi forte in *patriam terram* & *solum* perditissimi illi mores fluxerint. Non adeo jejunus rerum, aut judicii vacuus erat Nostor, ut otiosum illud Synonymum, quasi diversum quid, ingereret. Vix dubito, quin sic scripserit Horatius,

Hoc fonte derivata clades
INQUE PATRES *populumque fluxit:*

in *patres & populum*, hoc est, in universos cives Romanos, tam patricios & Senatores, quam plebem. Ea sollemnis formula est apud omne genus Scriptorum, quos hic pleno modio accumulabimus, ut audaciam hujus conjecturae numero ipso densisq; phalangibus sustentemus.

Virgil. Aen. IV, 682. [tresque
Extinxti me teque, soror, populumque pa-
Sidonios, urbemque tuam.
IX, 492.
Aenean acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt. Georg. II, 509.
hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque
Corripuit. Aen. VIII, 679.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum patribus populoque, *penatibus & magnis dis.*
Ovidius Metam. XV. [patresque,
Extinctum Latiaeque nurus, populusque
Deflevere Numam.
Martialis VII, 5.
Si desiderium, Caesar, populique patrumq;
Respicis, & Latiae gaudia vera togae.
VIII, 50. [treique.
Vescitur omnis eques tecum populusque pa-
IX, 49. [casti.
At tu continuo populumque patresque *vo-*
XII, 3.
Ille dabit populo patribusque *equitique legendum.*
Statius Silv. I, 4.
Quis mihi tot coetus inter populi patrumq;
Sit curae votique locus?
II, 5. *quod te maesti* populusque patresque
Ingemuere mori.
Theb. II, 443. *pudet heu* plebisque patrumque
Silius Italicus lib. X.
Quod vero reduci tum se populusq; patresq;
Offerrent. & XI.
Et senior manus & juxta populusque patresque.
Ausonius in Mosella, 409. [patresque
Quique caput rerum Romam, populumque
Tantum non primo rexit sub nomine.
Prudentius contra Symmachum II, 310.
cum scita patrum populique *frequenter*
In tabulis placiti sententia flexa novarit.
Lucilius apud Lactantium Div. Instit. V, 9.
Totus item pariterque dies, populusque patresque [quam.
Factare in duo foro se omnes, decedere nus-
Cicero de Divinat. I, 12. ex II lib. de suo Consulatu,
si solis ad ortum
Conversa, inde patrum *sedes* populique *videret.*
& mox ibidem, [tebat.
Voeibus Allobrogum patribus populoque *pa-*
Sidonius Apollinaris Epist. IX, 16.
Qui patrum ac plebis *simul unus olim*
Iura gubernat.
Claudian. Stilich. II, 116.
quos praeficit ipse regendis
Rebus, ad arbitrium plebis patrumq; *reducit*
idem IV Cons. Honor. 332.
Acrior interea visendi principis ardor
Accendit cum plebe patres.
idem Bello Gildonico, 46.
Armato quondam populo patriisque vigebam
Consiliis.

Ita edidit vir longe acutissimus Nicolaus Heinsius, cui Claudianus nitorem suum restitutum debet. Sed quid hic, obsecro, est *patriis consiliis?* Sunt verba deae Romae, ex prosopopoeia. Jam autem *patriis consiliis* est *patris mei consiliis*; neque alio sensu ea verba umquam accipi queunt. Ergo hic inepta & aliena sunt: neque enim Roma patre quoquam nata est. Figurate quidem *urbis parens* Romulus dictus est: sed non hic Romuli *consilia* aut *casam* intelligit, cum dicit verbis proxime sequentibus,

domui terras, urbesque revinxi
O *Legibus,*

Digitized by Google

Legibus, ad ſolem victrix utrumque cucurri. Ipſo Heinſio teſte, longe plures codices, nempe ex triginta omnibus ſeptem & viginti, *patrum* habent non *patriis*; & omnes, uno excepto, *armatis populis* non *armato populo*; porro & duo optimi, *conciliis*, non *conſiliis*: Lego igitur, unica duntaxat litera ſepoſita, [*bam*

Armatis quondam populi patrumque *vige-*
Conciliis:

certiſſima emendatione; *armatis conciliis populi patrumque*; ut mox verſu 53. *bellatoremque Senatum*, & 97. *Ille diu miles populus.* Valerius Flaccus VIII, 281.

patriae veniam da quaeſo ſenectae:
Quin omnes alti pariter populique patreſque
Mecum adſunt.

ubi idem Heinſius ex conjectura *alto* i. e. *mari*. Ego vero ſic legerim:

Quin omnes alii, *pariter* populuſq; patreſq;. hoc eſt, *excuſa modo patris abſentiam; alii omnes mecum adſunt.* Cicero de Legibus III, 4. *Cum* populo patribuſque *agendi jus eſto Conſuli.* Tacitus Annal. IV, 2. *Apud* patres & populum *celebraret.* XIII, 17. *Fovendum* patribus populoque *principem.* Livius I, 26. *Atrox viſum id facinus* patribus plebique. I, 40. *Apud* patres plebemque *longe maximo in honore Servius Tullius erat.* Sed jam ſatis ſuperque exemplorum eſt: quare finem hic faciemus, ne omnia cum ipſo pulviſculo corradere videamur. Id vero ingenuitatis eſt noſtrae, ut locum unum & item alterum non praetereamus, quae receptae apud Noſtrum lectioni primafronte patrocinantur. Prior apud Ovidium eſt Metam. XV, 572. ubi Cipus loquitur civis Romanus;

Quicquid, ait, Superi, monſtro portenditur [*Quirini*;
iſto,
Seu laetum eſt, patriae *laetum* populoque
Sive minax, mihi ſit.

Quid nunc fiet? nonne magno conatu nihil egimus? Ecce enim tibi, plane ut apud Noſtrum; *patriae populoque.* Ego vero & hic corrigendum eſſe contendo, [Quirini,

Seu laetum eſt, patribus *laetum* populoque hoc eſt, ut in Monumentis veteribus ſollemne habetur, *Id felix fauſtumque ſit Senatui Populoque Romano.* Quod & ipſe Cipus mox firmat, verſu 590. [*que* ſenatum

Dixit, & extemplo populumque *gravem-*
Convocat:

& Ovidius alibi totidem verbis, Faſt. I, 69.

Dexter ades, patribuſque *tuis* populoque
Quirini.

Jam hoc telum, feliciter evitavimus: poſterior locus extat apud Juvenalem XIV, 71.

Gratum eſt quod patriae *civem populoque*
dediſti:
Si facis ut patriae *ſit idoneus, utilis agris,*
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.

Vah, quam inficeta & inconcinna repetitioeſt, *patriae, patriae.* Quin & hic etiam, tot teſtibus & auctoribus freti, fidenter reponimus,

Gratum eſt, quod patribus *civem* populoque
dediſti:
Si facis ut patriae *ſit idoneus.*

Quod ſi demus in Ovidio & Juvenale recte ſe habere *Patriae:* nihilo minus in hoc Horatii loco vitioſum fuerit. Quippe *Patria* nomen reciprocum eſt, retroque ſemper ad praecedens verbum reſpicit, & ubique pronomen aliquod *mea, tua, ſua* &c. extrinſecus ſubaudiendum habet. Hoc veriſſimum eſſe, qui Latine ſciunt, agnoſcent. Ergo *clades fluxit in patriam ſuam*, ſive *ipſius cladis patriam*: quo nihil abſurdius fingi poteſt. Sed nondum tamen rem totam confecimus: ecce enim vir ſummus Jo: Frid: Gronovius ad Livium XXV, 6. & in Indice, rem ante nobis inauditam docet; nempe *Patriam* ſignificare *Magiſtratum & Senatum*: ut ipſi Senatores *Patres* vocantur. Quod ſi verum & certum probaverit, fruſtra ſane nos hunc Flacci locum ſollicitamus; quippe hoc pacto

In patriam populumque fluxit,

perinde erit, ac ſi dixiſſet, *In ſenatum populumque*: quod ipſum illud eſt, quo nos emendatione noſtra pervenire conamur. Sed videamus locum Livii: ubi milites, Cannenſis cladis reliquiae, in Siciliam ſenatuſconſulto relegati, Marcellum Conſ. alloquuntur; *Niſi hoc*, aiunt, *ſperaſſemus, in provinciam nos morte regum turbatam ad grave bellum adverſus Siculos ſimul Poenoſque mitti, & ſanguine noſtro* vulneribuſque nos patriae *ſatisfacturos eſſe.* Ubi *patriae* Gronovius interpretatur *Senatui*; (de quo mox dicemus) & teſtimonio citat alterum Livii locum, V, 4. ex oratione Appii Claudii: *Invitus in hac parte orationis, Quirites, mercer: ſic enim agere debent, qui* mercenario *milite utuntur: at nos tamquam cum* civibus *agere volumus; agique tamquam* cum patria *nobiſcum aequum cenſemus. Cum patria*, hoc eſt, *cum ſenatu.* Sed, quod viri acutiſſimi pace dictum ſit, nihil tale ex his verbis excudi poteſt. Nam primo, non in Senatu, ſed in concione ad plebem haec loquitur Appius: deinde opponit *mercenarium* ſive extraneum militem domeſtico militi & *civi*, qui pro *patria* ſua & Republica.

Digitized by Google

lica ad bellum mittitur. Ergo *Patria* tam hic, quam alibi, est *civitas, sedes natalis.* Pergit vir sagacissimus & Tacitum allegat Annal. IV, 8. *Erepto Druso preces ad vos converto, diisque & patria coram obtestor, Augusti pronepotes suscipite, regite.* Etiam hic *coram patria* vult esse *coram Senatu.* Frustra: nam Tiberii verba sunt in Senatu, & ad Senatum: & idcirco, si *patria* hic est *senatus,* perinde foret ac si diceret, *Obtestor vos coram vobis.* Quod cum ineptum insulsumque sit, etiam hic, ut ubique alias, *patria* est *Respublica & civitas.* Sed revertamur jam ad priorem Livii locum XXV, 6. *Nisi speraſſemus, sanguine nostro vulneribusque* nos patriae *satisfacturos esse.* Ubi verba illa *nos patriae* sola Gronovii conjectura nituntur, utcumque in contextum temere recepta. Nam ipso testante, Codices Manuscripti pro *nos patriae* habent *nostratui.* Ergo omnes Gronovii copiae, quibus efficere voluit *patriam* esse *senatum,* jam ad nihilum redactae sunt. Quin si conjecturam suam viro in hisce rebus felici concedimus; nihil tamen cogit, ut *patria* ibi notet *senatum.* Quidni enim *patriae satisfacturos* sit idem ac *respublicae*? Ut Cicero alicubi in Philippicis: *C. Pansa aut* morte *sua aut victoria se* satisfacturum reipublicae *spopondit.* Quid, quod Gronovius Filius, aliam emendationis viam tentat; neque *nos patriae,* sed *nos reatui satisfacturos* pro solita ita *ἰσοχλία vere,* ut ait, *restituit.* Haud vidi magis. Quintilian. Instit. VIII, 3. *Nam & quae vetera verba nunc sunt, fuerunt olim nova: & quaedam minus perquam recentia; ut Messalla primus* reatum, *mumerarium Augustus primus dixerunt.* Messalla iste & Livius eodem anno nati sunt, ut in Chronico Hieronymus. Ut proinde merito dubitandum sit, an verbum illud procuderit Messalla, priusquam haec scripserit Livius. Sed esto: ut prius procuderit. Illud non dubitandum, recenti tum & musteo, dubiaeque adhuc auctoritatis vocabulo non usurum fuisse in Historiis Livium. Sed quid, obsecro, est Reatus? an culpam, *crimen, commissum* voluit Messalla, ut Jacobus hic interpretatur? minime gentium. *Reatus,* ut eruditis notum, erat status & conditio reorum & sordidatorum, dum judicium in longum procedit; ut *caelibatus,* conditio caelibis & similia. Reatus pro crimine, peccato, est barbarorum. Enimvero, etsi satis arrideat Gronovii Patris conjectura, sed alio, quam is voluit, sensu; leviore tamen manu fanari potest locus hunc in modum: *Nisi speraſſemus, sanguine nostro vulneribusque* nos senatui *satisfacturos esse.* Quippe senatusconsulto, non plebis scito in Siciliam relegati erant. Dixerant ii milites paullo ante, *Quum primum de nobis, etsi non iniquum, certe triste* Senatus consultum *factum est.* Ex compendio scriptionis pro *Nos senatui* factum est *Nostratui.* Sed jam manum de tabula: quippe & nos, nisi fallimur, emendationi huic nostrae cumulate satisfecimus.

v. 22. FINGITUR ARTIBUS] Mire variant hic codices scripti; alii enim *Fingitur artubus,* alii *frangitur artubus,* alii *fingitur artibus* habent. Quae omnes lectiones prima fronte satis speciosae sunt, suosque patronos singulae sunt nactae: ut subtilis judicii sit, quae melior veriorque sit, & ab Horatii manu fluxerit, dignoscere.

Motus doceri gaudet Ionicos,
Matura virgo & FINGITUR ARTUBUS;

Hoc secuti sunt Scholiastae, editiones veteres, & codicum pars major, mei certe quam plurimi; & defendi posse videtur aliorum Scriptorum exemplis. Fingere artus, ut fingere *corpora, membra, ora,* &c. Virgil. Aen. VIII, 634.

Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Claudian. Rufin. I, 97. *linguisque trisulcis*
Mollia lambentes finxerunt ora *ceraſtae:*

sive ut alii ibi codices, *Membra.* Sed illud obstat (ut animadvertit quoque Lambinus) quod hoc sensu *fingitur artus* Graeca constructione dicendum foret, non *fingitur artubus.* Nam ablativus hic casus non potest materiem notare, sed instrumentum. Ut in locis Virgilii & Claudiani jam allatis, *fingere linguâ;* & Persii Sat. III, 24.

nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus *sine fine* rota.

Ut ergo aliud est, *fingitur lingua,* lambendo scilicet & tergendo; aliud *fingitur linguam,* nempe ad loquelam & orationis cultum: ita *fingitur artus* quid sibi velit intelligo; *fingitur artubus* tamquam instrumento, ne Oedipus, quid sit, deprehenderit. Itaque melius fortasse legeris FRANGITUR ARTUBUS, cum uno Torrentii codice, Pulmanni altero, & pluribus Lambini. Sane hanc lectionem solam tuetur & probat magnus Heinsius ad Claudian. Eutrop. I, 262, miraturque verbi hujus elegantiam interpretibus non intellectam: *frangitur artubus;* ut Petronius, *fracti gressus;* Prudentius, *fracta membra.* Addidisse potuit & Ciceronis illud de Finibus, V, 12. *Flexi* fractique motus, *quales protervorum hominum aut mollium esse solent.* & Sidonii Epist. IX, 13.

Juvat & vago rotatu

Dare fracta membra *ludo*,
Simulare vel trementes
Pede, veste, voce, Bacchas:

& plura loca similia. Sed & haec lectio eodem, quo prior illa, vitio laborat. Quippe *frangitur artus*, non *artubus*, dictum oportuit; ut Noster alibi Serm. I. 1.

Miles ait, multo jam fractus membra labore:

nam ablativus, ut ibi τῷ *labore*, caussam & instrumentum designaret. Restat igitur, ut FINGITUR ARTIBUS, quod duo Codices Cruquii, Pulmanni tres, Lambini aliquot, & duo ex nostris submINistrant, quo se pretio commendet videamus. Et meo quidem judicio nihil melius, elegantius, venustius dici potuit;

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artibus:

artibus fingitur ad saltationem, gestum, motum, cultumque corporis, ut adulteris placere possit. *Artibus*, ut Noster Carm. IV, 13. de meretrice,

Felix post Cinaram, notaque & artium
Gratarum facies.

ubi eleganter Scholiastes Blandinii Codicis apud Petrum Nannium Miscellan. III. 17. *Quae motu oculorum, superciliorum, cervicis placet.* Ovid. Amor. II, 10.

Utraque formosa est: operosae cultibus ambae:
Artibus *in dubio est haec sit, an illa, prior.*

& ibid. II, 4.

Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte *latus.*

Propertius I, 4.

Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat:
Ingenuus color, & multis decus artibus.

Seneca Epist. XC, *Itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinae, hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus* DOCENTIUM, *mollesque cantus & infractos.* Ita Noster hic, *Doceri motus Ionicos*, quod *artis* est. Recte vero *fingitur* artibus; ut Gratius V. 512.

sed tamen illi
Est animus, fingitque *meas se jussus in* artes.

Servius ad Virg. Aen. VIII. 534. Fingere *significat, formare aliquid, & ad integram faciem* arte *perducere.* Ovid. Remed. Amor. 341.

Proderit & subito, cum se non finxerit *ulli,*
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.

& Metam. IV, 319.

Quam se composuit, quam circum pexit &
Et finxit *vultum, & meruit formosa videri.*

Virgil. Aen. VI, 81.

tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domas, fingitque *premendo.*

Varius apud Macrobium Saturn. VI, 2.

Quem non ille finit lentae moderator habenae?
Qua velit ire; sed angusto prius ore coercens,
Insultare docet campis, fingitque *morando.*

ubi pro *ore* certissime legendum *orbe*: de equo loquitur, quem ad gressus instituit magister.

v. 23. JAM NUNC ET INCESTOS] Mala distinctio hic obtinuit in plerisque editionibus;

fingitur artibus
Jam nunc; & incestos amores
De tenero meditatur ungui.

Imo vero, *Jam nunc de tenero ungui*: ut Noster Epist. II, 1, v. 127.

Os tenerum *pueri balbumque poëta figurat,*
Torquet ab obscaenis jam nunc *sermonibus aurem.*

Sed cum de praeterito tempore, ut hic, loquuntur; usitatius dicunt *Jam tunc.* Cicero Epist. Fam. III. 12. *Nisi* jam tunc *omnia negotia confecissem.* Virgil. Georg. IV, 137.

Ille comam mollis jam tum *tendebat acanthi.*

Aen. VII, 737. *late* jam tum *ditione premebat*
Sarrastis populos. Sed hic reclamant MSti.

v. 27. CUI DONET IMPERMISSA] Pulmanni codex & Galeanus noster, INTERMISSA; alter Pulmanni, & Achillis Statii liber, IMPROVISA. Sed recte habet priscarum editionum & plurium codicum lectio, *inpermissa gaudia*; etsi nemo veterum, quod meminerim, hanc vocem usurpaverit. *Impermissa*, hoc est, *inconcessa, interdicta.* Virgil. Aen. I, 651.

Pergama cum peteret, inconcessosque *Hymenaeos.*

Ovid. Metam. X, 154. inconcessique *puellas*
Ignibus attonitas meruisse libidine paenam.

IX, 637. [*fatetur*
Famque palam est demens, inconcessamque
Spem Veneris.

& Amor. III, 4.

Indignere licet: juvat inconcessa *voluptas.*

Noster Serm. III, 4. [*uti*
Ne sequerer moechas, concessa *cum venere*
Possem. & I, 2.
Si interdicta *petes, vallo circumdata.*

Ovid. Metam. X, 336.

Spes interdictae *discedite: dignus amari*
Ille, sed ut pater, est.

v. 36. HANNIBALEMQUE DIRUM] Torrentii quidam, & Pulmanni codices, & ex nostris Vigornienſis, DURUM, neque aliter Lascherus edidit. ut Carm. II, 12. *Nec durum Hannibalem*; ubi similiter codices aliquot, & Editiones pleraeque

pleraeque *Dirum*. Nos, ut eo loco *durum* cum majore membranarum parte probavimus: ita hic magis arridet *dirum*, quod codices plurimi repraesentant. Quintilianus Instit. VIII, 2. *At illud jam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo solet, ut proprie dictum id sit, quo nihil inveniri possit significantius: ut Cato dixit*, C. Caesarem ad evertendam Remp. sobrium accessisse; *ut Virgilius*, Deductum carmen; *& Horatius*, Acrem tibiam, Hannibalemque dirum.

CARMEN VII.

v. 4. CONSTANTIS JUVENEM FIDE] Editiones principes, Veneta & Lascheri,

Constanti *juvenem* fide.

at membranae omnes ubicumque, *Constantis*; & plurimae *fidei*; nostrae certe omnes; nisi quod Zulichemianae *fidi*. Recte vero Lambini aliquot, & Cruquii unus *fide*, casu genitivo, more illius aevi. De quo vide A. Gellium IX, 14, Priscianum fine libri VII, Vossium de Analogia p. 770. Non placet hic ablativus, *constanti fide*; tum quod omnes codices refragentur, tum quod *constante* Noster, non *constanti*, dicere voluisset; ut supra ostendi ad Carm. I, 25. v. 17.

v. 20. FALLAX HISTORIAS MONET] Codices tres apud Torrentium, & ex nostris Bodleianus, MOVET, non *monet*. Utrumque recte. Ovidius Art. III, 651.

Quid juvat ambages praeceptaque parva monere?

Illud tamen magis placet, ut figuratius & *κατ' ἐξοχήν*, *Historias movet*; ut Virgilius bis, *Pandite nunc Helicona, deae*, cantusque movete. Et Aen. 160. [*mordet*

Hic tibi (fabor enim quando haec te cura remordet) Longius & volvens fatorum arcana movebo. Ovid. Metam. XIV, 20.

At tu, sive aliquid regni est in carmine, carmen Ore move *sacro*. & Fast. III. 11.

Ilia vestalis (quid enim vetat inde moveri) *Sacra lavaturas mane petebat aquas:*

inde moveri, id est, inde initium *narrationis* sumi. Ita Livius, *Mentionem movere, mentionem agitare*. Cicero in Oratore c. 12. *Primisque ab his* (Herodoto & Thucydide) *ut ait Theophrastus*, historia commota est, *ut auderet uberius, quam superiores, & ornatius dicere*.

Porro illud FALLAX non levis mihi suspicio est ex interpretatione in versum irrepsisse, pro PELLAX; quod altero non paulo aptius & significantius est. Virgil. Aen. II, 90.

invidia postquam pellacis *Ulixei:*

ubi Servius: *Pellacis, per blanditias decipientis: Pellicere enim est per blanditias illicere*. Multi tamen codices apud Pierium *fallacis* ibi habent. Hieronymus Praefat. in VI comment. Ezech. *Qui nostra simulantes genetricis antiquae & pellacis Ulixei venena non deserunt*. Lucretius,

Subdola cum ridet placidi pellacia *ponti*.

Virgil. Georg. IV, 443.

Verum ubi nulla fugam reperit pellacia: ubi plures ex Scriptis *fallacia*: adeo proclive erat Librariis vocabulum illud corrumpere. Glossae Graecolatinae: Ἐπαγωγός. *pellax, illex*. Martianus Capella lib. IV. *Circulatrix* pellacissima, *& metarum Marsicarum incola*. Arnobius lib. II, *Homo, qui sit aut unde sit anceps, varius, mobilis*, pellax, *multiplex, multiformis*. Et lib. V. *Quid pro cycnis & Satyris, quid pro aureis imbribus, in quos idem se* pellax (Juppiter) *fraude induit perfida, formarum varietatibus ludens*.

CARMEN VIII.

v. 5. DOCTE SERMONES UTRIUSQUE LINGUAE] Tam veteres editiones, quam omnes fere codices, & mei & aliorum, habent

Docte sermonis *utriusque linguae*.

atque ita Acron Manuscriptus in Bibliotheca Regiae Societatis: *Ordo est, Docte Sermonis utriusque, id est, Graece & Latine*. Sane in caesura, etiam syllaba brevis produci potest, ut Carm. I, 3.

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

& III, 16.

Quam si quicquid arat impiger Appulus.

Doctus autem *Sermonis*, casu genitivo, ut Statius Theb. II, 692.

ille haec praeviderat omnia, doctus Aëris, *& nulla deceptus in alite Maeon*.

& Noster ipse in Arte Poet. V. 380.

Indoctusque pilae, *discive, trochive quiescit*. Sed eo minus placet haec lectio, quod vox alterutra, aut *sermonis*, aut *linguae*, redundans

Digitized by Google

plane & otiosa foret; cum satis sit dicere, vel *docte sermonis utriusque*, vel *Docte linguae utriusque*. Suetonius Claudio c. 42. *Cuidam barbaro Graece & Latine differenti, Cùm* utroque, *inquit*, sermone *nostro sis paratus*. Idem Illust. Gram. cap. 1. *Iidem & Poëtae & Oratores semigraeci erant: Livium & Ennium dico, quos* utraque lingua *domi forisque docuisse adnotum est*. Plinius Hist. XII, 1. *Et platanus una insignis* utriusque linguae *monumentis*. Plinius alter Epist. VII, 25. *Quam Graeca? quam Latina? nam tantum in* utraque lingua *valet*. Martialis X, 76.

Jucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua *doctus* utraque.

Apuleius Floridis, 18. *Et vox mea* utraque lingua *jam vestris auribus probe cognita*. Non sum nescius, extare alibi apud Nostrum Serm. I, 10.

at sermo lingua *concinnus* utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.

Unde suspicetur quis, eo exemplo posse dici *sermo linguae utriusque*. Sed aliud est. Certe sermo utraque lingua *concinnus*, sive compositus & commixtus tamquam *cinnus ambarum*, ut cum Cicerone loquar, recte dicitur. Poterit etiam dixisse, *sermo utroque sermone concinnus*: sed non ideo quisquam dixerit, *sermo sermonis utriusque*, neque itidem, *sermo linguae*. Quamobrem, si retinere libet *sermonis*, vide annon sic potius rescribendum fuerit,

Docte sermonis utriusque, CILNI:

ut *C. Cilnium Maecenatem* intelligamus. Mirum enim, & propemodum insolens videtur, ut sic aliquem compellet, *Docte sermonis utriusque linguae*, neque tamen quis ille demum sit, nisi octavo post versu certiores nos faciat,

Sume, Maecenas, *cyathos amici.*

Atque hoc pacto primum, *Cilni*, Nomine scilicet eum appellaverit; deinde Cognomine, *Maecenas*: plane ut in Carm. IV, 2. ad Iulum Antonium, primo sic infit,

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, *ceratis ope Daedalea*:

& postea versu 26.

Multa Dircaeum levat aura cycnum
Tendit, Antoni, *quoties in altos.*

Sed missis conjecturis, tutius satiusque est lectionem alteram sequi, quam duo Lambiniani, & Regiae Societatis codex subministrant,

Docte SERMONES *utriusque linguae*:

ut Carm. III, 9.

Dulces docta modos, *& citharae sciens.*

Atque hanc confirmat Donatus ad Terentii Eunuchum III, 2.

quae liberum
Scire aequum est adolescentem, sollertem dabo. utrum HAEC *solertem, ut Horatius, Docte sermones utriusque linguae: an assumendum est* HIS *extrinsecus?* Equidem in vetere Donati editione anno 1503, & nescio an in aliis, etiam hic reperias *Sermonis*. Sed inepte, & contra ipsius Donati propositum; qui ideo hoc citat, ut ostendat *sollertem* cum accusativo *quae* vel *haec quae* posse jungi, ut apud Horatium *Doctus* eundem casum recipit. Accedit huic & Consentius vetus Grammaticus, p. 2035. *Accusativum trahunt, sed figurate, doctus sermonem, exosus bella, praescius futura*. Neque enim dubites, quin ad hunc Nostri locum respexerit; pariter ut ad Virgilii illum Aen. XII, 517.

Et juvenem exosum *nequicquam* bella *Menoeten.*

Esto igitur vera lectio, *Docte sermones*: nunc de ipsa sententia videamus; quae, si omnes interpretes audis, nihil aliud erit quam hoc: *Tu, qui bene Graece Latineque loqueris, miraris, cur ego, cum caelebs sim, Martiis Calendis rem divinam faciam.* Ubi libenter doceri velim, quid ad *Martias Calendas* attineat, aut quomodo *admirationem* Maecenatis aut minuat aut augeat, quod utramque eum linguam bene callere dicit? Quod si nihil ad rem istam occasionemve pertineant ea verba, non video quin putide prorsus & ἀπροσδιονύσως hic ingerantur. Neque enim eximia quaedam Maecenatis laus erat Graece Latineque scire, cum Romae ea tempestate quivis Senatoris Equitisve filius, imo & de plebe innumeri, libertini etiam & servi, Graece loquerentur. Enimvero aliud quid & majus hic significant *Sermones*, nempe *Libros, Tractatus, Historias*, ut apud Graecos ΛΟΓΟΙ. Xenophontis Οἰκονομικὸς λόγος &c. inde Oratores, Philosophi, Historici, Λογογράφοι appellati. Ita Horatius Satiras suas *Sermones* sive Λόγους inscripsit; & Carm. III, 21.

Non ille, quamquam Socraticis *madet*
Sermonibus, *te negliget horridus*:

id est, Σωκρατικοῖς λόγοις. Ergo hoc vult Horatius,

Docte sermones utriusque linguae, miraris.
Martiis caelebs quid agam Calendis: h. e. tu qui & Latinorum & Graecorum libros accurate legisti, qui utriusque gentis historias, ritus, sacra probe intelligis, jure miraris, cur ego caelebs Calendis Martiis sacra faciam; cum nihil aut in Graiorum aut in patriis monumentis

Digitized by Google

tis fit, quod festum illud ad caelibes quicquam pertinere, sed ad matronas duntaxat & maritos, significet. Scias itaque, me non publico instituto hodie, sed privatim rem divinam facere, quod hoc quondam die ab interitu ex ruina arboris deorum beneficio conservatus fuerim.

v. 15. VIGILES LUCERNAS PERFER IN LUCEM] *Perfer* habent editiones veteres & plerique ex recentioribus. Nicolaus Heinsius in ora codicis sui, Forte *Profer*: & sic Georg. Fabricius, i. e. ut volunt, *protrahe, produc*; ut Noster Carm. III, 21,

Te Liber & si laeta aderit Venus,
Vvaeque producent *lucernas,*
Dum rediens fugat astra Phoebus:

hoc est, producent, protrahent, extendent in lucem usque. Sane codices nostri Reginensis & Magdalenensis clare habent, PROFER; ceteri cum aliorum codicibus *Perfer*. Utrovis modo legeris; me lubente, facies. Tamen consulto potius voce *Perfer* hic usus videtur Horatius, ut ambigui culpam evitaret, quia notissimo loquendi genere *proferre in lucem* idem est ac palam facere, in medium, in apertum proferre: ut Noster ipse Epist. II, 2.

Obscurata diu populo bonus eruet, atque

Proferet in lucem *speciosa vocabula rerum*. Cicero pro Archia c. 6. *Ut nihil possint ex his, neque ad communem afferre fructum, neque in adspectum* lucemque proferre. Ita alibi bis vel ter locutus est, & alii non semel. Quare melius, credo, cum multo majore parte Codicum legemus hic *Perfer*. Porro pro SOSPITIS versu praecedente, Graevianus noster & Colbertinus, *Hospitis*. Sed nihil mutandum. *Sospitis*, quia cadentis arboris ictum evaserat. *Centum*, inquit, *cyathos fume*, & totidem annos amico *sospiti* precare; ut Ovidius Fast. III, 531.

Sole tamen vinoque calent: annosque precantur, [*bibunt.*
Quot fumant cyathos, *ad numerumque*
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quae sit per calices facta Sibylla suos.

v. 18. OCCIDIT DACI COTISONIS AGMEN] Torrentius memorat multo plures & meliores ex suis habere *Cotisontis*: quod vix credibile est, cum mei ad unum omnes, & quantum intelligere datur, aliorum etiam, COTISONIS praeferant. Atque ita Suetonius in Augusto c. 63. *Primum eum Antonio filio suo despondisse Juliam, deinde* Cotisoni *Getarum regi*. Neque ibi in terminatione variant Membranae. Lucius Florus IV, 12. *Daci montibus inhaerent*, Cotisonis *regis imperio*. Frontinus Strateg. I, X, 4. *Scorylo dux Dacorum, cum sciret dissociatum armis civilibus populum Romanum* &c. ubi pro *Scorylo* reponendum fortasse *Cotiso*. Utcumque sit; ex eo quod *Scorylo* dixerit non *Scorylon* casu recto, satis apparet in obliquis non *ontis* more Graeco, sed *onis* inflectendum esse. Neque vero ulla causa erat Romanis, cur Dacum nomen enunciatione Graeca efferrent. Eruditissimus tamen Broukhusius ad Propert. IV, 10. *Cotisontis* hic malle videtur.

v. 19. MEDUS INFESTUS] Elegans est Nic. Heinsii conjectura, quam in margine exemplaris sui adnotaverat,

Medus INFESTIS *sibi* LUCTUOSUS
Dissidet armis:

Atque ita clare & sine ulla litura codex noster Galeanus; cui aliquatenus accedunt Regiae Societatis membranae, a prima manu *luctuosus* exhibentes. Propertius IV, 1.

Nec rudis infestis *miles radiabat in* armis.

Ovid. Epist. Oenones.

Tyndaris infestis *fugitiva reposcitur* armis.

Seneca Phoenissis, 560.

Quin tuae caussae nocet
Ipsum hoc, quod armis *vertis* infestis *solum.*

Livius I, 25. *Datur signum*, infestisque armis *concurrunt*. *Medus* autem *luctuosus*, ut Carm. III, 6.

Di multa neglecti dederunt
Hesperiae *mala* luctuosae.

Neque tamen ex toto damnari potest recepta lectio, quam & editiones, & praeter Galeanum codices omnes repraesentant,

Medus INFESTUS *sibi* LUCTUOSIS
Dissidet armis.

Nam *luctuosa arma* recte dicuntur, ut Vegetius IV, 12. *Mutuo utrinque periculo, sed majore oppugnantium sanguine, exercentur* luctuosa certamina. Ita Tacitus, *Luctuosum facinus*, Cicero *luctuosum diem, perluctuosum funus*. Tum autem *infestus sibi*, erit sibi adversus, sibi inimicus, ob discordiam nempe civilem. Sed in altera lectione & verborum collocatio venustior est, & sonus syllabarum dulcior; ac non potest non iis placere, qui raras & eruditas aures habent.

v. 26. PARCE PRIVATUS] Nullus est omnium interpretum, quin ad hunc locum, veluti ad scopulum, naufragium fecerit. Praefectus Urbis tum erat Maecenas, cum Horatius haec scriberet; unde illud supra v. 17.

Mitte civiles super urbe curas. & III, 29.
Tu civitatem *quis deceat status*
Curas, & urbi sollicitus times.

Ergo

Digitized by Google

Ergo hic litigant & turbas concitant, quo tempore idem & *Praefectus Urbis* fuerit, & potuerit dici *Privatus*: siquidem ista inter se opponuntur. *In fortuna*, ait Cicero, *quaeritur, servus sit an liber, pecuniosus an tenuis, privatus an cum potestate.* Torrentius, hoc pacto se expedire conatus, quod, ut ait, Praefectura Urbis duntaxat Officium erat, non Magistratus, jamdudum vapulavit. Rutgersius, T. Faber, Dacieriusque hic subintelligunt, *tamquam, quasi: Ita parce nimium cavere*, tamquam si *privatus* foret. Quod quam coactum, durum, & sine exemplo sit, nemo non videt: & merito Rutgersius in repetita Editione notulam hanc spongia delevit. Sed emendatione rem conficere vult Daniel Heinsius, pro *Parce* substituens *Parte*; quod & diu ante eum fecerat Matthaeus Bonfinis, homo ineptissimus:

Negligens, ne qua populus laboret
Parte *privatus, nimium cavere.*

Sane PARTE habet codex noster Battelianus, & pro varia lectione Colbertinus: ut ordo sit, *ne qua parte laboret*: plane ut Noster alibi Serm. I, 2.

Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechos non vultis, ut omni parte laborent.

& favet Acron, qui sic locum enarrat, *Quia non timeret*, ne qua *Respublica* parte *laboraret*. Sed quid tandem illud erit, *Populus privatus?* sunt *οἱ πολλοί*, inquit Heinsius. Vellem exemplum ejus locutionis vel unum addidisset. Sed nullum erat: imo vero *privatus* plane opponitur *populo*: tantum abest, ut ita conjungi possit. Cicero in Verrinis: *Quod privatus a populo petit, aut populus a privato, Senatus ex aliqua civitate, qui judices, datur.* Sed esto, ut *populus privatus* sint *οἱ πολλοί*; tamen non procedit oratio; neque sententiae quicquam est, quod palato non fatuo placere possit. Nos totum locum aperire, & ex tenebris his in apertam lucem proferre, paucis conabimur. Invitaverat Maecenatem Noster, ut Martiis Calendis secum biberet. Hortatur autem, ut animo veniat hilari, & a curis publicis privatisque expedito: *Mitte*, inquit, *civiles super Urbe curas*: quid enim? nihil est, cur sollicitus sis: victi praelio sunt *Daci*, *Medi* bellis civilibus occupati, subacti *Cantabri*, *Scythae* repressi, tuta sunt omnia. Quocirca,

Neglegens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere:

hoc est, Cum jam *neglegens* sis, *securus* (ut bene Acron) *non timens* (ut Gloss. codicis Petrensis) ne qua populus laboret; cum, rebus tam prosperis, non sollicitus sis ne res publica detrimenti quid capiat; parce *privatus* cavere nimium, noli de privatis tuis & domesticis negotiis nimium providere, noli de re familiari nimium attentus atque anxius esse. Proinde animo puro & defaecato ad me veni; & tam *civiles* quam *domesticas* curas vel domi relinque, vel abjice. Haec sine dubio loci hujus sententia est; neque verba ipsa difficultatis quicquam jam habent, si modo stili Horatiani genium agnoveris. *Neglegens*, pro *securus, non timens*, nove & eleganter ponitur, ut supra Carm. I. 28.

Neglegis *immeritis nocituram*
Postmodo te natis fraudem committere? fors &
Debita jura vicesque superbae
Te maneant ipsum.

in quo similiter, ut hic, lapsi sunt Interpretes. *Neglegis committere?* hoc est, *non times* committere? *securus* audes committere hanc fraudem; quia non tibi, sed posteris duntaxat tuis nocitura est? at fortasse *tu ipse* commissum hoc magno tuo exitio lues. Neque vero in voce *Privatus* jam quisquam haerebit amplius. Quippe rem suam familiarem *privatus* curat etiam Magistratus, etiam si non Praefectus modo Urbis, sed Orbis Princeps fuerit.

v. 27. DONA PRAESENTIS RAPE LAETUS HORAE] *Cape* habent Editiones principes Veneta & Loscheri: atque ita multo major pars Codicum. Tamen aliquot habent *Rape*, ut ex Nostris Graevianus, Battelianus, Bodleianus, & pro varia lectione Colbertinus. Atque hoc post Lambinum avide rapuerunt Interpretes; & ex eo alius post alium ad nauseam usque ingerunt Ciceronis illud ex Ennio, De Oratore III. 40.

vive, Ulixes; dum licet,
Oculis postremum lumen radiatum rape:

Non dixit cape, *non* pete: *haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum: sed* rape. *Hoc verbum est ad id aptatum.* Quid tum? esto, ut ibi Ennius efficacius dixerit *rape*, quam *cape*: an ideo ubicumque in aliis auctoribus *cape* occurrit, substituemus illico *rape*? Quin potius ex loci cujusque indole & orationis filo statuimus, hoc an illud magis aptum convenientque sit. Quemadmodum in his verbis,

Dona praesentis cape *laetus horae*,

ex adjuncto illo *dona* perspicue, si quid sapimus, videmus retinendum hic esse *cape*; neque audiendos esse codices, qui *rape* supponunt. Quid enim opus est, obsecro vos, ut ea quae *donata* sunt

Digitized by Google

sunt, *rapere* velimus? Rapiamus, si fas est, negata aut fugientia: quae oblata praesto sunt, capiamus & sumamus. Nam ut noster ait Epist. I. 17.

Distat sumasne *pudenter*,
An rapias.

hoc est, multum interest, capiasne donatum, an non donatum rapias. Cicero de Legibus III, 4. Donum *ne* capiunto, *neve danto*. Virgil, Aen. III, 489. cape dona *extrema tuorum*. Corippus Africanus lib. I.

Rumpe moras, cape dona *dei*.

Caeterum, a fine hujus versiculi in omnibus meis Codicibus abest conjunctio ET vel AC; itaque a prioris fine, unde itidem abest in Regiensi nostro & editionibus, huc eam reduximus.

CARMEN IX.

v. 5. DONEC NON ALIA MAGIS] *Alia* editiones priscae, & plerique codices: sed ex nostris Leidensis, Reginensis, Galei, Bodleiani duo, ALIAM. ut Virgilius,

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

Et Gellius VII, 8. *Sed* pueros *forma liberali, naviculis forte aut in vadis litorum conspectos, miros & humanis modis* arserunt *delphini*. Tamen alibi Horatius, *Arsit virgine, Arsisse Bathyllo*. Non hilum interest. Sed, quandoquidem ex duobus non nisi alterutrum a poetae manu esse potest, verisimilius est vulgarem hanc, quam figuratam illam constructionem, Librariis deberi: & facilius erat literam M in illis codicibus a sequente absorberi, quam in his addi.

v. 10. ET CITHARAE SCIENS) A Prisciano p. 1177, sic citatur hic versus:

Me nunc Thressa Chloe regit
Dulces docta modos, & citharam sciens.

ubi *citharam* ineptum est; quippe esset, Sciens quid *citharа* sit. Potuit esse *citharâ*, ut Terentius dixit *Scire fidibus*. Sed cum addit Priscianus simile exemplum ex Homero, Πολέμων ὦ ἱππεῦ, quod extat Iliad. Δ. 310.

Ὡς ὁ Ἄρων ὦρτυνε πύλας πολέμων ὦ ἱππεῦ:

apparet apud ipsum Priscianum scriptum fuisse CITHARAE: ut Noster alibi I, XV. *Sthenelus sciens pugnae*. Ceterum Petrensis codex & Torrentiani duo cum editione Lofscheri CRESSA; quod Fabricius ideo amplectitur, quia *Cretenses Musicae periti*: potuisset addere quia *Chloe* nomen Graecum est, non Thracium. Sed haec parvi momenti sunt; nam Libertinae, qualis haec Chloe, & nova nomina, dum ancillae erant, indebantur, & in Musicis aliisque artibus herili sumtu instituebantur. Certe *Cressa Chloe*, ob asperitatem consonantium durissime exit; & omnino, si nos legitimum sonum aure caldemus, inverso potius ordine posuisset Noster,

Me nunc Cressa regit Chloe,
Dulces docta modos,

Quod cum nulli usquam codices exhibeant; melius est, ut *Thressa Chloe* sine controversia recipiamus. *Pro Thressa* autem Librarii veteres *Tressa* soliti sunt scribere, ut praeter Torrentianos aliquot Graevianus noster hic habet: unde facilis lapsus erat ad *Cressa*; praesertim cum in versus initio litera T omitteretur, postea minio describenda. Porro mira lectio est, quam veterrimi libri Leidensis, Colbertinus, & a prima manu Graevianus praeferunt,

Me nunc Thressa Chloe riget,

non *regit*: quam & sic enarrat Glossator Graevianus, *Riget, indurat me, ne te amem*; quo nihil absurdius fingi potest.

v. 14. FILIUS ORNITHI] Miror, unde malis avibus se in omnes fere editiones intulerit hic *Ornithus*; cui si nomen λὰπὸ τοῦ ὄρνιθος impositum sit (ut certe volebat ille, qui primus introduxit) tum syllabam mediam produci oportuit. Tu vero cum libris meis omnibus & Editione Veneta lege ORNITI vel rectius ORNYTI, ut Graecis Ὄρνυτος nomen est notissimum. Apollonius in Argon. II, 65.

Τῷ δ' αὖ Ἀρητὸς τε καὶ Ὄρνυτος, ὃν ποθ' ἥδειαν

Virgil. Aen. XI, 677. *procul* Ornytus *armis Ignotis, & equo venator Iapyge fertur*.

Val. Flaccus III, 173.

Nec tibi Thessalicos jam profuit, Ornyte, *reges*.

Statius Theb. XII, 143.

Squalidus ecce genas, & hianti vulnere pallens Ornytus.

Silius Italicus XIV.

Innatat ecce super transtris fumantibus asper Ornytos.

Calpurnius Eclog. I. bis, ter.

Ornite, *jam dudum velut ipso numine plenus*.

Digitized by Google

CARMEN. X.

v. 1. EXTREMUM TANAIM] Pro *Tanaim*, quod editiones omnes, occupavit, repone ex vetuſtiſſimis meis Leidenſi, Graeviano, Reginenſi, & aliis TANAIN, enunciatione Graeca.

v. 3. PORRECTUM ANTE FORES] Neſcio quo malo fato evenit, ut omnes, quotquot extant, Horatii codices tribus quattuorve locis PORRECTUM habeant pro PROIECTUM: quod ſi in aliis auctoribus idem accidiſſet, jam diu eſt, cum vox *Projectum* extra Linguae Latinae pomoeria projiceretur. Tu vero hic repone, reclamantibus quantum queant & ſcriptis & editis,

me tamen aſperas
PROIECTUM *ante fores objicere incolis*
Plorares Aquilonibus:

Ovidius Amor. II, 19. de eadem re; & iiſdem pene verbis,

[poſtes
Et ſine me ante *tuas* projectum *in limine*
Longa pruinoſa frigora nocte pati.

Silius Ital. lib. I,

noctemque vigil ducebat in armis,
Interdum projectus humi, & lib. VII.
Qua ſuper inſtratos projectus gramine *campi*
Preſſerat ante toros. & lib. XV,
Stramine projectos *duro patiere ſub aſtris*
Inſomnes noctes, friguſque famemq; domabis.

Virgil. Aen. XI, 87.

Sternitur & toto projectus *corpore terrae.*

Statius Theb. I, 387.

hic artus imbri ventoque rigentes
Projicit, *ignotaeque acclinis poſtibus aulae*
Invitat tenues ad dura cubilia ſomnos.

& iterum V. 587. *viridi nam ceſpite terrae*
Projectum *temere, & patulo caelum ore trahentem.*

Vide quae dicemus ad Epod. X. v. 22.

v. 6. INTER PULCHRA SITUM TECTA] *Situm* habent Editiones principes Veneta & Loſcheri: unde in ſequentibus locum ſemel poſſeſſum tenuit. Memorant quidem Interpretes ſe in nonnullis codicibus SATUM, non *ſitum* reperiſſe: ſed ea vox, ut variae lectiones pro vario captu hominum ſua fata ſortiuntur, ſpreta & rejecta eſt. Ex noſtris Leidenſis veterrimus, Galei, Colbertinus, & a manu ſecunda Graevianus agnoſcunt *Satum*. Atque ita Acron editus & manuſcriptus, *Inter tecta* Satum *nemus viridarium dicit*. Porro hanc lectionē probat praeſtantiſſimus Nic. Heinſius in ora ſui exemplaris, ubi mittit nos ad Annotata ſua in Propert. IV, 4. verſ. 3. & in Silium Ital. X. 534, quae utinam, ut jam pollicitus eſt, maturaret in lucem edere vir celeberrimus Petrus Burmannus. Interea vicem Heinſii optime ſupplet diſertiſſimus Broukhuſius ad dictum Propertii locum,

Lucus *erat felix hederoſo* conſitus *antro*:

& ad I, 14 verſ. 5.

Et nemus omne ſatas *intendat vertice* ſilvas:

ubi & *Satum* hic in Horatio defendit, & (poſt Torrentium & Marcilium) verba Senecae adducit ex Epiſt. 122. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in ſummis turribus ſerunt, quorum ſilvae in tectis domorum ac faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egiſſent?* Porro verſus Silii, quo mittit nos Heinſius, ſic habet:

At ferale decus, maeſtas *ad buſta cupreſſus*.

ubi neſcio an codices MSti inter alias variationes *Satas* exhibeant. Verum id, cum prodibunt Heinſianae notae, videbimus. Interim non deſunt aliunde, quae ad evincendam hanc lectionem ſola ſufficiant. Varro de Re Ruſt: III, 5. *Extra eas columnas eſt* ſilva manu ſita, *grandibus arboribus tecta, ut infima perluceat, tota ſepta maceriis altis.* Alfenus in Digeſt. VIII, 5, 17. *Cum in domo Gaii Seii locus quidam aedibus Annii ita ſerviret, ut in eo loco poſitum habere jus Seio non eſſet, & Seius in eo* ſilvam ſeviſſet. Plinius Hiſt. XV. Sect. 20. *Colitur ficus arbor in foro ipſo: illic areſcit, rurſuſque cura ſacerdotum* ſeritur: —— *eadem fortuito* ſatu *vivit in medio foro:* —— *aeque fortuita eodem loco eſt vitis atque olea, umbrae gratia ſedulitate plebeia* ſatae. & ibid. Sect. 36. *Haud ſcio an prima omnium myrtus in locis publicis Romae* ſata, *fatidico quidem & memorabili augurio*, & Sect. 40. *Et quia* manu ſatarum *receptarumque in domos, laurus fulmine ſola non icitur.* Ex his clare conſtat, ſilvas, arbores, *inter tecta* & in domos vel loca urbis publica receptas, non *ſitas* duntaxat, quod omnibus ſilvis locisque convenit, ſed SATAS fuiſſe; & proinde hic legendum eſſe,

quo nemus
Inter *pulchra* ſatum tecta *remugiat*.

v. 7. VENTIS ET POSITAS] Videamus totum locum:

Audis, quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulchra ſatum tecta remugiat
Ventis? & poſitas ut glaciet nives

Puro

Digitized by Google

Puro numine Juppiter?

ubi primo risum jocumque movet Tanaquillus Faber, vir caetera ingeniosus & doctus; qui velut somno repente excitus clamat, *Mendum turpe, turpe*, quo ventis. *Isthuccine vidisse neminem?* *lego*, Queis ventis. Sed bene est, quod errantem locorum in viam reduxit doctissimus Dacierius; nam *strepitu* hic bis accipiendum esse, *quo strepitu janua, quo strepitu nemus remugiat ventis*, ante Fabrum natum omnes, puerique patresque, viderunt. Illud & mihi, sed meliore omine, mirari liceat, *vidisse neminem* absurdum illud & ἀναπόλογον, quod in hac sententia non latet, sed plane extat. Tu mecum ad calculum verba redige: *Audis*, quo strepitu janua & nemus remugiat? & *Audis*, ut Juppiter glaciet nives? Quid audio? an geku & trigus auditu percipiuntur? Nemo quisquam mihi persuaserit, aut Horatium haec scripturum fuisse, aut amicos queis recitabat, tam facile condonaturos. Certe non adeo digna haec erant, quae *Jovis auribus servarentur*. Sed notior, opinor, est Horatii indoles, quam ut ipsum, & non Librarios potius, culpae hujus insimulemus. Quippe levissima mutatione, nempe unius literulae, quae & ipsa plerumque omittebatur, melius, nisi fallor, procedet oratio, in hunc modum

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat?
SENTIS *& positas ut glaciet nives*
Puro numine Juppiter.

Sentis, ut ipse alibi in re non absimili Carm. III, 28.

Inclinare meridiem
Sentis *& velut stet volucris dies,*
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.

Remugiat autem absolute, sine dativo *ventis*: ut Virgil. Aen. IX, 504.

Sequitur clamor, caelumque remugit.

XII, 928. [git

Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remu-
Mons circum.

Claudianus Eutrop. II, 162.

responsat Athos, Haemusque remugit.

idem Rapt. Proserp. I, 10. [git.

Auditur fremitus terris, templumque remu-

Prudentius Apotheos. 286.

Quicquid in aere cavo reboans tuba curva
remugit.

Neque vero opus erat, ut *ventis* hic inculcaret Noster; cum jam paullo ante *Aquilones* nominasset. Quid quod necesse est, stante hac lectione, ablativo casu efferri *ventis*; non ut vulgo creditum est, dativo: ut in illis Virgil. Aen. XII, 722. gemitu *nemus omne* remugit: Statii Theb. XII, 612.

alio si forte remugit Bellatore *nemus:*

Martiani Cap. lib. 5. *raucusque per aethram*
Cantus, & ignoto caelum clangore remugit.

Jam autem quam inconcinne & pene insulse geminetur hic ablativus, *remugiat ventis strepitu*, nemo est qui non videat. Equidem duo loca, neque plura, memini, ubi dubites, dativusne sit casus, an ablativus; ut Virgilii illud de Sibylla, Aen. VI, 99. [git:

Horrendas canit ambages, antroque remu-

& Statii Theb. XII, 271. de Cerere & Enceladо:

Illius insanis ululatibus *ipse* remugit
Enceladus, raptoque vias illuminat igni.

ubi esto, si ita vis, dativus; adeo ut *remugire* hic sit *contra mugire*: tamen vides, opinor, multum interesse; & tam apte & ex vero dativum hic poni, quam apud Horatium stulte & inepte. Quippe *Sibylla* & *Enceladus* clamorem ex se edere, & contra mugire possunt: *nemus* autem atque *janua* nullum suapte vi faciunt strepitum; sed totum, quantus quantus est, ventis acceptum referunt. Quod si, his spretis obstinate adhuc quisquam retinere velit *ventis*; is aliam viam insistere possit, & pro ET legere EN: atque idem, cum vetusto codice Fabricii, commodius tum leget, *Audi*:

AUDI, *quo strepitu janua, quo nemus*
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis! EN, *positas ut glaciet nives*
Puro numine Juppiter!

vv. 8. PURO NUMINE JUPPITER] Nondum ex salebroso hoc loco evasimus: quid enim sibi vult, *puro numine?*

positas ut glaciet nives
Puro numine Juppiter.

qua in lectione codices nostri omnes consentiunt. Et laborant quidem Interpretes, inque omnes partes se vertunt; nulla tamen certior est explicatio, quam quae olim a Porphyrione profecta est, *puro numine*, hoc est sudo & sereno caelo: *nam*, ut ait, *post nivem positam in Aquilone vento serena tum esse solent, praesertim in Italia frequenter.* Atqui non una de causa non placet haec enarratio. Etenim primo, *numen Jovis* sive aeris hic ponitur, tamquam *causa* gelationis: ergo tale epitheton addi debuit, quale *causam* illam intenderet & promoveret, ut *frigidum*, *vehemens*, *acre*, *acu-*

tum: jam autem *purum* otioſe hîc ingeritur; neque enim puritas aëris, etſi gelum plerumque comitetur aut ſequatur, ulla ex parte gelationem efficit. Deinde *purum* illud non parum officit ſententiae, & conſilio poëtae. Tetra enim & pruinoſa illa nox verbis exaggeranda erat, ut Lyce citius miſereſceret amazonis ſub dio ante limen morantis. At *puro* & ſudo caelo ad fores excubare non adeo miſerum erat, quam foedo & ſordido. Male oravit igitur cauſſam ſuam, ſi *puro* hic praeter ſententiam addidit. Equidem, ut haec incommoda evitentur, ſic potius ab Horatio ſcriptum eſſe crediderim:

Sentis & poſitas ut glaciet nives
Puro *numine Juppiter.*

D in P propter ſimilitudinem facile mutabatur; praeſertim, ut ſaepe dixi, in initio verſus. Ideo autem *duro* numine, quia *nives gelu* glaciaret & *duraret*, de quo vide nos ad Carm. III, 24. verſ. 39. Sic alibi I, 23.

Quod latus mundi nebulae, maluſque
Juppiter *urget.*

& I, 1. *manet ſub* Jove frigido *Venator.* Claudian. Conſ. Olybr. verſ. 36.

Audiit & gelido ſiquem Maeotia paſcit
Sub Jove.

Silius Italicus XII.

Queis gelidas ſuetum noctes thorace gravatis
Sub Jove non aequo *trahere.*

Ergo, ad haec exempla, *duro* numine Juppiter nives glaciavit; & ſane olim in libris *duro* extitiſſe non leve eſt argumentum, quod in codice quodam alia lectio reperta eſt, memorantibus Cantero & Turneho;

& poſitas ut glaciet nives
Puro limine *Juppiter*:

in quo fruſtra ſunt, qui pro *limine* reponunt *lumine*, atque id pro genuina hujus loci ſcriptura venditant: nihil enim illo *lumine* ineptius, cum propter alia, tum quod noctu haec, non interdiu, agerentur. Imo vero, quicumque lectionis illius *limine* primus fuit auctor, ſic locum hunc concipiebat,

DURO LIMINE *Juppiter*:

nives poſitas *duro limine*, ubi tunc Horatius *ante fores projectus* excubabat: ſic Epod. XI.

Limina dura, *quibus*
Lumbos & infregi latus.

Ovid. Remed. Amor. 508.

Nec dic blanditias, nec fac convitia poſti:
Nec latus in duro limine *pone tuum.*

v. 10. NE CURRENTE RETRO FUNIS EAT ROTA.] Alius, &, niſi fallor, melior eſt verborum ordo in Petrenſi noſtro & Galei:

Ne currente rota *funis eat* retro.

ut in Arte Poët. currente rota *cur urceus exit?* Et *retro*, cum priorem ſyllabam corripit, ſuavius ponitur in fine verſus, atque ita ſemper Noſter, ut I, 35.

At vulgus infidum & meretrix retro.

II, 11. *Poſcentis aevi pauca: fugit retro.*

III. 4. *Non me Philippis verſa acies retro.*

adde, quod in recepto ordine, ambiguum foret, utrum *currente retro rota*, an *funis retro eat*, conſtruendum ſit.

v. 18. NEC MAURIS ANIMO MITIOR ANGUIBUS] Editiones primae Veneta & Loſcheri, ANIMO; poſtea neſcio quis ANIMUM primus introduxit. Ab eo tempore in hunc uſque diem, ut cuique editorum viſum eſt, nunc hoc, nunc illud locum obtinuit. Lambinus, Cruquius, Torrentius de ſuis codicibus tacent. Ex quinque Pulmanni tres *animo*; duo reliqui *animum*, ut etiam ex tribus Berſmanni unus. Certe ex omnibus noſtris unicus Graevianus agnoſcit *animum*, idque manu recentiore mutatum eſt in *animo*. Rectum tamen illud, elegante & familiari Poëtis Graecismo. Statius Silv. IV, 6. de Hercule,

Sic mitis vultus, *veluti de pectore gaudens*
Hortetur menſas.

ubi *vultus* non rectus ſingularis eſt, ſed accuſativus pluralis; ut Claudian. Stil. II, 135.

Blanda quidem vultus.

CARMEN XI.

v. 9. QUAE VELUT LATIS] Anacreon:

Πῶλε Θρηϊκὴ, τί δὴ μοι Νομαῖος φεύγεις; —
Νῦν δὲ λειμῶνας τε βόσκεαι,
Κοῦφά τε σκιρτᾷς παίζεις.

Noſter:

Quae velut latis equa trima campis
Ludit exſultim, metuitque tangi.

Atque haec ex illis expreſſa eſſe, poſt Henricum Stephanum, multi annotarunt. Sed animadvertit ceteris acutior celeberrimus Dacierius, Anacreontis illud λειμῶνας *prata* non ad amuſſim reſpondere *latis campis*: & ideirco, ut propius inter ſe conveniant, contra omnes codices reponendum eſſe contendit, *laetis campis*:

Digitized by Google

pis: ita Carm. II, 5. [*vencae.*
Circa virentes *est animus tuae* Campos *ju-*
Addidisse potuit Carm III, 18.
Ludit herboso *pecus omne* campo. & IV, 4.
Qualemve laetis *caprea* pascuis;
ut Ovidii illud Fast. IV, 476.
Sacrorumque Melan pascua laeta *boum.*
Jam ut conceuamus Nostrum Anacreontea illa ante oculos habuisse, quamquam hoc quidem incertum est; novimus tamen eum non multum amare *fidos* illos *interpretes*, & serviles imitatores, qui *verbum verbo* exprimendum curant. Equidem id de plano ausim affirmare, multo aptius loco huic & sententiae convenire *Latis*, quam *Laetis*. Quippe cum addit, *metuitque tangi*, bene certe potuit *latos campos*, ubi nimirum fugae erat locus & spatium, ne *tangi* & prehendi posset. Quid quod de more *latos campos* dixit, perpetuo apud Poëtas epitheto. Virgil. Aen. VI, 888.
Aëris in campis latis, *atque omnia lustrant.*
& XI. 465. latis *diffundite* campis.
& III. 537. [*mine vidi,*
Quattuor hic, primum omen, equos *in gra-*
Tondentes campum late, *candore nivali.*
VII, 486. *cui regia parent*
Armenta, & lati *custodia credita* campi.
Stat. Silv. IV. 7.
Jam diu lato *spatiata* campo.
Silius Ital. VIII. *jam* latis *obvia, credo,*
Stat campis *acies.* & XVI.
Ne si miscebit latis *fera praelia* campis.
Sic *lata arva* Ovid. Fast. I, 546. [*vagantur*
Dumque huic hospitium domus est Tegeaea;
Incustoditae lata *per* arva *boves:*
ubi dolet praestantissimum Heinsium, pari quo hic Dacierius errore, *laeta arva* ex pauculis codicibus substituisse; cum & major librorum pars & ipsa res alterum efflagitet. *Lata* enim sine dubio, quia dixerat *vagantur*. Ipse Ovidius Fast. II, 210.
Non aliter, quam cum Libyca de rupe leones
Invaduni sparsos lata per arva *greges.*
ubi recte *lata*, quia *sparsos*: neque variant codices. Idem Amor. I, 7.
Straviit deprensos lata per arva *greges.*

v. 18. CAPUT EJUS ATQUE SPIRITUS] Nihil verius, quam quod Dacierius libere & candide hic adnotavit; *Totum*, inquit, *hoc Carmen dehonestat vocula* EIUS, *qua utinam Horatius non usus fuisset.* Equidem jamdudum male oderam illud *ejus*, & hanc viri insignis censuram magna cum voluptate postea legi:
Cerberus, quamvis furiale centum
Maniant angues caput ejus, *atque*
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui.
Auser enim hinc *ejus*, & integer tamen sensus manebit. Quippe cum *Cerberum* jam nominasset, satis erat dixisse *furiale caput*: neque opus erat τοῦ *ejus*, ut cujus sit caput certo scire possemus. In Sermonibus quidem, qui ad pedestrem orationem proxime accedunt, veniadanda est Nostro, cum II, 1. & II, 6. ait,
Scilicet uni aequus virtuti atque ejus *amicis:*
Et quae sit natura boni, summumque quid
ejus:
& Lucretio, cum in poëmate Philosophico passim hanc voculam adhibet,
Quin etiam repetunt a caelo atq; ignibus ejus.
Nec refert quibus adsistas regionibus ejus.
Neque vero peccavit Noster in Carm. IV, 8.
Ejus, qui *domita nomen ab Africa*
Lucratus rediit, clarius indicant Laudes:
Tolli enim hic non potest τὸ *ejus*, nisi cum totius sententiae dispendio: ut neque apud Propertium IV, 2. vers. 35.
Est etiam aurigae species Vertumnus, & ejus
Trajicit alterno qui *leve pondus equo.*
Sed Poëtae Epici, magno sane cum judicio, vocabulum hoc perpetuo mulctarunt exilio; ne Heroici carminis majestatem humi serpere cogeret; utpote singulis fere periodis recursurus, ni stilo poetico subintelligeretur extrinsecus, neque praesentia sua versus inquinaret. Indeest, quod in toto Virgilio ne semel quidem occurrit *Ejus*. Bis duntaxat in Ovidio, ut Trist. III, 4.
Non foret Eumedes orbus, si filius ejus
Stultus Achilleos non adamasset equos.
ubi sublato *ejus*, nihil deest sententiae: posito autem, in prosam orationem versus degenerat: plane ut hic apud Nostrum. Eo tamen pejus Noster, & quod in Carmine Lyrico longe supra Ovidii Elegos surgere debuerit; & quod statim subjunxerit *atque*, Caput *ejus atque*: adeo ut bis tanto carminis sublimitatem magis deprimerit. Quin in verbis sequentibus, est quod excusari fortasse possit, probari certe & laudari minime mereatur:
Spiritus teter saniesque manet:
hoc est, *spiritus manet*, & *sanies manet*. Atqui *spiritum* sive halitum *manare* nemo usquam dixit. *Sanies* quidem *manat*, atque omne genus humorum & liquorum, *lacrimae, sanguis, sudor, mel, aqua, pix* & similia; spiritus nequaquam, si accurate loquimur. Nam cum Lucretius *sonitum* & *frigus manare* dixit, illud

Digitized by Google

nimirum vult, per *poros & priva foramina corporum permeare*: non ut hic Noſter de *ſpiritu*, cum aperta via per fauces prodeat. Quid igitur fiet? an Horatium hic captum & damnatum ſub cultro relinquemus? an potius,

O Tite, ſiquid ego adjûro curamque levaſſo,
Ecquid erit pretii?

Vide igitur, annon in Librarios potius culpam transferamus, & levi mutatione ab utroque Noſtrum crimine una opera liberemus. Sic ergo repone,

Cerberus: quamvis furiale centum
Muniant angues caput, EXEATQUE
Spiritus teter, ſanieſque manet
Ore trilingui.

Ovidius Metam. III, 75 de Dracone loquens:

plenis tumuerunt guttura venis:
Spumaque *peſtiferos* circumfluit *albida* ri-
ctus: [tus exit
Terraque raſa ſonat ſquamis; quique hali-
Ore niger Stygio, vitiatas inſicit auras.

ubi paria vides omnia: *ſpuma circumfluit*, plane ut *ſanies manet*: *halitus* autem *niger exit*, ita ut hic *exeat ſpiritus teter*: & utrobique quidem ex *ore trilingui*: nam & ſerpenti illi, verſu ibi 34, [*tes.*

Tres *vibrant* linguae, *triplici ſtant ordine den-*

Iterum Ovidius Triſt. V, 6.

Spiritus *hic Scythica quem non bene ducimus aura,*
Quod cupio, membris exeat *ante meis.*

& ibid. IV, 3.

Spiritus *hic per te patrias* exiſſet *in auras.*

& Art. Amat. III, 745.

Exit, *& incauto paullatim pectore lapſus*
Excipitur miſeri ſpiritus ore viri.

Verum hic notandum eſt, quod in his locis *Spiritus exit* de iis duntaxat dicatur, qui moribundi animam expirant. Quare ad evitandum Ambiguum, utinam Noſter ſcripſiſſet potius, *Exeatque Halitus teter.*

v. 30. IMPIAE, NAM QUID POTUERE MAJUS] *Nam quid*, & membranae & editiones. Solus codex Magdalenenſis a manu ſecunda,

Impiae, NUMQUID *potuere majus?*

Non male. Nihil tamen mutaverim, niſi a prima manu codex aliquis *numquid* exhibuerit.

v. 36. ET IN OMNE VIRGO NOBILIS AEVUM] *Nobilis* habent omnes, quod ſciam, & Editi & Scripti. Barthius tamen ad Claudianum ſuum p. 1225. *Legendum*, inquit, NUBILIS *ex veteriſſimis Membranis, non* Nobilis *ut vulgo. Dicere enim vult ingenioſiſſimus poëta, aeternae gloriae velut* nuptui *datam eam virginem, quia eorum genialem noluit novi mariti ſanguine conſcelerare, quod tot ipſius ſorores fecerant.* Vide quanti ſit ſapere. Sibi certe belius homo viſus eſt, cum inſulſum hoc & refutatione indignum protulit. Verum nimirum erat, quod ex puteo ſuo Democritus hauſit, τὴν πολυμαθίαν τῶν ἐ διδάσκει, multifariam lectionem nemini conferre mentem & judicium; quippe quae Dei & Naturae dona ſunt, non noſtrae operae & laboris.

v. 43. NEC TE FERIAM NEC INTRA] Ita recentiores Editiones: at antiqua Veneta & Loſcheriana NEC te feriam, NEQUE intra. Quis primus mutaverit neſcio, neque ſcire quicquam intereſt; certe non eſt ſecutus meliores pluresve codices. Ex tribus Berſmanni, duo habuerunt NEQUE: & ſic ex noſtris Leidenſis, Graevianus, Reginenſis, Zulichemianus, optimi & vetuſtiſſimi quique, cum aliquot aliis. Ceteri interpretes tacent: quaſi credo nihil referret, *nec* an *neque* ſcripſeris, ubicumque verſus ratio utrumvis admittere poteſt. Equidem, ut in his minutiis nec linguae Latinae neque Flacci ſalutem ſitam eſſe confiteor, ita ſemel ſuſcepto hoc labore, mei jam muneris penſique eſſe exiſtimo, ne leviſſima quidem praeterire. Quamobrem illud animadverto, varietatis hic gratiam quaeſiviſſe Noſtrum, &, quoties liber erat a metri neceſſitate, *Nec, neque*, vel *Neque, nec*: non bis eandem particulam *nec, nec*, aut *neque, neque* poſuiſſe. ut Carm. I, 6.

Nos, Agrippa, neque *haec dicere,* nec *gravem.*

II, 16.

Groſphe non gemmis, neque *purpura ve-*
Nale. nec *auro.*

Ergo & hic ex MStis legendum; *nec* te feriam, *neque* intra. Et ſimiliter in toto opere decies opinor vel amplius ex melioribus membranis revocavimus: de quibus ſemel hic dixiſſe ſufficiat.

CARMEN XII.

v. 1. MISERARUM EST] Quales ſint in hoc Carmine verſus, & quomodo digerendi, non modo inter Interpretes, ſed inter vetuſtos Grammaticos magna controverſia eſt. Quam ſi aliquando tandem dirimere, & rem extra dubium collocare poſſumus; & gratiam, niſi fallimur, inibimus a Lectore φιλημόσυνα; & eo pacto inſigne flagitium, quod per ducentos jam annos

Digitized by Google

nos carmen hoc faediſſime luxavit, in poſterum cohibebimus. Principio, ſcriptor vitae Horatii a Jacobo Cruquio editus, hanc Oden *tricolon tetraſtrophon* eſſe vult, hoc eſt, ex *quattuor* verſibus conſtare, quorum *tres* diverſa habeant metra: duos autem priores eſſe *Sapphicos trimetros acatalectos*, tertium *Anacreonteum dimetrum* (lege, trimetrum) *catalecticum*, quartum *Adonium*. Ergo ex hujus hominis ſententia ſic digerendi fuerint verſus;

Miſerarum eſt nec amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere, aut ex-
Animari metuentes patruae
Verbera linguae.

Atque hanc formam ſecutus eſt in editione ſua Cruquius, quam & in tribus vetuſtis codicibus ſe reperiſſe narrat. Sane & in noſtris, Graeviano, Regiomenti, Batteliano, diſpoſitio fere eadem eſt; praeterquam quod vocabula in fine verſuum non in duas partes ſecant, more Cruquiano,

Studium auſert, Neobule, Liparae-
i nitor Hebri,
Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum:

ſed integra continuant hoc modo,

Studium auſert Neobule, Liparaei
Nitor Hebri.
Celer alto latitantem fruticeto
Excipere aprum.

Quin & eandem normam tenuiſſe codices Cruquii nullus dubito; atque id ipſum eſt, quod eos dicit *nonnihil ſua ope adjutos fuiſſe in pedibus ordinandis*. Jam autem quam inepta, prava, diſtorta, deformia haec ſint, quid attinet dicere? Satis profecto ſuperque id conſtabit ex iis quae dicturi jam ſumus de vero metiendi modo. Pes metricus ex quatuor ſyllabis conſtans, quorum priores duae breves, poſteriores longae ſunt, ut *Diomedes, metuentes, Cytherene*, Graecis Ἰωνικὸς ἀπ' ἐλάσσονος, Latinis *Ionicus minor* appellatur. Hoc unico pede totum Carmen ab initio ad finem uſque decurrit: quale unum ab Alcmane olim compoſitum eſſe narrat Hephaeſtion p. 37. cujus hoc initium: [*πλοις*

Ἔναξ· μοὶ Διὸς υἱὸν παῖδα μῶσαι χρονίπτ-

& a Sappho alterum, quod ſic incepit,

Τί μοι Παυδιονὶς ἀράνα χελιδών:

ab Alcaeo vero πεντάμετρα *multa* conſcripta eſſe idem teſtatur. Praeterea & duo genera fuiſſe ait (pag. 66) horum carminum Ionicorum: unum (id ἐξ ὁμοίων vocat) quod nullo certo pedum numero claudebatur; ſed ubicumque auctori viſum eſt, vel pedem ſiſtebat, vel pari tenore ultra procedebat: quale crediderim Alcmanis illud & Sapphus fuiſſe, ſolis Ionicis conſtans, caetera legibus ſolutum. Atque hujus generis unum exhibet Terentianus Maurus, ſumne an forte Septimii Sereni equidem neſcio: pag. 2428. [*belli*

Diomedem modo magnum dea fecit, dea
Dominatrix, Phrygas omnes ut in armis
ſuperaret:
Patulis agmina campis jacuerunt data leto:
Pavidi tergaque dantes petierunt trepidae
moenia Trojae.

ubi vides pedum numerum non eſſe definitum ſed carmen per ſynaphiam, ut vocant, quouſque velit, progredi. Quod & antea nos docuerat p. 2416. [*arctant*:

Non verſibus *iſtud*, numero aut pedum, *co-*
Sed continuo carmine, quia pedes gemelli
Urgent brevibus tot numero jugando longas;
Idcirco vocari voluerunt συνάφειαν.

Alterum Ionicorum genus, quod καθ' ὑπόστροφον vocat Hephaeſtion, certo eorundem pedum numero incedebat; quo ſimul ventum erat, claudebatur ſententia: atque inde rurſus exordiens pari iterum numero decurrebat: quae *redditio* & *revolutio* (ἀνταπόδοσις ἢ ἀνακύκλησις) toties iterabatur, quoties voluit auctor carminis: ea lege, ut neque pauciores neque plures pedes habuerit in clauſulis ſequentibus, quam in prima habuit. Tale, inquit, erat Alcaei carmen, cujus hoc initium;

Ἐμὲ δειλὰν, ἐμὲ πασᾶν κακοβάπτων πεδ' ἴ-
χισιν.

qui locus obiter corrigendus eſt: MSti, quos vidi, παῖδ' habent, non πεδ'; ſollemni errore αι pro ε, quia eodem ſono efferebantur: lege igitur,

Ἐμὲ δειλὰν, ἐμὲ πασᾶν κακοβάπτων πεδίχισιναι.
Me miſeram, me omnium calamitatum ex-
pertam.

πεδίχισιναι Aeolenſium dialecto pro μετίχωσιναι. Addit Hephaeſtion; Ἄπειρος μὲν ἄν τις φήσειεν εἶναι αὐτὸ ἐξ ὁμοίων εἶναι, ἐξ Ἰωνικῆς ἀπ' ἐλάσσονος καὶ συζυγίας καταμιτρήμενον. ἡμεῖς δὲ, ἐπὶ ΚΑΤΑ ΔΕΚΑ ἐξάμιν αὐτὸ συζυγίας γεγραμμένον, Κατὰ χέαν αὐτὸ γεγράφθαι φαμέν. Hoc eſt, *Imperitus quidem aliquis hoc carmen Alcaei ſolutum legibus eſſe crediderit: nos vero, cum* DECEM *ubique pedibus decurrere videamus, lege id conſtrictum eſſe pronunciare poſſumus.* Ubi in primis obſervandum, omnes ejus carminis clauſulas fuiſſe DECEM PEDUM. Inde enim luce ipſa clarius conſtabit, ad Alcaei exemplar hanc, de qua agimus, Odam ab Horatio compoſitam eſſe.

Digitized by Google

esse. Quippe haec similiter decem pedibus Ionicis decurrit: inde rursus initio capto stadium idem metitur; & quattuor ejusmodi decapodiis tota finitur. Porro & illud ex verbis Hephaestionis discimus, nullum versiculi finem aut divisionem esse, donec ad *decimum* pedem deventum sit: & proinde nihil referre, utrum tribus, an duabus, aut unicâ, si fieri posset, lineâ decapodia quaeque scribatur: cum nulla pausa aut incisio sit ante decimum pedem. Sed quandoquidem chartae paginaeque spatium tam longam lineam admittere & continere non posset; & proinde necesse esset, ut decempedalis versus in partes divideretur: inde dubium ortum est, quibusnam in locis commodissime fieri posset incisio. Ubi ridiculum plane & insulsum se praebuit Scriptor Cruquianus; qui in medio pede Ionico caesuram posuit, & praeterea sexies in tam brevi carmine versum exire fecit in dimidiatum verbum. At plerisque placuit, ut in tria membra discerperetur, quorum duo priora trimetra Ionica essent, tertium tetrametrum; quo modo omnes hodie Editiones praeter Cruquianam exhibent,

Miserarum est nec amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere aut exanimari metuentes patruae verbera linguae.

Ita dividunt Marius Victorinus. p. 2618. Diomedes p. 510, & 524; Atilius Fortunatianus 2704; Plotius 2660; & Scholiastes Acron. Verum in ea divisione illud incommodi accidit, quod in medio verbo ter fiat incisio, inconcinne prorsus & odiose;

Neque dulci mala vino lavere aut ex-
Simul unctos Tiberinis humeros la-
vit in undis eques ipso melior Bel-

quae deformitas nebuloni cuidam ansam porrexit, ut immane facinus aggrederetur, de quo mox plura dicemus. Nos potius in his Graecum Hephaestionem secuti sumus, qui, ut jam vidimus, primam in Alcaeo caesuram fecit περάματος,

Ἐμὲ δηλεῖ. ἐμὲ πασῶν κακῶν πιδύσιον.

Cui accedit Marius Victorinus pag. 2538, 2507, & 2496, ubi exemplum Ionici ἀπ' ἐλάσσονος tetrametri acatalecti hoc adducit; *Neque dulci. Miserarum est neque amori dare ludum ne-* Quorum exemplo priores duos in hac nostra editione scripsimus tetrametros, tertium autem dimetrum, hoc modo:

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno,
Neque segni pede victus.

Atque hoc pacto, ut in libro ipso videre est, nulla linea dimidiato vocabulo clauditur: neque aliter ab Horatii manu profectum esse quovis pignore contenderim. Illud tamen semper memineris, utcumque scriptionis commodo versus dividatur, unicum tamen revera esse, & continuato cursu properare usque ad decimum pedem.

Caeterum ineptus est Scholiastes Acron, cum *metrum hoc Sotadicum dici* tradit; unde deceptus vir cetera pereruditus mirum somnium habet de scopo & proposito Poëtae; quasi Hebrus ille, quem tantopere laudare videtur Noster, *turpis & vetulus moechus* esset, & *Sotadico hoc Satyricoque rhythmo* ironice sugillaretur. Quippe numquam hoc versu usus esse traditur maledicus ille Sotades: Ionico quidem pede scripsit, unde lapsus est Acron; sed Ionico ἀπὸ μείζονος, sive majore, qui contrarius plane est hujus Carminis pedi, nempe Ionico minori. Hic post duas breves totidem longas habet syllabas, ut *Fruticeto*: ille vice versa a duabus longis exit in totidem breves, ut *Contendere*. Sotadicorum haec exempla notissima sunt (praeter eos Terentiani Mauri hic obiter citatos)

Σείων μολίην Πηλιάδα δέξιον κατ' ὄρεος.
Εἰς ὕδωρ ὀσίην πεμφαλιὰν τὸ κέντρον ἀφῆς.

ubi vides non Iambeum ab Heroico magis dissonum esse, quam Sotadicum ab hoc Horatii. Neque levius falluntur ii, qui hanc Oden *pedestrium elaborato procedere* dictitant, adeo ut bene factum sit, quod semel duntaxat Noster hoc metrum adhibuerit. Imo vero & in primis dulce est metrum, & longe omnium operosissimum. Geminas enim breves & geminas longas, repetita identidem vice, pauciissima verba suppeditabunt; ut agnoscet, si quis Musarum cliens in hoc metro periculum sui fecerit. Unde magis credibile est, difficultate operis offensum Horatium non amplius semel hoc conatum esse. Nam magister ejus Alcaeus πολλά, ut jam vidimus, *multa* carmina hoc metro detexuit; & profecto, si ad lyram canatur, ut omnia haec chordis sociandа erant, mirum quendam leporem habet Ionicus minor κατὰ χίασιν iteratus & revolutus: ut jure de hac Oda dixerit Terentianus Maurus p. 2428.

Simili lege sonantes numeris ad Neobulen
Dedit uno modulatus lepide *carmine* Flaccus.

v. 6. LIPARAEI NITOR HEBRI, EQUES IPSO] In editionibus priscis, Veneta & Loscheriana, hac forma & ordine versus hi conspiciuntur:

Studium aufert, Neobule, Liparaei nitor
Hebri:

Simul

Digitized by Google

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis, eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno, neque segni pede victus. Et sic omnia scripta exemplaria, tam mea, quam aliorum, nisi quod verba non dividant in fine versuum. Exortus tamen est ante annos ducentos sceleratus nescio quis, qui os sublevit Aldo Manutio, mentitus *antiquum quendam codicem Viennae apud Stanislaum Zaur* sic versus hos exhibere, nova specie dispositos;

Studium aufert, Neobule, Liparaei nitor Hebri,
Eques ipso melior Bellerophonte,
Neque pugno, neque segni pede victus,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis.

Quo mendacio inductus Aldus, neque sibi tum viso eo codice nec cuiquam postea, versus hos ad eam formam in Editionibus suis expressit; & ex eo tempore, quod indignandum magis an dolendum sit nescio, omnes omnium editiones praeter unam Cruquianam flagitium hoc commaculavit. Sed audiamus, quibus rationibus inductus hoc primum commentus est ille nebulo. Primo, *ut servarentur integrae dictiones*; neque tam deformiter in binos versus divellerentur. Atqui ego, antiquo verborum ordine servato, mutatis tantummodo caesurae locis, id melius praestiti. Deinde, ait, *ne claudicet versus in dictione* BELLEROPHONTE, quam corripere ultimam putat, quia genitivum facit *Bellerophontis*. Piumbeum sane pugionem, & facile retundendum! Quippe casus huic rectus est *Bellerophontes*, ut Graeci Βελλεροφόντης: Seneca Epist. 115. *Dabit in illa fabula poenas* Bellerophontes. Hyginus Fab. 273. *Ludis Acasti, Zethus dolichodromo vicit, Calais diaulo.* Bellerophontes *equo.* Jam autem notissimum est Graeca ejusmodi nomina ablativos E longo saepe producere; ut Juvenalis XIII, 98.

si non eget Anticyra nec
Archigene: quid enim. quamquam casu genitivo *Archigenis* recte dixeris terminatione Latina. Quod si concedamus *Bellerophonte* esse ultima brevi: nihil tamen ei syllabae consuluit homo imperitus, cum in versus extremum eam trajecit. Quippe, ut jam ante ostendi, versus unus & non interruptus decurrit usque ad decimum pedem: neque ulla hic syllabae communis, qualis in Hexametrorum aliorumve fine, licentia est, nisi forte in decimo quôque pede. Pari modo, ac in Anapaestis nulla syllaba communis est, priusquam ad ultimam clausulam sive versum Paroemiacum devenerint; ut primus olim docui in Dissertatione ad Joannem Antiochenum Malelam, & postea multo fusius in Scripto Anglico de Epistolis Phalaridis. Caeterum quis risum tenere potest, cum inter interpretes tot turbas concitaverit novus ordo a terrae filio inductus, *Liparaei nitor Hebri,*

Eques ipso melior Bellerophonte.

Quomodo enim *nitor Hebri* est *eques? Nitor Hebri*, inquiunt, est περιφραστικῶς *ipse Hebrus*, ut βίη Ἡρακλείη, *sententia Catonis, sapientia Laeli*, hoc est, Hercules, Cato, Laelius. Hoc plerisque obstruebat os: & eo ipso nomine pulchra dictio videbatur, quia Horatius sic loqui voluit. At *non obtusa adeo gestabant pectora* sagacissimi viri Torrentius & Tan: Faber, quin libere & fidenter clamitabant, *sine exemplo & vitiose locutum esse Horatium, pessimam esse hanc & corruptissimam cacozeliam: nitor Hebri equitis*, non *eques* dictum oportuisse. Recte illi & vere: nisi quod pro illo tenebrione poëta vapulavit. Neque tamen hi ipsi ob prolatam libere sententiam sic impune abierunt. Ecce enim, qui eos in jus vocet, & *salvo pudore dejerare possit, hoc loco* Equitis *vitiosum fore.* Ain' vero, vir doctissime? Vide, quanta opinionis vis est! Dum ab Horatii partibus stare se credit, ea laudat & defendit, quae alioqui pro summa sua eruditione cum primis damnavisset. *Nitor Hebri equitis* vitiosum hic foret? Quid illud ergo, Carm. I, 19.

Urit me Glycerae nitor
Splendentis *Pario marmore purius?*

An vitiose ibi locutus est Noster, quia *splendentis* dixit, non *splendens?* Quin potius is locus argumento est, luxatos esse versus; quippe *equitis* hic dixisset Horatius, ut ibi *splendentis.* Sed praeterea vide, ut ex uno absurdo aliud sequatur. Hoc enim dicit larvatus Horatius; Hebrum *equo, pugno, pede*, sive campestribus exercitiis, *invictum esse,*

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis:

id est, *postea quam lavit.* Atqui hoc plane est ἄνω ποταμῶν. Nam primum exercebant se in Campo Martio, & tum postea in Tiberi lavabantur: ut praeter alios Vegetius narrat, I, 3. *Sudorem cursu & campestri exercitio collectum nando juventus abluebat in Tiberi*: & ibidem 10. *Romani veteres Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt; in quo juventus post exercitium armorum sudorem pulveremque diluerent, ac lassitudinem cursus natandi labore deponeret.* Quanto igitur melius verus Horatius, qui Neobulen perculsam esse dicit *Hebri nitore*, simul ac ille equitatione, pugilatu, & cursu lassus in

Digitized by Google

Tiberi se abluit, & inde domum rediens se ab exercitio rubentem & roseum puellis visendum praebuit. Quare, aut valde fallor, aut genuinus demum versuum ordo, quem libri omnes uno consensu tuentur, editoribus Flacci in posterum placebit.

V. 10. CATUS IDEM PER APERTUM] *Catus* hoc loco habent codices universi: sed tu totam clausulam contemplare,

Catus *idem per apertum fugientes agitato*
Grege cervos jaculari, & celer alto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

Catus, inquit, *jaculari*, & *celer excipere*. At amicus quidam meus, vir insigni doctrina, potius vice versa Nostrum scripsisse autumat,

Celer *idem per apertum*—Catus *alto latitantē*.

Nam *celeritatis* est, inquit, *fugientes* cervos jaculo consequi: *cati* hominis est excipere aprum latitantem. Atque hoc quidem valde speciosum esse fateor, & prima fronte mire adblandiri. Sed videamus quid sit *excipere aprum*. Curtius VIII, 2. *Cum* leo *magnitudinis rarae ipsum irruaturus incurreret, feram non* excepit *modo, sed etiam uno vulnere occidit*. Quintilianus Instit. IV, 2. *Pastorem, quod is* aprum, *quem ipsi muneri obtulerat*, exceptum *esse a se* venabulo *confessus esset, in crucem sustulit*. Seneca de Ira I, 3. *Atqui & venientes feras excipit venator, & fugientes persequitur*. Spartianus in Caracallo: Excepit apros *frequenter*; *contra leonem etiam stetit*. Iterum Seneca, de Providentia cap. 2. *Si adolescens constantis animi* irruentem feram venabulo excepit; *si leonis incursum interritus pertulit*. Vides jam opinor *celeritate* & viribus ei opus esse, qui vel *venientem aprum exceperit*. Is vero παχυχειρία insigni esse debet, &, ut Achilles Homericus, περὶ χεῖρας ἰσχέαν, celeritatem manus quasi igneam habere, qui aprum in fruticeto adhuc *latentem* venabulo occupare poterit, neque incurrendi & irruendi moram illi concedere. Quare placet, quod in Codicibus habetur, *Celer excipere*: neque minus arridet alterum, *Catus jaculari*, non *celer*. Quippe jam antea proximis verbis a *celeritate* satis Hebrum commendaverat, *Neque segni pede victus*. Ergo novam hic laudem memorat, *Catus jaculari fugientes*, quod & virtutem & artem notat. Qui enim *fugientes* cervos jaculo consequitur, & valido lacerto torquere eum debet, & docta manu ad scopum dirigere.

V. 12. CELER ALTO LATITANTEM] *Alto* habet editio Veneta: at Lescheriana ARCTO: quod inventum in codicibus suis secutus est Lambinus: caeteri fereomnes *alto* retinuerunt. Utrumvis sat bene habet, & bonis auctoribus defendi potest. *Alto fruticeto* i. e. profundo, ut saepe Homerus ΒΑΘΕΙΗΣ ὕλης, & in re simili Iliad. Λ. 415. [αἰζηοὶ

Ὡς δ' ὅτε πίδακος ἀμφὶ κέλευθα θηρεύσαντε δύω τε σύες ἐλθέμεναι· ὁ δὲ τ' εἶσι βαθείης ἐν ξυλόχοιο.

Lucret. V, 42. [profundas.

Per nemora, ac montes magnos, silvasque

Virgil. Aen. VII, 515. [fundae.

Contremuit nemus, & silvae insonuere pro-

Georg. II, 390. [fundi.

Complentur valles que cavae, saltusque pro-

Sed, ut vides, potius *profundus* hoc sensu dixerunt Latini, quam *altus*; ad evitandum credo ambiguum, cum de *silvis* loquantur. Quamobrem omnino verior est lectio altera, quam meliores codices subministrant, ut ex Nostris Bodleiani duo, Galei, Graevianus, & pro varia lectione Battelianus. Seneca Oedip. 277.

Frondifera sanctae nemora Castaliae petens
Calcavit artis *obsitum* dumis *iter*.

Ita recte magnus Gronovius edidit ex omnium veterrimo Mediceo: caeteri libri pari, ut hic, errore *altis* habebant. Et sane proclivis est ad errorem lapsus, quia *Artus* non *Arctus* perpetuo scribunt codices antiqui. Silius Italicus lib. X. 82.

Ut canis occultos agitat cum Belgicus apros,
Deprendit spissis *arcana cubilia* dumis.

Ovid. Metam. I, 123. *domus antra fuerunt*,
Et densi frutices, *& vinctae cortice virgae*.

Sic Homerus, de hac ipsa re, Λοχμῷ πυκινῇ, hoc est, verbum verbo, *Arto fruticeto*, Odyss. T. 439.

Ἔνθα δ' ἐξ ἰ· ΛΟΣΜΗ ΠΥΚΙΝΗ κατίκηδε μίγας ΣΥΣ.

CARMEN XIII.

V. 1. O FONS BLANDUSIAE] Editio utraque, Veneta & Lescheri, *Blandusiae*: unde in caeteras propagatum est. Et sic codices aliquot, praesertim recentiores. At multo potiores & vetustate & numero BANDUSIAE; neque aliter Acron MStus in bibliotheca Regiae Societatis. Ita sane ex nostris Graevianus, Reginensis, cum tribus aliis. Quare rescribamus hic *Bandusiae*:

Digitized by Google

Bandusiae: cum enim nihil aliunde compertum sit de fontis hujus nomine, neque quisquam mentionem ejus fecerit; quae pervicacia est, ex iis codicibus quos solos hic auctores habemus, non vetustissimos atque optimos sequi? *Blandusiae* credo supposuerunt ingeniosi homines, quia fons bellus atque elegans *blando* nomine dignus videbatur.

v. 6. NAM GELIDOS INFICIET TIBI] *Gelidos* habent omnia exemplaria: neque id loco nunc movendum est. Tamen cum de hoc ipso Bandusiae fonte sic narret alibi Noster Epist. I, 16.

Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior *Thracam* nec purior *ambiat Hebrus*;

ubi vides eum non minus a *puritate*, quam a *frigore* commendari: demiror equidem, cur *gelidos rivos* hic maluerit, quam aliud Epitheton a *puritate* tractum. Ego vero, si pace tot Exemplarium fieri posset, sic libens reponerem:

Frustra: nam LIQUIDOS *inficiet tibi*
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.

Hic certe venusta antithesis est; *liquidos* rivos *rubro* sanguine inficiet; qui prius liquidi erant & *vitro splendidiores* rivi, nunc *rubro* colore inquinabuntur. *Liquidus* autem *rivus* Noster ipse Epist. I, 12. & *liquidos fontes* passim poëtae, ut Virgilius ter quaterque. Sic Ecloga I, 59.

floribus austrum
Perditus, & liquidis *immisi* fontibus *apros*;

apros scilicet, qui fontes prius liquidos volutando turbarent, & polluerent. Pone ibi *gelidis fontibus*, & omnem venerem, imo totam animam de sententia sustuleris. Atqui eodem modo jacet & languet recepta Flacci lectio. Quorsum enim hic *gelidos*? quid *frigus* aut obstat aut proficit, aut quoquo modo pertinet ad *colorem rubrum*? Adde huc, quod in sequentibus abunde satis laudat ob frigus & umbram,

Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere, tu frigus amabile &c.

ut minime necesse fuerit, alieno loco hic *gelidos* inculcare.

v. 16. UNDE LOQUACES LYMPHAE DESILIUNT TUAE] Princeps Veneta habet *Nymphae*, Lescheriana autem *Lymphae*, quod posterius obtinuit in editionibus sequentibus. At non in Veneta tantum edita, sed & scriptis nonnullis reperitur ea lectio, quantumvis hic mussitent Interpretes: Certe ex meis Graevianus, Galei, Regiae Societatis, Bodleianus, & pro varia lectione Colbertinus, NYMPHAE clare exhibent: unde de aliorum membranis conjectura fieri potest. Atque hanc unice probat vir summo ingenio Janus Broukhusius ad Propertium III, 14.

Et cadit in patulos Nympha *Aniena lacus.*

ubi pari atque hic inconstantia membranae aliquot praeferunt *Lympha*. Idem etiam Epod. XV, vers. 48. ubi nunc habetur, *montibus altis*

Levis crepante lympha desilit pede:

ex Codice Graeviano, quo nos τῇ μαναείτε beneficio nunc utimur, reponit *Nympha*. Certe sic ibi habuerunt quattuor Torrentiani, & Gisanii unus; & ex nostris, praeter Graevianum, pro varia lectione Petrensis. Plura etiam exempla suggerit Nic. Heinsius ad Ovid. Heroid. V. 31. Equidem ut non negaverim *Nymphas* aliquoties pro *aqua* poni, ut Martial. VI, 43.

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baiae;
Canaque sulfureis Nympha *natatur aquis:*

& 47.

[*puro*
Nympha, *meo Stellae quae fonte domestica*
Laberis, & domini gemmea tecta subis:

ita utrobique apud Horatium praetulerim *Lympha*: nam longe figuratius est & παιζόντερον *lymphae* sive *aquae* dare *pedes*, quos non habet; quam *Nymphae*, quos habet, concedere. Atque ita Lucretius bis. V, 273. VI, 638.

Qua via secta semel liquido pede *detulit undas.*

& Virgilius Culice Vers. 17.

Castaliaeq; sonans liquido pede *labitur unda.*

Porro, cave hic cum vulgo verba construas, *unde lymphae loquaces tuae desiliunt*, quod prosam Orationem sapit; & in hac structura Poeta dixisset *tibi* non *tuae*: sed in hunc modum colloces, *Unde lymphae tuae desiliunt loquaces*, quod Horatiano stilo est pro *loquaciter*.

CARMEN XIV.

v. 2. MORTE VENALEM PETIISSE LAURUM] Theodorus Marcilius: *In membranis plerisque*, MARTE *venalem. Recte.* i. e. *pugna & contentione belli.* Ubi illud *plerisque* indictum erat melius; nullae enim ex Nostris, nec Interpretum aliorum, neque Editiones ullae agnoscunt *Marte*. Quare habeat secum Marcilius & ineptissimam lectionem, & nusquam, credo, ni-

Digitized by Google

si in somniis sibi repertam. Quanto melius Scholiastes Acron, *Mortis contemptu laus Victoris quaeritur & triumphi:* ut Virgilius, Aen. 205.

Est hic, est animus lucis contemtor, & istam
Qui vita *bene credat* emi, *quo tendis, honorem.*

Nam perinde est, sive *morte venalem*, seu *vita venalem* dixeris: eodem utrumque recidit. Ut & illud, quod addit Acron, Aen. V, 230.

Vitamque *volunt pro laude* pacisci,

eodem plane sensu dicitur, quo Terentius Phorm. I, 3.

ut mihi licent tam diu quod animo frui,
Jam depecisci morte *cupio.*

Quintilianus Instit. IX, 3. *Melius atque acrius, quod, cum figurâ jucundum est, etiam sensu valet*; Emit morte *immortalitatem.*

v. 6. JUSTIS OPERATA DIVIS] *Divis* Editio Veneta; at Loscheriana SACRIS, ut & dimidia fere pars Codicum. Ex nostris certe Leidensis, Reginensis, Bodleianus, Colbertinus, Vigornicnsis, & pro varia lectione Petrensis. Quid ab Horatii manu profectum hic fuerit, subtilis est judicii res & lubricae conjecturae. *Operata divis*, ut Curtius VIII, 33. *Per decem dies* Libero Patri operatum *habuit exercitum.* Tibullus II, 5.

Tunc operata deo *pubes discumbet in herba.*

Silius Ital. II,

Tartareo est operata Jovi, *poenasque ministrat.*

Justis autem *Divis*, non, ut Lambinus, *patriis, & consuetudine atque usu receptis*, sed cum Scholiasta, *specialiter* justis, *quia victoriam & reditum Caesari* merenti *dederint.* Ovidius in Epist. Hypsipylae:

Iustus *ades votis* Iuppiter *ipse meis.*

& Trist. IV, 2.

Donaque amicorum *templis promissa* deorū
Reddere victores Caesar uterque parent.

& mox,

Cumque bonis nuribus pro sospite Livia *nato*
Munera det meritis, *saepe datura*, deis.

ut contra Noster II, 4. penates *maeret* iniquos: & Silius Ital. XV. *quonam se fine minanti*
Servitio eripiat, divosque *evadat* iniquos.

Recte itaque habet recepta nunc in Editis Lectio,

Prodeat JUSTIS *operata* DIVIS.

Neque tamen temere rejiciendum SACRIS, quod tot scripta exemplaria, & in eis vetustissima aliquot subministrant. *Operari* enim *sacris* purissimae Latinitatis dictio est, ut Virgil. in Ciri, 142. *violaverat inscia sedem,*
Dum sacris operata *deae lascivit.*

Valerius Max. VI, 6. *Amplissimi & integerrimi viri sanctitatem, Reipub. usibus &* sacris operatam. Livius I, 31. *Ipsum regem* (Tullum) *tradunt volventem commentarios Numae, cum ibi quaedam occulta sollemnia sacrificia Jovi Elicio facta invenisset*, operatum his sacris *se abdidisse*; *sed non* rite *initum aut curatum id sacrum esse.* Ubi obiter pro *operatum* rescribendum puto *operaturum.* Sed quid sodes erit *justis sacris?* an legitimis, &, ut modo Livius, *rite initis & curatis?* Non video, quid aliud denotare possit; & tamen friget admodum sententia. Nullum enim periculum erat, ne sacris, aut lege vetitis, aut contra caeremonias factis, operaretur Livia. Quamobrem, si retinendum erit illud *sacris*, sic potius levi mutatione locum constituerim,

Prodeat CASTIS *operata* SACRIS:

hoc est, prodeat jam Livia ad occursum Augusti ex Hispania in urbem revertentis, quae toto absentiae ejus tempore *castis sacris* operata est, & *pudica vota* fecit pro salvo mariti reditu. Non enim *prodeat operata*, ut Scholiastes vetus aliique perperam accipiunt, est *prodeat ut nunc operetur:* quippe eo sensu *operatura* dicendum fuerit; non *operata*, quod tempus jam praeteritum indicat. *Castis* autem *sacris*; quia Liviam pudicitiae gloria celebrem omnis historia tradit, unde hic de ea Noster,

Unico gaudens mulier marito.

Ovidius Amor. III, 13.

Casta *sacerdotes Junoni* festa *parabant.*

Statius Achilleidos I, 370. de Virginibus;

Dehinc sociare choros, castisque *accedere* sacris *gaudent.*
Hortantur; ceduntque locum, & contingere

Hypsipyle Iasoni vers. 73.

Adde preces castas, *immistaque* vota *timori:*
Nunc quoque te salvo persoliienda mihi.

preces & vota pro Iasonis reditu: ut Liviae pro Augusti. Deianira Herculi vers. 35.

Ipsa domo vidua, votis operata pudicis,
Torqueor; infesto ne vir ab hoste cadat.

v. 7. ET SOROR CLARI DUCIS] Ea est Octavia. Sed veterrimus noster Graevianus, CARI, non *clari*: ut de eodem Augusto Ovidius Fast. VI, 637.

Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede
Livia, quam caro *praestitit illa* viro.

Verum recte quidem *caro viro*, ut passim *carus genitor, cara nutrix, cari nepotes*, & cetera *necessitudinum* nomina: sed *carus dux* non minus inepte

inepte diceretur, quam Carm. I, 20, *Carus eques*. Vide autem, ut incerta & caeca fortuna in exemplaribus dominetur: unus ibi codex Regiae societatis *clare eques* recte habet, cum caeteri omnes *care*: unus hic Graevianus perperam *cari ducis*, cum alii ubique *clari*. Seneca Troad. 255.

Quid caede dira nobilem clari ducis
Aspergis umbram?

& Octav. 677.

Ubi Romani vis est populi,
Fregit claros *quae saepe* duces?

v. 11. JAM VIRUM EXPERTAE] Non immerito miratur Torrentius, cur addat *jam virum expertae*; cum potius par erat, ut cum pueris *innuptae* puellae conjungerentur. Unde idem, quod rarissime facit, a conjectura opem petere voluit, & sic locum refingere:

vos o puerae *& puellae*
Jam virum expertae.

Infeliciter profecto: nam & *puerae* obsoletior vox est, quam ut Horatio sub calamum veniret: & ridiculum est, in eodem versu *pueras* dici, quae innuptae sint, *puellas* (quod alterius diminutivum est, atque adeo minori aetati convenit) quae jam virum sint expertae. Sed & aliam viam tentat vir doctissimus, non meliore successu,

Vos o pueri, & puellae, ET
Jam virum expertae:

nam postremum illud *jam virum expertae*, si a *puellae* disjungatur, etiam *virginum matres* comprehendet, quas antea compellaverat: & praeterea versus hoc pacto nimis asper scaberque & rubiginosus exibit. Equidem, si per codices liceret, sic potius emendaverim,

Vos o pueri & puellae
NON *virum expertae:*

ut alibi Noster Epist. II, 1. vers. 132.

Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem nisi Musa dedisset?

& Carm. III, 1. Virginibus puerisque *canto*.
I, 21. *Dianam tenerae dicite*, virgines;
Intonsum pueri, *dicite, Cynthium.*
Carm. Saecul.
Virgines *lectas*, puerosque *castos*.
IV, 6. [*orti.*
Virginum *primae*, puerique *claris Patribus*

Nam Virgines eas innuptas & *non virum expertas* fuisse, ostendit quod mox subsequitur,

Nupta *jam dices, ego dis amicum*
Reddidi carmen:

ergo eo tempore nondum nupta erat.

v. 11. MALE OMINATIS PARCITE VERBIS] Editiones vetustae, Veneta & Loscheri, NOMINATIS: at Codices in diversa distrahuntur: nam dimidia pars habent, *nominatis*, & totidem fere *ominatis*: adeo ut alteri alteris nec numero neque vetustate concedant. Diversa etiam secuti sunt Editores, pro suo quisque judicio nunc hoc nunc illud praeferentes. Interea hoc pro comperto jam habetur, melius facere ad sententiam *Ominatis*, nisi quod versus mensuram hiatu suo labefacere videatur. Cui tamen opitulari conati sunt Muretus & Schottus, interjecto D, ad hunc modum,

Jam virum expertae, maled *ominatis.*

In quo ridiculine sint magis, an odiosi, in dubio est; cum rubiginem hanc Nostro affricare studeant, quam in Ennio Naevioque & cascis Opicorum carminibus vix aequis auribus accipimus. Itaque alii defendunt, *male ominatis*; ut neglecta hic Synaloephâ vocalis E non elidatur; qualia multa occurrere putant in tersissimis etiam poëtis. In qua sententia est sagacissimus Heinsius ad Claudian. Sec. Cons. Stilich. vers. 167. ubi fuse hanc lectionem tuetur. Sed illud non animadvertit vir insignis, pleraque omnia, quae ibi profert, hiatuum exempla in Caesuram sive in primam pedis syllabam cadere: non, ut hic, in Dactyli tertiam, aut secundam. Atqui hoc multum interesse sciunt rhythmorum & musicae periti. Fateor equidem etiam extra caesuram saepe negligi Synaloepham, ut apud Nostrum, Epod. V.

Et Esquilinae alites.

Et Serm. I, 9.

Si me amas, inquit, paullum hic ades.

Sed imprimis notandum, non nisi in longis vocalibus hiatus illos admitti; cujus rei a Musica similiter petenda est ratio. Sic in illis Virgilianis; [*fingunt?*

Credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia
Et longum, formose, vale, vale, inquit, Iola.
Clamarent, ut litus Hyla, Hyla, omne sonaret.
Te Corydon, o Alexi —— *Pelio Ossam.*
Insulae Ionio —— *Te amice, nequiti.*
Glauco & Panopeae & Inoo Melicertae:
Implerunt montes, flerunt Rhodopeiae arces.
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto.

vides longam esse vocalem, quae hiatum faciat; non brevem, ut hic *male ominatis: male* enim ante consonantem semper posteriorem corripit. Nusquam memini observasse, vocalem brevem extra caesuram hiatum facere, praeterquam in duobus locis, uno Catulli, Virgilii.

Digitized by Google

gilii altero: quorum ille Epigr. III.

O factum male, o miselle Passer.

Verum is verniculus in mendo cubat: omnes enim membranae ibi praeferunt,

Bonum factum male bonus ille passer:

ut testatur Achilles Statius, qui ex conjectura illud alterum reposuit. Nihil itaque ex tam dubio loco concludi poterit. Virgilii versus extat Aen. I, 405.

Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem Agnovit.

Verum hic peculiaris hiatus ratio est, quae in Horatii versu locum non habet. Quippe post *dea* plena distinctio est, & tum nova incipit oratio: & quia in pronunciando pausa & morae spatium intercedit, *dea* & *ille* per Synaloepham coalescere minime debuerunt. Vitiosum siquidem foret, siquis hunc in modum versum componeret;

Et veram incessu patuisse deam. Ille ubi matrem.

Atqui in Flacco longe aliter se res habet: & nisi fallor, sine exemplo est, ut vocalis brevis, extra caesurae locum, & in medio orationis tractu, non elidatur. Quare haeret haec res; & aut sententia laborabit, si legeris *Nominatis*; aut versus, si *Ominatis*. Sed bono animo esse poteris; nam levissima mutatione utrique vitio succurrere licet: neque dubites, quin sic profectum sit ab Horatii manu;

Jam virum expertae, male INOMINATIS
Parcite verbis.

ut ipse alibi Epod. XVI.

Inominata *perprimat cubilia.*

Gellius, V, 17. *Ante diem quoque quartum Calendas, vel Nonas vel Idus, tamquam* inominalem *diem plerique vitant.* Ubi codex MStus in bibliotheca Regia Parisiis, cujus excerpta habeo, *Nominalem* praefert: plane ut hic bona pars membranarum, *Nominatis.* Sed *inominalem* recte legitur etiam in Macrobio, qui Saturn. I, 16. celato, ut solet, auctoris nomine, haec ex Gellio sublegit. Ceterum, etsi *Male* non raro minuat & tollat significationem vocabuli adjuncti, ut *male sanus, male fidus*, perinde est ac *insanus, infidus*: interdum tamen auget eam atque intendit; praesertim apud Nostrum, ut Carm. I, 17. *male dispari.* Serm. I, 3. *male parvus.* I, 4, *male rauci.* I, 9. *male falsus*: ut proinde *male inominatis* eandem vel majorem vim habeat, quam *male ominatis.*

v. 20. SIQUA FALLERE TESTA] Videamus contextum orationis:

Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum siqua potuit vagantem
Fallere testa.

Ubi Torrentius *si qua testa* casu recto interpretatur, & posteriorem in *siqua* contra Grammaticorum regulas productam esse autumat; ut in illo Terentii Heautont. Prologo.

Siqua laboriosa est, ad me curritur.

At in eo frustra est vir optimus: quippe ibi cum codice Faerni Bembino, longe omnium vetustissimo & optimo, legendum est, *Siquae laboriosa est.* Unde ansam arripit Philippus Parcus in Lexico Critico voce *Siquae*, etiam hoc in loco similiter corrigendi. Sed uterque fallitur: etenim casu haec ablativo proferenda sunt,

Spartacum siquâ *vagantem Fallere* testâ:

Siquâ testâ cadus fallere potuit, ut Phaedrus *amphora testâ*, III, 2.

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna faece & testâ nobili
Odorem quae jucundum late spargeret.

v. 22. MYRRHEUM NODO COHIBERE CRINEM] *Murreum*, non *myrrheum* veteres Blandinii apud Cruquium scribunt, & ita nostri, Graevianus, Leidensis, Reginensis, cum aliis. Sed quid illud sibi vult,

Dic & argutae properet *Neaerae*
Murreum nodo cohibere *crinem:*

Properet, inquit, crinem nodo redimire: quid tum postea? an ut domi maneat? imo vero, *properet* ut ad nos veniat; ut una accubet, potet, festum diem celebret, & quae cetera sunt meretricis. Ergo *properet* absolute, i. e. properet venire: ut Carm. I, 30

Fervidus tecum puer, & solutis
Gratiae zonis, properentque *Nymphae:*

& ipse aliique passim. Quamobrem, vel invitis exemplaribus, corrigendum,

Dic & argutae properet Neaerae,
Murreum nodo COHIBENTE *crinem:*

ut alibi Carm. II, 12.

Lyden: eburna dic *age cum lyra*
Maturet, *incomtam Lacaenae*
More comam redimita *nodo.*

Seneca Herc. Oetaeo. 1543

Et comas *nullo* cohibente nodo,
Femina exertos feriat lacertos.

Properet huc Neaera, nodo duntaxat cohibente crinem, prae studio festinandi. Certissima haec emendatio est: facilis autem Librariorum lapsus a *Cohibēte* ad *Cohibere.*

CARMEN.

Digitized by Google

CARMEN. XV.

v. 3. FAMOSISQUE LABORIBUS] *Forte, Caloribus*, inquit Daniel Heinsius: credo, quia memminerat illud Carm. IV, 9.

Spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

Sed frustra: ut fere omnia quae in Horatio conatus est vir cetera ingeniosus & doctus. *Labores*, ut hic omnes libri praeferunt, idem quod *amores*; ut Carm. I, 17.

Dices laborantes *in uno*
Penelopen vitreamque Circen.

& I, 27.

Quanta laboras *in Charybdi,*
Digne puer meliore flamma.

v. 9. EXPUGNAT JUVENUM DOMOS] Vigornienſis noſter, EXPUNGAT: ſed hic dormitantis exſcriptoris eſt lapſus. Ceterum Lambinus, Torrentius, aliique figurate haec accipiunt; non quaſi revera *expugnet domos* & fores effringat, ut vel invitos juvenes diripiat: ſed *amore ſui ſubvertat domos*. Sed quorſum illud, quod ſtatim ſequitur?

Expugnat juvenum domos,
Pulſo Thyias uti concita tympano.

Quid enim? an Bacchae inſtar furioſa meretrix magis illaqueat adoleſcentum animos, quam verſuta & callida & ineſcandi artifex? Quare recte Dacierius, qui proprie haec accipit, adeo ut Pholoe illa vectibus expugnaverit aedes amatorum. Sed nullum profert auctorem, qui de feminis tale quid narret, quod potius adoleſcentum eſt facinus erga amicas ſuas. Ego vero dabo auctorem, & quidem majorem omni exceptione, Senecam nempe in Praefat. ad IV. Nat. Quaeſt. *Criſpus Paſſienus ſaepe dicebat, Adulationi nos opponere, non claudere*, oſtium: *& quidem ſic, quemadmodum opponi* amicae *ſolet: quae, ſi impulit, grata eſt; gratior, ſi* EFFREGIT. Inde explica Carm. III, 9.

Si flava excutitur *Chloe,*
Rejectaeque *patet* janua *Lydiae.*

hoc eſt, Si Chloe *ejicitur*, ut Terent. Eunch. III, 2.

Homo quatitur *certe cum dono foras;*

& Lydia prius excluſa jam patente janua admittitur. De THYIAS diximus, II, 19, 9.

v. 15. NEC FLOS PURPUREUS ROSAE] Reginenſis noſter, optimae notae codex,

Nec flos PURPUREAE *roſae:*

eadem conſtructione, qua illud Carm. II, 3.

Huc vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amaenae *ferre jube* roſae.

& IV, 10. [roſae.

Nunc & qui color eſt puniceae flore *prior* Ubi vide & mirare variam librorum ſortem. Qui ſolus hic habet *purpureae*, idem ſolus illic praefert *puniceo*: ſed hoc poſterius a manu ſecunda. Neutro in loco quicquam mutaverim.

v. 16. NEC POTI VETULAM FAECE TENUS CADI] Editio Veneta, VETULAM; Loſcheri, autem VETULA: atque eadem varietas in Scriptis, qui ab utraque lectione ſtant aequis viribus. Vetuſtiores certe noſtri, Leidenſis, Graevianus; & a manu prima Reginenſis, *vetula*. Utrumque probum eſt. *Vetula faece*, ut Catullus XXVII,

Miniſter vetuli *puer* Falerni:

& Martialis XI, 27.

Baſia da nobis vetulo, *puer, uda* Falerno.

Columella X, in fine.

Brachia jactantes vetulo *marcentia* vino.

Rectius tamen *vetulam*: Decet te vetulam abſtinere a conviviis adoleſcentium. Mutarunt Librarii, ut propiori verbo *faece* conveniret: quae ſollemnis eſt ecrum hominum hallucinatio.

CARMEN XVI.

v. 7. JUPPITER ET VENUS RISISSENT] Omnes quidem, quos viderim, ſcripti editique, RISISSENT. Tamen ex ſtili Horatiani indole ſcribendum eſt, RISISSET; ut multis exemplis docui ad Carm. I, 24. v. 8. Favet Lactantius ad Statii Theb. VII, ubi hunc locum citat: nam ibi, etſi alias mendoſe, editum eſt MISISSET. Ceterum locum, hunc *Incluſam Danaën turris aënea*, expreſſerunt Ovidius & Hieronymus: hic Epiſt. ad Gaudentium. *Quod didicerunt ſecreto, docent*, incluſamque Danaen *vulgi ſermonibus violant*: ille Amor. II, 19.

Si numquam Danaën *habuiſſet* aënea turris,
Non eſſet Danaë de Jove facta parens.

v. 13.

Digitized by Google

v. 13. DEMERSA EXCIDIO] Et Veneta & Loscheri EXITIO: neque aliter plures & potiores codices; ut ex nostris Graevianus, Leidensis, Bottelianus cum aliis; atque ita laudat Priscianus p. 890. *Demersa exitio*; nec editus solum, sed & MStus sexcentorum annorum in Bibliotheca publica hic Cantabrigiae. Nescio tamen quo fato pleraque editiones occupavit EXCIDIO, quod codices quidem nonnulli praeferunt, & inter alios Reginensis noster paucis secundus. Sed omnino perperam. Quippe *Demersa* & *excidio* contrariam plane tralationem habent, neque una conjungi possunt. *Excindere* enim est a stirpe & fundamentis *sursum* eruere: *demergere*, est in profundum *deorsum* trudere. Quamobrem, si retinendnm foret *excidio*, non *Demersa* dicerem, sed parva mutatione EVERSA; domus *ob lucrum*

Eversa excidio.

ut Virgil. Aen. X, 45.

per eversae, *genitor*, *fumantia Trojae*

Excidia *obtestor*.

Ovid. Heroid. III.

Lesbides eversa *corpora capta* domo.

Juvenalis X.

Evertêre domos *totas*, *optantibus ipsis*,

Dii faciles.

atque alii non raro. Sed omnino vera lectio est, *Demersa exitio*.

v. 18. MAJORUMQUE FAMES] Offensi adeo sunt Librarii vocabulo isto *majorum*, ut etiam versus dispendio mutare voluerint. Quippe codex Regiae Societatis sic praefert,

Crescentem sequitur cura pecuniam,

Majorque fames:

& in vetere Graeviano duae literae erasae sunt, *major..que*, quae ex spatio *u, m* fuisse videntur. *Major fames*, plane ut Prudentius Hamartig. 257.

Auri namque fames *parto sit* major *ab auro*.

Verum hanc emendationem ipse versus aspernatur: at quid illud est, obsecro, *Majorum*? Notissimum est, pro libitu veteres dixisse *pecuniam*, vel *pecunias*. Quare aut hic legendum est,

Crescentes *sequitur cura* pecunias,

Majorumque fames: aut,

Crescentem sequitur cura pecuniam,

Majorisque *fames*.

Nam ut passim occurrunt *pecunia grandis*, *ingens*, *immanis*, *immensa*, *nimia*, *mediocris*, *tenuis*, *amplissima*, *magna*, *maxima*; quidni & *major* pecunia dicatur? Sic & Scholiastes vetus: *Majorum*, *pecuniarum scilicet*. Atqui sine ulla necessitate numerum mutare, neque vitio caret, nec Horatium ejus reum esse crediderim.

v. 22. A DIS PLURA FERET] Omnes fere Membranae cum editione Veneta AB DIS; sic alibi, *Ab se*, *ab Jove* ex iisdem revocavimus. Ita passim & alii scriptores, ad exemplaria vetera fideliter recensiti. Plinius XXXIV, 9. *Transiit aes & ab diis ad hominum statuas*.

v. 25. CONTEMTAE DOMINUS SPLENDIDIOR REI] Codex unus & alter Torrentii Pulmanique CONTENTAE; atque ita mala manus in Reginensi nostro fecerat, erasa veteri Lectione CONTEMPTAE, quam & priscae Editiones, & Codices plerique omnes exhibent. Demiror equidem Canterum aliosque *contentae* hic maluisse, sive *mediocris*: quod ne Latinum quidem est, neque ullo exemplo fulciri potest. Imo vero recte habet recepta Lectio: quam tamen male explicant Torrentius Dacieriusque; *contemtae rei*, aiunt, quam possessor ipse haud magni facit, vulgus vero divitum pro nihilo ducit; quasi *contemtae* esset *exiguae & contemnendae*. Enimvero aliud volunt ea verba, argutius multo & elegantius. Jam ante dixerat Noster,

Nil cupientium *nudus castra peto*:

atque ea ratione, inquit, splendidior ero dominus *rei contemtae*, hoc est, *non cupitae*, quam si totam Apuliam possiderem, more divitum nostrorum utendi & fruendi nescius. Stoicorum scilicet effatum est, sapientem omnia possidere, omnium dominum esse, quamvis nihil habeat: quia nil cupit, neque ullius indiget. Ergo duplex hic paradoxon est: *Ego ero possessor rei non possessae*: *Ille inter magnas opes inops*. Quod posterius a multis postea expressum est; ut Seneca. Epist. LXXIV. *Occurrent*, *quod genus egestatis gravissimum est*, in divitiis inopes. Idem Herc. Furente 168.

hic nullo fine beatas

Componit opes, *gazis inhians*,

Et congesto pauper in auro *est*.

Paullinus Natali, IX.

inter opes inopes, *quasi Tantalus ille*,

Inter aquas sitiunt, *nec habent quod habere videntur*.

v. 26. QUICQUID ARAT IMPIGER APPULUS] Editio Veneta, IMPIGERI; Loscheri autem NON PIGER, unde in sequentes ea lectio derivata est. At membranae omnes & mei & aliorum, *impiger*: quod omnino retinendum. *Arat* in caesura posteriorem producit, ut jam aliquoties vidimus, Carm. I, 13. vers. 6. III, 8. v. 5.

v. 31. FULGENTEM IMPERIO] *Fulgentem* exhibent omnes ubique codices magna constantia.

Digitized by Google

tia. Neque vero inficior, quin recte dicatur *fulgens imperio*, ut Tacitus Hist. IV, 42. *Septuagies festertio saginatus, & sacerdotio fulgens*: Vopiscus in Probo. c. 2. *Cn. Pompeium tribus fulgentem triumphis.* Et Silius Italicus XIII,

Quam vellent numquam sceptris fulsisse *superbis!*

Neque porro negaverim, *fallit* (λανθάνει, elegante sane Graecismo) recte accusativum post se trahere; *fallit beatior fulgentem*, ut Lucanus VI, 68.

Prima quidem surgens *operum structura* fefellit
Pompeium: *veluti mediae qui tutus in arvis*
Sicaniae, rapidum nescit latrare Pelorum:
Aut vaga cum Tethys Rutupinaque litora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

ubi *fefellit surgens Pompeium*, & *fallit turbata Britannos*, eodem plane sensu & constructione ponuntur, ac apud nostrum, *fallit sorte beatior fulgentem*: Graece dixeris, λάληθεν ἀνισταμένη τὸ Πομπήϊον, λανθάνει παραπλησίως τοὺς Βρεττανούς, λανθάνει διαφερόντως οὔσα τὴν ἀρχοντίαν. Itaque dictio hujus loci optime se habet; sed excutiamus sententiam ipsam:

Purae rivus aquae, silvaque jugerum
Paucorum, & segetis certa fides meae
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.

Ubi male rem gesserunt interpretes, cum *Regem* aliquem Afrum, Syphacem, credo, vel Bocchum aut Jubam intelligunt. Atqui nemo ex illis regibus *imperium Africae* habuit, sed partis ejus dumtaxat, Numidiae puta aut Mauritaniae. Quin magistratum Romanum voluit Noster, Proconsulem scilicet Africae, cui tota Africa provincia obtigerat. *Africam* autem eo nominat, quia ea amplissima, & *omnium provinciarum arx* habebatur, ut narrat Cicero. *Imperium* praetorium, consulare, pro *magistratu* passim occurrit apud Historicos: utique apud Poëtas. Neque perceperunt omnino, quid ibi notet *sorte*: alludit enim ad morem Romanum, quo Provinciae *sorte* ducebantur: Cicero ad Quintum Fratrem I, 1. *Quod si te* sors Afris, *aut Hispanis, aut Gallis praefecisset.* Pro Ligario, 8. *Si responderit Tubero*, Africam *quo Senatus eum* sorte *misisset, tibi patrem suum traditurum fuisse.* Suetonius Vespas. IV. *Exin* sortitus Africam, *integerrime, nec sine magna dignatione administravit.* Tacitus Agricola, 42. *Aderat jam annus, quo Proconsulatum Asiae & Africae* sortiretur. Ita *sors Asiae, sors Macedoniae, sors Provinciarum* passim occurrunt. Quamobrem, his recte constitutis, ea demum surgit sententia, *Ager meus Sabinus paucorum jugerum fallit Proconsulem Africae sorte beatior.* Quanto meliora sunt haec, quam quae Interpretes in tenebris caligantes hic temere effuderunt! Neque tamen ea de caussa crediderim vel ab Horatii manu haec esse, vel digna quae sub ejus nomine ferantur. Vide enim, quid in hac sententia jure culpemus. Ager, inquit, *meus*, certa fides segetis *meae*, ignoratur ab Africae proconsule esse sorte beatior: nescit ille me in valle Sabina degere se beatiorem. Non places, Flacce. Unde enim tua seges, aut curtus ille agellus Proconsuli Africae notus sit, nedum regulo Afro (ut volunt interpretes) ultra Garamantas senescenti? Deinde, quid sibi vult *beatior?* ubi nomen est, cum quo comparatio instituatur? an *beatior sorte?* nihil enim aliud est. Sorte scilicet *Africae*, aut conditione *Proconsulis.* Atqui ea extrinsecus subaudiri nequeunt, sed pro Linguae Latinae indole disertis verbis exprimenda erant. Quid multa? vide, annon una litera vel uno potius apice remoto, sic melius legatur:

Purae rivus aquae, silvaque jugerum
Paucorum, & segetis certa fides meae
FULGENTE *imperio fertilis Africae*
Fallit sorte beatior.

perspicuâ sententiâ; *Fallit* inquit, *sorte* (sive plene, in sua sorte) *beatior proconsulatu Africae*: revera felicior conditio est, quamvis id a pleriisque ignoretur. *Fallit* absolute positum, ut λαθεῖν eodem sensu passim apud Graecos: sic ipse Epist. I, 18,

An secretum iter, & fallentis semita vitae.

Fulgente autem *imperio*, ut Silius Italicus XIII.

Sed castam servate fidem: fulgentibus *ostro*
Haec potior regnis.

Seneca Troad. 272.

Ego esse quicquam sceptra, *nisi vano putem*
Fulgore *tectum nomen, & falso comam*
Vinclo decentem?

Aut ego valde fallor, aut haec emendatio non fallit melior esse & elegantior recepta lectione.

v. 51. REGNUM ALYATTICI] *Alyattici* habent Veneta & Lobcheriana, unde omnes omnium editiones tenuit. Quod si interroges, quis sit iste *Alyatticus*; Croesum esse respondent, a patre Alyatte sic dictum πατρωνυμικῶς. Mira vero, quae his hominibus placeant. At non adeo obesae naris erat Tan. Faber: quin libere dicit *errorem esse Horatii, si ita scripsit*: *nam omnino dicendum* Alyattii; *hoc enim patronymicum*

Digitized by Google

tronymicum esse, ut a Laërte Laërtius; Alyattici *vero possessivum*. Non sine laude dimittendus est vir acutus; etsi geminum in tam paucis verbis errorem admiserit. Neque enim *Laertius* est patronymicum, ut *Laërtiades*; sed possessivum, ut *Laërtia regna, Laërtius heros*. Sic *Priamides* & *Priameïs* patronymica sunt, *Priameius* possessivum, ut *Priameia conjunx, Priameia virgo, Priameia sceptra*: ita *Semeleius Thyoneus, Semeleia proles*; *Laomedontia pubes, Laomedontius heros*, & similia, quae numquam sola sine nomine substantivo ponuntur. Illud, opinor, moneri non necesse est; cum *Diogenes* dicitur *Laërtius*, non a Laërte patre πατρωνυμικὸν esse, sed a Laërte oppido ἐθνικόν. Numquam ergo *Alyattius*, nude & per se poni poterit. Neque porro *Alyattici* possessivum est, ut autumavit Faber. Quin nihil omnino est, nisi barbarum & exscriptore Monacho dignum. Ut enim ab Achilles Ἀχιλλεύς Achillêus, ab Orestes Orestêus, a Bellerophontes Bellerophontêus ducitur, non Achillicus, Oresticus, Bellerophonticus: ita ab Alyattes Alyattêus possessivum fuerit, numquam Alyatticus. Satius tamen est conantem aliquid cum Fabro excidere, quam ignave adeo cum ceteris in insulsa lectione conquiescere. Recte quidem rescribere poteris in hunc modum,

Quam si Mygdoniis regnum Alyattium:

ut supra vidimus *Laertia regna* Virgil. Aen. III. 272. Sed vide hic Interpretum diligentiam: altum apud eos silentium est de varietate lectionis: & tamen vix unum esse crediderim codicem paullo vetustiorem, qui *Alyattici* praeferat. Leidensis noster, cum alio *Alyatthii*, Graevianus a prima manu, *Alyathii*. Regiae Societatis, *Haliati*, Bodleianus *Aliathii*. Quid multa? rescribe vero illico,

Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem.

Alyattes Alyattei; ut Noster Epod. XVII.

Heu pervicacis ad pedes Achillei.
Laboriosi remiges Ulixei.

Regnum autem *Alyattei*, ut Carm. I, 12. *Pompili regnum*. I, 15. *Et regnum Priami vetus*: Serm. I, 6.

Ante potestatem Tulli *atque ignobile* regnum. Sine dubio aut *Alyattium*, aut *Alyattes* reponendum: utrumvis autem feceris, mihi quidem perinde est.

CARMEN XVII.

v. 4. FASTOS] Jam inde a Priscíani temporibus variatum erat in Codicibus, quorum alii *Fastus* habebant, alii *Fastos*. p. 711. Fastus, *quando a Fastidio est verbo, quartae est: quando vero pro Annali accipitur, a Fastis & Nefastis diebus sic dictum, frequentius secundae est. Invenitur tamen & quartae. Lucanus in X.*

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus:

quod tamen errore Lucani prolatum dicit Servius in Comment. III. lib. Virgil. cum antiquiores quoque similiter idem protulisse inveniantur. Ovidius Fastorum *inscripsit libros. Nam apud Horatium duplicem invenio scripturam &* Fastos *&* Fastus, *in III Carm.*

Per memores genus omne fastos:

& fastus *in aliis codicibus*. Haec Priscianus. Certe vetusti nostri Graevianus, & a prima manu Reginensis hic praeferunt FASTUS: ubi emendatum postea *Fastos*. At in Carm. IV, 14.

Per titulos memoresque fastos,

Reginensis clare *Fastos*; & Graevianus a prima manu: sed correctum postea *Fastus*. Utrum ab Horatii calamo fuerit, scire hodie non possumus, neque flocci quidem interest. Vide, si libet, Nic. Heinsium ad Claudian. IV. Cons. Honor. vers. 155.

v. 5. AUCTORE AB ILLO DUCIS ORIGINEM] *Ducis* habent omnes ubique libri, tam scripti quam editi. Ego vero jam olim praeviderám corrigendum esse DUCIT, priusquam in Danielis Heinsii notulam incidissem. Certe is jam ab annis prope centum emendavit hunc locum; neque tamen ullus postea ex Editoribus aut secutus est ejus correctionem, aut omnino mentione dignatus est. Quid est, si haec non infelicitas est? In toto Horatio vix iterum tertiumve bene conjecit vir magnus quidem, sed iratis Musis hic operatus: & tamen una haec capitalis emendatio probatorem non invenit. Quod eo, opinor, accidit, quia (quod jure mireris) ne verbulo quidem rationem ullam castigationis suae reddidit. Nos ejus vicem illud, ut possumus, explicare conabimur. Vide itaque totum locum, ut libri eum nunc exhibent:

Aeli, vetusto nobilis ab Lamo,
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos)
Auctore ab illo ducis *originem*

Qui

Digitized by Google

Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps, & innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirin
Late tyrannus. Cras foliis nemus
Multis ——Dum potes, aridum
Compone lignum; cras genium mero
Curabis.

Considera nunc, sodes, oeconomiam carminis: Tu, Aeli Lamia, a vetusto Lamo denominate; *tu, inquam, originem ducis a Lamo illo Formiarum rege*: cras magna pluvia erit: ligna sicca, dum licet hodie, sub tecto repone: cras enim domi bibes otiosus, quia ob pluviam foras exire non poteris. Nonne jam vides absurdum & ineptum esse, quod in medio inculcatur? Adeóne directo & in os laudandus erat ob nobilitatem Lamia, ut rem leviculam de *lignis* inferret? *Oh! tu antiquis regibus oriundus es: cura, obsecro, ut ligna componantur.* Hoccine ut laudemus hodie, & tamquam pulchrum & decorum admiremur? Vah, quam indignaretur Horatius, si ad vivos redire posset. Quin tu Heinsii lectionem jam contemplare; ut nova lux exoriatur; ut novus color sententiae accedat:

Aeli vetusto nobilis ab Lamo,
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos; & nepotum
Per memores genus omne fastos
Auctore ab illo DUCIT *originem,*
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps, & innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirin
Late tyrannus) cras foliis nemus &c.

Ubi *genus omne* est casu recto: *& priores Lamiae, & genus omne nepotum per longam fastorum seriem, ducit originem a Lamo illo, qui primus Formiis regnavit.* Sic autem ordo & constructio est: *Aeli*, inquit, *Lamia, cras pluvia erit tempestas; cura, ut ligna habeas in parato, quia domi manendum.* Non illa putida jam interveniunt: neque enim ἐσηγημένως & ex professo, sed obiter & per parenthesin inferuntur, quae ad genus & nobilitatem Lamiae spectant. Ceterum totam hujus emendationis laudem sibi servet Heinsius; mihi forte aliunde supererit, quo nomen pretiumque hominis de Horatio non male meriti nanciscí & tueri possim.

v. 7. ET INNANTEM MARICAE] Nescio quid velit Heinsius, qui in utraque sua editione MARICA rescribi jubet: nisi forte a Typographo mendum est, quod auctoris oculos effugerit. Certe praeter omnes Codices, ita habet & Servius ad Virgil. Aen. VII, 407. Ceterum LIRIM non *Lirin* edidimus, cum editiones veteres secuti, tum & codices scriptos. Nam in Italicis nominibus amant potius terminationem Latinam; ut Virgilius, *Qui Tiberim Fabarimque bibunt:*

Qui Tuscum Tiberim, & Romana palatia
servas.

v. 13. DUM POTES] Tres veterrimi nostri, Leidensis, Graevianus, & a prima manu Reginensis, POTIS, non *potes*. Sine dubio ab Horatii incude: unde enim bonis illis Librariis nummum tam rarae notae? *Dum potis*, ἕως ἔξεστιν, ἕως δυνατόν ἐστι, Virgilius Aen. III, 670.

Verum ubi nulla datur dextram adfectare
potestas,
Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo.

Arnobius saepe, ut lib. 1. *De quo* (deo) *nihil dici & exprimi mortalium* potis *est significatione verborum.* & II. *Quantum* fieri potis *est.*.. *Neque enim contrarium insitum esse contrario* potis est. & VI. *Si quid fieri* potis est *injuriosius, contumeliosius, durius.* Vide Interpretes ad Lucretium & Catullum.

CARMEN XVIII.

v. 12. CUM BOVE PAGUS] *Pagus* habet Editio Veneta, at Lolcheriana *pardus*.

Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pardus.
Inter audaces lupus errat agnos.

Et sane mirum est, ut per omnes fere Codices grassatus sit ille *pardus*. Ita Petrensis noster, Regiae Societatis, Magdalenensis, Vigornienſis, Battelianus, a manu secunda Reginensis, & pro varia lectione Leidensis, Graevianus & Colbertinus. Vide autem, & ride Monachorum ingenium. Quia illud sequebatur de *Lupo inter agnos innocuo*, faceti homines commutarunt *Pagus* in *Pardus*, ex Esaiae capitulo XI, vers. 6. *Habitabit* LUPUS *cum agno*, & PARDUS *cum hoedo accubabit: vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Nullus dubita, quin ex sacro hoc fonte derivata sit ea lectio; & miror equidem neminem ex Interpretibus hoc animadvertisse. Quamquam autem insulse admodum & pene impie huc translata sit ea scriptura; mirifice tamen placuit commentum, & ex quo primum excogitatum est, membranas fere omnes per-

Digitized by Google

volitavit, ut jam vidisti. Eja vero: unde in Italia *Pardus*, qui extra Africam Asiamque non nascitur? quid porro est pardus *festus* & *vacans*, hoc est, feriatus & operum solutus? An *pardi* ad agros colendos & opus rusticum adhibentur? Recte vero *Festus pagus* cum antiquioribus codicibus, ut Ovidius Fast. I. 667.

Villice, da requiem terrae, semente peracta:
Da requiem, terram qui coluere, viris.
Pagus *agat* festum: *pagum lustrate, coloni:*
Et date paganis annua liba focis.

Porro illud non omittendum, male rem gerere hic Interpretes, cum per totum carmen *si* κατὰ κοινοῦ *a communi* singulis sententiis praeponunt: *Propitius sis*, O *Faune*; *si haedus*, & *vinum*, & *ara rite tibi adsunt*. Hactenus recte habet, sed pergunt & continuant; *si pecus ludit*, *si festus pagus est*, *si lupus inter agnos*, *si silva spargit frondes*, *si fossor saltas*. Quae omnia prava & inepta sunt. Vide enim:

Inter audaces lupus errat agnos:
Lenis esto, O Faune, si pietate mea ita merui, si sacra tibi sollemnia feci, *si lupus inter agnos errat innocuus*. Quid? an hoc Horatii meritum erat? immo Fauni beneficium. Quamobrem, post versiculum octavum *Fumat odore*, pleno puncto, ut in nostra editione, distinctio facienda est: & quae deinceps sequuntur, sunt Fauni laudes; *Tibi* pecus ludit, *Tu facis*, ut lupus erret &c. Idem de Fauno praedicat Carm. I, 17.

CARMEN XIX.

v. 7. QUO PRAEBENTE DOMUM ET QUOTA] *Quota* habent & scripti & editi: neque loco movendum est. *Quota hora* ad cenam veniam? octava, an nona, vel quando? Juvenal. I, 49.

Exul ab octava *Marius bibit, & fruitur dis Iratis.*

Noster Epist. I, 7.

Post nonam *venies; nunc i, rem strenuus auge:*

Poterat tamen, si Manuscripti accederent, aeque commode legi QUOTUS, ut Epist. I, 5.

Tu quotus *esse velis, rescribe.*

& Martialis XIV, 215. [*unum*

Dic, quotus *& quanti cupias cenare; nec*
Addideris verbum: cena parata tibi est.

v. 12. MISCENTUR CYATHIS] Recte hunc locum cepit Nic. Heinsius, qui in exemplaris sui margine, *Lege*, inquit, MISCENTOR. Quod & ante eum fecerat vir ingeniosus Janus Rutgersius in Lectionibus Venusinis cap. VII. Posteriores tamen glande vesci maluerunt, quam repertas hic fruges agnoscere. Vide vero integrum locum;

Da Lunae propere novae,
Da Noctis mediae, da puer, auguris
Murenae: tribus aut novem
Miscentor *cyathis pocula commodis.*

Omnia hic pro imperio jubet, *Da, da, da, miscentor*, quasi Magister; aut, ut Plautus ait, Strategus convivii. Quo etiam ducit nos glossa codicis Batteliani, *Miscentur, propinentur*. Certe jacet linguetque illud *miscentur*: neque vero puer *invisus* tres vel novem cyathos miscere ausus fuerit. Illud quoque recte Rutgersius, *cyathis commodis*, id est, plenis. *Tribus* autem *cyathis* cave intelligas *tribus poculis*, quod inepotam orationem efficeret. *Cyathus* quippe hic *mensura* est, non poculum, ut saepe apud Graecos Latinosque, praesertim medicos. Miscentur, inquit, pocula capientia vel tres vel novem cyathos, χωροῦντα ἢ τρεῖς ἢ ἐννέα κύαθους, quae uno spiritu a potoribus exhauriantur. Neque enim cyatho novies hausto compotatio finita erat, ut male hic vulgo intelligunt; quippe Carm. III, 8. centum cyathi deplendi erant,

Sume, Maecenas, cyathos *amici*
Sospitis centum;

imo trecenti & plures apud Ovidium in Fastis, loco ibi citato. Ceterum, non male codex Magdalenensis,

Murenae: aut *tribus aut novem.*

ut Carm. proximo,

Qualis aut *Nireus fuit*, aut *aquosa*
Raptus ab Ida.

atque alibi passim. Saepissime prius *Aut* a Librariis omissum est; ubicumque scilicet versus ratio sinebat: ut suis locis indicabimus. *Aut* tres, inquit, *aut* novem cyathi uno haustu ebibantur; utrum vultis? Vos poëtae, Musarum clientes, *novem*, credo, petetis: alii potius *tres* ad numerum Gratiarum. Digna autem sunt, quae hic ponantur, verba Ausonii Praefat. ad Griphum. *In expeditione, quod tempus, ut scis, licentiae militaris est, super mensam meam facta est invitatio; non illa de Rubrii convivio, ut Graeco more biberetur; sed illa de* Flacci Ecloga, *in qua propter* mediam Noctem, & novam Lunam, & Murenae auguratum,

Ternos ter cyathos attonitus petit vates.

v. 17.

Digitized by Google

v. 17. NUDIS JUNCTA SORORIBUS] *Juncta* habent & Editiones, & Scripti, quod ſciam, omnes. Theodorus tamen Marcilius, *Melius*, inquit, *habent Membranae*,

Nudis VINCTA *ſororibus*:

vinculum *enim ſive* nodus *Gratiarum eſt, ut mox Carm.* XXI,

Segneſque nodum *ſolvere Gratiae.*

Ubi vereor equidem, ne quod ipſe cupiit, id in membranis vidiſſe ſibi viſus ſit. Sed eſto, ut codex aliquis habuerit *vincta*; facilis enim eſt lapſus in tam obſcuro diſcrimine: tamen & inepta lectio eſt, & plumbeum Marcilii argumentum. Nam & *nodo* & *vinculo* JUNCTUS dicitur, aeque ac VINCTUS. Plinius Hiſt. XI, 67. *Cervix, ad circumſpectum, articulorum* nodis jungitur. Plinius alter Epiſt. X, 11. *Roſianum Geminum, domine, arctiſſimo* vinculo *mecum tua in me beneficia* junxerunt. Ita *jungi & copulari*, Cicero aliique. Quare recte habet *juncta*; ut Carm. I,

Junctaeque *Nymphis* Gratiae *decentes.*

v. 24. ET VICINA SENI NON HABILIS LYCO] Codex Blandinius Cruquii omnium vetuſtiſſimus HABILI; ceteri cum editionibus priſcis, HABILIS. Illud *habili* placuit ſagaciſſimo Rutgerſio; ut Lycus inhabilis dicatur uxori, ſenex nempe juvenculae. Neque vero negandum eſt, etſi *habilis* ſit nomen relativum & quaſi reciprocum, illud tamen ex duobus *inhabile* plerumque dici, cujus culpa vel vitio habilitas mutua impeditur. Quandoquidem igitur per Lyci ſenectutem ſtetit, quo minus alter alteri habiles eſſent; non illa Lyco, ſed Lycus illi *non habilis* dicendus fuit. Ita Virgil. Georg. III. 62. [*Baccho*:

Cetera nec *feturae* habilis, *nec commoda* Martialis XIII, 19.

Non habilis *cyathis, & inutilis uva Lyaeo*:

ſuo ſcilicet vitio *non habilis*. Ovidius Amor. I, 8.

Forſitan immundae, Tatio regnante, Sabinae
Noluerint habiles *pluribus eſſe viris*:

id eſt, ſua illuvie *non habiles*. Valer: Flaccus VII, 231. [*Colchos*:

Fas mihi non habiles, *fas & tibi linquere* nempe ob caeli inclementiam & incolarum barbariem nobis *inhabiles*. At quia praeſtantiſſimus Nic. Heinſius *ſtabiles* ibi legit, non *habiles*, cum ad Ovidii Pont. II, 9, tum ad ipſum Valerium; pretium operae erit locum integrum deſcribere: ubi Circe, ſive Venus ſub Circes imagine, ſic ſuadet Medeae, ut Colchos relinquat:

Omnibus hunc potius communem animantibus orbem, [*cato,*
Communes & crede deos: patriam inde vocato
Qua redit itque dies: nec nos dis nata malignis
Luſerit *hoc* crudo *ſemper ſub frigore* meſſis:
Fas mihi non ſtabiles *fas & tibi linquere Colchos.*

Ita praefertur in Heinſii editione poſthuma: temerarie ſane, & infeliciter. Quid enim *Meſſis* ad Medeam & Circen? an agricolarum uxores erant? quid autem *meſſis* ſub *frigore*? meſſis quidem & frigus plane contraria ſunt,

Ante focum, ſi frigus *erit, ſi* meſſis, *in umbra.*

Tum illa, *Luſerit, crudo, ſtabiles*, omnia niti tur ſolâ conjecturâ. Equidem ex variis Codicum ſcripturis, quas apud ipſum Heinſium videre eſt, ſic locum reſtituerim;

nec nos, ô nata, malignus
Cluſerit Arctoo *ſemper ſub frigore* Phaſis:
Fas mihi non habiles, *fas & tibi linquere Colchos.*

Clarâ per ſe ſententiâ: *O nata,* (ita Circe Medeam compellat, quippe ſoror Aeetae, Medeae patris: unde paullo poſt verſ. 242. Medea eam *Matrem* viciſſim vocat) *Omne*, inquit, *ſolum patriam voca: neque anguſtus inviduſque hic Phaſis ſub gelida Arcto ſemper nos clauſerit; quin potius alias regiones petimus magis habiles, magis aptas nobis, & accommodas.* Nihil ingenio hic permiſimus; niſi quod pro *hoc uno*, quod Scripti exhibent, *Arctoo* dedimus. *Sub Arctoo frigore*, ut Lucanus X, 250. [*axem.*

Frigore ab Arctoo *medium revocata ſub* & VIII, 363.

Omnis in Arctois *populus quicumque* pruinis
Naſcitur:

Vel, ſi ita mavis, retinere licet *hoc uno*, & ſic verſum refingere:

Cluſerit hoc uno *ſemper ſub* cardine *Phaſis*:

ut Ovid. Pont. II, 10. [*mundi.*

Ipſe quidem extremi cum ſim ſub cardine & Silius IV,

io, conjux, quocumque in cardine *mundi*
Bella moves.

Poſſis quoque *hoc mundi* pro *hoc uno*. Sed haec obiter. Nunc ut ad Noſtrum revertamur: quamquam, ut vidiſti, uſitatius ſit, ut ex duobus id quod vitio laborat, *inhabile* alteri dicatur; tamen in illa lectione

Et vicina ſeni non habili *Lyco*,

id erit incommodi, quod *vicina* nullo tum modo *uxorem* ſignificet: quod Rutgerſianae correctionis eſt unicum fundamentum. Ille

Digitized by Google

quidem ex Juvenali id conatur, Sat. VI, 509. de mala uxore;

Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum, vivit tamquam vicina *marito.*

Sed tuam fidem, vir clariſſime! an quia *tamquam vicina* vivit rei familiaris neglegens uxor, idcone *vicina* abſolute *uxorem* ſignificaverit? quid ſi ſimili ſententia dixeris, *tamquam vipera*, vel *canis?* an ea nomina per ſe poſita *uxorem* notabunt? Quin omnino *vicina* apud Horatium eſt *vicina nobis*; adeo ut *ſtrepitum audire* poſſit ex vicinia: & cum addit, *non habilis ſeni Lyco*, inde demum colligimus, uxorem eam fuiſſe Lyci. Recte igitur ſe habet fere omnium codicum ſcriptura,

Et vicina, ſeni non habili Lyco;

non habilis, hoc eſt non apta, non par, non conveniens; relativorum enim, ut dixi, reciproca ſignificatio eſt: ſi Lycus uxori non habilis eſt; tum viciſſim uxor non habilis eſt Lyco. Potes & *non habilis* explicare, non tractabilis; quae a ſene marito regi & gubernari non poteſt:

Δίσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.

Viro enim ſeni nupta, non uxor, ſed domina eſt. Paterculus II, 113. *Cum eum* (exercitum) *majorem, quam ut temperari poſſit, neque* habilem gubernaculo *cerneret, dimittere ſtatuit.* Porro Acron, quem ad partes ſuas trahere conatur Rutgerſius, in mendo cubat: *uxor quae ſeni puellae* inhabili *conjuncta eſſet: unde & zelum ejus oſtendit, dum* inhabilem *dicit.* Pro *inhabilem* recte Cruquii Acron, & MStus Regiae Societatis *invidum.* Tum autem pro *inhabili* corrigendum eſſe *inhabilis* ipſe ordo & compoſitio ſatis oſtendit.

v. 27. TEMPESTIVA PETIT CHLOE] Ita Veneta & Loſcheri, unde in ſequentes editiones eſt propagatum. At bona pars membranarum, non *Chloë*, ſed RHODE. Sic ex noſtris Leidenſis, Reginenſis, Petrenſis, Regiae Societatis, Vigornienſis: Colbertinus autem cum Lambini quibuſdam, *Rhoda.* Sine dubio vera lectio eſt: unde enim Librariis in mentem venire potuit? At *Chloe* ex Carm. I, 23. III, 7, 9, 26. huc traducta eſt, quia *Rhode* aliunde iis ignota erat. *Rhode* Libertinarum cognomen non ſemel occurrit: Marmora Felſinea p. 415. D. M. T. OCTAVIUS. THALLUS. ET. VIBIA. RHODE. Gruterus. p. 716, 6. ULPIA. RHODE. Idem p. 475, 5. TITIA. RHOPE. MATER. corrige ibi, RHODE. Act. Apoſtol. XII, 13. προσῆλθε παιδίσκη ὑπακοῦσαι, ὀνόματι ΡΟΔΗ. Menander:

Ἀλλ' ἴσθι τάλαιν' ἡ βίου τοῦτ' ὄφελος,
Εὐχαῖς' ἀνθρώπους ἀναδίδου. ΡΟΔΗ,
Εἰς κατιγέλωτα τῷ βίῳ πεπλασμένα.

CARMEN XX.

v. 1. NON VIDES QUANTO MOVEAS PERICLO] Silent hic interpretes; ſed Bodleianus Noſter, pro *periclo*, TUMULTU habet; & pro varia Scriptura Leidenſis, Reginenſis, & Colbertinus. Neque aliter codex Henrici Stephani, ut in Praefatione ſua monuit. Utrumque probe. *Quanto tumultu moveas*, hoc eſt, quantum tumultum excites, dum moves. Sic infra Carm. III, 27.

Sed vides quanto *trepidet* tumultu
Pronus Orion.

ubi omnia fere paria ſunt & plane gemina. Sed non levis ſuſpicio eſt, ex poſteriore hoc verſu traductum eſſe a Studioſo quodam illud *tumultu:* quare nihil muto: nam & Diomedes p. 524. habet *Periclo.*

v. 3. DURA POST PAULLO] Primariae Editiones, Loſcheri & Venera, *Poſt paullum*, non *Poſtpaullo.* Atque ita Graevianus noſter, Galei, & Magdalenenſis. Sed recte habet, ut nunc editum. Ita Noſter alibi bis vel ter; ita Salluſtius, Caeſar, Tacitus, aliique. Vide Gronovium ad Livii XXII, 60. Porro verſum 14.

Sparſum odoratis humerum capillis,

ad ſe tranſtulit Ovidius Faſt. II, 309.

Ibat odoratis humeros *perfuſa* capillis
Maeonis, aurato conſpicienda ſinu.

CARMEN XXI.

v. 5. QUOCUMQUE LECTUM NOMINE MASSICUM] Vix alius eſt locus, in quo infelicius ſe geſſerint Interpretes: expendamus modo ſententiam integram:

O nata mecum Conſule Manlio:

ubi diſertis verbis narrat vinum, quod jam poturus erat, preſſum & diffuſum eſſe, Conſule Manlio Torquato, quo anno & ipſe natus eſt.

Id

Digitized by Google

Id enim in more erat, ut feſto & bono die cadum vini emerent biberentque ejuſdem qua ipſi aetatis; ut & Epod. XIII.

Tu vina Torquato move Conſule preſſa meo.

Sequitur hic deinde,

Seu tu querelas, ſive geris jocos,
Seu rixam & inſanos amores,
Seu facilem, pia teſta, ſomnum:

quae omnia plana ſunt, niſi quod epitheton illud non placeat, *pia teſta*. Quomodo enim *pia*, ſi *querelas* forte vel *rixam* geſſerit? Hoc tamen patienter admiſerunt nimis aequi Interpretes. Tu vero verba accipe, quaſi hic interpungerentur,

Seu facilem pia, Teſta, ſomnum.

Pia enim non omnibus illis conditionibus ex aequo communicandum eſt, ſed ad ultimam illam reſtringendum. *Pia* quidem, ſi *facilem ſomnum* attuleris; ſin *querelas aut rixas, impia* potius. Jam ſequitur porro;

Quocumque lectum nomine Maſſicum
Servas, moveri digna bono die:

hoc eſt, ut nunc dierum explicatur, *cujuſcumq; Conſulis nomen & annum feras.* Quid audio? nonne jam dixerat, *O nata mecum Conſule Manlio?* quomodo ergo nunc, *Quocumque Conſule nata*? quae haec inconſtantia eſt, & inepta vacillatio? At, inquiunt, corrigere quodammodo errorem videtur: temere enim affirmare viſus eſt, Manlio Conſule natam ſuiſſe. Utinam vero ipſi ſuas chartulas corrigere vellent, neque tam frigidas excuſationes Horatio commodare. Certe non placuerunt celeberrimo Dacierio: ſed & ipſe ſuo acumine ludum riſumque praebet, cum prius de *amphora* interpretatur, poſterius de *vino*: adeo ut *teſta* quidem a figulo facta ſit, Manlio conſule: vinum autem teſtae infuſum, conſule alio neſcio quo. Quid, amabo? an tanti erat ſine vino amphora, ut quo anno a rota exierit, memoratu fuerit dignú? Certe non Teſtae, ſed Vini aetas inſcribi ſolebat cadis: ut Galenus, a Marcilio hic citatus, Οἶνον τὸ Φαλερῖνον ἐκάστου τῶν ἡλικίαν ἀναγινώσκειν ἐπιγεγραμμένην τοῖς κεραμίοις. Quid quod novis teſtis nova vina condebant, ut ineptum ſit alio conſule natam dicere Teſtam, alio Maſſicum. Sin aliter; unde tum noſter aetatem Teſtae ſcire potuiſſet? Quanto his meliora protulit Scholiaſtes Acron, ſi bene monenti obtemperaſſent: *Quocumque nomine; ex omnibus ſupradictis, ſive ad* jocos, *ſive ad* querelas, & cetera. Nihil verius: aut enim haec verborum ſententia eſt, aut nulla eſt. Dixerat; *ſeu querelas, ſive jocos, ſeu amores, ſive ſomnum geris, o Teſta*; deinde infert; *quocumque* ex his *nomine Maſſicum ſervas, digna* certe ob vetuſtatem & pretium *bono die moveri, deſcende. Quocumque nomine*, hoc eſt, *quocumque titulo, quacumque conditione.* Sic *eo nomine* paſſim occurrit. Tacitus Annal. XIV, 59. *Decretae* eo nomine *ſupplicationes*; id eſt, *eo titulo, ea cauſſa.* Suetonius Galba, 16. *Subinde jactavit, Legere ſe militem, non emere conſueſſe: atque* eo *quidem* nomine *omnes, qui ubique erant, exacerbavit.* Fateor equidem exempla haec non ex omni parte ſimilia eſſe verbis Horatii: neque quicquam legiſſe memini, quod ad amuſſim iis reſpondeat. Nam Catulli illud Epig. XXXV. ad Dianam,

Sis quocumque *placet tibi*
Sancta nomine,

aperte & proprie dictum eſt; ſeu *Lucinae*, ait, nomine, ſeu *Triviae*, ſeu *Lunae*, ſive quocumque alio vocari mavis. Verum utcumque verba Flacci procedant, ſtentve cadantve: illud certum & compertum maneat, non aliam eſſe ſententiam, quam quae ab Acrone prodita eſt. Quod ſi quid in verbis mutatum velis; eſt in promptu & ad manum, quod commode ſubſtitui poſſit. Compellat enim *Teſtam* hic Noſter, tamquam ſi *Dea* quaepiam fuerit, ut vere obſervavit Dacierius; *ſeu geris querelas ſive jocos*, vel aliud quid: unde ego ſic potius, quod ſequitur, intuliſſem, verbis quidem aliis, ſed ſenſu eodem;

Quocumque FAETUM NUMINE *Maſſicum*
Servas, moveri digna bono die.

quocumque numine factum, hoc eſt, quacunque poteſtate praeditum, ſive quae *querelas* excitet, ſive quae *amores* &c. Et juſta, ni fallor, metaphora eſt, & ad audacem Flacci indolem accommodata. Paucis tamen, opinor, probabitur, quia conjecturae nomine nunc venit: quod ſi e Manuſcripto aliquo alicunde prodiret, quibus plauſibus exciperetur!

V. 10. TE NEGLIGET HORRIDUS] *Negleget* habent Editiones, & codices plerique: at Leidenſis noſter veterrimus cum Parenſi, NEGLIGIT. Quamquam non multum intereſt, tamen ex duobus hoc potius Horatii eſſe crediderim. *Non neglegit te Corvinus*; hoc eſt, non neglegere ſolet; ſed interdum genialiter ſe mero invitat. Inde & excuſatio: quod & ita Cato ille Cenſorius ſaepe ſolebat. At rogabis, quomodo *neglegit* ſive neglegere ſolet Teſtam, quam nondum viderat? Atqui hoc nihil eſt: animadvertis enim, jam de hac *teſta* ita loqui Noſtrum, quaſi ſi de *vino* generatim loquatur. Tu *admoves*,

Digitized by Google

moves, ait, lene tormentum; non *admovebis*: tu *retegis* curas ſapientium:

Tu ſpem reducis *mentibus anxiis*
Viresque, & addis cornua pauperi.

Quid autem? an *anxii* illi & *pauperes* cenaturi erant apud Horatium, ut vino ex hac ipſa Teſta depromto curas metuſque eluerent? nullus dixeris. Quamobrem, ut jam dixi, non de una hac teſta, ſed in univerſum de vino loquitur: quod non obſervatum bonis Librariis fraudi fuit, ut locum corrumperent.

v. 12. SAEPE MERO CALUISSE] *Caluiſſe* praeferunt editiones omnes, neque aliter, quod ſciam, Membranae. Et ferri quidem poteſt: ſic enim Ovidius III, 531.

Sole tamen vinoque calent.

& Statius Theb. V, 263. *ſiquando profundo*
Nubigenae caluere mero.

Tamen & ex conjectura prius emendaveram, & poſtea a vetere Grammatico Mario Victorino p. 2606. ſic clare citatum repperi,

Narratur & priſci Catonis
Saepe mero INCALUISSE *virtus.*

Omnino melius: nam & verſus ſic ſuavius ad aures accidit, & ea germanae Latinitatis dictio eſt. Livius I, 57. *Incaluerant vino.* Idem XXXIX, 42. *Forte epulantibus iis, cum jam vino incaluiſſent.* Tacitus Annal. XI, 37. *Claudius domum regreſſus, & tempeſtivis epulis, ubi vino incaluit.* Idem Hiſt. IV, 29. *ſimul epulantes, ut quiſque* vino incaluerat, *ad pugnam temeritate inani ferebantur.* Curtius, V, 22. *Omnes* incaluerant mero: *itaque ſurgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati peperceranr.* Martial. IV, 66.

Incaluit *quoties ſaucia vena* mero.

Deinde & illud vide: ſi *caluiſſe* legis, tum *virtus Catonis* erit *περίφρασις ipſe Cato*; ut hoc dicat duntaxat, Catonem ſaepe largiore vino uſum eſſe: at in altera lectione majus aliquid meliuſque dicit, *virtutem* nempe ejus *incaluiſſe*, ſive *excitatam & auctam eſſe*: quae & vini & Catonis amplior laus eſt. Ita Lucan. VI, 240.

Incaluit virtus; *atque una caede refectus,*
Solvat, ait, poenas &c.

Ovidius Pont. III, 4.

Plauſibus ex ipſis populi laetoque favore
Ingenium *quodvis* incaluiſſe *poteſt.*

Porro illud quod ſequitur,

v. 13. Tu LENE TORMENTUM ingenio *admoves*
Plerumque duro,

Interpretes ad Catones & ſeveriores illos referunt; ut rigida atque aſpera ingenia leniri vino & emolliri dicantur. Neque repugno, quin hoc voluerit Horatius. Nam & revera ea vini vis eſt, & eo ſenſu *ingenium durum* dixit Terentius, Phorm. III. 2.

Adeon' eſſe ingenio duro *te atque inexorabili*

& contra, *ingenium lene*, Heautont. I. 1.

Ingenio *te eſſe in liberes* leni *puto.*

Poterit tamen & alia eſſe verborum ſententia, quae non ad Catones, ſed ad poëtas, atque adeo ipſum Horatium ſpectet. Quippe *ingenio duro* eſſe dicitur ſeu poeta ſeu orator, qui arida & difficili vena eſt, qui non εὐφυὴς, non pollens inventione & copia. Seneca Epiſt. LVIII, ubi negat τὸ ὄν Latine verti poſſe: *Magis damnabis angustias Romanas, ſi ſcieris unam ſyllabam eſſe, quam mutare non poſſum,* τὸ ὄν. Duri *tibi videbor* ingenii; *in medio poſitum; poſſe ſic transferri, Quod eſt.* Ita *dura memoria* dicitur eodem plane ſenſu. Quintil. Inſtit. XII, 2. *Si vero aut* memoria *naturâ* durior *erit, aut non ſuffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia te verba alligare.* Sic & Noſter *dura natura* de Lucilio, Serm. I, 10. [garit

Quaerere, num illius, *num rerum* dura *negarit*
Verſiculos natura *magis factos & ounes*
Mollius.

Jam ergo, ejuſmodi ingenium, durum plerumque & ſiccum, ubi liberiore vino immaduit, facile, fluens, copioſum fieri narrat; & hoc illud eſt *lene tormentum*, quod obſtructam ingenii venam laxat atque aperit. Ovidius Metam. VII, 432.

agitant convivia patres,
Et medium vulgus; nec non & carmina, vino
Ingenium faciente, *canunt.*

Vide Noſtrum Epiſt. I, 19. Ceterum digna ſunt, quae hic adſcribantur, verba Maecenatis ex opere quod Sympoſium inſcripſit, apud Servium Virgil. Aen. VIII, 310. *Phyſici dicunt ex vino mobiliores oculos fieri: Hoc etiam Maecenas in Sympoſio, ubi Virgilius & Horatius interfuerunt, cum ex perſona Meſſallae de vino loqueretur,* aut id e m vinor (forte legendum, *ait*; *Id & in vino eſt*;) *miniſtrat faciles oculos. pulchricra reddit omnia, & dulcis juventae reducit bona.* Quem locum eo libentius adduxi, tum quod Noſter & Virgilius ibi nominentur, tum quod accuratiſſimi Meibomii in vita Maecenatis diligentiam effugerit.

CARMEN

Digitized by Google

CARMEN XXIII.

v. 12. PONTIFICUM SECURES] Pulmanni codex, & Gifanii, quem vide in Indice Lucretii v. *Tinguere*, habent SECURIM: atque ita ex noſtris Graevianus, Reginenſis, Bodleianus, & a prima manu Magdalenenſis. Hoc placet, vel ob euphoniam; ne ter continenter in S exeant verſus, *ilices, herbis, ſecures*, quod ſtudioſe cavere ſolet Noſter. Prudentius quidem Apotheoſ. 461,

Pontificum *feſtis ferienda* ſecuribus *illic*
Agmina vaccarum ſteterant:

Sed ibi erant plures *vaccae*; hic *victima* in ſingulari. Virgil. Aen. II, 223.

Quales mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.

v. 19. MOLLIBIT AVERSOS PENATES] Loſcherus quidem *Mollibit*, & ex eo recentiores editiones. At Veneta MOLLIVIT, atque ita bona pars Codicum, ut ex Cruquianis tres, Berſmanni duo, Pulmanni & Gifanii unus, ex meis Magdalenenſis, & a prima manu Reginenſis, cum Acrone Manuſcripto. Certe nemo unus illius aevi Futuros quartae conjugationis in IBO protulit. Quod ſi ab Horatio hoc praeter morem factum fuiſſet, ſine dubio Grammaticorum veterum quiſpiam, ut inſolitum, adnotaſſet. Atqui altum apud illos ſilentium eſt; quia nimirum in ſuis codicibus MOLLIVIT tum legebant. Atque hoc profecto non mos ſolum loquendi, ſed & ipſa ſententia poſtulat:

Immunis aram ſi tetigit manus;
Non ſumtuoſa blandior hoſtia
Mollivit *averſos penates,*
Farre pio & ſaliente mica.

Ubi Praeteritum ponitur in ſignificatione Praeſentis, vel potius Perpetui temporis: qualia paſſim occurrunt apud Graecos Latinoſque. Noſter Carm. III, 29.

Plerumque gratae divitibus vices,
Mundaeque parvo ſub lare pauperum
Cenae ſine aulaeis & oſtro
Sollicitam explicuere *frontem.*

Perpetui, inquam, hoc temporis eſt, perinde ac ſi dixiſſet, *explicant, explicuerunt, explicabunt*. Sic Epiſt. I, 2.

Non domus aut fundus, non aeris acervus & auri
Aegroto domini deduxit *corpore febres.*

& alibi: ſed verbo monere hoc ſatis eſt: plena enim ſunt omnia. Ergo ſententioſe haec proferuntur; neque ad Phidylen duntaxat, ſed ad omnes pertinent:

Immunis aram ſi tetigit manus,

immunis, non a ſcelere, ut male aliquot interpretes: quamquam Ovidius in Epiſt. Hypermneſtrae,

Non piget immunes *caedis habere* manus:

nuſquam enim reperitur *ea vox*, ἀτιμῶς, & per ſe poſita, pro *experte ſceleris*: ſed *immunis manus*, vacua muneris, ſine dono & ſumtu; ut Epiſt. I, 14.

Quem ſcis immunem *Cinarae placuiſſe rapaci.*

& Carm. IV. *non ego te meis*
Immunem *meditor tinguere poculis.*

Si autem hic valet *etſi*, ut bene Theodorus Marcilius: *Etſi* vacua manus aram tetigit; *Eſto* ut vacua manus aram tetigerit: quid tum? quid inde incommodi?

Non ſumtuoſa blandior hoſtia
Mollivit averſos penates
Farre pio & ſaliente mica.

ubi ordo eſt, ſumtuoſa hoſtia non mollivit penates blandior farre pio, ſive, blandius quam far. Ita recte uterque Scholiaſtes *ſumtuoſa hoſtia* nominativi caſus eſſe monuerunt: quos tamen perperam hic deſerunt poſteriores, & miras turbellas tum in ſententia, tum inter ſe concitant. Quid autem? an quia verſus ſyllabam longam efflagitat? atqui iidem patienter brevem ferunt, Carm. III, 5.

Si non periret immiſerabilis.

& praeterea brevis ſyllaba producitur, quia *blandior* a duabus conſonantibus incipit; ut apud Catullum paſſim, & Martialem V, 69.

Quid gladium demens Romana ſtringis *in ora.*

Jam autem, non cum *manus*, ſed cum *hoſtia* conjungi illud *blandior*, vel Ovidius ſolus evincet, ubi Noſtrum imitatus eſt, Faſt. V, 300.

Saepe deos aliquis peccando fecit iniquos:
Et pro peccatis hoſtia blanda *fuit.*

Digitized by Google

CARMEN XXIV.

v. 5. SI FIGIT ADAMANTINOS] Difficilis & intricata ſententia eſt, ut mirum ſit, nemînem ex Interpretibus vel verbulo ſignificaſſe, ſe non ſatis liquido poëtae mentem percipere. *Arabas*, ait, & *Indos divitiis antecedas licet, & utrumque mare aedificiis tuis occupes*: quid tum poſtea?

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira neceſſitas
Clavos: non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput:

hoc eſt, ſi neceſſitas figit clavos ſummis verticibus, *in metu eris, & morieris.* Pulchre ſane philoſophatur. Quid enim? quid ſi non figat clavos neceſſitas, nonne *morietur* nihilo minus? Dura vero interpretum ilia, quae hoc concoquere potuerunt. Porro, quid ſibi illa volunt *ſummis verticibus*? Reſpondebunt, *verticibus hominum*; ut neceſſitatis clavus in divitis hujus caput adigatur. Fallitur ergo Horatius: nam ego ſpondere auſim, cui clavus per cerebrum adactus ſit, omni *metu* liberum & expeditum futurum. At ſubtilior ceteris Dacierius *aedificiorum* vertices intelligit; *ſi neceſſitas figit clavos ſummis verticibus aedificiorum, quae Tyrrheni & Apulici maris littora ſummovent.* Miror equidem, quid Neceſſitati negotii ſit in culminibus aedium. Sed quid deinde? nimirum dives, qui ea exſtruxit, *conſternabitur & morietur.* Itane vero? quin magis, opinor, laeto & tranquillo animo fuerit: nam ominandum potius erat, ſi clavo ſuo trabali aedificia fixiſſet neceſſitas, ea omnium firmiſſima fore neque umquam ruitura. Tu vide, annon *vertices ipſorum clavorum* interpretandum ſit: *figit clavos ſummis verticibus*, ſive, uſque ad ſummos vertices, ſumma ipſorum capita. *Clavulos capitatos* habes apud Varronem de Re Ruſt. II, 9. Deinde totum locum ſic corrigere, & diſtinguere poteris:

Intactis opulentior
Theſauris Arabum, & divitis Indiae,
Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, & mare Apulicum;
(Sic *figit adamantinos*
Summis verticibus dira neceſſitas
Clavos) *non animum metu,*
Non mortis laqueis expedies caput.

Licet, inquit, utroque littore villas nobiliſſimas aedifices, omniumque ſis ditiſſimus; non eo pacto aut vitam a metu immunem agere, aut mortem effugere poteris: ſic rerum fato conſtitutum eſt, ita natura comparatum, ſic clavos figit neceſſitas, ſummis verticibus, ut nulla vi evelli poſſint. Eandem ſententiam habes Carm. II, 18. *Tu ſecanda marmora* &c. & Epiſt. I, 2.

Non domus & fundus, non aeris acervus & auri
Aegroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas.

Porro & Scholiaſtae veteres *ſic* olim legiſſe, non *ſi*, ſatis indicat eorum enarratio: *Quamvis*, aiunt, *multa poſſideas, non tamen ſincera voluptate his frui potes*: quippe cum *neceſſitate mortis aſtricta ſit humana conditio, nec poſſis inde te ullo remedio aut praemio redimere.* Rectiſſime: at illa *quippe cum* non *ſi*, ſed *ſic* exprimunt, prout nos emendavimus.

v. 6. DIRA NECESSITAS] Et editi & ſcripti *Dira*: tamen vel reclamantibus iis reſcripſerim DURA; quod proprium Neceſſitatis epitheton eſt, ut Graecis στερρὰ ἀνάγκη, κρατερὴ, σκληρή. Quintilianus Declam. XII. *Fames animi tormentum, corporis tabes, magiſtra peccandi*, duriſſima neceſſitatum, *deformiſſima malorum.* Arnobius lib. III. *At rogo, quae ratio eſt, quae tam* dura neceſſitas, *quae cauſa* &c. Noſter Carm. I, 24.

Durum: *ſed levius fit patientia,*
Quicquid corrigere eſt nefas:

hoc eſt, quicquid *neceſſe* eſt. *Durum* & *dirum* in MStis ubique fere confunduntur; ut mirum ſit tam prave & perverſe hic congruere in pejore ſcriptura.

v. 24. AUT PRETIUM EST MORI] Codex inter Pulmannianos optimus, PRETIUM EMORI: cui accedit Batteilianus noſter & Berſmanni unus, *pretium mori.* Qua lectione admiſſa diſtinguendus eſt locus;

Dos eſt magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo foedere caſtitas,
Et peccare nefas, aut pretium mori.

ut omnia ad *dos eſt* referantur. Non incommode: quamquam & vulgata lectio non eſt culpanda.

v. 25. O QUISQUIS VOLET IMPIAS] Nihil moror & ſcriptos & editos, qui prava conſpiratione *quiſquis* hic exhibent,

O quiſquis volet impias
Caedes & rabiem tollere civicam.

Quiſ-

Digitized by Google

Quisquis volet: quasi vero *multi* essent, qui id facere possent; quasi rem factu facillimam poëta designaret; cum ex sequentibus appareat, magis optandum esse, quam sperandum, ut ab ullo mortalium id fieri posset. Quid autem, *o quisquis*? siquidem, stante hac lectione, exclamatio illa putida est, neque ullum habet pathos. Sed cave, Horatio id vitio vertas, sed obesis Librariis, qui nequiverunt capere elegantissimam constructionem,

O quis, quis *volet impias*
Caedes, & rabiem tollere civicam?

O ubi est, si usquam est, qui perditissimos saeculi mores corrigere volet? Repetitio illa *quis, quis* mirificam vim & affectum addit sententiae, ut alibi Carm. IV, 13.

quid habes illius, illius,
Quae spirabat amores?

Epod. IV.

Hoc, hoc *tribuno militum.*

Nunc nunc *adeste*; nunc *in hostiles domos*
Iram atque numen vertite. & VII.

Quo, quo *scelesti ruitis?*

Serm. II, 7.

liber, liber *fum, dic age: non quis.*

Porro & Diomedem, Grammaticum veterem, non aliter olim legisse, quamquam hodie corruptus habetur, locus iple evincet pag. 317. *Pronomen finitum, vocativum habere non potest; quia nemo dicit,* O ego; *nisi* O *exclamatio sit, ut apud Horatium* O QUIS VOLET. Scripsit, inquam, Diomedes, O *quis, quis volet*, & prius *quis* vocativo casu proferri putavit. Quippe si legisset, O *quisquis volet*, inepte prorsus exemplum hoc ad partes citasset: quia *quisquis* foret nominativus, & referretur ad *volet*: non vocativus cum O copulandus. Fallit tamen acumen Grammatici; nam utrumque *quis* est casus nominativi.

v. 27. SI QUAERET PATER URBIUM] Praeter aliorum codices aliquot, ex meis Graevianus, Magdalenensis, Battelianus habent QUAERIT, non *quaeret*. Utrumlibet legeris, perinde est. Noster Carm. IV, 1.

Si *torrere jecur* quaeris *idoneum.*

Ovidius Epist. Hypsipyles V. 123.

Si quaeris, *cui sint similes*; *cognoscaris illis.*

Contra, Terentius Hecyra I, 2.

Senex si quaeret *me*; *modo isse dicito*

& Noster Ep. I, 8. si quaeret *quid agam.* Quare receptam hactenus lectionem non sollicitabimus.

v. 30. CLARUS POSTGENITIS] Guilelmus Canterus in suo codice se CARUS reperisse memorat; quod magis probant Lambinus, Faber, Dacierius aliique; quia mox sequitur *Odimus*, cui *carus* apte opponitur:

Carus *postgenitis*: *quatenus heu nefas,*
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Nos vero cum editis vetustis, & manuscriptis, praeter Canterianum, omnibus CLARUS retinemus. Quid enim? nonne itidem sequitur, *invidi*? Atqui tam bella antithesis est inter *clarus* & *invidi*, quam inter *carus* & *odimus*. Quid enim est invidus, nisi obtrectator alienae *claritatis*? Cicero pro Flacco; *Aut beneficii hujus* obtrectator, *aut virtutis hostis, aut* laudis invidus *fuisset*: Pro Murena; *Quibus Lucullus tantum* laudis *impertit, quantum neque ambitiosus imperator neque* invidus *tribuere alteri in communicanda* gloria *debuit.* Tacitus in Agricola; cap. I, Clarorum *virorum facta moresque* posteris *tradere* (habes hic *clarus postgenitis*) *antiquitus usitatum,——quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est ignorantiam recti &* invidiam. Cicero pro Cornelio Balbo. 6. *Mors enim* cum extinxisset invidiam, *res ejus gestae sempiterna nominis* gloria *niterentur.* Seneca de Tranquillitate XIV, de Julio Cano. *Dabimus se* in omnem memoriam, clarissimum caput, *Caianae caedis magna portio.* Quare recte habet CLARUS, neque audiendi sunt, qui *carus* substitutum eunt. Clarus, inquit, post obitum: quoniam vivorum laudi & gloriae invidemus, obtrectamus, detrahimus. Nihil verius.

v. 39. DURATAEQUE SOLO NIVES] Numquam mihi placuit *solo*, quamvis omnes ubique codices lectioni huic suffragantur. Primo enim, otiose videtur additum, neque quicquam sententiae confert. Ubi enim, nisi in *solo*, jacebunt nives? an periculum erat, ne sub terris, vel in caelo aut mari duratas esse crederemus? Utique satis esset *duratae nives*, omisso *solo*: ut Livius XXI, 36. *Ut pleraque, velut pedica capta, haererent in* durata *& alte concreta glacie*: & Seneca de Provid. IV, *Super* durata *glacie persultant.* Idem Nat. Quaest, IV, 5. *Minus algere aiunt pedes eorum, qui fixam & duram* nivem calcant, *quam eorum, qui teneram & labefactam.* Avienus Fabula XXIX,

Cunctaque durato *stringeret arva* gelu.

Ovidius in Nuce.

Duratam *renovat non mihi fossor humum.*

Deinde, ex linguae Latinae indole *duratae solo*, non *super solo* (ut hic vulgo accipiunt) sed *a solo* tamquam caussa & instrumento duritiei, interpretari oportet: quo nihil magis absurdum.

Digitized by Google

Certe quotiescumque *duratus* ablativum post se trahit, ibi causam significari jam monitus deprehendes. Ita Curtius III, 6. *Hastis igne duratis.* IX, 32. *Piscibus sole duratis.* Plin. Hist. VII, 1. *Solis vapore durari.* Quintil. Instit. VIII, 1. *Duratos muria pisces.* Livius XXI, 11. *Caementa calce durata.* Sil. Ital. XI. *Bellis durata virorum pectora.* Auctor Moreti: *Durati sale terga suis.* Quamobrem, aut valde fallor, aut sic potius scripsit Horatius,

Durataeque GELU *nives.*

Non adeo magna mutatio est, quin majorem saepe admiserint dormitantes Librarii. Potuit etiam *gelo* antiquitus scriptum esse, quod ad vulgatam propius accedit; quippe *gelus geli*, & *gelum geli* olim in usu erat, apud Accium, Afranium, Lucretium, Varronem. Jam autem & sententia, credo, commodior est; & verba ipsa adeo trita sunt apud optimos quosque Scriptores, ut vix credibile sit, non sponte sua & ἀνεμέτως sub Horatii calamum venisse. Rem ipsam habes apud Curtium V, 21. *Ventum erat ad iter perpetuis obsitum* nivibus, *quas frigoris vis* gelu *adstrinxerat:* & VII, 12. *Altae* nives *premunt terram,* gelu *& perpetuo rigore constrictae.* Ubi bis vides *nives gelu constrictas,* ut hic Noster, *nives gelu duratas.* Verba autem saepius occurrunt; Virgil. Aen. IX, 604.

Durum ab stirpe genus; natos ad flumina primum
Deferimus, saevoque gelu duramus *& undis.*

Statius Achill. II, 394.

Et ferri properatus amor, durataque *multo Sole* geluque *cutis.*

Valer. Flaccus II, 157. *jam lacte ferino.*
Jam veniet durata gelu.

Gellius XVII, 8. *Cur fluviorum atque fontium aquae* gelu durentur, *mare autem incongelabile sit.* Panegyricus ad Constantinum; *Quid immanem multitudinem, quam* duratus gelu *Rhenus illuserat?* Ammianus Marcell: XV, 12. *Ad militandum omnis aetas* (Gallorum) *aptissima,* gelu duratis *artubus & labore assiduo.* Ita eodem sensu *duratus frigore, pruinis, glacie, rigore.* Columella lib. X.

Densaque jam pluviis, durataque *summa* pruinis
Aequora dulcis humi. Ovid. Pont. IV, 9.

Mentiar, an coëat duratus frigore *pontus.* Silius Ital. III.

Tum qua durati *concreto* frigore *collis.*

Val. Maximus III, 3. *Modo Caucasi montis glaciali* rigore *corpora sua* durantes. Gellius XIX, 15. *Cum aqua* frigore *aëris* duratur *& coit.* Plinius Paneg. 12. *Quum Danubius ripas* gelu *jungit,* duratusque glacie *ingentia trajecta bella transportat.* Marcellinus XXX, 3. Durata pruinis *itinera penetrari non posse firmantes.*

v. 44. DESERIT ARDUAE] Vide modo sententiam integram;

Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis & facere & pati,
Virtutisque viam deserit arduae.

Quod tolerabile quidem est, praesertim lectori non nimis difficili & fastidioso. Sed vide, quanto melius sic concipi possit,

Virtutisque viam DESERERE *arduae.*

Non enim paupertas *deserit,* sed jubet homines avaros quidvis *facere patique* & *deserere* viam virtutis. Utique ipsi homines deserunt; ut Noster alibi Epist. I, 16.

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, *qui*
Semper in augenda festinat & obruitur re.

Lactantius Instit. VII, 1. ex hoc loco Flacci; *Et* virtutis viam deserunt, *cujus acerbitate offenduntur. Deserere* hic in *deserit* mutarunt Librarii, pari plane errore ac Carm. I, 1. *evehere* mutarunt in *evehit.* Neque vero tenellas aures offendat litera R saepius repetita, *deserere arduae:* sic enim infra III, 28.

Parcis deripere horreo
& Virgilius aliquanto durius Aen. IV, 350.
& nos fas extera quaerere regna.

v. 49. SUMMI MATERIAM MALI] Prima Veneta *materiem*; Loscherus autem *materiam*, quod in sequentibus editionibus plerumque obtinuit. Alterum tamen praeferunt & plures & potiores Manuscripti; ut ex nostris Leidensis, Graevianus, Reginensis, Zulichemianus, Batelianus, cum aliis. Recte; quippe dulcius hic sonat E vocalis, quam A ter repetita.

v. 55. FORMANDAE STUDIIS] Et in editis & in scriptis, quod sciam, omnibus habetur *formandae*; neque quisquam interpretum vel leviſſimam suspicionem habuit mendi latentis:

Et tenerae nimis
Mentes asperioribus Formandae studiis:

Recte enim dicitur *mentes formandae,* ut alibi Noster Epist. II, 1.

Mox etiam pectus *praeceptis* format *amicis.*

Quintil. Instit. I, 1. de Philosophis: *Ad* formandos animos *instituenda quae vitae leges regressi.* ibidem II, 17. *Quin ipsa vitae praecepta, etiamsi natura sunt honesta, plus tamen ad* formandas mentes *valent, quoties* &c. Seneca Epist. XVI. Animum format *Philosophia & fabricat, vitam disponit.* Quin, quod amplius est, *tenerae* mentes peculiari ratione *formari* dicuntur; ut Seneca

Digitized by Google

neca Epist. XXXIV. *Qui* ingenia *educaverunt, & quae* tenera formaverunt, *adulta subito vident.* Idem Ep. XXV. *Respice aetatem ejus duram & intractabilem: non potest* reformari: tenera finguntur. Statius Achill. I, 477.

cujus ab ortu
Cruda rudimenta & teneros formaverat *annos.*

Marius Victor, poëta Christianus, Praefat.

Dum teneros formare animos *& corda paramus*
Ad verae virtutis iter puerilibus annis.

Persius III, 23.

Udum & molle lutum es: nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus *sine fine rota.*

Juvenalis VII, 237.

Exigit, ut mores teneros *seu pollice* ducat,
Ut si quis cera vultum facit.

Tamen, utcumque haec sint, nihilo secius, ipsius sententiae vi & necessitate ductus, aio affirmoque sic ab Horatii manu fuisse scriptum,

& tenerae nimis
Mentes asperioribus FIRMANDAE *studiis,*

Hanc emendationem postulat illud *nimis.* Quid enim? quorsum *nimis* tenerae, si *formandae* sunt? cum, quo teneriores sint, eo facilius fingi & formari possint. Certe si in eo vitium est, quod *nimis* tenerae sint mentes; tum ejusmodi remedium quaerendum est, quo *firmari, durari, roborari* queant. Quo etiam pertinet illud *asperioribus*; cui longe aptius respondet *firmandae*, quam *formandae:* quippe & *mollibus* studiis *formari* poterit animus; *firmari*, non nisi *asperis.* Atque ita noster alibi Carm. IV, 4.

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

& Serm. I, 4. *simul ac* duraverit *aetas*
Membra animumque *tuum.*

Virgil. in Ciri, 42. [*murarte,*
Sed quoniam ad tantas nunc primum nasci-
Nunc primum teneros firmamus *robore nervos.*

Ovid. Pont. I, 3. [*centem.*
Cum bene firmarunt animum *praecepta ja-*

Lucanus V, 797. *nam cetera damna*
Durata *jam* mente *malis* firmaque *tulerunt.*

Auctor de Morte Drusi, 198.

Duravitque animum, *destituitque preces.*

Ovid. Remed. Amor, 245.

Si nisi firmata *properabis* mente *reverti.*

& Fast. I, 497.

Vocibus Evander firmata mente *parentis.*

Statius Silv. I, 2.

Ipsa ego te tantos stupui durasse per aestus,
Firmavique animos.

Quintil. Declam. XVII. *Alia sunt adversa, quae de continuatione sui patientiam parant, quae* durant *assiduitate* firmantque animum. Minucius Felix: Animus *enim, ut luxu solvitur, ita frugalitate* firmatur. Seneca Consol. ad Helviam cap. 13. *Cum semel* animum *virtus* induravit, *undique invulnerabilem praestat.* Epist. CXVII. *Dic, quibus* animum *labantem studiis* firmem. Seneca alter Controv. IV. Praefat. *Nec ante in oratorem corroborantur, quam multis perdomiti contumeliis puerilem* animum *deliciis languidum vero labore* durarunt.

v. 60. CONSORTEM S. F. ET HOSPITEM] Editio Veneta HOSPITES, atque ita melior pars Codicum, ut omnes Blandinii apud Cruquium, & ex meis Leidensis, Graevianus, Colbertinus, cum multis aliis Quare hic sequamur potius vetustiores; cum aut nihil omnino intersit, *hospitémne* an *hospites* legas: aut hoc potius praeferendum; tum ob varietatem numeri, tum quia *plures* uni homini hospites, etsi *unus* forte consors aut socius. Ceterum, si annueret codex aliquis Manuscriptus, sic potius legerim,

Consortem, ET socium fallat, & hospites.

Aliud enim *Consors*, aliud *Socius.* Consortes erant cohaeredes, qui haereditatem non dividebant, sed quicquid ex ea capiebatur, in commune conferebant: Socii, qui in quovis negotio aut re pecuniaria, contractum inibant, ut lucrum ex ea re vel damnum inter se commune foret. Haec nota sunt, neque pluribus doceri postulant. Ergo ut omnis *Consors* fortasse etiam *Socius* dici potuit; ita non vice versa omnis *Socius, Consors.* Quare haud, opinor, sine vitio *consortem socium* junctim hic legimus. *Fallere* autem *socium*, etiam qui non *Consors* in hereditate fuerit, magno olim in crimine ponebatur. Cicero pro Roscio Amerino. cap. 40. *In rebus minoribus* socium fallere *turpissimum est.* & mox; *Recte igitur majores eum, qui* socium fefellisset, *in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. At vero T. Roscius non unum rei pecuniariae* socium fefellit, &c. Idem pro Roscio Comoedo cap. 6. *Aeque enim perfidiosum & nefarium est, fidem frangere, quae continet vitam; & pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit; & socium fallere, qui se in negotio conjunxit.* Noster Epist. II, 1.

Non fraudem socio, puerove incogitat ullam
Pupillo.

Digitized by Google

CARMEN XXV.

v. 2. QUAE NEMORA AUT QUOS] Ita recte habent Veneta & Loscheriana cum melioribus & pluribus Membranis. Neque aliter citat Servius ad Aen. VII, 568. & Priscianus pag. 713. Postea tamen in plerasque editiones irrepsit IN,

Quo me Bacche rapis tui
Plenum? quae IN *nemora aut quos agor*
in specus.

Crediderunt scilicet, in priore membro praepositionem subaudiri non posse: & recte quidem dici, *quae in nemora aut quos specus*; sed non vicissim, *quae nemora aut quos in specus*. Frustra: nam elegantius fere in priore membro omittitur praepositio, quam in posteriore. Virgilius Aen. VI, 692. [*vectum*

Quas ego te terras *& quanta* per aequora
Accipio. Statius Theb. VIII, 384.
Stat medius campis etiam nunc cuspide sicca
Bellipotens; jamque hos *clipeum, jam vertit* ad illos.

Inusitata tamen haec visa sunt bonis Librariis: nam Virgilii quidam codices apud Pierium habebant, *Quas ego* per *terras*: & Statii membranae in Collegio Emanuelis, *Jamque* ad *hos*. Idem Achill. II, 390. *nec fracta ruentibus undis*
Saxa *nec* ad *vastae trepidare* silentia *lunae*.
Ita Noster Epist. II, 1. ex nostra emendatione,
Nil intra est olea, *nihil extra est* in nuce *duri*.
Neque aliter Graeci; ut Anacreon Carm. IX.

Τί γάρ με δεῖ πίπτειν
Ὀρη τε καὶ κατ' ἄγρας.

& XXXIII.

Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντον
Ἡ Νύσιον ἢ τὰ Μέμφιν.

Ceterum *aut quos* non *&* habent codices vetustiores, ut ex nostris Leidensis, Graevianus, Reginensis cum aliis: neque aliter Servius & Priscianus locis jam citatis. Codices tamen Priscianus, quos versavi quattuor, MStos, *&* quos praeferebant. Frustra: Virgilius Eclog. X.

Quae nemora aut qui vos saltus habuere puellae.

v. 9. EXSOMNIS STUPET EUIAS] Quid, sodes, est *exsomnis Euias*? Respondebunt Interpretes, *ex somno experrecta, evigilans*. Atqui hoc ipsum somniculose proferunt. Numquam enim ea significatione reperitur *exsomnis*; sed ubique notat *insomnis, sine somno*. ut Virgil. Aen. VI, 555. de Tisiphone: [*que*.

Vestibulum exsomnis *servat noctesque dies-*
Silius Ital. IX. *consul traducere noctem*
. Exsomnis, *telumque manu vibrare per umbras*.

Velleius Paterculus II, 88 de Maecenate: *Vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis*. & 117 de Sejano: *Vultus vitaque tranquillum, animo exsomnem*. Sic & omnia ejus generis composita, *Excors, exos, exsanguis, exsuccus, exlex, exspes, exsors, exanimis*, id est, *sine anima* &c. Hoc semel constituto, jam libenter doceri velim, cur Baccham hic *exsomnem*, sive insomnem, somni expertem, Noster appellet. Certe tantum abest, ut exsomnes manserint Bacchae; ut prae nimia lassitudine frequenter somnus iis obrepterit; ut Propertius I, 3.

Nec minus assiduis Edonis *fessa choreis*
Qualis in herboso concidit *Apidano:*
Talis via mihi mollem spirare quietem
Cynthia non certis nixa caput manibus.

Statius Achill. I, 631. de sacris Trietericis Bacchi:

Consedere chori, paullumque exercita pulsa
Aera tacent. & mox versu 655.
At Bacchi comites, discussa nube soporis,
Signa choris indicta putant.

Sidonius Carm. V. 490.

Bistonides *veluti Ciconum cum forte pruinas*
Ogygiis complent thyasis; seu Strymonis arvis,
Seu te per Rhodopen, seu qua nimbosus in [*brum,*
aequor
Volvit Hyperboreis in cautibus Ismarus He-
Dat somno vaga turba; *simul lassata quiescunt*
Orgia, & ad biforem reboat nec tibia flatum.

Euripides in Bacchis 682.

Εὕδει δὲ πᾶσα σώμασιν παρειμένη,
Αἱ μὲν κατ' ἶλάτης νώτ' ἐρείσασαι φόβην
Αἱ δ' ἐν δρυὸς φύλλοισι κῶλον πέδαι κάρα.
Εἶχε βαλοῦσαι.

Itaque nulla, ut jam vides, ratio est, cur quasi perpetuo epitheto insomnes vocentur Bacchae: nedum, cur haec ipsa Euias eo epitheto donanda sit, quae non noctu, sed interdiu jam bacchatur; quippe, statim sequitur, *prospicit* Hebrum, & Thraciam, & Rhodopen: quod nisi die claro facere non potuit. Quid autem? an ideo *exsomnis* dicenda erat, quia de die vigilabat? immo vero ea demum exsomnis est, quae diem noctemque, vel noctem saltem integram, sine somno transigit. Quid, quod illud

Digitized by Google

Illud *in jugis* prorsus aride & inornate ponitur, *non secus* in jugis
Exsomnis stupet Euias.

In quibus, obsecro, vel qualibus *jugis*? certe, si jam Horatium novimus, numquam is ita nudum hoc & epitheto destitutum languere passus fuisset. Habes jam, cur recepta lectio mihi displicuerit: cum autem pro comperto haberem, non ab auctore, sed a gente Librariorum eam profluxisse; versans huc illuc animum, si forte ex conjectura opis aliquid arcessere possem, e vestigio in veram, ut opinor, scripturam incidi, levi unius literae mutatione; nam codices mei vetustiores *Exomnis* praeferunt sine *s*, quod majore compendio *Exōnis* scribi solebat. Lego igitur, *non secus in jugis*

Edonis *stupet Euias,*
Hebrum prospiciens, & nive candidam Thracen.

ut Noster alibi Carm. II, 7. *non ego sanius* Bacchabor Edonis.

Edoni montes erant Thraciae, vel in confiniis Macedoniae, ubi Bacchi Orgia praecipue celebrabantur; unde ipse *Edonus* vocitatur, & Bacchae *Edonides*. Ovid. Remed. Amor.

Ibat, ut Edono *referens trieterica* Baccho
Ire solet fusis barbara turba comis.

Idem Metam. XI. de Orpheï caede:

Non impune tamen scelus hoc sinit esse Lyaeus;
Amissoque dolens sacrorum vate suorum,
Protinus in silvis matres Edonidas *omnes,*
Quae fecere nefas, torta radice ligavit.

Propertius, ut supra,

Nec minus assiduis Edonis *fessa choreis.*

Lucanus I. 675. *nam qualis vertice Pindi*
Edŏnis *Ogygio decurrit plena Lyaeo.*

Silius Italicus lib. IV.

Edŏnis *ut* Pangaea *super trieteride motâ*
It juga, *& inclusum suspirat pectore Bacchum.*

ubi obiter notandum, etsi ab aliis id observatum sit, Lucanum Siliumque perperam corripuisse syllabam secundam; cum Graeci semper Ἤδωνοι scripserint, numquam Ἤδονιοι. Mirum tamen, ut velut agmine facto conspiraverint Latini Librarii in partes Lucani & Silii. Nam apud Nostrum II, 7. pleraeque membranae *Edoniis*, etiam versu repugnante: apud Virgilium Aen. XII, 365. & Donatus Grammaticus, narrante Servio, & Pierii codices fere omnes *Edonii Boreae:* sic apud Valer: Flaccum VI, 340 MSti *Edoniis ventis*; Statium Theb. V, 78 *Edonias lineas*; XII, 743 *Edonios currus*; Solinum cap. IX, & Martianum Capellam lib. VI. p. 211. *Edonii*. Sed ut ad Nostrum revertamur; illud maxime firmat hanc emendationem, quod statim subjungitur; *non secus in jugis*

Edonis stupet Euias,
Hebrum *prospiciens, & nive candidam*
Thracen, *& pede barbaro*
Lustratam Rhodopen:

quippe ex jugis Edonis Hebrus, Thracia, & Rhodope commodissime prospici possent. Nam Edoni *Thraciae* gens; & *Hebrus* atque *Rhodope* in Edonorum regione erant. Ovidius Epistola *Phyllidis* vers. III.

Quae tibi subjecit latissima regna Lycurgi,
Nomine femineo vix satis apta regi:
Qua patet umbrosum Rhodope *glacialis ad Haemum,*
Et sacer admissas exigit Hebrus *aquas.*

Enimvero *Lycurgus* ille Ἠδωνὸς *Edonus* vocatur Straboni lib. X. p. 471, & ipsa *Phyllis Edona* in Epigrammate Graeco Antipatri, quod ex Anthologia inedita primus in lucem dedit magnus Holstenius, & nos postea in Notis ad Callimachum p. 428. Illud merito δυσπόρον & ἰσφαλμένον *obscurum & mendosum* vocat Librarius; atque ita sane compertum est nobis, cum emendare & explicare conaremur. Nunc autem, ut vineta nostra nosmet caedamus, cum nemo alius id hactenus fecerit, sic potius refingendum esse hariolamur:

Στρύμονι ἐ μεγάλῳ πεπολισμένη Ἑλλησπόντου
Ἥρων Ἠδωνὶς Φυλλίδος, Ἀμφίπολι.
Λοιπὰ τοι Αἰθοπίης Βεσσυρανίδος ἴχνια νηῶ
Μίμνει, ἐ πολλὰ πάμφιμα κήδεα ὕδωρ.
Τὴν δ' ἔπυτ' Αἰγαίδων μεγάλην ἔριν, ὡς ἁλιπνηχὶς
Τεῦχος, ἐπ' ἀμφοτέροις δερκόμενοι πίσσιν.

Non videtur Epigramma ἐπιτύμβιον *Sepulchrale*, ut falso titulum dedit Librarius; sed in Amphipolin Macedoniae urbem ab hostibus diruta. Sententia est; *O Amphipoli, quae sita es ad Strymonem & Hellespontum, & monumentum es Phyllidos Edonae: nullum tui vestigium nunc extat praeter Templum Dianae, & fluvium ipsum: illam autem urbem, de qua olim tot bella gesserunt Athenienses, nunc utraque ripa dissectam videmus, tamquam laceros pannos post naufragium in littus ejectos.* Phyllis autem haec Edona est celebris illa Demophontis amica, Edonorum Regina, quae suspendio vitam finivit, & sepulta est in loco, qui mox Ἐννέα ὁδοὶ dictus est, postea Amphipolis: unde hic Antipatro vocatur, Ἥρων *sepulchrum Phyllidos.* Caeterum

terum in loco Horatii, quem nunc tractamus, dubitari potest, utrum casu recto *Edonis Euias*, an ablativo *Edonis jugis* sit construendum. Sed posterius placet: tum quod, ut jam dixi, illud *jugis* epitheto dignandum sit, tum quod ita plane Ovidius sit locutus, Trist. IV. 1. [*nus*,

Utque suum Bacchis *non sentit saucia vul-*
Lum STUPET EDONIS *exululata* JUGIS.

Quid rei est? & ipse, credo, obstupescis: nam totidem, ut vides, verbis Horatium expressit Naso, ut saepe alias;

Non secus in JUGIS EDONIS STUPET *Euias.*

I nunc, &, si priora illa surdis auribus accepisti, tandem aliquando vel invitus emendationem agnosce.

V. 12. UT MIHI DEVIO] Ita omnes Editiones *Ut mihi*, & pleraeque membranae: sed in tribus Cruquii codicibus erat, AC *mihi*: nimirum ut haec cum superioribus connectantur,

Non secus *in jugis*
Edonis stupet Euias——ac *mihi devio*
Ripas & vacuum nemus Mirari libet.

Non secus ac, ut Noster in Arte Poet.

& in medias res
Non secus ac *notas auditorem rapst.*

& Carm. II. 3.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus ac *bonis* &c.

ubi plures itidem Codices mendose habent *in*. Virgil. Georg. III, 346.

Non secus ac *patriis acer Romanus in armis.*
Aen. XII, 856. [*gitta.*

Non secus ac *nervo per nubem impulsa sa-*

Et sic alii passim: nihil enim vulgatius. Neque aliter hic olim legebat Acron Scholiastes; cum sic locum enarrat, *non aliter Baccha prospiciens Hebrum delectatur, quam ego videns nemora.* Quippe *non aliter quam* ad amussim respondent lectioni illi *non secus ac*: quam alteri praeferendam esse nullus dubita. Ubicumque enim occurrit *Non secus* vel *haud secus*, semper aliquid aut ante se aut post se habet, cum quo instituitur comparatio. Nihil autem hic praecedit apud Flaccum, cui referas *non secus*. Ergo adnectendum est illis quae sequuntur, *Non secus stupet* (miratur) *Euias, ac ego nunc miror.* Adde huc, quod elegantior haec constructio est, quam ut a crassis Librariis confingi potuerit.

V. 13. RIPAS ET VACUUM NEMUS] *Ripas* hic exhibent & Editiones veteres & quotquot extant membranae. Primus, ut perhibent, Muretus introduxit RUPES, quod postea multi secuti sunt. Et merito quidem displicuit illud *ripas*: nusquam enim, ubi sanus locus est, repereris absolute sic positum, nulla mentione fluminis vel aquarum habita. Neque tamen cum Mureto substituerim *rupes*; licet alibi habeat Noster Carm. II, 19.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem:

Sed in hunc potius modum rescripserim,

ac mihi devio
RIVOS, *& vacuum nemus mirari libet.*

Rivi & nemus apte junguntur; ut Epist. I, 10.

Ego laudo ruris amaeni
RIVOS, *& muscо circumlita saxa*, nemusque.

Rivos autem & *ripas* saepissime a Librariis confunduntur, ut Carm. IV, 2,

Uvidique Tiburis ripas,

pro *rivos*, ut ibi pluribus ostendam. *Rivus* autem commodissime, ubi Bacchus & *Naiades* rivorum nymphae. Sic apud Euripidem, in convalle Cithaeronis *rivis uvidâ* considebant Bacchae, vers. 1049. [ΧΟΝ

Ἦν δ' ἄγκος ὑψίκρημνον, ὕΔΑΣΙ ΔΙΑΒΡΟ-
Πεύκαισι συσκίαζον, ἔνθα Μαινάδες
Κάθηντο. & 1091.
Πᾶσαί τι Βάκχαι. Ἀφ' δὲ ΧΕΙΜΑΡΡΟΙ ῥύσεις
Ἀγμῶν τ' ἐπῆδον, ἦν δὲ πεύκαισιν ἁμαξιτόν.

Idem Cyclope vers. 63.

Οὐ δῆτ' ἐγὼ Βρόμιον. ἐ παῖδ' ὄρεσι,
Βάκχαν τ' ἐνοσφίσω.
Οὐ τυμπάνων ἀλαλαγμοί,
ΚΡΗΝΑΙΣΙ παρ' ὑδροχύτοις.

Quin etiam, quia *mirari* se profitetur, poteris rivos *lactis*, *mellis*, *vini*, vel *aquarum* intelligere, qui sponte & miraculo profluebant, percusso a Bacchis solo; ut II, 19.

Vinique *fontem*, lactis *& uberes*
Cantare rivos.

Eurip. Bacch. 142.

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πίδαξ,
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσῶν νέκταρι.

& 703.

Θύρσον δέ τις λαβὼν ἔπαισεν εἰς πέτρας,
Ὅθεν δροσώδης ΥΔΑΤΟΣ ἁπηδᾷ νοτίς.
Ἄλλη δὲ ναρθηκι εἰς πέδον καθῆκε γῆς,
Καὶ σῇδε κρήνην ἐξανῆκ' ΟΙΝΟΥ θεός.
Ὅσαις δὲ λευκῇ πώμασ' πόθος παρῆν,
Ἄκρωσι δακτύλοισι ἀμφιβάσεις χθόνα.
ΓΑΛΑΚΤΟΣ ἰσμοὺς εἶχον. & vers. 764.
Πάλιν δ' ἐχώρουν, ὅθεν ἐκίνησεν πέδον,
ΚΡΗΝΑΣ ἐπ' αὐγάς, ἃς ἀνῆκ' ἀστὴρ θεός.

sic ibi legendum, κρήνας ἐπ' αὐγάς; non ut vulgo habetur, κρήνας ἐπ' αὐγάις, & minus Graece, & inconcinne, cum statim repetatur αὐγῶν. Porro versu hic 16, pro *fraxinos* codex noster

Digitized by Google

noſter vetuſtiſſimus Graevianus *fraxinus* praefert, quaſi quartae eſſet declinationis, de qua re vide nos ad Carm. II, 15. 6.

v. 19. O LENAEE, SEQUI DEUM] Ita ſcripti editique: ſed videamus locum integrum,

dulce periculum eſt,
O *Lenaee, ſequi deum,*
Cingentem viridi tempora pampino.

ubi veteres Scholiaſtae, *Ambigue dictum*, inquiunt, *utrum ſibi tantum* cingentem, *an quoſcumque ſuo numine replere conſuevit.* Imo vero, non ideo ambiguum eſt, quod neſcias utrum velit *cingentem ſibi*, an *ſuis Myſtis*: poſterius enim hoc nullo modo ex verbis auctoris exſculpi poteſt. Sed id vere ambiguum eſt, utrumne ſic conſtruendum ſit, *Dulce eſt ſequi Deum cingentem*, &c, an, *Dulce eſt cingentem tempora pampino, ſequi Deum.* Quippe & Bacchus ipſe, & omnis Bacchantium chorus, caput pampino coronabant, ut vel pueris notum. Ceterum, utrolibet ordine verba conſtruxeris, illud interim inepte & putide videtur poſitum, O *Lenaee, ſequi deum*: nam perinde eſt ac ſi dixeris, *Dulce eſt, O Bacche, ſequi Bacchum.* Certe jam olim viderunt Librarii, neceſſum eſſe ut *Te* quovis modo in verſum recipiatur: unde Petrenſis noſter & Vigornienſis, etiam metri diſpendio, praeferunt,

O *Lenaee ſequi* te *deum.*

ſed & aliud eſt, quod minima mutatione multo melius venuſtiuſque reddi poterit; nempe ſi *deum* in *ducem* refinxeris,

Dulce periculum eſt
TE, *Lenaee, ſequi* DUCEM,
Cingentem viridi tempora pampino.

Bacchus enim erat *dux* Thiaſorum; & quo ipſe ducebat vocabatque, Bacchae ſequebantur: Euripides Bacchis 194.

Ὁ θοὺς ἀμφὶ θεὸν κεῖνον τῶν ΗΓΗΣΕΤΑΙ.

& 410.

Ἐκεῖσ' ΑΓΕ μοι, βρόμιε, βρόμιε.

517. Σίδοται δ' Εὐΐου, ἥκει τι χρεών,
Εἱλισσομένας τι Μαινάδας ΑΞΕΙ.

Porro, Codex Galei bonae notae, pro *Lenaee* habet *Iloe*, quod quid ſibi velit aliis divinandum relinquo.

CARMEN XXVI.

v. 7. ET ARCUS] Arma nominat, quibus aedes amicarum expugnare ſolitus eſt:

hic, hic ponite lucida
Funalia, & vectes, & arcus
Oppoſitis foribus minaces.

ubi illud libenter didicerim, quo fine *Arcus* adhiberi poſſent ad fores effringendas. Silent hic Interpretes, quaſi nihil in nuce duri eſſet: at nos hoc omnino non capere candide profitemur. In margine codicis Reginenſis ſic repperi, *Arcus, quibus janitores terreant.* At Noſter ſuos arcus ipſis *januis*, non *janitoribus*, minaces eſſe dicit. Cur autem janitores terreantur, ſi poſt fores *oppoſitas* tuti conſiſtant? Quid, quod ſagittae non erant arma amantibus apta; cum ſine caedis periculo mitti non poſſent. Quamobrem vide, ne forte ſic ſcripſerit Horatius,

Funalia, & vectis, SECURESQUE
Oppoſitis foribus minaces.

ubi *Que* primo omiſſum erat a Librariis; utpote ultra metrum excurrens, & ſequenti verſui adjungendum: qui ſollemnis eorum error eſt, cum apud Hunc, tum apud Virgilium. Poſtea, cum alii deeſſe viderent conjunctionem; pro *vectis ſecures*, non adeo magna mutatione, *vectis & arcus* ex conjectura commenti ſunt.

Jam autem *ſecures* cum *vectibus* & *funalibus* comiſſatores ebrios ſecum portare ſolitos, quibus domos amicarum expugnent, teſtis eſt Theocritus in Pharmaceutria.

Εἰ δ' ἄλλος μ' ἀΐξειε, κ' ἀ ϑύρα εἴχετο μοχλῷ.

Πάντως κὴ ΠΕΛΕΚΕΙΣ κὴ ΛΑΜΠΑΔΕΣ ἦσθον ἐφ' ὑμέας.

Plautus Bacch. V, 1.

jube ſis, actutum aperiri fores,
Niſi mavoltis fores & poſtes comminui ſecuribus.

Lucilius apud Nonium v. *Anceps.*

Nemo hos ancipites ferro effringat cardines.

ubi legendum, *ancipiti.* Idem ibidem:

Vecte atque ancipiti ferro *effringam cardines.*

ubi *ancipiti ferro* eſt *bipenni, ſecuri.* Virgil. Aen. II, 480.

Ipſe inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, poſteſque a cardine vellit.

Porro verſu 9 pro *tenes Cyprum* male praeferunt vetuſti quidam codices *regis*, ut ex noſtris Graevianus, Reginenſis, Battelianus, & Galei; nam *regis*, *Regina* putidum plane eſt. Recte vero iidem cum Leidenſi & editione Veneta, *Memphin*, non *Memphim.*

Digitized by Google

CARMEN XXVII.

v. 4. FOETAQUE VULPES] Olim a Librariis turbatum est in hoc vocabulo *Foeta*. Blandinius unus apud Cruquium, *Paestaque*, alter *Fuetaque:* Leidensis noster pro varia Lectione *Futaque:* Graevianus *Fistaque* & in margine *Foetaque*. Nicolaus Heinsius in ora exemplaris sui, *Forte*, inquit, *Fordaque vulpes*. Nollem hoc a viro illustri profectum. *Forda* enim de *bove, vacca*, peculiariter dicitur; non de *vulpe* aut aliqua fera. Ovid. Fast. IV, 630.

Pontifices forda *sacra litate* bove.
Forda ferens bos est, foecundaque, dicta ferendo.

Columella VI, 24. *ubi post unum coïtum* forda *non admittit taurum*: & mox, *Ne* forda *simul operis & uteri gravetur onere*. Deinde, *Forda* est *gravida, praegnans*: Varro de Ling. Lat. IV. *Bos forda, quae fert in ventre*. Festus; *Fordicidiis boves fordae, id est, gravidae immolabantur*. Varro iterum de Re Rust. II, 5. *Quae sterilis est vacca, Taura appellata: quae praegnans, Horda*. Festus; *Horda, praegnans*. Atqui jam ante dixerat Noster, *Praegnans canis*; neque statim repetere voluisset, *Forda* hoc est, *praegnans vulpes*. Non adeo duro & sicco ingenio erat, quin Epitheton variare posset. Servemus igitur receptam in omnibus editis & plerisque Scriptis lectionem *Foetaque vulpes:* neque tamen interpretemur *Gravida* cum Acrone; quippe eo pacto in idem, quod jam fugimus, vitium recideremus: sed *enixa, partu liberata, onere levata:* vide Servium, & Nonium Marcellum.

v 5. RUMPAT ET SERPENS] Non injuria questi sunt Interpretes de hujus carminis difficultate: & noviſſime celeberrimus Dacerius, qui prae aliis hic sapere sibi visus est, longissime omnium a vero aberravit. Videamus, siquid nos, tot aliis frustra expertis, meliore cum successu conemur. Dixerat initio, *Impios ducant* mala auspicia, *parra, canis, lupa, vulpes*; Impios, inquam, ducant; non te, O Galatea: sic vers. 21. *Hostium uxores puerique* malis tempestatibus conflictentur, non tu; Virgilius utrumque conjunxit, Georg. III, 513.

Di meliora piis, *erroremque* hostibus *illum*.

Tum continuo infert Noster,

Rumpat & serpens iter institutum;

hoc est, *rumpat* impiorum *iter*. Atqui hoc prorsus contrarium est illi, quod jam praecesserat. Bene enim erit Impiis, si rumpant iter infauste susceptum: si domum redeant, ubi contra auspicia se exire intellexerint. Quin potius *ducat*, ut supra, dicendum hic fuerit, non *rumpat*. Sed nodum hunc solvit Graevianus codex insigni vetustate, qui clare hic exhibet,

RUMPIT *& serpens iter institutum.*

Vera profecto haec lectio est, & digna quae fusius paullo explicetur. Galateam alloquitur Noster, amicam, ut videtur, suam; quae Romam relinquere, & ad aliam terram navigare constituerat: Lente tamen, inquit, festina: & vide prius, ne malis avibus iter auspiceris. Neque enim tam destinato es, opinor, ad navigandum animo, ut parra, vel cane, vel lupa, vel vulpe occurrante, peragas inceptum: Impios potius & hostes tam siniſtra auspicia ducant. Quin & serpens, per viam oblique trajiciens, *rumpere solet* iter institutum. Equidem neminem, *cujus saluti timeo*, ego providus auspex navem conscendere paterer; priusquam oscinem corvum ab oriente crocitantem bono & liquido augurio suscitassem. Siste itaque paullisper; dum omina capimus. Et profecto fausta concinuerunt aves. Salvis auspiciis abire poteris, & *ubicumque mavis*, feliciter vitam agere. Nec *laevus picus*, neque *vaga cornix vetat te ire* quo libet. Sed illud interim non vides, quod omnibus auspiciis majus est? non vides, inquam, anni tempestatem navigationi adversam? Jam *pronus cadit Orion*, triste sidus, & nautis infestum: ille jam procellas meditatur & generat; quamvis adhuc mare tranquillum & *Iapyx albus* tibi blandiantur. Equidem expertus novi, quid infidus Hadria, quid primus *Orientis Austri* sibilus moliatur. Cave itaque te committas tam subdolae maris pellaciae. Sic enim & *Europa credidit* latus Tauro, planitie aequoris & caeli temperie primum delinita: mox ubi sensit se in mediis fluctibus deprensam, tum sero metu expalluit, & in inutiles questus erupit. Habes jam totum hujus carminis filum; neque, opinor, vel de sententia vel de emendatione dubitandi locus est.

v. 13. SIS LICET FELIX, UBICUMQUE MAVIS] *Mavis* habent editiones veteres, & scripti quos vidimus cuncti. Codex tamen Henrico Stephano visus NAVIS praetulit. unde Janus Rutgersius rescribere voluit,

Sis licet felix, ubicumque NABIS.

Quod

Digitized by Google

Quod & probavit Nic. Heinſius in libri ſui margine: atque addit inſuper aliud,

Sis licet felix, ubicumque AMABIS.

Nollem tam febriculoſas conjecturas viris magnis excidiſſe. Nihil muta. Poteris, inquit, addictionibus auſpiciis, felix degere, ubicumque *mavis*, quacumque terra tibi erit cordi. *Mavis*, ut Serm. I, 4.

At tu concluſas hircinis follibus auras,
Ut mavis, *imitare.* Perſius, Sat. IV.
Ut mavis, *da verba, & decipe nervos.*

V. 15. TEQUE NEC LAEVUS VETET IRE PICUS] Lambinus ſine codicis Vaticani VETAT exhibuit, & recte explicavit: cum ceteri tam ſcripti quam editi perperam habuerint VETET. Nec diſplicuit res Torrentio; ſed nimia ſuorum exemplarium reverentia ductus, nihil mutare auſus eſt. Nobis & ratio & res ipſa centum codicibus potiores ſunt, præſertim accedente Vaticani veteris ſuffragio. VETET enim ex vicinis verbis, *ſis, vivas* refinxerunt Librarii; ut ſupra v. 5. RUMPAT interpolarunt, quia praeceſſerat *ducat*. Sententia autem hic clare eluceſcet, ex iis quae ibi diximus.

V. 22. SENTIANT MOTUS ORIENTIS AUSTRI] Hanc omnium codicum Lectionem primus immutavit Muretus, qui ex ſimili loco Carm. III, 1. verſ. 28. *orientis* HOEDI hic ſubſtituit, atque inde in plures editiones labem propagavit. Jam ante dixerat Noſter; cum Galatea navem conſcenſura eſſet, *pronum* fuiſſe *Orionem*: quo ſidere in occaſum vergente, imperitiſſimus ſit oportet rerum caeleſtium, qui tum demum *oriri haedum* opinetur: quod & pulchre adnotavit eruditiſſimus Dacerius. Contra veriſſimum eſt, Orione prono *Auſtrum* naſci, ut alibi Carm. I, 28.

Me quoque devexi *rapidus* comes Orionis
Illyricis Notus *obruit undis.*

recte igitur habet recepta in codicibus lectio: quamquam nove dictum videatur, *orientis* Auſtri, pro *naſcentis, ſurgentis, venientis*, ut alii loqui amant. Virgil. Eclog. V. 82.

Nam neque me tantum venientis *ſibilus* Auſtri:

cui verbo ſi Flacci codex aliquis faveret, etiam ipſe accederem.

V. 23. ET TREMENTES VERBERE RIPAS] Codex Regiae Societatis, *Et trementis Verbera ripae*. Non placet. Quippe *ripae verbera* ea potius eſſent, quae ripa *dat*, quam quae *patitur*; ut Noſter alibi, *Patruae verbera linguae*, & Virgilius, *Alarum verbera*, & *Stupea torquentem Balearis* verbera fundae. Quamquam eo ſenſu Valerius Flaccus *Litoris ictus* vocavit, quos litori fluctus infligunt, I, 330. *quotiens raucos ad* litoris ictus *Deficiam?*

Id audaculum librarium decepit, quod pro veteris ſcripturae ratione, *trementis* caſu accuſativo (prout a manu prima habet codex Reginenſis & Editio princeps Veneta) genitivus ſingularis ei videretur. Ceterum, etſi facile conceſſerim ripas marinas *tremere* pulſu undarum; ut Seneca Hippol. v. 1013.

ſaxa cum fluctu tremunt,
Et cana ſummum ſpuma Leucaten ferit.

Vix tamen illud aequa aure acceperim, ut in alto (quemadmodum hic) navigantes talem litorum tremorē ſentire poſſint. Quare vide, annon facili mutatione GEMENTES potius ſcripſerit Horatius: ſiquidem *gemitum* litorum vel e longinquo ſentiunt qui navibus praetervehuntur; tremorem vero nemo, niſi qui terra in ipſo litore conſiſtit. Quintilianus Declam. 6. *Navigat ergo per horridos fluctus, & gementia litora, & ſpumantes ſcopulos.* Noſter Carm. II, 20.

Viſam gementis litora *Boſpori.*

Sophocles Antig. v. 603.

ΣΤΟΝΩ βρίμωσι δ' ἀμφιπλήγες ἀκταί.

Silius Ital. XV.

Et ſpumante ruens per ſaxa gementia *fluctu.*

Virgil. XII, 334. gemit *ultima* pulſu
Thraca pedum.

Seneca Agamemn. 468.

Tractuque longo litus *ac petrae* gemunt.

Claudianus Conſ. Mallii v. 205.

quicquid Tyrrhena tunditur unda,
Vel gemit *Ionia.*

Idem Bello Gildonico 220.

Aſſiduoque GEMENS *undarum* VERBERE *nutat.*

V. 26. ET SCATENTEM BELUIS PONTUM] Non moror, quin ſiquis hoc bene ſe habere dicat, judicio ſuo per me fruatur. Melius tamen, opinor, erit, ſi AT pro ET legeris; cum inter bina haec orationis membra Antitheton eſſe debeat. Europa, inquit, in littore ludibunda ſe *audacter* tauro commiſit; AT mox in medias undas abrepta tum demum *metu* expalluit.

V. 34. OPPIDIS CRETEN, PATER O RELICTUM FILIAE NOMEN] Codex noſter Vigornienſis,

Oppidis CRETAM, *O pater, ô relictum.*

Quam lectionem ſi admiſeris, tum *filiae* erit caſus genitivus; *O pater, ô nomen filiae a me relictum.* Sed omnes vetuſtiores Graevianus, Re-

Digitized by Google

ginenſis &c. CRETEN, PATER O. *Pater o*, ut illud Statii Silv. II, 7.

Et dixit, Puer o *dicate Muſis*,
Longaevos cito tranſiture vates.

Atque hoc pacto *filiae* erit caſus dativi: O *pater, nomen relictum mihi filiae*, ſive *a me filia*. Utrovis modo bene ſibi conſtat oratio. Poſteriori favet locus Ovidii Torrentio Dacierioque citatus; ubi Ariadne loquitur, Heroid. X.

Nam pater & tellus juſto regnata parenti,
Prodita ſunt facto nomina *cara meo.*

hoc eſt, *prodidi patrem & patriam, duo cavitatis* nomina. Tibullus III, 4.

Ah crudele genus, nec fidum femina nomen.

Priori aſtipulantur illa Ovidii Metam. VIII, 464. *pugnant* materque ſororque,

Et diverſa trahunt unum duo nomina *pectus*. & mox ibidem v. 508. [*frangunt*.

Nunc animum pietas maternaque nomina ubi *duo nomina matris & ſororis* ſunt ipſius Althaeae nomina & officia; ſicut hic *nomen filiae* eſt ipſius Europae. Idem Metam. I, 474.

Protinus alter amat, fugit altera nomen amantis.

Nonius in v. *Sanctitudo*. Afranius ſuſpecta:

Tuam majeſtatem, & nominis matronae ſanctitudinem.

Idem v. *Deintegrare, diminuere*. Caecilius:

Nomen virginis, *niſi mirum eſt, deintegravit.*

In dubio ſunt illa Hermiones ad Oreſtem, Heroid. VIII, 29.

Vir precor uxoris; frater ſuccurre ſororis;
Inſtant officio nomina *bina tuo.*

Neſcias enim, utra ea ſint *nomina, virne* & *frater*, an *uxor* & *ſoror*: priora tamen magis placent, quia continuo praeceſſerat illud,

Et ſi non eſſes vir *mihi*, frater *eras.*

Quamobrem, ſi haec magis tibi ſedet ſententia, ut *filiae* caſu genitivo proferatur; tum aut cum Vigornienſi codice legendum fuerit,

Quae, ſimul centum tetigit potentem
Oppidis Cretam; O pater, *O relictum*
Filiae nomen, Pietaſque, dixit,
Victa furore!

aut propius ad reliquorum exemplarium fidem,

Oppidis Creten; Pater o, relictum o
Filiae nomen!

hoc eſt, *O filiae officium, quod ego deſerui & prodidi*, ut Noſter Epiſt. II, 2. v. 69. *relictis Omnibus officiis*. Quod ſi receptam potius lectionem amplecteris, *pater o relictum*
Filiae nomen!

ea demum ſurget ſententia, O *pater, quem ego filia reliqui, a cujus domo aufugi*; ut poſtea v. 49.

Impudens liqui patrios *penates.*

Et Moſchus de re eadem, in *Europa*, v. 142.

Οἴμοι, ἐγὼ μείλια δὴ τὰ δυσάμμορος, ἢ ῥά τι δεῖμα
Πατρὸς ἀπωσαμένη λιπόμαν, καὶ ἐστορόθυνα βοὴν τὴν δι-

Tu vero, utrivis interpretationi, me volente, accede: tantummodo illud memineris, ſic conſtruenda & diſtinguenda eſſe ſequentia, ut *Pietas furore victa* intelligatur. Quamquam enim, ut plerique hic volunt interpretes, *Europa* ipſa *furore victa* non incommode alias dici poſſit; ut Dido apud Virgilium Aen. IV, 474.

Ergo ubi concepit furias evicta dolore:

& alia in Culice, v. 109.

quo quondam victa furore
Venit Nyctileum fugiens Cadmeis Agave:

praeſtat tamen, ne manca hic deſtituatur oratio (ſic enim ſupplere conantur, *Pietas, filiae relicta*) & ut ſimul argutior concinniorque ſenſus exſurgat, *Pietatem*, quam parenti praeſtare debuit Europa, *furore & temeritate victam* interpretari: quomodo ſaepius Ovidius; ut Metam. XV, 173.

Ergo ne pietas *ſit* victa cupidine *ventris.*

Et ibidem XIII. [*Dédit.*

Victa metu pietas *conſortia pectora poenae* Heroid. XIII.

Spes *bona ſollicito* victa timore *cadit.*

Et ibidem XV.

Sit procul inſano victus amore timor.

Amor. III, 10.

Hinc pudor, ex alia parte trahebat amor:
Victus amore pudor.

v. 39. AN VITIIS CARENTEM LUDIT IMAGO] Quibuſnam obſecro, *vitiis?* tamen omnes, quod ſciam, codices huic lectioni patrocinantur; niſi quod Reginenſis vitioſe habeat, VECTUS. Sed quantumvis ii reclament, ſine dubio corrigendum eſt VITIO. *Vigilans ne*, inquit, *ploro turpe commiſſum* ſive concubitum? an potius hoc ſomnium eſt, & adhuc pudicitiam ſalvam habeo? *Vitium* eſt *ſtuprum*: ut paſſim apud Plautum & Terentium, *Virgini vitium oblatum, Pudicitiae vitium allatum*. Gellius II, 23. *Ex eo* vitio gravida *menſibus exactis parturit*. Scholiaſtes Acron ad locum, *An ſum ſine* vitio, *& hoc potius ſomnio?* Pluralem numerum in hoc ſenſu adhibitum numquam invenies.

v. 48. CORNUA TAURI] Ita Loſcherus exhibuit 1498; quod a Cruquio, Lambino & Torrentio arreptum pleraſque jam editiones occupavit. At princeps Veneta 1478, cum melioribus codicibus Cruquii & Pulmanni, ut & noſtris Leidenſi, Graeviano, Reginenſi,

Magdal.

Digitized by Google

Magdal. Galei, Regiae Societatis &c. multo elegantius praeferunt,

cornua MONSTRI:

Jam enim paullo antea, *infamem juvencum habes*, & mox versu 72. *laceranda reddet cornua taurus:* ut non sine fastidio & nausea tam putidam *tauri* repetitionem ferre possis. Ideo autem *Monstri*, quia fictus ille Taurus, ut primum Cretam appulit, resumsit continuo effigiem humanam, & sic Europam vitiavit. Cave enim cum interpretibus credas, sub tauri imagine id perpetratum esse. Moschus in Europa v. 159. φαίνετο μὲν δὴ

Κρήτη, Ζηνὸς ἦ πάλιν ἱερὴν ἀνελάζεθ' μορφὴν,
Λῦσε δ' ὀλισθήσας, καὶ οἱ λίχνον ἔντυνεν ἄεθλον.

Ovidius Fast. V. v. 615.

Litoribus tactis stabat sine cornibus ullis
Juppiter; inque deum de bove versus erat.

v. 60. LAEDERE COLLUM] Ita nostra Exemplaria summo consensu: tamen *laedere collum*, pro *elidere*, *oblidere*, *frangere* nemo veterum dixit. Quare omnino legendum cum quibusdam Lambini codicibus,

Pendulum zona bene te secuta ELIDERE *collum.*

ut Carm. I, 2.

Labitur ripa, Jove non probante, uxorius amnis. & II, 16.

Grosphe, non gemmis, neque purpura venale, non auro.

Atque sic in ora sui libri correxerat praestantissimus Nic. Heinsius: Idem ad Ovidii Fast. IV. v. 371. Reddendum, inquit, id verbum (*elidere*) Horatio opinor lib. III. od. XXVII. ubi nunc *laedere collum* circumfertur. Naso Metam. XI.

Atque ossa infelix elisa fauce pependit.

Lucanus libro II.

Hic laqueo fauces elisaque guttura fregit.

Haec Heinsius: quibus adde Metam. XII.

Vincla trahit galeae, quae presso subdita mento
Elidunt fauces. & Heroid. IX.
Scilicet immanes elisis faucibus *hydros.*

& in Ibide v. 569.

Utque loquax in equo est elisus guttur *acerno,*
Sic tibi claudatur pollice vocis iter.

Seneca Herc. Fur. 221.

Et tumida tenera guttura elidens *manu.*

Seneca de Providentia C. 6. *Sive* fauces *nodus* elisit, *sive spiramentum aqua praeclusit:* Idem Quaest. Nat. VI, 28. *Livent corpora, & non aliter quam per vim* elisae fauces *tument.* Lactantius de Mort. Persecut. c. XXX. *Ita* eliso *& fracto superbissimo* gutture *vitam detestabilem finivit.* Hieronymus contra Jovinianum lib. II. *Ibique Diogenes per noctem* eliso gutture, *non tam mori se ait, quam febrem morte excludere:* ubi corrigendum opinor, *eludere.* Seneca Hercule Oetaeo v. 1235.

Hisne ego lacertis COLLA *Nemaei mali*
ELISA *pressi?*

ut ex codice Mediceo recte edidit Gronovius pater; cum antea *spolia* per omnes libros grassaretur. Prudentius Peristeph. v. 1108.

ELIDIT *illic funs* COLLUM *martyris*
Lictor nefandus.

v. 71. CUM TIBI INVISUS] *Abstine*, inquit, *irarum & rixae*, CUM invisus *taurus laceranda tibi reddet cornua.* Equidem cum bona eruditissimi Dacerii venia fatebor hic tarditatem meam, qui nihil tam pulchrum & egregium in his verbis deprendere valeo, quae ille tantopere admiratur. *Tum* abstine irarum, *cum* taurus redierit. Quid interea, quaeso, faciet, dum redit ille? an in aestu & fermento tantisper relinquenda erit? Jam nunc, opinor, pacanda potius & consolanda erat misella virgo, prae moerore & ira vix sui compos. *Abstineto* vero irarum, cum Taurus lacerandum se praebuerit. Metuendum scilicet erat, ne si vehementius tum commota esset, deum sub bove latitantem obtruncaret! Haeccine ceu pulchre & decore dicta laudibus prosequimur? non, si sapimus. Editio Veneta anno 1490, DUM *tibi invisus*; non ut alii, CUM. Doctissimus vir Georg. Fabricius 1555 sic edendum curavit, NON *tibi invisus*; sed nulla, quantum conjicere licet, codicum auctoritate. Utcumque sit; facilis erat in illa vocula librariorum lapsus; quia, ut jam saepe monitum, literae versuum initiales plerumque omittebantur. Mihi quidem totus locus sic constituendus videtur;

Mox ubi lusit satis, Abstineto,
Dixit, irarum calidaeque rixae:
JAM *tibi* INJUSSUS *laceranda reddet*
Cornua taurus.

Respondet Venus ad ea, quae superius ab Europa prolata sunt,

Siquis infamem mihi nunc juvencum
Dedat iratae; lacerare ferro &
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monstri.

Quid, inquit, irata optas, ut dedat tibi aliquis taurum ferro lacerandum & cornibus truncandum? Quin noli adeo excandescere, quod inultum hoc abstulerit. Ecce tibi in-

Digitized by Google

jussus & sponte sua se tradet, pro libitu tractandum & puniendum. Vetus enim & exercitatus est amator, & saevientis dominae verbera laetus lubensque patietur; prorsus ad praeceptum & votum magistrorum Amoris,

Tu vero nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota.

Et,

Ille ego sim, cujus laniet furiosa capillos:
Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas.

Haec, nisi fallor, non illepida Ironia est, nec Venusino nostro indigna. *Injussus* autem levi vel nulla mutatione reposui, pro *invisus*; quod durius acerbiusque vocabulum est, quam ut aut tauro *modo medium amato*, aut Veneri jocanti conveniat. *Injussus* vero idem quod *sponte & ultro*: ut Noster Epod. XVI.

Illic injussae *venient ad mulctra* capellae.

Virgil. Georg. I, 55.

Arborei fetus alibi, atque injussa *viresc*unt Gramina.

CARMEN XXVIII.

v. 2. FESTO QUID POTIUS DIE NEPTUNI FACIAM] Apparet hanc Lyden non ancillam, sed amicam fuisse Flacci; atque adeo in Lydae domo, non in Flacci, comissationem hanc habitam esse. Quare omnino ineptum est, quod omnes hic editiones exhibent, *Quid* FACIAM: quasi ipse ex suo penu *Caecubum* praeberet. Tu vero, vel centum codicibus invitis, non cunctanter repone,

Festo quid potius die
Neptuni FACIAS? *prome reconditum,*
Lyde, strenua Caecubum.

Equidem miror tot interpretum aciem tam conspicuum mendum effugere potuisse.

v. 14. CYCLADAS ET PAPHON] Codices nostri Leidensis, Zulichem. Reginensis, Petrensis, Magdal. & alii cum melioribus Torrentii, PAPHUM. Quod placet, ut evitetur ὁμοιοτέλευτον in fine versuum, *Cnidon, Paphon.*

CARMEN XXIX.

v. 17. ANDROMEDES PATER] Editiones veteres, cum codicibus Cruquii & Lambini & Nostris, ANDROMEDAE. Recte. Vide Nic. Heinsium ad Ovidii Heroid. XVIII. v. 149.

v. 22. ET HORRIDI DUMETA SILVANI] Batteliauus, Bodleianus alter, cum duobus Lambini, & Pulmanni, HORRIDA *dumeta:* ut Seneca Hercule Oetaeo v. 135.

Ad Trachina vocor, saxa rigentia.
Et dumeta *jugis* horrida *torridis.*

Sed meliores codices HORRIDI, quod sequimur. Martial. X, 92.

Et semidocta villici manu structas
Tonantis aras, horridique Silvani.

v. 28. TANAISQUE DISCORS] Non satis expediunt Interpretes, cur Tanais *discors* vocetur. An quia Europam ab Asia disterminet? Sed cur ea de causa *secum ipse discors* sit, non video: neque enim *terminus discors* dicitur, quia fines & limites discernit. An ideo *discors*, quia populi, per quos fluit, intestinis discordiis plerumque vexarentur; aut forte tunc temporis cum *Bactrianis* bellum gererent? Atqui utrumque hoc quam maxime repugnat rationibus Flacci. Neque enim Maecenas *sollicite timere* potuit, quid contra Romanos *pararent* ii, qui domestico bello satis superque occupati erant. Quin potius eam ipsam ob rem timor omnis abjiciendus erat; ut noster alibi Carm. III, 8.

Mitte civiles super urbe curas;
Medus infestis sibi luctuosus
Dissidet armis.

Equidem non tam explicandum hunc locum, quam suum poetae verbum, a librariis parum intellectum, restituendum esse putaverim. Aut fallor enim, aut sic scripsit Horatius;

Quid Seres & regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque DISSORS.

Ideo autem *dissors*, quia neque ad Europam, nec ad Asiam pertineat, inter utramque medius, & quasi extra sortem positus. Ovidius Amorum II, 12.

At mea, sepositа est, & ab omni milite dissors
Gloria: nec titulum muneris alter habet.

Ita edidit illustris Heinsius ex codice optimo Puteaneo; cum ceteri omnes, ut hic, *discors* habuerint. Glossarium vetus: *Dissortes,* ἀλλαγῆς, ἀλλαγαί. *Dissortium,* ἀλλαγισμούς, ἀλλάγματος. Sed de hoc vocabulo vide ipsum Heinsium fuse differentem ad Sabini Epist. I. v. 35.

v. 34.

Digitized by Google

v. 34. NUNC MEDIO ALVEO CUM PACE DELABENTIS] Quod Lambinus ex ſuis notavit, id in noſtris Graeviano & Galeano invenimus, *medio* AEQUORE, cui adſcriptum erat *alveo* pro varia lectione. In ceteris habetur ALVEO, fere cum *aequore* ſuperſcripto. Placet *Alveo*, quod Editiones ſecutae ſunt. Curtius lib. V. c. 13. *Quippe obumbratus amnis preſſo in ſolum dilabitur alveo:* ubi corrige ex noſtro *delabitur*. Ovidius Amor. II, 13.

Quaque celer Nilus lato delapſus ab alveo
Per ſeptem portus in maris exit aquas.

ubi corrigendum *in alveo*, ex melioribus codicibus Heinſio viſis: & praeterea ex conjectura, *Per ſeptem portas*, id eſt, *oſtia*, ut poëtae paſſim.

v. 43. CUI LICET IN DIEM DIXISSE VIXI] Ambiguum eſt, utrum velit poëta: *dixiſſe, in diem vixi*; an *in diem dixiſſe, Vixi*. Prior conſtructio pleriſque interpretibus placuit; ut ille *ſui potens laetuſque degere* hic dicatur, qui *in diem vivat*, ſive ultra unum & praeſentem diem nihil conetur aut conſulat. Quintilianus Declam. XIII. *Non ut ferae volucres, non praeſentis modo cibi memores*, in diem vivunt apes; *duraturus hiemi reponitur victus, & repleris vere cellis tutus annus eſt*. Cicero II. de Oratore: *Si barbarorum eſt* in diem vivere, *noſtra conſilia in ſempiternum tempus ſpectare debent*. Plinius Epiſt. V, 5. *Nam qui voluptatibus dediti quaſi* in diem vivunt, *vivendi cauſas quotidie finiunt*. Et ſic alii ſaepe. Vide Caſaubonum ad Perſii Sat. III. pag. 269. Sed in hac conſtructione illud, ſi aciem intenderis, clare videbis; non omnino *vixi*, ſed *vivo* dici oportuiſſe: *ille potens ſui*
Laetuſque deget, cui licet, In diem,
Dixiſſe, vivo: *cras vel atra* &c.

Quare rectius eſt, ut poſteriorem conſtructionem ſequamur; unde etiam ſanior fortiorque ſententia naſcetur. Ille liber hilariſque deget, qui *in diem* ſive ſingulis diebus dixiſſe poteſt, *Vixi*. *In diem* enim eſt *quotidie*, quod alias *in dies* dicere ſolent. Noſter Serm. II, 8.

Per totum hoc tempus ſubjectior in diem &
Invidiae. [horam

Plinius Hiſt. Nat. VII, 2. *Et ſingula quidem quae facit* in dies ac prope horas *quis enumerare valeat?* Juvenal. Sat. VI.

Horreat, inque diem *ſeptenis oderit horis*.

Vixi autem, hoc eſt, ſatis jam hodie vixi: de craſtino Deus conſtituat, ut volet. Martialis Epig. III, 15.

Non eſt, credo mihi, ſapientis dicere, Vivam:
Sera nimis vita eſt craſtina; vive hodie.

Dido apud Virgil. Aen. IV, 653. [egi.

Vixi, *& quem dederat curſum fortuna, per-*

Seneca de Beneficiis V, 17. *Quis extremo die* dicere *audet*,

Vixi. *& quem dederat curſum fortuna,*
peregi?
quis non recuſans, quis non gemens exit?

Idem Epiſt. XII. *In ſomnum ituri, laeti bilareſque* dicamus. [peregi:

Vixi, *& quem dederat curſum fortuna, craſtinum ſi adjecerit deus, laeti recipiamus. Ille* beatiſſimus *eſt, &* ſecurus ſui poſſeſſor, *qui craſtinum ſine ſollicitudine expectat. Quiſquis* dixit, VIXI, *quotidie ad lucrum ſurgit.*

v. 64. AURA FERET GEMINUSQUE POLLUX] Neque interpretes ceteri, nec ipſe Dacerius qui reprehendit ceteros, quicquam hinc extundunt, quod *Venuſina lucerna dignum* ſit. Corrigendus nimirum locus eſt, priuſquam recte explicari poſſit. Lege ergo:

Tum me biremis praeſidio ſcaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura FERAT *geminuſque Pollux.*

Tum libri meliores cum editione Loſcheri, non *tunc*: *ferat* autem clare habet codex Galei cum Bodleianis duobus. Si fortuna, inquit, quae dedit, auferre volet: aequo animo & libens reſigno. Neque ſi forte in navi magna tempeſtate deprenſus fuero, ea cauſa (quod alii ſolent) deos precibus & votis fatigabo, ut argentum & pretioſae merces ſalvae evadant; me vero in tali tempore *quid ſentire putas, quid credis, amice, precari? Tum me biremis* &c. Equidem de reculis meis minime ſollicitus, ſatis habebo, ſi vel in *ſcapha* nudus ad littus appellam, mercibus cum ipſa navi naufragio pereuntibus. Juvenalis Sat. XII. de amico ſuo, qui in ſimili periculo pretioſiſſimas res non invitus in mare projecit:

Fundite quae mea ſunt, dicebat, cumba Catullus; [veſtem
Praecipitare volens. etenim pulcherrima,
Purpuream—— [quis audet
Sed quis nunc alius, qua mundi in parte,
Argento praeferre caput, rebuſque ſalutem?

Ideo autem *ſcaphae praeſidio*, quia olim, ut hodie, in tales uſus ſcaphae navibus adjunctae erant: ut eleganter Statius Silv. I, 4.

immenſae veluti connexa carinae
Cymba minor, cum ſaevit hiems, pro parte furentes
Parva receptat aquas, & eodem volvitur auſtro.

CARMEN

CARMEN XXX.

v. 11. ET QUA PAUPER AQUAE] Jam diu eſt, cum ab aliis recte emendati ſunt hi verſus:

Dicar, qua violens obſtrepit Aufidus,
Et qua Daunus aquae pauper agreſtium
Regnavit *populorum, ex humili potens,*
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxiſſe modos.

ubi veteres editiones *Regnator* circumferebant; cum tamen Porphyrio, Servius, & codices Cruquiani ſine dubio veram lectionem exhibeant, *Regnavit populorum*; quibus accedunt ex noſtris Galeanus, Leidenſis, & a prima manu Reginenſis. Unum eſt, in quo plerique que interpretes hic lapſi ſunt, alterum in quo omnes. Quippe *Daunum aquae pauperem* fluvium quendam intelligunt: cum rex fuerit Apuliae, regionis aridae & ſiticuloſae; iſque ea cauſa *pauper aquae* eleganter dicatur, ut Silius Italicus lib. III. [*ventus,*

Tum chalybis pauper, *Bamurae cruda ju-*
Contenti parca duraſſe haſtilia flamma.

Apuleius in Floridis: *Et frugum pauperes Ityraeos, & odorum divites Arabas.* Deinde illa verba, *ex humili potens*, perperam de ipſo Horatio accipiunt & veteres Enarratores & novi. *Gloriatur*, aiunt, *ſe libertino patre ad tantam claritatem ſtudiis perveniſſe.* Quod de Cicerone ſimiliter Vomanus in Epigrammate,

Doctrinae antiſtes, rerum mirabilis auctor
Tullius, exiſtens nobilis ex humili.

& Noſter de ſe Epiſt. I, 20.

Me libertino natum patre & in tenui re,
Majores pennas nido extendiſſe loqueris;
Me primis Urbis belli placuiſſe domique.

At pace tantorum virorum, quantumvis ſtudiorum gloria & principum amicitia Noſter floruerit; numquam, ſi bene eum novi, tam invidioſo verbo *potentem* ſe dixiſſet. Quid enim? an qui uno agello in Sabinis contentus, *jure perhorruit Late conſpicuum tollere verticem* (Carm. III, 16.) quemque Maecenas ſuorum in numero habere dignatus eſt, *duntaxat ad hoc quem tollere rheda Vellet iter faciens, & cui concredere nugas,* (Sat. II, 6.) ſuo ipſe praeconio ſe *potentem* eſſe venditaret? Imo vero de rege Dauno, non de ſe ea protulit Horatius,

Et qua Daunus aquae pauper agreſtium
Regnavit populorum, ex humili potens:

Daunus ſcilicet, qui primus apud Apulos regnum capeſſivit, & proinde ex homine privato Princeps, ex exule Tyrannus, ex humili potens eſt factus. Feſtus Pompeius: *Daunia, Apulia appellatur a Dauno Illyricae gentis claro viro; qui eam, propter domeſticam ſeditionem excedens patria, occupavit.* Juvenalis Sat. III. v. 39.

Quales ex humili *magna ad faſtigia rerum*
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.

v. 15. ET MIHI DELPHICA LAURO] Tam bona occaſione corrigendus eſt obiter deploratus Ovidii locus, Pont. II, 5. ubi comparat inter ſe Oratoris & Poëtae ſtudia:

Diſtat opus noſtrum; ſed fontibus exit ab iſdem:
Artis & ingenuae cultor uterque ſumus.
[*Thyrſus enim vobis, geſtata eſt Laurea nobis:*
Sed tamen ambobus debet ineſſe calor.]
Utque meis numeris tua dat facundia nervos:
Sic venit a nobis in tua verba nitor.

ubi medium diſtichon, tamquam ſpurium, obelo confodit ingenioſiſſimus Nic. Heinſius, κακοφωνία enim illa *vobis, nobis, ambobus* mire offendit aures: & ubi, quaeſo, oratoribus *geſtatur Thyrſus?* Sed tres libri vetuſtiſſimi apud Heinſium ſic verba exhibent;

Delphica non aeque geſtata eſt laurea nobis.

Pro *nobis* repone *vobis*, Oratoribus ſcilicet: & ſic ſatis commoda erit ſententia. *Lauream* enim *Delphicam geſtabant*, qui Poëtae nomen & gloriam nacti erant; ut de ſe Noſter hoc ipſo in loco, *& mihi Delphica*

Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

Verum altius in Naſone latet mendum; quo levi manu ſublato, ſpondere auſim verſum ſanum integrumque, & auctore Ovidio digniſſimum: [VOBIS;

Delphica non aeque GUSTATA *eſt Laurea*
Sed tamen ambobus debet ineſſe calor.

Vos, inquit, Oratores non aeque guſtaſtis laurum, ac nos Poëtae; neque parem inde ac nos enthuſiaſmum concepiſtis: tamen & vobis, aeque ac nobis, *calor* quidem, quamvis non *furor*, ineſſe debet. Notiſſimum eſt, ex morſu Lauri Vates & Poëtas entheos fieri: Juvenalis Sat. VII, 19.

Nemo tamen ſtudiis indignum ferre laborem
Cogetur poſt hac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, Laurumque momordit.

NOTAE

Digitized by Google

NOTAE AD CARMINUM LIB. IV.

CARMEN I.

v. 1. INTERMISSA VENUS DIU] Puerilem hic errorem admiserunt Interpretes; cum in his verbis,

Intermissa Venus diu,
Rursus bella moves?

intermissa ad *Venus* referunt. Quod, cum Venus deam hic, non rem veneream notet, ne Latine quidem dici potest. Tu vero, si sapis, *intermissa* cum *bella* conjungens sic locum distingue;

Intermissa, Venus, diu
Rursus bella moves?

ut ordo sit, O *Venus, rursum moves bella diu intermissa?* Petronius p. 379. Edit. Variorum. *Haec ut turbato clamore mulier effudit; haesit paullisper acies, revocataeque ad pacem manus* INTERMISERE BELLUM.

v. 9. TEMPESTIVIUS IN DOMO] Graevianus, Reginensis, Battelianus, Galei, Bodleiani duo, Lambini aliquot & Pulmanni, DOMUM. Quod recipiendum puto. *Comissari in domum*; ut Gellius IV, 14. *Apud eos dixit* comissatorem *Mancinum* ad aedes *suas venisse.* Livius XL, 7. *Quin* comissatum ad fratrem *imus.* Theocritus Idyll. III. v. 1. Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα. Noster de eadem re, Carm. I, 30.

Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Thure te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.

v. 18. LARGIS MUNERIBUS RISERIT AEMULI] Torrentiani duo & unus Bersmanni, LARGI; atque ita nostri, Vigornienses, Regiae Societatis, & a manu secunda Graevianus. Recte. Quamquam enim optime dicitur *largis muneribus*; ut Apuleio Metam. II. *Donec* muneribus largis *completa navis pelago redderetur*: & Boëtio de Consol. II. Metr. 2.

Largis *cum potius* muneribus *fluens*
Sitis ardescit habendi:

dulcior tamen compositio erit, si LARGI legeris; tum & sententia fortior. *Largus* est liberalis, vel prodigus. Cicero de Officiis II, 16. *Omnino duo sunt genera* largorum; *quorum alteri prodigi, alteri liberales.* Majus autem quid denotant *largi aemuli munera*, quippe quae ille prodigus iterum iterumque ingerere solet; quam *larga munera aemuli*, fortasse avari, & semel tantum atque invito animo donata.

v. 22. LYRAEQUE ET BERECYNTIAE DELECTABERE TIBIAE] Codex Cruquii Blandinius omnium vetustissimus cum Lambini quibusdam & Bersmanni uno,

LYRAQUE & BERECYNTIA
Delectabere TIBIA,
Mixtis carminibus, non sine fistula.

Atque haec lectio potior est, judice Nic. Heinsio, cujus calculo & ipse accedo. *Delectabere*, inquit, *lyra & tibia, carminibus mixtis*: qualis verborum constructio Poëtis valde familiaris est. Virgil. Aen. X, & XII:

aestuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoque *insania* luctu.

Lucretius, VI, 377.

Ancipiti quoniam bello turbatur utrimque,
Hinc flammis, illinc ventis, humoreq; mixto.

Valerius Flaccus, V, 100.

Carmina quinetiam visos placantia manes
Odrysius dux rite movet, mixtoque *sonantem*
Percutit ore *lyram.*

Prudentius Psychom. 351.

Exstimulans animos, nunc probris, nunc
prece mixta.

In vulgata lectione intricatior paullo constructio est; *delectabere carminibus, mixtis lyrae & tibiae. Mixtis lyrae* autem, ut Ovid. Ep. Parid.

Laetitiae mixtos non habitura metus.

Verum & hoc modo *mixtis lyrâ* libentius, credo, dixisset Noster, quam *mixtis lyrae*: ut Virgil. Aen. VIII.

Gnatum exhortarer, ni mixtus matre Sabella
Hinc partem patriae traheret.

& XII. *vel* mixta *rubent ubi lilia multa*
Alba rosa. & iterum,
Hinc genus Ausonio mixtum *quod* sanguine
surget. & XI.
permixti caede *virorum*
Semanimes volvuntur equi.

Caeterum v. 28. pro *quatient* codices magnae vetustatis Graevianus & Reginensis, *quatiunt*.

v. 37. NOCTURNIS TE EGO SOMNIIS] Illud TE, quod editiones Lambini & Torren-

Digitized by Google

tii obsedit, atque inde in plures derivatum est, non comparet in vetustis aut Cruquiana. Neque agnoscunt scripta fere exemplaria. Graevianus, cum Bodleiano altero; *Nocturnis ego te somniis*. Reginensis, *Nocturnis te somniis*. Apparet in paucos codices ex notis interlineribus irrepsisse; in ceteris nec vola ejus nec vestigium est.

CARMEN II.

v. 6. VELUT AMNIS, IMBRES QUEM SUPER NOTAS ALUERE RIPAS] Frustra codices omnium veterrimi Blandinius Cruquii, Leidensis & Graevianus, *Cum super notas saliere ripas*, vel *salire*. Seneca Herc. Fur. v. 933. *nullus hiberna* nive

Nutritus *agros* amnis *eversos trahat*.

Statius Achill. II, 430. *rapidissimus ibat*

Imbribus *assiduis* pastus *nivibusque solutis*

Sperchius. Lucretius, I, 282.

Flumine abundanti, quod magnis imbribus auget

Montibus *ex altis magnus* decursus *aquai*. Recte igitur se habet recepta lectio *alnere*.

v. 13. SEU DEOS REGESQUE CANIT] Ita editi ubique; sed repone ex Lambini quibusdam, duobus Bersmanni, & Nostris Graeviano, Colbertino, Galeano & Bodleiano altero, REGESVE, ut infra, SIVE *quos Elea*— &, *Flebili sponsae juvenem* VE *raptum*. Neque enim uno carminis genere & *Deos* & *Reges* sive Heroas cecinit Pindarus, sed illos in ὕμνοις & παιᾶσιν, hos in aliis. Noster Carm. I, 12.

Quem virum, aut *heroa lyra vel acri*

Tibia sumis celebrare, Clio, Quem Deum?

ipse Pindarus Olymp. II.

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,
Τίνα θεὸν, τὶν᾽ ἥρωα,
Τίνα δ᾽ ἄνδρα κελαδήσομεν.

v. 17. SIVE QUOS ELEA] Mala interpunctio libros omnes hic contaminavit: tu ita distingue:

Sive, quos Elea domum reducit

Palma caelestes, pugilemve equumve Dicit.

hoc est, *sive dicit pugilem aut equum, quos Elea palma nobilitat*: Cave, illud *quos* alio referas, ut vulgo faciunt. *Pugilem* & *equum* etiam alibi conjunxit; ut in Arte Poetica v. 84.

Et pugilem *victorem*, & *equum certamine primum*: & Carmine sequenti,

Illum non labor Isthmius

Clarabit pugilem, *non* equus *impiger*

Curru ducet Achaico.

Dio Chrysostomus De Regno II. Τὰ μὲν ἔπη ἄλλα παύμαχα ἴσως ἀγεῖται, τὰ μὲν συμποτικὰ φαῖεν, τὰ δ᾽ ἐρωτικὰ, τὰ δ᾽ ἐγκώμια ΑΘΛΗΤΩΝΤΕ ΚΑΙ ΙΠΠΩΝ πλάττων. Ergo hic & *Equum* dicit *caelestem* fieri, palma adepta. Equus enim victor & *encomio* & *corona* honestabatur. Plutarchus Sympos. acôn II, 5. Καὶ τῶ ζώων μόνῳ τῷ ΙΠΠΩ μετεστὶ ΣΤΕΦΑΝΟΥ τὸ ἀγῶνός ἐστιν, ὅτι μόνῳ τῷ πύθωνι τῷ ἵππιῳ μαχομένοις παρεῖναι τὸ συμπαλαιεῖν. Theocritus Idyll. XVI, 46.

πρωὸς δ᾽ ἐς αὐλὶς ἴλαχον ΙΠΠΟΙ
Οἵ σφισιν ἐξ ἱερᾶν ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΙ
ἤγδον ἀγῶνα.

Quae duo loca jam occupata video ab Illustrissimo Viro, cui nostra aetas nec parem quemquam in literis nec secundum habet, Ezechiele Spanhemio; observationibus ad Callimachum p. 716. Ceterum corrigendum puto Ovidium, in Tristibus. IV, 10. v. 95.

Postque meos ortus Pisaea victus oliva

Abstulerat decies praemia victor eques.

Nullus dubito, quin Naso sic scripserit,

Abstulerat decies praemia victor EQUUS.

v. 23. AUREOS EDUCIT IN ASTRA] *Reducit* vel *redducit* plerique habent codices, etiam vetusti, ut ex nostris Leidensis, & a prima manu Reginensis. Sed terri nullo modo potest tam inticeta repetitio: cum paullo ante v. 18. jam semel habuimus,

Sive quos Elea domum reducit.

Quare cum Editione prima & Graeviano codice antiquissimo & aliis nonnullis retineamus EDUCIT. *Educit in astra ex orco*; ut infra Carm. VIII.

Ereptum *Stygiis fluctibus Aeacum*

Virtus, & favor & lingua potentium

Vatum divitibus consecrat *insulis*.

Seneca Herc. Fur. 95. *Discordem deam*

Educam, *& imo Ditis e regno extraham.*

v. 29. PER LABOREM PLURIMUM, CIRCA NEMUS] Sic olim & hodie distinguit quicquid est Interpretum: ut *plurimum* referatur ad *laborem*: mihi contra videtur convenientius, ut ad *nemus* pertineat. *Carpentis per laborem*, hoc est, laborioso carpentis. Salustius in Catil. c. 7. *Juventus in castris* per laborem *usu militiam discebat*. Ita loqui amant scriptores Latini, *per dolum*, *per iram*, *per otium*,

Digitized by Google

otium, per jocum, per necessitatem, per vim; numquam addito epitheto. Tum autem illud, *Plurimum circa nemus*, multo opinor nitidius & ποιητικώτερον erit, quam *circa nemus* nude arideque prolatum. Ovidius Metam. XIV, 361.

Plurima *quae* silva *est*, *& equo loca pervia non sunt.* Virgil. Aen. I.

Famque ascendebant collem, qui plurimus *urbi*
Imminet. Statius Theb. I.

abrupta qua plurimus *arce Cithaeron*
Occurrit caelo:

Plurimum vero esse nemus circa Tibur, vel ex carmine sequenti satis constat,

Sed quae Tibur *aquae fertile praefluunt,*
Et spissae *nemorum comae.*

adde Statium Silv. I, 3. de villa Tiburtina Vopisci,

nemora alta *citatis*
Incubuere vadis; fallax responsat imago
Frondibus; & longas eadem fugit umbra per undas. ubi obiter lege,
& longas eadem fugit unda per umbras.

Recte igitur *plurimum nemus*; potuisset tamen magis apposite, ut comparatio cum *apo Matina* per omnia responderet: FLOREUM *circa nemus*: quod & a vulgata lectione non nimis abhorret. Lucretius III, 1.

Floriferis *ut apes in* saltibus *omnia libant.*

Virgil. Aen. I, 430.

Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor. Val. Flaccus V, 344.
Florea *per verni qualis juga duxit* Hymetti,
Aut Sicula sub rupe choros.

V. 31. UVIDIQUE TIBURIS RIPAS] Omnes quidem, quot vidi, scripti editique RIPAS: satis tamen inficete; cum nusquam, opinor, *ripas* reperias, quin ibidem vel fluvii vel aquarum mentio fiat. Crediderim a Librariis corruptam esse lectionem, qui *Tiburis* hic pro amne *Tiberi* perperam acceperint. Et tamen alias *ripis* pro *rivis*, & vicissim, frequenter abutuntur exscriptores. Lego vero, vel ipsis omnibus invitis,

Plurimum circa nemus, uvidique
Tiburis RIVOS. Noster Carm. I, 7.
Et praeceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria RIVIS.

Rivi autem *apibus* gratissimi; ut Virgil. Georg. IV, 19.

At liquidi fontes, & stagna virentia musco
Adsint, & tenuis fugiens per gramina rivus.

V. 45. SI QUID LOQUAR AUDIENDUM] Graevinius, Reginensis, Magdalenensis, Bodleianus cum quibusdam Lambini, sine dubio rectius;

Tum meae, (siquid LOQUOR *audiendum*]
Vocis accedet bona pars.

siquid loquor; hoc est, siquid *loqui soleo* Romanorum auribus dignum: quippe jam diu tres Carminum libros emiserat, qui avidissime ab omnibus legebantur.

V. 49. TUQUE DUM PROCEDIS, IO TRIUMPHE] Loscheri editio cum codicibus quibusdam inferioris aetatis, TUQUE: at prima Veneta cum scriptis omnibus vetustioribus, TEQUE. Si illud sequeris; tum quaestio continuo movetur, quonam illud TU referri debeat. Sunt qui ad *solem* spectare credant; ut fiat, *Dum tu, O Sol sive dies pulcher procedis*: quale Virgilii illud Eclog. IX.

Ecce Dionaei processit *Caesaris astrum.*

& Aen. III.

Famque dies alterque dies processit.

Verum hi faciles sibi lectores & minime morosos videntur expectasse. Quid enim? an a mane ad vesperam, *dum dies procedit*, usque ad ravim clamandum erat, *Io triumphe?* Quod si maxime hic *Solem* significare vellet Noster; certe non *dum tu procedis*, sed *dum ille procedit*, dicendum fuisset, ut orationis seriem contemplanti sole ipso clarius patebit. *Tum*, inquit, *canam*, O SOL PULCHER; quae sunt ipsa verba Garminis, quod tum canturum se pollicetur, & *materialiter* (ut Grammatici loquuntur) hic sumi debent. Minime autem jam nunc *Solem* alloquitur; neque ullo modo *tu procedis* de *Sole* intelligi queunt, quem nullis adhuc verbis compellavit. Verum alii potius ad Antonium Iulum, cui carmen hoc inscribitur, referenda haec opinantur; adeo ut *dum Antonius procedat*, civitas omnis Io triumphe iterare debuerit. Sed quo obsecro nomine *procedat* Antonius? an ut qui triumphum ipse agat? nihil minus: spectant enim haec omnia ad Augusti triumphum de Sicambris, quem aliquando futurum esse vaticinatur hic Noster. An in alieno quidem triumpho, sed tamen, utpote vir clarus & magnis honoribus functus, inter primos *procedet*, omnibus conspiciendus? Sed & hoc nihil est: nemini enim, praeterquam ipsi Triumphanti, *civitas omnis* Io Triumphe accinebat. Ovidius Amor. I, 2. de Cupidine triumphante:

Omnia te metuent: AD TE *sua brachia tendens*
Vulgus, Io, *magna voce*, Triumphe, *canet.*

Idem in Triſt. IV, 2.

Hos ſuper in curru, Caſar, victore veheris
Purpureus, populi rite per ora tui:
QUAQUE IBIS, *manibus circumplaudere tuorum,*
Undique jactato flore tegente vias:
Tempora Phoebea lauro cingetur, Ioque,
Miles, Io, *magna voce,* Triumphe, *canet.*

Idem Amor. I, 7.

I nunc, magnificos victor molire triumphos,
Cinge comam lauro, votaque redde Jovi.
Quaeque TUOS *currus comitatrix turba ſequetur,*
Clamet, Io forti victa puella viro.

Neque *Sol* igitur recte procedit, neque *Antonius*: reſtat, ut ad illos demum Interpretes nos convertamus, quibus Poëta ad ipſum Triumphum converſus hoc dicere videtur. *Dum tu, Io (ſive o) Triumphe, procedis:* ut in Epodo IX. Triumphum tanquam Deum alloquitur:

Io Triumphe, tu moraris aureos
Currus & intactas boves:
Io Triumphe, nec Jugurthino parem
Bello reportaſti ducem.

Atque hanc expoſitionem neceſſario ſequuntur illi, qui cum meliore codicum parte TEQUE praeferunt. Verum & hic, ſi penitius excuſſeris, nihil ſani reperies. Si TUQUE magis tibi arridet, tum haec inde orietur conſtructio: *Dumque tu, Io* (id eſt, *o*) *Triumphe, procedis; non ſemel dicemus* haec verba, IO TRIUMPHE. Quis vero hoc iis condonabit, ut alio ſenſu exponant prius *Io Triumphe*, alio poſterius? quis in cultiſſimo poëta tale portentum admittet? Quod ſi mavis alteram lectionem TEQUE; jam illa exibit ſententia; *Dumque, o Triumphe, procedis, non ſemel te dicemus*, ſive carmine celebrabimus, *o Triumphe*. Ubi, ut mittam illud *o Triumphe* jam inepte prorſus & putide repetitum; ut mittam jam *civitatem omnem*, pueroſque patreſque, carmina in Triumphum illum ſcripturos, idque *non ſemel*; quo nihil fingi poteſt abſurdius: illud unice hanc interpretationem evertit, quod procul omni dubio cum Noſter ait, DICEMUS *Io triumphe*; illa ipſa verba ſic proferri & acclamari velit: quemadmodum & Naſo locis jam citatis;

Miles, Io, magna voce, Triumphe, CANET.
Vulgus, Io, magna voce, Triumphe, CANET.
CLAMET, *Io forti victa puella viro.*

& Tibullus II, 5. *lauro devinctus agreſti*
Miles, Io, magna voce, Triumphe, CANET.

Quin & eam ob cauſam addit, NON SEMEL *dicemus*; nimirum quia eandem hic acclamationem bis poſitam habes,

Tuque dum procedis, Io triumphe,
Non ſemel dicemus, Io triumphe;

ut Ovidius in Arte Am. II. v. 1.

DICITE, *Io Paean, & Io,* BIS DICITE, *Paean.*

Satis, opinor, ſuperque jam refutata ſunt, quaecumque ad colorem aliquem huic loco inducendum protulerunt Interpretes: & tamen unicum illud, quod jam dicturus ſum, vel per ſe ſufficeret ad utramvis lectionem, ſeu TUQUE ſive TEQUE, funditus ſubruendam. Dico enim, & omnes in bonis ſcriptoribus tritos & ſubactos mecum habebo ſentientes, non aliter accipi poſſe, TUQUE, vel

TEQUE *dum procedis, Io triumphe.*

& illud altero abhinc commate,

TE *decem tauri totidemque vaccae,*

quam de una eademque perſona. Nihil enim intervenit, quo TUQUE & TE ad diverſas ſpectare lector moneatur. Cum autem poſterius illud ad Antonium Iulum referri, & res ipſa clamitet, & omnes ubique conſentiant; prius vero ad eundem Antonium nullo pacto pertinere poſſe jam ſupra probaverim; id reſtat, ut prioris loci lectionem mendoſam eſſe neceſſe ſit: & proinde de emendatione vel certa vel commoda jam ſerio ſit cogitandum. Atque hunc in finem conjectura nos ſua impertire voluit vir inſignis Daniel Heinſius, qui fidentius pro more ſuo pronunciat, ſic ab Horatio certiſſime fuiſſe ſcriptum,

DUXQUE *dum procedit, Io triumphe.*

Quis enim, inquit, *praeter Imperatorem in triumpho procedit, cum in Capitolium vehitur? cui niſi Imperatori triumphus clamatur? cujus denique gratia populus rem ſacram facit, niſi ejus qui triumphat?* Bene quidem haec: & profecto rem ipſam quaſi per nebulam vidit; in verbis eruendis hallucinatus eſt. Quippe leviore, ni fallor, cicatrice ſanari poterit hoc ulcus. Dixerat Noſter, *& O Sol*

Pulcher, o laudande, canam, recepto
CAESARE *felix:*

quibus illa jam ſubjunge ex correctione noſtra:

ISQUE *dum procedit, Io Triumphe,*
Non ſemel dicemus, Io Triumphe.

ISQUE, is eſt CAESAR. Enimvero hoc vocabulum adeo commode rem & ſententiam conficit, adeo parum recedit a lectione vulgata, adeo notum denique & receptum eſt omnibus poëtis, quotieſcumque perſona aliqua jam ſemel ſuo nomine appellata rurſus indicatur; ut ſuo jure pro ſincera hic lectione omnino

ſit

Digitized by Google

sit admittendum. Virgilius Aen. IV, 203.

Protinus ad regem cursus detorquet Iarbam-
ISQUE *amens animi, & rumore accensus*
amaro. & V, 708.

Tum senior Nautes——
ISQUE *his Aeneam solatus vocibus infit.*
& VI, 684.

At pater Anchises *penitus convalle virenti-*
ISQUE *ubi tendentem adversum per gra-*
Aeneam. & IX, 549. [*mina vidit*
quorum primaevus Helenor—
ISQUE *ubi se Turni media inter millia vidit.*
& XI, 702.

Apenninicolae bellator filius Auni——
ISQUE *ubi se nullo jam cursu evadere pugna.*

Porro recte in Triumpho Caesar *procedere* dicitur: ut Virgil. XI, 94.

Postquam omnis longe comitum processerat
ordo. Ovid. Fast. IV.

Omnis eques, mixtaque gravis cum plebe
Senatus
Obvius ad Tusci fluminis ora venit.
Procedunt pariter matres nataeque nurusque.

v. 58. TERTIUM LUNAE REFERENTIS ORTUM] ORBEM in nonnullis codicibus repererunt Interpretes; ut & nos in decem ex nostris. Reginensis tamen & Regiae Societatis ORTUM; quod in Leidensi, Graevianо, Batteliensi pro varia lectione ponitur. Si illud sequeris, tum tertium *mensem* intelliges; quod nihil facit ad poëtae sententiam. Gellius I, 20. *Quod & Luna* orbem *suum lustret septem & viginti diebus.* Ovid. Fast. I, 175.

Luna novum decies implerat cornibus orbem.
Idem Metam. II, 454.

Orbe resurgebant lunaria cornua nono.
Tibullus II, 4. *& qualis, ut* orbem
Complevit, versis Luna recurrit equis.
Propertius II, 16.

Septima jam plenae deducitur orbita *lunae.*

Quamobrem cum libris editis retinendum est omnino *tertium* ORTUM, hoc est, diem tertium. Virgilius Georg I, 431.

vento semper rubet aurea Phoebe:
Sin ortu *in* quarto (*namque is certissimus*
auctor)
Pura, neque obtusis per caelum cornibus ibit.
Val. Flaccus II, 367.

Ut lunam quarto *densam videt imbribus*
Thespiades. [ortu-

v. 59. QUA NOTAM DUXIT] In codice Regiae Societatis TRAXIT, ut Ovid Fast. I, 596.

Ille Numantina traxit *ab urbe* notam:
Statius Theb. VII, 302.

ac primae genitorem in flore juventae
Consequitur, traxitque notas, *& miscuit*
annos.

Tamen & *notam duxit* aeque, si non magis, elegans locutio est, & omnium fere codicum suffragiis nititur. Propertius I, 5.

Et timor informem ducet *in ore* notam.

Plura vide apud Nicolaum Heinsium Notis ad Ovidii Fast. VI, 649. Ita *ducere colorem, livorem.* Virgil. Eclog. IX 49.

Duceret *apricis in collibus uva* colorem.
Juvenalis II, 81.

Uvaque conspecta livorem ducit *ab uva.*
Seneca Herc. Fur. 347.

ducet *e genere inclyto*
Novitas colorem *nostra.*

CARMEN III.

v. 10. SED QUAE TIBUR AQUAE FERTILE PRAEFLUUNT]. Sic clare habent veterrimi codices Graevianus, Reginensis cum aliis: Leidensis PROFLUUNT. Editio prima Veneta PERFLUUNT, quod nollem clarissimos viros Fabricium & Da. erium calculo suo probavisse. Velleius Paterculus II. 106. *Ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundorumque fines* praefluit. Noster infra Carm. XIV. de Aufido,

Qui regna Dauni praefluit *Appuli.*

Livius, I, 45. *Infima valle* praefluit *Tiberis.* Sic *praelabi, praevehi.* Lucanus VI, 76.

Quoque modo Romae praelapsus *moenia Tiberis*
In mare descendit. & X, 307. de Nilo:
Inde plagas Phoebi damnum non passus aqua-
Praevecheris. [*rum*

Vide Gronovium patrem ad Livii XXIX, 32.

v. 23. ROMANAE FIDICEN LYRAE] Respexit huc Ovidius Trist. IV, 10.

Et tenuit nostras numerosus Horatius *aures;*
Dum ferit Ausonia *carmina culta* lyra.

Quod si in mentem praestantissimo Nic. Heinsio venisset, numquam ex conjectura tentassetibi reponere, *Aeolia lyra.* Quamquam & hoc solertissimo viri ingenio minime indignum; sic enim de Rufo homine Romano Ovidius Pont. IV, 16.

Pindaricae fidicen *tu quoque, Rufe,* Lyrae.

Digitized by Google

CARMEN IV.

v. 7. VERNIQUE JAM NIMBIS REMOTIS] Vir incomparabilis Julius Caesar Scaliger sic in Hypercritico suo hunc locum trutina castigat:

Vernique jam nimbis remotis
Insolitos docuere nisus
Venti paventem.

Jam adultum, inquit, *aquilae pullum describit, cum attribuit ei juventutem: praeterea cum demittit in agnos & in dracones. Quare non potest hic* veris *facere mentionem: nam primo ineunte vere aquila parit: incubat tricenis diebus: vix sexto mense* (Augusto) *ad venationem apti sunt pulli: quippe Septembri etiam sunt invalidiusculi.* Quae cum veris similia sint & tanti viri fide tradita; (nam Aldrovandus &c. nihil hic nos docent) videamus quo pacto Torrentius Dacieriusque Flacci partes tutentur. *De adulto*, aiunt, *vere loquitur Horatius*, jam remotis nimbis, *hoc est, ineunte aestate: totum enim ver imbriferum est.* Mirifica sane defensio. Si enim *totum ver* imbriferum sive nimbosum est, quomodo nimbis jam remotis venti adhuc *verni* dicuntur? Aut nihil videmus, aut *aestivi* potius dicendi erant. Quanto rectius fuerat non dissimulasse complurium codicum lectionem, quae & Scaligeri experientiae non refragatur, & Horatium tamen ab omni culpa praestat immunem:

VERNISQUE *jam nimbis remotis,*
Insolitos docuere nisus
Venti parentem.

Ita vetustissimus noster Leidensis, & Colbertinus, & Bodleianus alter, & unus Bersmanni: ita Petrensis, cui VERNI pro varia lectione additum: ita optimi libri Graevianus & Reginensis, in quibus litera S erasa adhuc cernitur. Ut ne dubitandum quidem sit, quin idem in nonnullis suis codicibus Interpretes invenerint: etsi id memoriae tradere non operae pretium videbatur. Profecto non aliter legisse Scholiastam veterem facile odorari poterant: VERNIQUE, ait, *ut ruit imbriferum ver.* Atqui exemplum illud ex Virgil. Georg. I, 313. petitum scripturae isti prorsus repugnat: hic enim *ver imbriferum* sive nimbosum est, illic *verni sunt venti, remotis nimbis.* Sine dubio scripserat Scholiastes; VERNISQUE NIMBIS) *ut, Ruit imbriferum ver.* Jam enim id exemplum adeo apposite citatur, ut nihil magis. Quippe in Italo caelo ver imbribus & nimbis plerumque infestum est. Juvenalis Sat. IV, 87.

Cum quo de pluviis, aut aestibus, aut nimboso
Vere *locuturi factum pendebat amici.*

Seneca Nat. Quaest. IV, 4. *Quare vere, jam frigore infracto, grando cadat? Cum ver coepit, major inclinatio aëris sequitur, & calidiori caelo majora fiunt stillicidia. Ideo, ut ait Virgilius noster,* Cum ruit imbriferum ver, *vehementior immutatio est aëris undique patefacti & solventis se, ipso tempore* (forte, ipso tepore) *adjuvante. Ob hoc* NIMBI *graves magis vastique quam pertinaces deferuntur.* Statius Silv. IV, 4.

Jam terras volucremque polum fuga veris aquosi
Laxat. Virgil. Georg. III, 429.
Vere *madent* udo *terrae ac* pluvialibus Austris. Lucanus V, 415.
Perfida nubiferi *vetat inconstantia* veris.

Recte igitur habet vetustiorum codicum lectio, VERNIS NIMBIS REMOTIS, quam bene sane explicavit manus antiqua in ora Codicis Graeviani; *vernali tempore transacto, quo plumescunt aves.* In recepta vero lectione, *verni venti, jam nimbis remotis*; ubi nimbi *hiberni* necessario intelligi debent, non video quid pro Flacco adversus Scaligerum reponi possit. Ceterum, si cui illud IS ter repetitum delicatulas aures offendat; is primum sic cogitet, ineptum esse Euphoniae consulere cum totius sententiae dispendio; tum postea contempletur hos versus, Virgilii & Nasonis; ubi verba singula litera S terminantur. Aen. XII, 708.

Ingentis genitos diversis partibus orbis.

Metam. VII, 540.

Lanigeris gregibus balatus dantibus aegros.

v. 10. VIVIDUS IMPETUS] Codex Regiae Societatis, FERVIDUS. Non placet. Statius de Equo Domitiani:

Cui rigidis stant colla jubis, VIVUS QUE *per* IMPETUS. [*armos*

v. 15. JAM LACTE DEPULSUM] Mihi quidem semper visum est illud *Lacte* otiosum & superfluum. *Leonem*, inquit, *jam depulsum lacte ab ubere fulvae matris.* Atqui satis erat alterutrum, aut *lacte depulsum*, aut *ab ubere depulsum.* Virgil. Eclog. VII.

Depul-

Digitized by Google

Depulsos a lacte *domi quae clauderet agnos*: Prudentius Peristeph. X, 663.

unum de caterva infantium
Parvum, nec olim lacte depulsum.

Suetonius in Tiberio c. 44. *Infantes firmiores, nec dum tamen* lacte depulsos. Virgil. Georg. III, 187.

matris
Atque haec jam primo depulsus ab ubere *Audent.*

Varro de Re Rust. II, 4. *Porci* depulsi a mamma *a quibusdam Delici appellantur.* Ibidem II, 2. *Cum* depulsi *sunt agni* a matribus, *diligentia adhibenda est.* Vides utramvis dictionem satis per se valere; sed utramque simul nemo, quod sciam, adhibuit; neque adeo sine verbosae garrulitatis nota adhibere poterit. Nam quod viri clarissimi Xylander & Chabetius adjective hoc accipiunt, *lacte ubere* sive copioso, id absurdius est, quam ut refelli mereatur. Equidem crediderim vocabulum *lacte* ex glossa hac irrepsisse; & extrusisse aliud quid, quod jam indagandum est. Vide an forte sic scripserit Noster;

fulvae matris ab ubere
Jam MANE *depulsum leonem*
Dente novo peritura vidit.

hoc est, eo primum mane a lacte depulsum: atque inde ait *dente novo.* Mane autem esurientes leones praedam quaeritant, ut Statius Theb. VII, 670.

Qualis ubi primam leo mane *cubilibus altis*
Erexit rabiem, & saevo speculatur ab antro
Aut cervum, aut nondum bellantem fronte juvencum.

an potius hunc in modum;

Jam SPONTE *depulsum leonem.*

Id enim generosae ferae proprium, ut non expectet dum a matre depellatur; sed sponte se a mamma abigat, suarum virium jam conscius. Sic & *aquilam* pullum pullo ante non mater (ut scriptores narrant fieri solere) sed *juventas & patrius vigor* de nido propulerunt. Iterum Statius Theb. IX. 740.

Ut leo, cui parvo mater Getula cruentos
Suggerit ipsa cibos, cum primum crescere sensit
Colla jubis, torvusque novos respexit ad ungues,
Indignatur ali; tandemque effusus apertos
Liber amat campos.

Equidem ut non temere contenderim sic ab Horatio profectum esse; ita libere dicam, non deterius, immo melius aliquanto hoc esse, quam quod vulgo jam circumfertur.

v. 17. VIDERE RHAETI BELLA] Locus hic ab omnibus interpretibus diu multumque vexatus sub nostrum etiam stilum venire jam debet. In Editionibus vetustis sic concipitur:

Videre Rhaeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici:

neque aliter in recentioribus plerisque; adeo ut gens illa a Druso victa uno nomine appellata fuerit *Rhaeti Vindelici.* Ita quidem jam olim accepisse videntur Acron & Porphyrion: quorum hic, *Scripta est*, inquit, *haec ecloga in Neronem Drusum; qui Rhetos Vindelicos bello vicit:* ille, *Talem*, ait, *Drusum videre Rheti Vindelici, barbarorum gentes.* Servius quoque ad Virgil. Aen. I, 247. *Atque intima tutus Regna Liburnorum) Ideo* TUTUS, *quia Rhaetii Vindelici ipsi sunt Liburni, saevissimi admodum populi, contra quos missus est Drusus. Illi autem ab Amazonibus originem ducunt, ut etiam Horatius dicit, Quibus Mos unde deductus per omne Tempus Amazonia securi Dextras obarmet, quaerere distuli.* Codex Graevianus in margine: *Retii Vindelici Norici Baioarii unum sunt.* Atque hanc interpretationem cum plerique alii jam sequuntur, tum & ipse Velserus in Libris Rerum Vindelicarum. Nondum tamen a nobis sic extorquebunt, unum populum coagmentato nomine *Rhaetos Vindelicos* vocari, quos inter se diversos fuisse tot boni auctores tradiderunt. Velleius Paterculus II, 39. *Rhaetiam autem & Vindelicos & Noricos & Scordiscos novas imperio nostro subjunxit provincias.* Et II, 95. *Quippe uterque* (Tiberius & Drusus) *divisis partibus* Raetos Vindelicosque *adgressi.* Et 104. *Ego tecum, imperator, in Armenia, ego in* Rhaetia *fui; ego ante in* Vindelicis, *ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum.* Et 122. Vindelicorum Rhaetorumque *victor, curru urbem ingredi.* Suetonius Aug c. 21. *Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam——item* Rhaetiam, & Vindelicos, *ac Salassos gentes Inalpinas.* Idem Tib. c. 9. *Exin* Rhaeticum Vindelicumque *bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit;* Rhaetico atque Vindelico *gentes Alpinas, Pannonico Breucos & Dalmatas subegit.* Plinius Nat. Hist. III, 24. *His* (Noricis) *conterminni* Rhaeti & Vindelici, *omnes in civitates multas divisi.* Tacitus Annal. II, 17. *Ni* Rhaetorum Vindelicorumque *cohortes signa obtecissent.* Eutropius de Augusto: *Romano adjecit imperio, Illyricum,* Raetiam, Vindelicos, *& Salassos in Alpibus.* Ita Graeci similiter, Strabo, Ptolemaeus, Agathemeris ΡΑΙΤΟΥΣ ΚΑΙ ΟΥΙΝΔΕΛΙΚΟΥΣ semper

Digitized by Google

per distinguunt. Quid jam de Servio & Scholiastis fiet, siculneis sane copiis, si cum istis comparentur? Profecto non aliunde quam ex hoc ipso loco sic in menda cubante, commentum illud de Rhaetis Vindelicis hauserunt. Quod & ex parte vidit celeberrimus Dacerius: atque ideo lectionem aliam revocatum iit, cui editiones codicesque aliquot & in iis Battelianus noster astipulantur,

Videre Rhaeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem ET *Vindelici.*

Multa tamen huic emendationi adversa sunt: nullus liber paullo vetustior conjunctionem ET agnoscit: tum & Historia ipsa refragatur. Non enim & Rhaeti & Vindelici videre Drusum bellantem; quippe Drusus Vindelicos tantum, Rhaetos Tiberius aggressus est. Paterculus loco jam laudato: *Quippe uterque* (Tiberius & Drusus) DIVISIS PARTIBUS *Raetos Vindelicosque adgressi, multis urbium & castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine perdomuerunt.* Quae verba toti huic carmini quasi Commentarii vicem esse possunt. Noster ipse infra Carm. XIV.

MAIOR NERONUM *mox grave praelium*
Commisit, immanesque RAETOS
Auspiciis pepulit secundis.

Quid ergo? vides in utraque lectione plane aquam haerere: neque sane id mirum, neutra enim vera est. Nos jam olim certam hujus loci scripturam ex conjectura invenimus,

Videre RAETIS *bella sub Alpibus*
Drusum gerentem Vindelici.

atque ad hanc nos deduxit Horatiani stili indoles: noveram enim Nostrum numquam illud *sub Alpibus* sic inornate & nude prolaturum fuisse. Memineram etiam Alpes, ut pro variis regionibus varia sortitae erant nomina, ita & Rhaeticas appellatas esse. Tacitus Hist. I, 70. *Ipse paullulum cunctatus, num* Rhaeticis jugis *in Noricum flecteret.* Claudianus de IV Cons. Honorii. 442.

Aspera nubiferas qua Rhaetia *porrigit* Alpes.

Iterum Tacitus De Mor. Germ. c. 1. *Rhenus* RHAETICARUM ALPIUM *inaccessu ac praecipiti vertice ortus.* Porro *Raetis* Noster suo more pro *Raeticis*; ut alibi *Venena Colcha, Mauris jaculis, Sulpiciis horreis, Aemilium ludum, Italo caelo.* Denique *sub Alpibus Rhaeticis* Vindelici Drusum viderunt; quia Rhaeti Vindelicis contermini. Hactenus ex conjectura progressi sumus: postea sagacissimum virum Nic. Heinsium nobiscum facere didicimus; qui in ora exemplaris sui, FORTE, inquit, RHAETIS. Accesserunt huc ad partes codex optimus Torrentii & veterrimus noster Graevianus, qui RETII habent; quod a RETIS scribarum errore fluxisse videatur: & magis adhuc Reginensis, in quo RETI nunc habetur, litera quadam quae sequebatur erasa. Tandem in impresso codice ex Bibliotheca celeberrimi viri Petri Francii, cui variae aliquot lectiones ex libris scriptis adnotabantur, reperimus manuscriptum exemplar Rottendorphii RETIS exhibere: neque parum laetati sumus divinationem nostram membranarum auctoritate firmari: quod & in aliis multis olim eventurum auguramur, siquis post operam nostram meliores codices hic illic latitantes diligenter excusserit.

v. 24. CONSILIIS JUVENIS REVICTAE] Quod Lambinus in nonnullis emendatis codicibus reperisse se narrat, REPRESSAE; id ego in veterrimo Graeviano vidi, ubi primo erat REVICTAE, & postea sex posterioribus literis per puncta subnotata (ut solet) deletis, suprascriptum manu & atramento iisdem PRESSAE. Et quantivis sane pretii ea lectio est: nam vulgo recepta vix nobis placere potest, si vel aurem vel nasum adhibemus:

sed dim
Lateque VICTRICES *catervae*
Consiliis juvenis REVICTAE
Sensere, quid mens rite, quid indoles &c.

Imo vero REPRESSAE, ut & legit Scholiastes Porphyrion: *Consiliis*, ait, *juvenis* REPRESSAE *eo pertinet, quod* LATE *victrices dixerat.* Nihil verius dici potuit. Qui antea *longe lateque* grassabantur, jam *repressi*, cohibiti, & infra fines suos compulsi sunt. Cicero de Provinciis Consularibus c. 12. *Nationes eas, quae numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras* REDUNDARE, *ita ab eodem esse partim recisas, partim* REPRESSAS; *ut Asia, quae imperium nostrum ante terminabat, nunc tribus novis provinciis ipsa cingatur.* Et mox c. 13. *Ipse ille C. Marius* INFLUENTES *in Italiam Gallorum maximas copias* REPRESSIT, *non ipse ad eorum urbes sedesque penetravit.* Claudianus de Bello Getico, v. 400.

Hoc monitu pariter nascentia bella repressit.

Val. Maximus VI, 9, 6. de Sylla. *Mithridatem compescuit, sociale belli fluctus* repressit. Illud deinde nota, CONSILIS *juvenis:* nam

&

Digitized by Google

& eo longe aptius referas *repressae*, quam *revictae*. Suetonius in Tiberio c. 37. *Reges infestos suspectosque* comminationibus *magis* & querelis, *quam vi*, repressit. Contra, quam insulsa sodes repetitio est, *Victrices revictae?* quam qui non odit, is & amatae suae polypum depereat. Sed *repressae*, inquiunt, multo minus dicit, quam par est: parum enim fuisset *reprimere* barbaros. Quid? annon satis hoc, quod repressit *juvenis*, non dux veteranus; quod *consiliis*, non praeliis multo suorum sanguine factis; quod *diu lateque victrices catervas*, non hostem numero spernendum & prioribus damnis fractum? Atqui *revictae* multo minus dicit, imo nihil dicit omnino. Nam *revictus* nihil aliud notat, quam *refutatus*, *convictus*; neque umquam de bellis & praeliis, sed de calumniis, criminibus, & judiciis usurpatur. Ovidius Fast. VI, 432. de Minerva.

Ex quo judicio *forma* revicta *suo est.*

Gellius V, 2. *Qui, cum in culpa & maleficio* revicti *sunt, perfugiunt ad fati necessitatem.* Ita Cicero, *judicio revinci*; Livius, *crimen revictum*: Lucretius IV, 489.

An poterunt oculos aures reprehendere? *an aures* [*oris?*

Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet

An confutabunt *nares? oculive* revincent? Vides, opinor, veram hujus vocabuli notionem; ab Horatii certe sententia prorsus alienam. Nam quod ex Lucretio citant, I, 586.

nam si primordia rerum
Commutari aliqua possent ratione revicta:

& V, 410.

Inde cadunt vires aliqua ratione revictae: hoc est, victae, labefactae, tentatae: id uti lubricum sane incertumque est, cum varient ibi codices manuscripti; ita quantumvis sit sincerum, tamen nonnisi a judiciis tralatum esse videatur; ut illud de iisdem Primordiis, lib. I, 530.

Nec ratione *queunt* alia tentata *labare:*

quale illud Nostri Epist. I, 18,

Ut penitus notum si tentent crimina:

& proinde illud REVICTAE longe infra Horatii sensum, & Drusi laudes sit existimandum.

v. 26. NUTRITA FAUSTIS SUB PENETRALIBUS] Scholiastes Porphyrion ad locum: *Quia non potest Drusum laudare nunc, ut filium Augusti: ab eo educatum institutumque dicit.* Bene sane: verum illud demiror, cum in eo jam sit Noster, ut institutionem & disciplinam laudet familiae Augustae, asseratque pene plus *doctrinae & cultui* Drusum, quam naturae & *indoli* debuisse; quo tandem consilio FAUSTA *penetralia* dixerit. Nullum profecto epitheton vel data opera seligere potuit magis alienum. Quorsum enim *disciplina & cultus*; si *fortunae* & *faustitati* adscribenda erant omnia? Haec quidem se mutuo subvertunt, neque in uno eodemque loco possunt consistere. Sed cave credas Horatium hujus culpae affinem esse; quanquam omnes quos viderim codices scripti editique in lectione hac conspirent. Auctor enim sponsorque esse ausim, sic a poëtae manu locum profectum esse:

Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita SANCTIS *sub penetralibus.*

Lippus aliquis librarius jam a multis saeculis hanc labem invexit, literarum similitudine deceptus. Quippe *s* & *n* quam simillimas esse *f* & *u* nemo non videt: in vetustis autem membranis *ct* & *st*, ubi uno calami ductu scribuntur, vix inter se dignosci posse fide optima affirmare possum. Ceterum *sanctis penetralibus* nullum in omni Latio aptius vocabulum est, ubi de educatione & moribus, velut hoc in loco, agitur. Cicero Philippica II. c. 27. *O audaciam immanem! tu etiam ingredi illam domum* (Pompeii) *ausus es? tu illud* SANCTISSIMUM LIMEN *intrare?* & mox c. 28. *Quid enim illa* DOMUS *viderat nisi pudicum, nisi ex optimo more &* SANCTISSIMA DISCIPLINA? Juvenalis Sat. XIV, 68.

Illud non agitas, ut SANCTAM FILIUS *omni*
Aspiciat sine labe DOMUM, *vitioque carentem?*

Columella, lib. X.

Casta fides colitur nobis, SANCTIQUE PENATES. Porcius Latro Declam. in Catilinam. *Nec Druso* SANCTISSIMI *sui* PENATES, *nec Saturnino jus sacrosanctae dignitatis auxiliatum est.* Valerius Max. VI, 5, 1. *Tempus est Justitiae quoque* SANCTA PENETRALIA *adire.* Idem II, 7, 6. *Tu, Postumi dictator, A. Postumium, quem ad generis* PENETRALIUMQUE SACRORUM *successionem propagandam genueras.* Idem IX, 15, 3. de domo Octaviae sororis Augusti loquens: *Ut eodem tempore* SANCTISSIMI PENATES, *& veri sanguinis memoria spoliarentur, & falsi sordida contagione inquinarentur.* Tacitus Annal. V, 1. de Livia Augusti uxore, Drusi hujus matre: SANCTITATE DOMUS *priscum in morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum.* Peculiari vero ratione penetralia Augusti *sancta* vocabantur; cum quia ipsum domini cognomen *sanctum* significat, ut Glossae Philoxeni; *Augustus*, ΙΕΡΟΣ, *sanctus.* Ovid. Fast. I, 607.

Digitized by Google

Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:
Hic ſocium ſummo cum Jove nomen habet.

Sancta *vocant* auguſta *patres: auguſta vocantur*
Templa, ſacerdotum rite dicata manu.

Tum praeterea, quia in ipſo palatio duo templa erant, Veſtae & Apollini dedicata. Idem Metam. XV, 864.

Veſtaque Caeſareos inter ſacrata penates,
Et cum Caeſarea tu Phoebe domeſtice Veſta.

Vides jam quam multis nominibus SANCTA dici mererentur *penetralia* domus Palatinae; tum ob ſanctam diſciplinam, tum ob ſanctum Auguſti nomen, tum ob ſancta Deorum templa ibi aedificata, ut de vera hujus loci reſtitutione vix amplius, opinor, dubitare poſſis.

v. 29. FORTES CREANTUR FORTIBUS ET BONIS] In principe editione Veneta & majore parte membranarum alia diſtinctio eſt;

Fortes creantur fortibus: & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum Virtus:

quam viri inſignes Stephanus, Xylander, aliique amplectuntur. Quibus accedit fere praeſtantiſſimus Nic. Heinſius, ſic reponens ex conjectura;

Fortes creantur fortibus; UT bonis
Eſt in juvencis &c.

Multis tamen nominibus tam interpunctio illa, quam emendatio diſplicet. Principio enim, *fortibus & bonis* receptiſſima apud auctores formula nullo modo hic dividi & diſtrahi debet. Noſter Epiſt. I, 9.

Scribe tui gregis hunc, & fortem crede bonumque.

Gellius, XV, 2. *Tamquam Plato laudes ebrietatis ſcripſiſſet, utilemque eſſe eam* bonis ac fortibus *viris cenſuiſſet.* Cicero Epiſt. Fam. III, 11. *Quae quidem, etiam in ſumma* bonorum ac fortium *civium copia, tueri tales viros deberet.* Ibidem V, 19. *Id quod omnes* fortes ac boni *viri facere debent.* Idem in Verrem III, 69. *Quem ego, judices, quamvis* bonum fortemque *facile paterer evadere.* Ita Cicero alibi ſexies, credo, decieſve diverſis locis. Deinde & ſententiae ipſi vim ac injuriam faciunt, qui *bonis* referunt ad *juvencis* & *equis.* Ea vero jam paucis explicanda eſt: quia pleroſque interpretes perperam haec cepiſſe video. Diſſerit hic noſter de commodis bonae educationis. Verum eſt, inquit, & concedimus, Fortes & bonos ſibi ſimiles procreare: generoſum equum etiam pullum generoſum gignere; neque ex aquilis columbas, verum aquilas naſci: doctrina tamen & inſtitutio naturalem indolem roborant promoventque; & quandocumque eae deficiant, quantumvis bene nata in culpas & vitia prolabuntur. Haec argumenti vis eſt, & orationis ſeries: ubi jam forte per te vides in *Fortes creantur fortibus* verbum poſtremum caſu dativo, non ablativo, proferri; & proinde activam hic ſignificationem efficere. Non enim id vult, *Fortes non niſi a fortibus creari*; verum *Fortes parentes non niſi fortes filios creare.* Quamobrem, ſi ſequentia ſic ordinas, *Virtus patrum eſt in* BONIS *juvencis & in* BONIS *equis*; corrumpis plane ſententiam, quae aliud quid & majus deſignat: *Virtus* ſcilicet *patrum eſt univerſe & generatim in juvencis & equis:* virtus animalis genereſi numquam deficit & degenerat in ſobole. Illud igitur interpretes noſtros fefellit, & devios abripuit, quod paſſive & caſu ablativo acciperent illud *Fortibus*; *fortes* ſcilicet *filios non niſi a fortibus parentibus gigni.* Hoc enim poſito, recte tum & commode ſequeretur illud, *Eſt in* BONIS *juvencis patrum virtus*, ſive *boni pulli non niſi ab equis bonis generantur.* Sed hunc, ut jam diximus, ſenſum tum argumenti vis & ſeries reſpuit, tum & ſequentia prorſus refutant,

neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam:

quippe eo pacto, inverſis verbis dicendum fuerit,

neque imbelles ferocem
Progenerant aquilam columbae.

Verum haec, quae alicujus forte ſunt ſubtilitatis, hactenus: nam ut ſagaci & vigilanti lectori ſatis diximus, ita tardo aut ſupino nimium.

v. 36. DEDECORANT BENE NATA CULPAE] Diverſam ab hac lectionem ſecuti ſunt Scholiaſtae veteres: INDECORANT, aiunt, *id eſt, indecora faciunt, ac per hoc* DEDECORANT *ſignificat.* Eandem & codices aliquot adhuc ſervant, Lambini tres, & Pulmanni unus; ex noſtris Graevianus veterrimus, Galei, Bodleianus, a prima manu Magdalenenſis, & pro varia lectione Battelianus. Et mihi quidem vera videtur haec ſcriptura; licet alibi nuſquam ea vox jam reperiatur. Unde enim bonis illis Librariis ſubnaſci potuit; niſi in exemplaribus ſuis ita ſcriptam inveniſſent? Certe rite & legitime formata eſt: ut enim a *dedecore, dedecoro*; ita ab *indecore indecoro* deduci poteſt. Accius in Athamante apud Nonium:

Cujus' ſit vita indecoris, *mortem effugere*
turpem haut convenit.

Virgilius XII, 679.

nec

Digitized by Google

nec me indecorem, *germana, videbis.*
qui & alibi quater eo vocabulo usus est: Claudianus in Rufinum III, 58.

At nos indecores *longo torpebimus aevo.*
Tamen vetus Enarrator Juvenalis ad Sat. XIV. v. 1. citat in hoc Nostri loco DEDECORANT: sed & ibi consulendae erunt membranae.

v. 60. DUCIT OPES ANIMUMQUE FERRO] Magdalenensis noster & Bodleianus ANIMOSQUE: ita prorsus apud Virgilium Aen. II, 799.

Undique convenere animis opibusque *parati.*
& Statium Silv. III, 1, [*bores.*

Macte animis opibusque, *meos imitate labores.*
Tamen plures hic & antiquiores sequimur, in quibus est ANIMUMQUE; ut Caesar de Bello Gallico VII, 76. *Omnesque* & animo & opibus *in id bellum incumberent* Sane Noster varietatem numeri videtur studio consectatus esse, ut supra Carm. IV, 2.

& vires animumque moresque
Aureos educit in astra.

ubi potuit pariter ANIMOSQUE; uti sane a prima manu exhibet codex Petrensis: neque aliter Virgilius Aen. II, 617.

Ipse pater Danais animos viresque *secundas*
Sufficit. Valerius Flaccus I, 243.

Vos quoque nunc vires animosque *adserte*
paternos. Idem IV, 621.

Sed te non animis, *nec solis* viribus *aequum.*
Maluit tamen VIRES ANIMUMQUE, & varietatis & Euphoniae gratia: ut Virgilius quoque Aen. IX, 717. [*tinis*

Hic Mars armipotens vires animumque *La-*
Addidit. & ibidem 764.

Juno vires animumque *ministrat.*
Statius Silv. I, 4.

Ipse veni, viresque *novas* animumque *ministra.* & Theb. VIII, 512.

Tam magis atque magis vires animusque
recedunt. Severus in Aetna.

Tum vero, ut cuique est animus viresque,
Tutari conantur opes. [*rapina*
Caesar de Bello Civ. I, 64. *Quorum aut* animus *aut* vires *videbantur sustinere non posse.* Cicero in Partit. Orat. c. 35. *Si aut* vires, *aut* animum, *aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit.* Livius IV, 19. *A. Cornelius Cossus*, animo *ac* viribus *par.* XXIII, 17. *Ceterum Acerranis plus* animi *quam* virium *erat.* XXIV, 8. *T. Manlium fidentem &* animo *&* viribus. Seneca Suasoria V. *Functus est &* animo *&* viribus.

v. 65. MERSES PROFUNDO, PULCHRIOR EVENIT] In Graeviano & Regiae societatis recte MERSES: ceteri fere nostri cum Lambini aliquot & Cruquii MERSUS; quod nullo modo ferri potest. Oportuit enim *mersa*, non *mersus*; cum referatur ad GENS *quae cremato fortis ab Ilio.* Mox v. 66, & 67. Galei codex, PRORUIT & GERITQUE; quorum prius etiam in veterrimo Graeviano est, posterius in Zulichemiano. Utrumque placet; ut respondeant *ni* EVENIT. Et certe hic tempus praesens, Hasdrubale jam tum victo & occiso, fortiores & praesentiores vires arguit. Denique & in v. 73.

Nil Claudiae non perficient *manus*,
praestat, opinor, cum vetustissimo omnium Blandinio, & altero inter Pulmannianos optimo, & quibusdam Lambini, reponere PERFICIUNT. Gens Claudia, inquit, per omnes aetates rebus gestis clarissima, nihil non perficit, quodcumque aggreditur.

CARMEN V.

v. 9. QUEM NOTUS INVIDO FLATU] Tres apud Torrentium fidelissimi, ut ait, codices UVIDO habent; quod sollemne est Noti epitheton: ut Noster alibi Epod. X.

Jonius udo *cum remugiens sinus*
Noto *carinam ruperit.*
Statius Silv. I, 6.

quas udo *Numidae rapuere sub* Austro.
& iterum II, 4.

Nec quas humenti *Numidae rapuere sub* Virgil. Geor. I, 417. [Austro.

& Juppiter uvidus Austris.
Avienus in Aratcis:

nam crassus desuper aer
Cornua caeca premit, NOTUS UVIDUS
aëra cogit.

Melior tamen est recepta lectio, quam & in omnibus Nostris invenimus,

quem notus INVIDO
Flatu Carpathii trans maris aequora
Dulci distinet a domo.

Uvido enim perpetuum & generale hic adjectivum esset, nihilque adderet sensui praeter poeticam dignitatem: at illud INVIDO non ornat modo, sed & auget sententiam; neque de communi petitum est, sed ex ipso loci solo

Digitized by Google

enaſcitur. Sic Hero Leandro, apud Ovidium, v. 21.

Aut mare proſpiciens, ODIOSO *concita vento*
Corripio verbis aequora paene tuis.

& ibidem, 120.

Quoque minus venias, INVIDA *pugnat hiems.*

Statius Silv. V, 1. v. 149. *ſic plena* MALIGNO
Afflantur vineta NOTO: *ſic alta ſeneſcit*
Imbre ſeges nimio: rapidae ſic obvia puppi
INVIDET, *& velis adnubilat* AURA *ſecundis.*

v. 13. VOTIS, OMINIBUSQUE ET PRECIBUS VOCAT] Turbant hic codices Manuſcripti: Reginenſis; *Votis omnibuſque & precibus advocat.* Galeanus: *Votis omnibus & cum precibus vocat:* Ceteri fere, *Votis omnibuſque & precibus vocat.* Editio Veneta 1478. *Votis omnibus atque precibus vocat.* Altera 1490 *Votis omnibus hunc & precibus vocat.* Illud OMNIBUS ſpecioſum eſt ſatis. Caeſar de Bello Gall. VI, 31. *Cativulcus* omnibus precibus *deteſtatus Ambiorigem.* Ibidem VII, 26. *Flenteſque projectae ad pedes ſuorum,* omnibus precibus *petierunt.* & 78. *Cum ad munitiones acceſſiſſent, flentes,* omnibus precibus *orabant.* Seneca Oedip. V, 205.

Adeſt petitus omnibus votis *Creon.*

Quintilianus Declam. VI. *Et, ut cupiditas fecerat blandum, obſecravit* omnibus precibus. Cicero Caeſari, in Epiſt. ad Atticum IX. 11. *Quamobrem a te peto, vel potius* omnibus precibus *oro & obteſtor.* Idem pro Cn. Plancio c. 10. *Quod Marium linquentem terram eam, quam ſervaverat, lacrimis* votiſque omnibus *proſecuti ſunt:* ubi tamen doctiſſimus & mihi, dum vixit, amiciſſimus Graevius *ὁ μακαρίτης* ex membranis Etfurtenſibus edidit, *terram, quam ſervaverat,* votis, ominibus, lacrimiſque *proſecuti ſunt.* Recte hoc & pro ſolito ſuo judicio vir celeberrimus. Quin & in Noſtro ſola illa ſana eſt lectio, quae nunc ubique fere obtinet, & ex Acrone, codice Leidenſi & aliis ſtabilitur;

Votis OMINIBUSQUE *& precibus vocat:*

Livius Lib. I. in Praefatione. *Cum bonis potius* OMINIBUS, VOTISQUE, *&* PRECATIONIBUS *Deorum Dearumque (ſi ut poëtis, nobis quoque mos eſſet) libentius inciperemus.* Auſonius Epiſt. XXIV. ex manifeſta Noſtri imitatione,

Accurre, o noſtrum decus, o mea maxima
VOTIS, OMINIBUSQUE *bonis,* PRECIBUSQUE
Adpropera. [*vocatus*

v. 18. NUTRIT RURA CERES] Vide modo totum diſtichon:

Tutus bos etenim RURA *perambulat:*
Nutrit RURA *Ceres, almaque Fauſtitas.*

& deinde tecum cogita, ecquam gratiam & venerem habeat iſta repetitio. Mihi quidem RURA RURA rus merum & librariorum ſtuporem ſapere videtur: quod & cenſuit excellente vir ingenio Tanaquillus Faber; & proinde priorem verſum ſic voluit refingere:

Tutus bos etenim PRATA *perambulat.*

Et ne dubium quidem eſt, quin, ſi ita libitum fuerit, ſic ſcribere potuerit Noſter, ut Carm. III, 18.

Feſtus in pratis *vocat otioſo*
Cum bove *pagus.*

Seneca Herc. Fur. v. 141.

Ludit prato *liber aperto*
Nondum rupta fronte juvencus:

Verum ut in vitio detegendo ſagax, ita immedicina facienda infelix fuit Tanaquillus: ſanus enim & ſincerus eſt prior verſiculus; neque incruſtatione eſt opus. In poſteriore illo latet ulcus,

Nutrit rura Ceres almaque Fauſtitas:

Quid enim, amabo, eſt *nutrire rura? Rura* ſunt arva, prata, campi, ſaltus, &c. pro varia terrarum forma & ſitu. Quis vero mortalium *nutriri* dixit res ejuſmodi? Nihil *nutriri* dicitur, ne per metaphoram quidem, niſi quod augeri & incrementum capere poteſt, ut *arbores, ſegetes, fructus;* ut *odium, amor, bellum, incendium,* & id genus alia. Quî malum igitur Ceres *rura nutrire* poterit? an illa rus exiguum aut modicum reddet ingens, quale miluus pervolare nequeat? *Quod ſi rura* ipſa non *creſcunt,* neque proinde *nutriuntur.* Quid multa? numquam ab Horatio hoc profectum eſt, neque a quoquam veterum; ſed a caecutientibus librariis. Olim enim turbatum fuiſſe in hoc loco codex Graevii indicio eſt, in quo hodie ſic habetur, *Nutrit..ra Ceres,* & ſuperne ſcriptum eſt alia manu *ru.* Illud vero ingenue monendum eſt (ne lector plus aequo fortaſſe faveat conjecturae noſtrae) unicam modo literam eraſam eſſe, ut ex ſpatiolo conſtat: adeo ut a primo forte exaratum fuerit NUTRITURA. Sed utcumque hoc ſit; vix dubito, quin ſic locus exierit ab Horatii manu:

Tutus bos etenim RURA *perambulat:*
Nutrit FARRA *Ceres, almaque Fauſtitas.*

Omnia enim mirifice conveniunt, ſive ad ſcripturam reſpicias, ſeu ad ſententiam. Recte enim dixeris, NUTRIT *farra,* ut Ovidius Faſt. IV, 913. Robiginem alloquens,

Tu

Digitized by Google

Tu SATA *fideribus caeli* NUTRITA *fecundis*
Creſcere, dum fiant falcibus apta, ſinas.

ſic & *grandia farra*: quae autem grandeſcunt, *nutriuntur*: Servius ad Georg. I, 101. *carmen ruſticorum antiquum* memorat.

Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra,
Camille, metes.

Idem habes apud Macrobium Saturn. V. 20. Contra *vegrandia farra* ſunt parva & exigua. Ovid. Faſt. III, 445.

Nunc vocor ad nomen: vegrandia farra *colonae,* [*vocant.*
Quae male creverunt; veſcaque parva

Recte itidem *Nutrit farra* CERES: ea enim ſub Cereris tutela ſunt. Ovid. Faſt. I, 672.

Placentur matres frugum Telluſq; Cereſque
Farre *ſuo, gravidae viſceribuſque ſuis.*

& mox v. 679. eaſdem ſic alloquitur,

Vos date perpetuos teneris ſementibus Au- & ibidem II, 519. [CTUS.
Farra *tamen veteres jaciebant*, farra *metebant:*
Primitias Cereri farra *reſecta dabant.*

Atque inde explicandum eſt illud, *almaque Fauſtitas*; quod nove protulit Horatius, neque alibi hodie reperitur. *Fauſtitas* enim eſt *proſperitas*, & ad fruges ſive *farra*, non ad *rura*, referri debet; ut ipſe carmine ſequenti,

Rite creſcentem face Noctilucam,
Proſperam frugum.

Contra, in vulgato illo, *Nutrit rura Ceres*, etiamſi bene Latine dici poſſent *rura nutriri*, non tamen id *Cereris* munus eſſet: non enim illa omnem *ruris* proventum nutrit & tuetur; non vites, non olivas, non poma; ſed farra tantum & fruges: ut de vera hujus loci emendatione vix ambigendum eſſe videatur.

v. 31. HINC AD VINA REDIT LAETUS] Veteres quidem editiones habent REDIT; idque locum ſemel poſſeſſum ſola Interpretum verecundia tenuit. Vetuſtiſſimi enim noſtri Graevianus & Reginenſis cum Bodleiano, & Lambini quibuſdam, & ex Pulmannianis optimo, *Hinc ad vina* VENIT. Quod & altero ſuavius eſt, & tutius ab exceptione. Nam qui *redit ad vina*, jam tum antea vino ſe invitaſſe videatur. At hic venit ſiccus ſobriuſque ab opere ruſtico.

v. 37. LONGAS O UTINAM, DUX BONE, FERIAS] Iidem Codices optimae notae Graevianus & Reginenſis, cum duobus Berſmanni, & Vigornienſi noſtro ſequioris aetatis,

Longas o utinam, REX bone, ferias.

quod fortaſſe non contemnendum. Jam enim praeceſſerat *dux bone*, verſu quinto:

Lucem redde tuae, dux bone, *patriae:*

neque ſatis ſcio an decenter & ſine omni faſtidio hic repeti poſſit. Quorſum autem tum maxime *dux bonus* dicatur, cum *longas ferias* praeſtet: quando illud ad bellicam laudem, hoc ad pacem atque otium pertinet? Scimus quidem Auguſtum, ut & ſequentes Imperatores, Regium nomen averſatum eſſe: at hic non tam potentiae, quam familiaritatis appellatio erit; ut Epiſt. I, 7. etiam Maecenatem *regem* vocat, REXQUE *paterque*

Audiſti coram; nec verbo parcius abſens;

ubi *Rex* eſt patronus, potens amicus. Porro *Rex bone*, nota formula eſt. & aliis uſitata. Virgil. Aen, XI, 344. de Latino.

Rem nulli obſcuram, noſtrae nec vocis egentem
Conſulis, O BONE REX.

Statius Theb. II, 460. de Eteocle.

aſt horum miſeret, quos ſanguine viles
Projicis excidio, BONE REX.

Quamobrem de hoc loco ampliandum eſſe exiſtimo, dum vetuſtiores codices hinc illinc eruantur.

CARMEN VI.

v. 17. SED PALAM CAPTIS GRAVIS] Editiones Italae veteres CAPTIS; at Germanica Loſcheri CAPTOS: quorum illud jam vulgo obtinuit; ſed neutrum placet. Sive enim *gravis* abſolute, ſive *gravis captis*, hoc eſt, iratus, infeſtus, elegeris: vix mediocris poëtae famam impleveris. Mire variant hic membranae; Reginenſes cum aliis CAPTIS; Petrenſes pro varia lectione CAPTOS; a Regiae ſocietatis codice vox illa, quaecumque fuerit, exulat; ut & a Graeviano, ubi tamen ſuperne adſcriptum eſt CAPTUS. Et ſane ſuſpicio eſt jam olim vocabulum diſſyllabum ex verſu excidiſſe; & pro vario ſequentium librariorum captu variis modis ſubſtitutum eſſe. Nam Magdalenenſis & Bodleiani duo, cum Lambini aliquot & uno Torrentii, VICTOR: quod admitti forte mereretur, vel ob locum Virgilii Georg. III, 83. *dum* GRAVIS *aut hos*.

Aut hos verſa fuga VICTOR *dare terga ſubegit:*

cui non abſimile eſt illud Accii in Philoctete:

Gravis *Dardaniis gentibus* ultor *Lucrinade.*

niſi jam ſupra habuiſſemus, *Et Trojae prope* VICTOR *altae*; & mox, ex plurimorum quidem codicum lectione, *Ni tuis* VICTUS. Galeanus vero noſter habet, RAPTOR; ut Plautus Epidico Act. II. Sc. 2.

Auro opulentus, magnus miles, Rhodius,
RAPTOR *hoſtium.*

& Virgil. Aen. II, 374.

alii rapiunt *incenſa feruntque*
Pergama.

ſed verſu ſecundo vox eadem tum recurret, *Tityoſque raptor.*

v. 19. ETIAM LATENTES MATRIS IN ALVO] Ita jam paſſim circumfertur poſt Lambinum, & Cruquium, qui ſic in ſuis ediderunt, diſſimulata veterum codicum ſcriptura: quorum plerique cum omnibus antiquitus impreſſis LATENTEM habent. Ita Torrentius, Pulmannus Berſmannuſque in ſuis invenerunt: ita ipſe in Graeviano, Leidenſi, Zulich. Magd. Petrenſi, Galei, Vigorn. Quidni itaque recipiatur: pronum enim fuit librariis pluralem hic ex ſingulari facere, quia praeceſſerat *neſcios fari pueros*: contra ex plurali ſingularem facere & varietatis gratiam captare ſupra eorum captum erat. Expreſſit autem noſter Homeri locum Iliad. Z. v. 60.

μηδ' ONTINA γαστέρα μήτηρ
Κῆρον ἑοῖσι φίλοι, μηδ' ΟΣ φύγῃ· αἶψα δ' ἅμ' ἄμφω
ΠΑΝΤΕΣ
Ιλίῃ ἐξαπολοίατ', ἀκήδεστοι καὶ ἄθαπτοι.

Ceterum unus Torrentii, & Pulmanni alter JACENTEM: ſed bene habet vox recepta. Seneca Epiſt. CXXIV. *Siquis diceret illum in materno utero* latentem, *tenerum & imperfectum & informem.* & paullo poſt, *Qui maternorum viſcerum* latens *onus eſt.* Tacitus Hiſt. II, 13. *Cum per cruciatus interrogarent, ubi filium occuleret; illa uterum oſtendens,* LATERE *reſpondit.*

v. 21. NI TUIS VICTUS] Sine membranarum ope nemo hanc lectionem in dubium vocaverit: *vocibus* enim ſive *precibus victus* paſſim occurrit. Livius XXIII, 8. *Victus patris precibus lacrimiſque.* & XLII, 22. *Praetor Popilliae familiae precibus victus.* Tacitus Annal. IV, 57. *Auguſtus precibus uxoris evictus.* Noſter Epod. ult. *Caſtor*
Fraterque magni Caſtoris victi prece.

Sed Blandiniae membranae Cruquii, omnium antiquiſſimae, ſuggerunt *flexus:*

Ni tuis FLEXUS *Veneriſque gratae*
Vocibus Divum pater admiſſet.

Valerius Flaccus III, 615.

Ergo animum flexus dictis *inſtantis.*

Virgil. Georg. IV, 399. [*illum*
Nam ſine vi non ulla dabit praecepta, neque
Orando flectes.

ubi codex Mediceus apud Pierium, *Orando vinces*; ut noſtri hic habent *victus.* Ovidius Epiſt. Helenae.

His ego blanditiis, ſi peccatura fuiſſem,
Flecterer.

Utram igitur lectionem praeferemus; cum utraque proba ſit? Mihi quidem FLEXUS arridet magis, cum ob venerandam Blandinii codicis auctoritatem, tum ob vocem quae ſequitur, ADNUISSET. Qui enim *adnuit*, eo ipſo *flectitur*; & venuſte continuatur metaphora. Quid quod Ovidius hunc ipſum locum videtur imitatus, Art. Amat. I, 441.

Hectora donavit Priamo prece motus Achilles:
FLECTITUR *iratus* VOCE *rogante deus.*

& Corippus Africanus lib. I.

VOCIBUS *his* FLEXUS *ceſſit.*

v. 25. DOCTOR ARGUTAE FIDICEN THALIAE] Apollo *doctor* eſt Muſarum & Poetarum: quis negat? Lucanus in Panegyrico:

Sive chelyn digitis & eburno verbere pulſas,
Dulcis Apollinea ſequitur teſtudine cantus:
Et te credibile eſt Phoebo didiciſſe magiſtro.

Quin & Muſae Poëtaeque *arguti* ſunt, ut Graecis Μοῦσαι λιγεῖαι: Noſter Epiſt. II, 2.

Quis minus argutos *vexat furor iſte* poëtas?

Martialis Epigr. VI, 34.

Nolo quot arguto *dedit exerata* Catullo
Lesbia. & VIII, 73.
Fama eſt arguti *Nemeſis formoſa* Tibulli.

Bene itaque habent DOCTOR ARGUTAE, neque temere ſunt de loco movenda, quem a primis Typographiae initiis in editionibus cunctis poſſiederunt. Manuſcripti tamen hic variant. In tribus ſuis invenit Torrentius. DUCTOR ARGIVAE: atque equidem *ductor* ipſe quoque reperi in Reginenſi & Vigornienſi; *Argivae* autem Leidenſis & Graevianus in margine exhibent pro varia lectione. Unde quadruplicem jam habemus ſcripturae differentiam,

Doctor argutae
Ductor argutae
Doctor Argivae
Ductor Argivae
} *fidicen Thaliae.*

Quaenam autem ex his quatuor una vera & ſincera ſit, conjectando aſſequi, res lubrica eſt & aleae plena. Placuit optimo Torrentio, quam ex libris ſuis protulit, *Ductor Argivae.*

Et

Digitized by Google

Et *ductor* quidem *Thaliae*, ut erudite ipse explicat, erit *Apollo* ΜΟΥΣΑΓΕΤΗΣ *Musarum ductor*, quod Phoebi cognomen apud Graecos notissimum est. Et sic Euripidi in Medea v. 425. *Phoebus* est DUCTOR CARMINUM, Φοῖβος ΑΓΗΤΩΡ ΜΕΛΕΩΝ. Id tamen non nihil officit huic lectioni, quod continuo jam praecesserat,

meliore DUCTOS *Alite muros.*

Ductos enim & *ductor* sic proxime posita ingratum quiddam sonant, ut & bene animadvertit Dacerius. *Doctor* itaque, si cui ea vox magis arridet, eadem prorsus notione substitui potest. Quippe Μουσαγέτης verti poterit *Doctor Musarum*; ut χοραγὸς sive ἡγεμὼν χορῦ, *dux chori* est idem qui χορῳδιδάσκαλος *chori doctor & magister*. Hetychius: Χοραγὸς, διδάσκαλος, ἔξαρχος. Pollux IX, 5. Ἐκάλουν δὲ διδασκαλεῖον καὶ χορὸν· (lege χορῆγον) ὁπόταν καὶ τὸ διδάσκαλον, χορηγὸν δὲ τὸ διδάσκειν, χορηγεῖν. Quod ad ARGIVAE attinet, id sane mirifice placet; & *Argivae Thaliae* perinde fuerit, ac si *Graecae Musae* dixisset: ut Carm. II, 16.

Spiritum Graiae *tenuem* Camenae.

IV, 8. *Calabrae Pierides.*

IV, 9. *Ceae Camenae.*

Ovidius Trist. II.

Praecepit Lyrici Teïa musa *senis.*

Martialis, XII, 94.

Fila lyrae movi Calabris *exculta* Camenis.

Ausonius Epist. XII

ΕΛΛΑΔΙΚΗΣ *μετέχων* ΜΟΥΣΗΣ Latiaeque Camenae.

Virgilius Eclog. VI.

NOSTRA *nec erubuit silvas habitare* THALIA: ubi Servius, *Nostra*, id est, ROMANA. Atque his jam constitutis, vide quam pulchra & venusta sententia effulgeat,

Doctor Argivae *fidicen* Thaliae,
Phoebe; qui Xantho lavis amne crines,
Dauniae *defende decus* Camenae,
Levis Agyieu.

Tu, inquit, qui *Alcaeum & Sapphonem* tuo numine afflatos divina olim carmina pangere docuisti, mihi quoque, qui in *Daunia* natus primus Italorum illos imitatus sum, eundem jam spiritum & artem & honorem imperti. Porro sub *Argivorum* nomine omnes Graecos, atque adeo *Lesbios*, comprehendi posse, facile ex multis poetarum locis probaveris. Virgil. Aen. I, 44.

Pallasne exurere classem Argivûm?

& II, 254.

Et jam Argiva *phalanx instructis navibus ibat.*

Propert. II, 19.

Vidistis quandam Argiva *prodire figura,*
Vidistis nostras: utraque forma sapit.

Martial. IV, 55.

Argivas *generatus inter urbes,*
Thebas carmine cantet & Mycenas ——
Nos Celtis genitos & ex Iberis
Nostrae nomina duriora terrae
Grato non pudeat referre versu.

ubi *Argivi* clare designant Graecos quoscumque; & proinde *Argiva Thalia* eadem erit ac *Graeca*; & ex opposito respondebit *Camenae Dauniae* sive *Romanae.*

CARMEN VII.

v. 7. ET ALMUM QUAE RAPIT HORA DIEM] Duo Torrentiani ALBUM; & similiter Franekeranus; & Graevianus pro varia lectione. Sed *dies albus* esset *hilaris, laetus, faustus*, ut Graecis Λευκὴ ἡμέρα, ἡδεῖα καὶ ἀγαθή. Quod ad Horatii mentem nihil facit: non enim quaelibet *hora* diem hilarem & candidum solem vehit. Silius Italicus lib. XV.

Sed current ALBUSQUE DIES, *horaeque serenae,*
Et molli dabitur victu sperare senectam.

Quare retinendum est cum editis ALMUM, perpetuum *Diei* epitheton. Virgil. Eclog. VIII.

Nascere, praeque diem *veniens age, Lucifer,*

& Aen. V, 64. [almum.

si nona diem *mortalibus* almum *Aurora extulerit.*

Boëtius in Consol. IV, 6.

Vesper feras nunciat umbras,
Revehitque diem *Lucifer* almum.

Ceterum Vigornienſis noster absurde POLUM pro *diem* ingerit.

v. 15. QUO PIUS AENEAS] Ita jam in editis ubique circumfertur: verum aliud suggerit melior pars membranarum. Codex antiquissimus Blandinius, *Quo* PATER *Aeneas*: atque ita nostri Reginenses, Battelianus, Magdalenensis, Bodleiani duo, & a prima manu Graevianus; neque aliter unus Torrentii & Lambini aliquot. Quod vel ob solam Blandinii auctoritatem reducendum est. Et sane *pater Aeneas* vicies aut amplius apud Virgilium

lium occurrit: idque ex more, quia Pater erat gentis Romanae, unde Aeneadae vocabantur. Ennius Annal. I.

Te nunc sancta precor Venus & genetrix
Patris noſtri.

Neque vero opus eſt, ut *pius* ideo aſſumatur, quo oſtendat nec *pietatem* neque *divitias* adverſus mortem valere. Eandem enim ſententiam ſine ullo epitheto poſuit Epiſt. I, 6.

Ire tamen reſtat, Numa quo devenit & Ancus.

Illud vero de *pietate* mox habemus verſu 23.

Non, Torquate, genus, non te facundia, non
Reſtituet pietas. [*te*

Quod & ipſum maximo eſt argumento, rejiciendum eſſe τὸ PIUS; ne in tam brevi carmine bis eadem ſententia putide repetatur. Quin & illud demiror, quo nomine ſive Tullum ſive Ancum *divitem* appellaverit: quando uterque ſcriptoribus aliis inter antiquae paupertatis exempla memoretur. Juvenalis Sat. V. v. 57. de puero formoſo:

Flos Aſiae ante ipſum, pretio majore paratus,
Quam fuit & Tulli cenſus pugnacis, & Anci.

Claudianus de Bello Gildonico v. 110.

Ipſa nocet moles, utinam remeare liceret
Ad veteres fines, & moenia pauperis Anci.

Cur igitur hic *dives* ſit, ſane nequeo conjicere: niſi forte librariorum facinus eſt, & ſic a primo erat ſcriptum,

Quo pater *Aeneas, quo Tullus*, pauper *& Ancus.*

v. 16. PULVIS ET UMBRA SUMUS] Battelianus noſter,

Pulvis & OSSA ſumus.

ut Auſonius Epitaph. XXXVIII.

Mutus in aeternum ſum CINIS, OSSA, *nihil.*

Idem tamen Epitaph. XVII. lectionem receptam confirmat, manifeſta imitatione:

Naſtes Amphimachuſque Nemeionis inclyta
proles, [ſumus.
Ductores quondam, pulvis & UMBRA

v. 19. CUNCTA MANUS AVIDAS] Meo quidem judicio ſuavior eſſet compoſitio, ſi ſic legeretur,

Cuncta manus AVIDI *fugient heredis, amico*
Quae dederis animo.

Ita Sat. II, 3. v. 151. [heres.

Ni tua cuſtodis, avidus *jam haec auferet*

Sed membranae, quarum adhuc notitia eſt, repugnant: aliae ſunt e tenebris eruendae.

CARMEN VIII.

v. 9. NON TIBI TALIUM] Blandinius antiquiſſimus cum Graeviano noſtro, Regienſi, & melioribus aliis, NEC. Quod etſi leve eſt, non ideo tamen neglegendum.

v. 12. PRETIUM DICERE MUNERI] Editio Veneta MUNERI, Germanica Loſcheri MUNERIS. Inde in ſequentibus pro vario Interpretum judicio nunc hoc, nunc illud obtinuit & adhuc obtinet. Sed melioris notae Codices, in quibus Leidenſis noſter & Graevianus cum aliis MUNERI; atque id ſine dubio rectius. *Pretium dicere muneri*, i. e. *ſtatuere, ponere.* Terent. Prolog. Hecyrae.

Si numquam avare pretium ſtatui arti *meae.*

Seneca Epiſt. 87. *Quis pleno* ſaeculo *ullum* pretium ponit, *niſi quod pecuniae in eo conditae numerus effecit?* Sic *dicere alicui diem, nomen, multam* &c.

v. 17. NON INCENDIA CARTHAGINIS] Omnino meretur hic locus, vel ipſius Horatii cauſa, cujus honos & doctrina hic maxime periclitantur, diligenter expendi:

Non celeres fugae
Rejectaeque retrorſum Hannibalis minae,
Non incendia Carthaginis impiae,
Ejus qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides.

ubi, ut hodie quidem exhibent omnes ubique codices, hoc clare dicitur: *Non Hannibal ex Italia fugatus, & retro in Libyam pulſus, non Carthago incenſa, clarius indicant laudes Scipionis Africani, quam Muſa Ennii Calabri, qui belli Punici hiſtoriam verſibus condidit.* In quibus horribilis ſane hallucinatio eſt, quae vix in ullum hominem de media plebe cadere potuit. Primo enim *Hannibalis fugam* & *Carthaginis incendium* uni & eidem Scipioni adſcribit. Atqui Hannibalem ex Italia retraxit P. Cornelius P. F. Scipio, anno ab Urbe condita DL; idemque diem ſuum obiit circa annum DLXVI. Carthaginem vero incendit P. Cornelius Scipio Aemilianus, filius quidem L. Paulli Aemilii naturalis, nepos vero ſuperioris Scipionis adoptivus, A. U. C. DCVII, plus annis XL ab alterius obitu. Deinde Ennium innuit in poëmate ſuo Carthaginis incendium attigiſſe; cum Ennius A. U. C. DLXXXIV. mortuus ſit, neque Annales ſuos ultra annum DLXVII deduxerit. Quid cum illo facias, qui talia por-

Digitized by Google

portenta admittit; qui avum a nepote, Punicum bellum secundum a tertio, nescit distinguere; qui dimidii saeculi intervallum susque deque habet? Tamen haec dissimulant plerique Interpretes, prae verecundia magis, ut crediderim, quam ignorantia: soli Chabotius Daceriusque ingenue & aperte culpam arguunt; in eo tantum injurii, quod Horatio ipsi crimen impingant, non librariis potius omnia contaminantibus. Quid enim? an ille, re fere recente, tum id ignoraverit, quod hodie septingentesimo post saeculo pueri decennes sciunt? Fidem hominum appellamus: apage tam vesanam suspicionem: numquam hoc, o Flacce, de te credemus: Ἄλλοις ἴσ' ἰδλοῖς τόνδ' ἀπιθήσεις ψόγον. Quid enim vultis, o boni? nullumne habuit amicorum (recitare enim iis sua omnia ante editionem solebat) qui tam conspicuum errorem tollere posset aut vellet? qui tam reconditum arcanum proderet, duos fuisse Scipiones, cognomine Africanos? O rem ridiculam! sed interea quid fiet, dices: quo tandem pacto Venusinum tuum ex crimine evolves? Ego vero cum prisco Catone *Carthaginem delendam esse* censeo; & spurio illo versu abolito, sic ceteros continuandos esse,

non celeres fugae,
Rejectaeque retrorsum Hannibalis minae,
Ejus qui domita nomen ab Africa.

Agnosco enim versum Monachalis plane genii & coloris. Praetet enim ἀνισοσυλλαβίας crimen, cujus jam eum damnavimus, peccat insuper adversus carminis mensuram & modulationem. Quippe metri hujus indoles & artificium requirit, ut syllaba ultima Choriambi, in qua caesura & pausa fit, vocem terminet: ut,

Dona | rem pateras | grataque commodus
Censo | rine meis | aera sodalibus.

Numquam ne semel quidem (sciens hoc affirmo) discessit ab hac regula Noster, in versu Asclepiadeo. Captum itaque tenemus tenebrionem, qui modorum & artis imperitus caesuram in media voce constituit,

Non in | cendia Car | thaginis impiae:

quod quale sit flagitium, ii demum animadvertent, qui aurem habent, & quibus olim nascentibus propitia Melpomene adfuit. Aliter autem se res habet (nequis forte hic erret ignarus) in versu proxime antecedente,

Rejectaeque retrorsum Hannibalis minae.

Non enim (ut prima fronte videri possit) mediam ibi vocem diffindit caesura. Quippe M litera cum vocali sua rejicitur, & perinde est ac si sic scriberetur,

Rejec | taeque retrors | Hannibalis minae:

cujusmodi in toto opere sunt hi duntaxat, qui sequuntur, I, 21.

Hic bellum lacrimos | um hic miseram famem. 24.

Auditam moderer | e arboribus fidem. III, 24.

Pravi sunt elementi | a & teneraе nimis. 30.

Exegi monument | um aere perennius.
Vitabis Libitin | am usque ego postera.
Regnavit populor | um ex humili potens. IV. 5.

Mor & lex maculos | um edomuit nefas.

Aliter porro res se habet in unico illo versiculo, Carm. II, 12.

Dum flagrantia de | torquet ad oscula:

ubi caesura in mediam vocem incidere cuipiam videatur. Cujus licentiae arcanam rationem, ne forte eandem veniam *Carthagini* dandam existimes, jam tibi aperiam. Dico igitur praepositionem *De* quasi separari a verbo *Torquet:* quippe quae non nativa vocabuli ejus pars sit, sed adventitia & externa. Sine injuria itaque divelli poterit per caesuram, & non incommode pausam sustinere. Quod & alio exemplo tibi confirmabo in versu Alcaïco, qui Choriambi accessione ex Asclepiadeo nascitur; ut

Nullam | Vare sacra | vite prius | severis arborem.

Cum enim & hujus metri suavitas in eo maxime consistat, ut bini illi Choriambi semper desinant in voce integra, ut jam vidisti; idque ubique diligenter caverit Flaccus (Graeci enim hic negligentiores erant) in uno duntaxat versiculo praepositionem a suo verbo dissolvere ausus est,

Arca | nique fides | prodiga per | lucidior vitro.

Eandem itaque veniam & speravit & impetravit hic in *Perlucidior*, quam illic in *Detorquet*; ut praepositio scilicet caesuram sustineat, tamquam a verbo divisa. Id quod frustra, opinor, expectasset; si invita Lyra & non sine aurium vulnere illud absonum concinuisset,

Non incendia Car | thaginis impiae.

Nullis enim fidiculis divelli potest ea syllaba; utpote non extrinsecus adducta, sed inhaerens & insita: & proinde ad pausam sustinendam inepta plane & inhabilis. Habeat itaque suum sibi Falsarius, & historiae & artis ignarissimus; neque candidis stellis maculam inspergat: quem si omnibus vestigiis indagare & comprendere conati sumus; eruditus lector vel ipsius Horatii causa, cujus res hic agitur, votis suis favebit.

Digitized by Google

CARMEN IX.

v. 31. CHARTIS INORNATUM SILERI] Editiones veteres, Venetae duae & Loſcheri, ſic locum hunc exhibent,

non ego te meis
Chartis inornatum SILEBO,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones.

Poſtea ſubſtituebat neſcio quis SILERI, atque id jam pleraſque editiones occupat. Ab utraque parte ſtant codices manuſcripti. Graevianus noſter, Zulich. Vigorn. Colbertinus, & a prima manu Magdalenenſis, SILERI. Contra, praeter plures Lambini (quem immerito hic mendacii poſtulat bonus Torrentius) & Pulmanni Canterique aliquot, SILEBO praeferunt Leidenſis noſter, Reginenſis, Battelianus, Petrenſis, Regiae Societatis, Bodleianus, & Galeanus a manu prima. Cum itaque hinc & hinc aequis ſtent viribus teſtimonia; reſtat, ut quid ipſa res & ratio dictet, examinemus. Quod ad SILEBO attinet, nihil eſt quod vel moroſiſſimus in eo culpet: ſententia recte procedit, dictio poëtis aliis & Flacco ipſi ſatis cognita; Carm. I, 12.

neque te ſilebo,
Liber. Ovid. Faſt. III, 55.

Non ego te, *tantae nutrix Laurentia gentis,*
Nec taceam *veſtras, Fauſtule pauper, opes.*

Valerius Flac. VI, 135.

Non ego *ſanguineis geſtantem tympana bellis*
Thyrſageten, cinctumque vagis poſt terga
ſilebo
Pellibus. Virgil. X, 793.

Non *equidem nec* te, *juvenis memorande,*
ſilebo.

Quod ſi SILERI reponis, ut conſtructio ſit, *Non ego patiar te ſileri inornatum meis chartis*; vide modo, quam inſectus & ineptus ſenſus enaſcitur. *Non* PATIAR, inquit, *te ſileri* MEIS *chartis.* Quorſum, amabo, illud *patiar?* quid tantopere laborandum erat? Quaſi vero *Lollius* interdixerit Flacco, ne quid de ſe ſcriberet: aut quaſi *Chartae ejus* invitae & reluctantes geſta Lollii referrent. Si illud modo dixiſſet, *Non patiar te chartis ſileri*; ut mox dicit, *Non patiar tuos labores oblivione carpi*; recte promiſiſſet ſe Lollii laudes ſcripturum, aliorum poetarum neglegentia praeteritas. Nunc cum additum ſit, MEIS *chartis*, illud vero ſignificaret, ſe, repugnante & vetante vel Lollio, vel alio quopiam, id aggreſſurum eſſe. Quod cum abſurdum ſit & a vero abhorreat, apparet illa PATIAR & MEIS una conſiſtere non poſſe. Revocanda igitur eſt altera lectio SILEBO; ut quem in primis editionibus locum habuit, etiam in noviſſimis conſequatur.

v. 39. CONSULQUE NON UNIUS ANNI] Locus hic perdifficilis eſt, & varia hominum judicia expertus. *Eſt tibi,* inquit, ANIMUS *avarae fraudis* VINDEX, *non unius anni* CONSUL, *bonus atque fidus* JUDEX, *qui rejicit nocentium dona* ALTO VULTU, *& per obſtantes catervas* VICTOR. Haec omnia in periodi hujus curſu de Lollii *animo* praedicantur: quorum praeſertim illa, *animus Conſul, cum alto vultu,* celeberrimis viris Fabro & Dacerio παράζηλα & male affectata videntur, neque ullam juſtam excuſationem habere poſſe. Videamus tamen, cum bona eorum venia, ſiquid contra pro Horatio dici poſſit. Et imprimis obſervandum, optimos quoſque ſcriptores non aliter interdum de animo, quam de perſona quapiam loqui: qualia illa ſunt, *Animus* CONTEMTOR: ut apud Saluſtium in Bello Jugurth. c. 64. *Tamen inerat* contemtor animus, *& ſuperbia, commune nobilitatis malum.* Virgil. Aen IX, 205.

Eſt hic, eſt animus *lucis* contemtor, *& iſtum*
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.

& Senecam Epiſt. XXIV. *Catonem generoſum illum* contemtoremque *omnis potentiae* ſpiritum *non emiſit, ſed ejecit. Animus* VICTOR: plane ut hic apud Noſtrum. Seneca Conſol. ad Helviam c. 11. *Ut pudeat* animum, *tot miſeriarum* victorem, *aegre ferre unum vulnus in corpore tam cicatricoſo.* Et ad Marciam c. XXIII. *Cum videres* victorem *omnium voluptatum* animum, *emendatum, carentem vitio.* Sulpicius Severus Epiſt. III. *Eſt tamen* animus victor *annorum, & cedere neſcius ſenectuti.* Boëtius Praefat. in Arithmet. *Attuli non ignava opum pondera, quibus ad meritum nihil vilius, cum ea ſibi* victor animus *calcata ſubjecit.* Animus RECTOR, & REX, & DOMINUS. Seneca de Beneficiis I, 16. *Refert, quo ille* rector (animus) *impellat, a quo forma detur rebus.* Ibidem V, 25. *Paucis* animus *ſui* rector

ctor *optimus*: *proximi sunt, qui admoniti in viam redeunt.* Idem Epist. CXIV. REX *noster est* animus, *hoc incolumi, cetera manent in officio.* Idem Nat. Quaest. VII. 24. *Quid tamen sit* animus *ille*, rector dominusque *nostri, non magis tibi quisquam expediet, quam ubi sit.* ANIMUS LIBERATOR. Livius I, 56. *Ut sub ejus obtentu cognominis*, liberator *ille Populi Rom.* animus (Junius Brutus) *latens opperiretur tempora sua.* ANIMUS AESTIMATOR, DEPRECATOR. Seneca De Ira III, 5. *At ille ingens* animus *& verus* aestimator *sui, non vindicat injuriam, quia non sentit.* Ibidem 28. *Ubique enim causae irarum supersunt, nisi* deprecator animus *accessit.* ANIMUS CONTEMPLATOR, ADMIRATOR, CORRUPTOR. Seneca Consol. ad Helviam c. VIII. Animus contemplator admiratorque *mundi, pars ejus magnificentissima.* Tacitus Annal. III, 54. *Corruptus simul &* corruptor, *aeger ac flagrans* animus. ANIMUS CARNIFEX, PROSCRIPTOR. Plinius Hist. Nat. VII, 7. *His principiis nascuntur tyranni, his* carnifex animus. Ibidem 12. *Ut ille* proscriptor animus, *modo & contumelia furens* (M. Antonius) *non aliud in censu magis ex fortuna sua duceret.* ANIMUS ADULTER. Alcimus Avitus, ad Sororem:

nec castam dicere carnem
Jure potest, animus *quem si corrumpat*
adulter.

ANIMUS SPECULATOR, CENSOR: Seneca de Ira III, 36. *Cum aut laudatus est* animus, *aut admonitus, &* speculator *sui* censorque *secretus cognoscit de moribus suis.* Salvianus contra Avaritiam lib. I. *Sed fatiscente jam corpore, ubi exercebit districtionis officium* censor animus? Atque his, ut vides, titulis, ceu personam quandam, *animum* signarunt, etiam in oratione soluta: quantillum autem hi distant ab illo Horatii? Si animus *Proscriptor, Carnifex, Censor* recte appellatur; quidni & CONSUL? Credo equidem, si haec exempla ad manum habuissent doctissimi socer generque, parcius paullo & verecundius acturos fuisse. Nam quod exclamant, *Quid tandem illud est, Animus* tuus rejecit *alto vultu* dona nocentium? sane nihil est, ut ait ille, quin male narrando possit depravari. Omittunt enim illud, quod interposuit Horatius, quo durities hujus metaphorae mollitur & temperatur. *Quoties*, ait, *animus tuus, bonus atque fidus* judex, *alto vultu rejecit dona nocentium.* Jam autem illud *vultu*, non ad *animus* proxime; sed ad *judex* refertur. Quo verbo interveniente, quicquid de *judice* dici solet, etiam de *animo* commode dicetur. Quale illud Boetii est, modo laudatum; *Cum ea sibi victor animus calcata subjecit.* Non magis enim *calcare* quid potest animus, quam *vultu rejicere.* Sed quia Victoris est calcare rebelles; ut Judicis, rejicere dona alto vultu; idcirco & *animus*, ubi semel Victor aut Judex nominatur, ope sumtae metaphorae ad omnia Victoris aut Judicis munera cooptari potest. Quidni enim recte dicamus, Ille *carnifex* animus tot innocentium hominum fauces elisit, Ille *adulter* animus tot honestorum civium domos stupris polluit, & sic de ceteris. Atque haec praeter morem nostrum; ne Horatius, cujus honos nobis est cordi, κακοζηλίας postulatus sic sine patrono reus perageretur. Illud magis ex instituto monebimus, particulam ET post *utili* & post *vultu*, neque in editionibus priscis neque in ullo codice nostro comparere: quod & Torrentius aliique de suis memorant: & tamen quicumque primus ex conjectura eam addidit, recte & necessario id fecisse videtur.

CARMEN X.

v. 2. PLUMA SUPERBIAE] Nondum inter interpretes convenit, quid sibi in hoc loco velit *pluma*,

Insperata tuae cum veniet pluma superbiae. *Pluma*, aiunt Scholiastae, est *prima barba, barba incipiens*; quos sequuntur Lambinus, Cruquius, Torrentius. At nemo quisquam poëtarum translatione hac usus est, ut barbam vocaret *plumam.* Neque vero ratio ulla excogitari potest; cur si id vellet Horatius, non proprio & suo nomine *barbam* appellaverit,

Insperata tuae cum veniet barba superbiae: Non enim verbi humilitate offendi potuit, quod omnes fere poetae, etiam in carmine Epico, non sunt aspernati. Sed, quod maximum est, paullo infra in versu quinto *barbam* attingit; ubi, ait,

in faciem verterit hispidam:

ut putidum plane sit bis eandem sententiam continuo inculcare: ut ne addam absurdum esse, quam barbam jam *plumam* hoc est *mollem* vocaverit, eandem e vestigio *hispidam*

Digitized by Google

fieri. Quare alia via insistebat Theodorus Marcilius, ut *plumam* hic interpretaretur *canitiem*; quale illud ait Nasonis esse, Trist. IV, 8.

Jam mea cycneae imitantur tempora plumae.

Recte quidem cycnea pluma canitiem notat; quia cycni sunt candidi: sed dic sodes, an omnis omnino pluma est alba? Quonam igitur pacto *pluma*, per se & nude posita, alborem denotabit? Vidit, opinor, hanc absurditatem eruditissimus Dacerius; at cum diversum quid investigaret, eo redactus est, ut, ne nihil diceret, omnibus his absurdiorem sensum comminisceretur. *Cum pluma venit tuae superbiae; hoc est*, inquit, *cum id quo superbiebas avolarit & abierit; more loquendi Graecis & Orientalibus noto.* Quinam, amabo, illi sunt Graeci? ut de Orientalibus concedam; qui tamen ipsi non *plumam*, sed *pennas* sive *alas* eo sensu usurpant: & unde ii Horatio imitandi? Enimvero quid cum *pluma* illa fiet, nequeo divinare: sed cum tot alii de scopo aberraverint, vide modo, an nos propius collimemus. Quid si igitur totus locus sic concipiatur?

Insperata tuae cum veniet BRUMA *superbiae;*
Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae;
Nunc & qui color est puniceae flore prior rosae,
Mutatus, Ligurine, in faciem verteris hispidam.

Passim apud Scriptores adolescentia *veri*, provectior aetas *autumno & brumae* comparatur. Et praeterea *bruma* pro tempore adverso ponitur; ut Ovid. Epist. Oenones:

Illa dies fatum miserae mihi dixit: ab illa
Pessima mutati coepit amoris hiems.

Ergo, *Cum veniet bruma, insperata tuae superbiae*, perinde est ac si dixerit, *ubi natu grandior fueris:* sive *ubi calamitas superbiam tuam oppresserit.* Pergit vero in metaphora ab *hieme* traducta: *Cum comae*, inquit, *deciderint*; quod ad utramvis aeque refertur, sive brumam, sive aetatem. Quippe ut hieme *arborum comae* decidunt, unde illud Carm. IV, 7.

Diffugere nives; redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae:

ita & postmodum Ligurino exoleto *comae* tondebuntur. Tum & illud demum, *In faciem verterit hispidam*, ad utramque pariter respicit. Ut enim in matura viri aetate *hispida barba* est, ita hieme *hispida* est *agrorum facies*: ut Carm. II, 9.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, nec glacies iners.

Quid jam videtur? nonne apte & concinne quadrant omnia? Levis a codicibus variatio est, sententia aperta, metaphora pulcherrime continuata. Quamobrem rem ipsam fortasse divinando attigimus.

v. 5. LIGURINUM IN FACIEM] Omnes editiones, & membranae, quas ipse viderim, sic locum hunc repraesentant,

Nunc & qui color est puniceae flore prior rosae,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam.

Tamen jam olim vidi necessario corrigendum esse,

Mutatus, LIGURINE, *in faciem vertetis hispidam:*

idque ex illis verbis personae secundae, *Dices, Videris*, &c. Nisi enim, *Ligurine*, legeris; nullus alius reliquus est, quem sic alloquatur. Postea vero didici, doctissimum Torrentium sic clare in duobus suis vetustissimis reperisse. *Verterit* autem, ut ipse recte explicat, idem hic est ac *versus fuerit.* Sic enim passim ea vox neutraliter & absolute usurpatur. Virgilius Georg. III, 365.

Et totae solidam in glaciem vertêre *lacunae.*

Suetonius Aug. c. 23. *Si respublica in meliorem statum* vertisset. Tacitus Annal. VI, 46. *Ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibrium & contumelias* verterent. Ibidem XI, 37. Verterat *pernicies in accusatorem.* Exortus tamen est, qui Torrentio sagacior neget posse dici, *Color* (roseus genarum) *vertit*, sive versus est, *in faciem hispidam*, sive barbam hirsutam. Mirum sane fastidium: cujus utinam rationem aliquam redidisset. Idem vero eleganter dici credit, *Color mutatus Ligurinum vertit in faciem hispidam.* Haud vidi magis dispar sibi palatum. Qui modo tam nauseabundus erat, nunc ferrum ipsum aut siquid eo durius potest concoquere. *Color*, inquit, *vertit Ligurinum in faciem hispidam:* ergo miser ille Ligurinus jam totus facies erat, totus barba: quanto infelicior amico illo Catulli;

Quod tu cum olfacies; deos rogabis,
Totum te faciant, Fabulle, nasum.

v. 6. TE SPECULO] Ita Veneta antiqua: Germanica Loscheri TE IN SPECULO: & similiter codices duo Blandinii, Leidensis, Reginensis, & alii. Placet, vel propter illud Virgilii Eclog. II.

Nec sum adeo informis: nuper me IN *litore vidi.*

CARMEN

CARMEN XI.

v. 9. CUNCTA FESTINAT MANUS] Praestantissimus Nic. Heinsius in exemplaris sui margine, *Malo*, inquit, *Festinant*; *Cuncta* FESTINANT *manus*.
Sane amavit illum loquendi morem Heinsius, & quacumque data occasione sic in editionibus suis reposuit. Sic in Ovidii Fastis IV, 104.
Depositis taurus sequitur feritate juvencam,
Quem toti saltus, quem nemus omne
& ibidem v. 156. [TREMUNT.
Supplicibus verbis illam placate: sub illa
Et forma, & mores, & bona fama MANENT.
Ita ex unico codice Vossiano edidit; cum centum, credo, alii exhibuerint TREMIT, MANET. Sic passim & ubique plurales numeros introduxit, prorsus contra morem Horatianum, ut fuse ostendimus in Notis ad Carm. I, 24. Neque melius ei successit haec Flacci emendatio: proba enim codicum lectio est,
Cuncta FESTINAT *manus:*
ut Carm. III, 6.
Jam bis Moneses & Pacori manus
Non auspicatos contudit *impetus:*
& Serm. I, 4.
Multa poëtarum veniet manus, *auxilio quae*
Sit mihi:
ubi nullus erroris metus aut suspicio est: nam locum priorem versus ipse tutatur; in posteriore si *venient* reposueris; tum & dicendum fuerit, *auxilio qui sint mihi.*

v. 11. FLAMMAE TREPIDANT] Ita omnes scripti editique cum veteribus Scholiastis,
Sordidum flammae TREPIDANT *rotantes*
Vertice fumum.
ubi *trepidant* erit, aut *tremulo motu feruntur*, ut Virgil. Eclog. VIII.
Aspice, corripuit tremulis *altaria* flammis:
(verum isti sensui exprimendo verbum *rotantes* satis per se sufficerit) aut potius *festinant*; ut id voluerit Noster, *cunctam manum, mixtas pueris puellas*, etiam *ipsas flammas, festinare?* Sed vix crediderim tam inanem & frigidam figuram tam severo judicio placere potuisse. Quare vide, annon forte legendum sit,
Sordidum flammae CREPITANT *rotantes*
Vertice fumum.
Certe ea vox & sententiae novum aliquid addit, & poëtis aliis in simili descriptione mirifice placuit. Virgil. Georg. I, 85.
Atque levem stipulam crepitantibus *urere*
Aen. VII, 74. [flammis.
Atque omnem ornatum flamma crepitante
Lucretius VI. [*cremari.*
Nec res ulla magis, quam Phoebi Delphica
laurus,
Terribili sonitu flamma crepitante *crematur.*
Tibullus II, 5.
Ut succensa sacris crepitet *bene laurea* flam-
Nemesianus Eclog. IV. [mis.
Incendens vivo crepitantes *sulfure lauros.*
Propertius, IV, 3.
Et crepat *ad veteres herba Sabina focos.*
Plinius Hist. II, 22. *Ergo ut e flagrante ligno carbo cum* crepitu, *sic a sidere caelestis ignis expuitur.* Ovidius Fast. IV.
Moxque per ardentes stipulae crepitantis *a-*
Prudentius Perist. Ieph. III, 13. [*cervos.*
Cum crepitante *pyra trepidos*
Terruit aspera Carnifices.
& V, 156.
Flamma crepans *volat in faciem.*
Silius Italicus lib. IV.
Uritur omne nemus, lucosque effusus in altos
Immissis crepitat *victor Vulcanus habenis.*
Ibidem lib V. *stipula* crepitabat *inani-*
Ignis iners, cassamque dabat sine robore flam-
Idem lib. XVII. [*mam.*
Ipsius ingenti regis tentoria saltu
Lugubre increpitans *late circumvolat ardor.*
Idem lib. XIV.
Perque altam molem & toties crescentia tecta
Scandit ovans, rapidisque vorat crepitantia
Robora. [*flammis*
Ita doctissimus Modius ex membranis, in Lect. Novantiq. cap. 44. cum antea circumferretur *trepidantia.* Saepius enim eae voces a Librariis confunduntur; ut in hoc Flacci loco credo evenisse. Idem Silius lib. XVI.
nam concitus Hanno
Adventabat agens crepitantibus *agmina*
cetris.
& hic etiam ante Modium Lect. Novant. c. 19. libri vulgati *trepidantibus.* Prudentius Perist. VI, 100.
Haec inter rapidis focos crepantes
Intrant passibus, & minantur ipsis
Flammarum trepidantibus *caminis.*
Ita codices potiores apud Nic. Heinsium: ceteri *crepitantibus.* Sed notandum, ideo hic recte

Digitized by Google

recte habere *trepidantibus*, quia praeceſſit *minantur*: ipſi enim camini prae metu & terrore *trepidare* hic finguntur. Quo modo & apud Senecam Oedipo v. 383.

Neque ipſa, quae te pepulit, armenti gravis
Vox eſt, nec uſquam territi reſonant greges:
Immugit aris ignis, & trepidant *foci.*

& Thyeſte v. 767. *impoſitas dapes*
Tranſiliit ignis, inque trepidantes *focos*
Bis ter regeſtus, & pati juſſus moram
Invitus ardet.

Ita recte Gronovius pater ex vetuſtiſſimo Mediceo: cum recentiores habuerint *Crepitant*, & *Crepitantes*: nimirum ipſi hic foci prae horrore diri ſacrificii *trepidabant*. Cum autem nihil ejuſmodi culinam Flacci perterrefecerit, ubi Maecenatis natalis luculento foco & laeto ſtrepitu tum celebrabatur; meo quidem judicio melius fuerit, ut *crepitent* ibi flammae, quam ut *trepident*.

v. 35. MINUENTUR ATRAE CARMINE CURAE] Codex unus Berſmanni, & Acron Regiae Societatis manuſcriptus, MINUUNTUR. Quod ſi placet, tum ſententioſe dictum erit; ut illud Carm. II, 11.

diſſipat Euius
Curas edaces.

Sin potius arridet, quod reliquae membranae praeferunt, MINUENTUR: tum ad ſolam Phyllida reſpiciet, quae adverſo Telephi amore contriſtabatur. Atque hoc melius.

CARMEN XII.

v. 7. QUOD MALE BARBARAS] Liber Regiae Societatis, QUAE: ut ad *avis* referatur. Sed praeſtat recepta lectio. Ideo aeternum opprobrium, *quod* ſive *quia* male ulta eſt mariti libidines.

v. 11. NIGRI COLLES ARCADIAE] Battelianus pro varia lectione;

Delectantque Deum, cui pecus & NIGRAE
Colles Arcadiae placent.

Eodem plane redit ſententia, & compoſitio eſt elegantior.

v. 16. NARDO VINA MEREBERE] Ita editiones priſcae; unde locum ſemel occupatum hactenus tenuit. Sed Lambini & Berſmanni aliquot, cum vetere noſtro Graeviano, Magdalenenſi, & Bodleiano MEREBERIS; atque ita Battelianus pro varia lectione. Quod quare non recipiatur, nihil video: libentius enim hunc verſum pede Cretico, quam Dactylo, claudere ſolet Noſter: & ſane dulcius aurem ferit. Ceterum de verſu praecedente inanem litem agitant Interpretes,

Si geſtis, juvenum nobilium *cliens:*

quorum alii Tiberium & Druſum & Marcellum, alii Caium & Lucium Caeſares interpretantur. Fruſtra utrique: nam *nobiles juvenes* quoſcumque hic intelligit, qui, ut ubique uſu venit, principem ſui aevi poetarum clientem & ſodalem ſibi adſciſcebant. Valerius Max. IX, 16. *Siquidem forum noſtrum, & patris Curionis graviſſimum ſupercilium, & filii ſexcenties ſeſtertium aeris alieni aſpexit, contractum famoſa injuria* nobilium *juvenum*. Et ibidem 17, de Clodio; *Noctes matronarum & adoleſcentium nobilium magna ſumma emtae*. Seneca de Clementia, I, 9. *Ego ſum* nobilibus adoleſcentibus *expoſitum caput, in quod mucrones acuant.*

CARMEN XIII.

v. 7. DOCTAE PSALLERE CHIAE] Reginenſis notae optimae codex clare habet, THIAE. Et *Thia* quidem dea eſt, Hyperionis uxor, mater Solis: Pindarus Iſthm. V.

Μᾶτερ εἰλίπου πολυώνυμε Θεία,

unde nos olim inſignem Catulli locum feliciter emendavimus,

Ille quoque everſus mons eſt, quem maximum in oris
Progenies THIAE *clara ſupervehitur.*

Inde & in nomen mulieris adoptari potuit. Sed CHIAE tamen retinemus ceterorum codicum auctoritate; quae ab inſula Chio nomen nacta ſit, ut a Lesbo *Lesbia*, a Delo *Delia*. Gruterus in Inſcrip. XV, 5. P. VINIA. CHIA. & DCXLII, 9. CAECILIAE. C. L. CHIAE. Porro illa quae ſequuntur,

Pulchris excubat in genis,

ex Sophoclis Antigona verſa ſunt, ut notarunt jam Interpretes,

Ἔρως ἀνίκατε μάχαν, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις
Παρειᾶς τερείας ἐνοχάνων.

Unde

Digitized by Google

Unde obiter mutilus Plutarchi locus suppleri & restitui potest, in Erotico p. Ed. Steph. 1353. Σαόπτει τοίνυν αὖθις τὴν Ἀρχίου ἔρωτα ὅστις Ἔρως ἐστίν, ἀνὴρ ἀρτίως ὢν, ὡς Εὐκλείδης ἐδὶ ἀστρατόβιος, ἀεὶ ἐν μολακαῖσιν οὐ παρεσκευασμένοις. Corrige, μολακίσιν ΕΝΝΥΧΕΥΩΝ παρεσκευασμένοις.

V. 14. NEC CLARI LAPIDES] Ita Veneta vetus, & Loscheriana; unde locum in recentioribus plerisque servavit: monuerunt tamen Interpretes in bona codicum parte extare CARI: inter quos est Blandinius vetustissimus, Gravianus noster & Reginonis. Et CLARI quidem facile defendi potest, cum ex re ipsa, tum ex aliis scriptoribus; Catullo Epig. LXX.

Non illam varae labefactes munere vestis,
Non perlucidi *deliciis* lapidis.

Tibullo, II, 4.

& Coa puellis
Vestis, & e rubra lucida *concha mari.*

Seneca Epist. XC. *Illi quidem non aurum, nec argentum, nec* perlucidos lapides *ima terrarum face quaerebant.* Et Nat. Quaest. III, 25. Χρύσιππος *appellant Graeci hunc* perlucidum lapidem. CARI tamen LAPIDES arridet magis, ut membranae habent potiores; & Scholiastes Acron, qui *vestimentorum cultum & gemmarum pretia* interpretatur. Martialis X, 38.

O nox omnis & hora, quae notata est
Caris lixovis Indici lapillis.

& I, 110.

Issa est blandior omnibus puellis,
Issa est carior *Indicis* lapillis.

Ovid. Art. Amat. III, 129.

Vos quoque non caris *aures onerate* lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.

Claudianus Epist. ad Serenam:

Ore legunt rubri germina cara *maris.*

Seneca de Beneficiis: *Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus pependissent.* Ceterum quod Tanaquillus Faber ex conjectura maluit REFERENT in versu proximo, id nos invenimus in Colbertino pro varia lectione. Sed nihil mutandum. Si *Referent purpurae & gemmae* legis: tum eas intelliges, quas Lyde possidere cuperet aut posset; si *referunt*, tum eas quas jam possedit. Atque hoc verisimilius.

V. 17. QUOVE COLOR DECENS] Invasit in omnibus editionibus ea interpunctio, ut *decens* ad *color* referatur:

Quo fugit Venus? heu! quove color decens?
Quo motus? quid habes illius, illius.

Quid vero sit *color decens* equidem nescio, qui *decorem* credideram in habitu, gestu, motu consistere: neque *quo fugerit* talis color, valde curandum; quem nescias an fuerit fucatus, & proinde facile reparari potuerit. Ab aliis id potius requiri solet, ut sit color *verus* & *ingenuus*, quam *decens*: Terent. Eunucho II, 3.

nova figura oris? papae!
Color verus, *corpus solidum, & succi plenum:*

hoc est, *quae non de cura est ac de fuco, sed naturalis*; ut recte ibi Donatus. Propertius I, 4.

Haec sed forma mei pars est extrema furoris,
Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat:

Ingenuus color, *& multis decus artibus:* ubi obiter corrigendum credo, *multis* DECOR *artibus.* Sed in Horatio alium plane colorem induet sententia, distinctione tantum mutata, in hunc modum,

Quo fugit Venus? heu! quove color? decens
Quo motus?

Enimvero non *omnis motus*, quod vulgata innuit lectio, jam Lycen reliquerat (quippe quae, invita licet Venere, *ludebat, bibebat, & cantabat*) sed *motus decens.* Quod quale sit ex Quintiliano discas, Instit. I, 16. *Corporis quoque* DECENS *& aptus* MOTUS, *qui dicitur* Εὐσχημία, *est necessarius.* & Tibullo, IV, 2.

Illam quicquid agit, quoquo vestigia MOVIT,
Componit furtim subsequiturque DECOR.

Ceterum, hac distinctione posita, constructio Virgilianae illi simillima erit, Aen. VI, 122.

quid Theseā? magnum
Quid memorem Alciden?

V. 21. ET ARTIUM GRATARUM FACIES] Planissima quidem haec prima fronte videntur, neque ullam difficultatem habere:

Felix post Cinaram, notaque, & artium
Gratarum facies.

Felix facies, quasi per exclamationem, ut illud Terentii, Eunuch. II, 3.

O faciem pulchram! deleo omnes| dehinc
ex animo mulieres.

Ubi optime Donatus: *Faciem modo, non partem corporis dicit, sed totam speciem, quae apparet & cernitur.* Quo modo & hic Horatius integram formam, non os & vultum intelligit. *Facies* autem *gratarum artium*; ut Carm. IV, 1.

Namque & nobilis, & decens,
Et centum puer artium.

Eleganter Scholiastes Cruquii; *Artium gratarum facies dicitur, quae oculis, nutu supercilio rum, cervicis volubilitate, capitis gratia, totius denique corporis motu placet.* Quid videtur clarius?

Digitized by Google

clarius? His tamen non contentus celeberrimus Dacerius, sic locum corrigere tentavit,

Felix post Cinaram, notaque & artium
Gratarum FACIE.

Nota facie artium, idem ait esse, ac *nota artibus*. Quis vero vel fando inaudivit, *facies artium*, pro *artes*? ubi locorum natus est iste mos loquendi? Vereor, ut ne faciem quidem correctionis hoc habeat. Neque vero correctione ulla hic opus; distinctione tantum juvanda sententia est, hunc in modum:

Felix post Cinaram, notaque & artium
Gratarum facies.

Tollenda, inquam, interpunctio post *Notaque*; quae omnes omnino editiones hunc usque obsedit & inquinavit. Quid enim esset *nota facies* per se positum? egregia vero laus Lyces, si *nota* omnibus, & Suburranarum meretricum tritissima erat. At sublato illo commate, vide quanta sensus elegantia est. *Felix*, ait, *facies post Cinaram, & nota etiam artium gratarum.* Noster Carm. II, 2.

Vivet extento Proculeius aevo,
NOTUS *in fratres* ANIMI *paterni.*

Ita alii, *notus formae, notus militiae, notus operum*, hoc est, celebris ob formam &c. ut ad illum locum fusius ostendimus. ET autem valere ETIAM vel pueri sciunt; ut, *Non si male nunc, & olim sic erit: Non siquid Pholoën satis*, Et *te, Chlori, decet.*

v. 28. DILAPSAM IN CINERES FACEM] Variant hic codices scripti & olim editi, ut in illa praepositione ubique solent. Veneta *Dilapsam*, Loscheri *Delapsam*. Blandinius antiquissimus priorem lectionem servat, notante & probante Petro Naunio Miscell. III, 17. atque ita nostri Graevianus & Reginensis & Acro Manuscriptus. Leidensis DELATAM habet: plures *delapsam*. Neque melius inter Interpretes convenit, quorum alii hoc, alii illud sequuntur. Tamen de verborum vi & notione constat. *Dilabitur*, quod dissipatur; *delabitur*, quod decidit. Atqui fax extincta non decidit in cineres; quippe qui nulli subjacent. Fax enim accensa manu gestatur, & ambulantibus vel currentibus inservit; non posita quiescit, instar lucernae. Nulli ergo suberunt cineres, in quos possit delabi. Recte ergo habet DILAPSAM *in cineres*: consumta enim fax, tota vertitur in cinerem, atque adeo dilabitur & dissipatur. Ceterum Graevianus noster cum uno Bersmanni,

Dilapsam in CINEREM *facem:*

sic Ovidius Metam. II.

Cumque suis totas populis incendia gentis
In cinerem *verterat.*

& in Epist. Penelopae.

Versa est in cinerem *sospite Troja viro.*

in quo loco aequiores codices habent *cineres*, ut hic nostri. Retinemus tamen CINERES, ut vitetur *καταφωνία rem facem.*

CARMEN XIV.

v. 19. QUANTIS FATIGARET RUINIS] Graevianus noster & Reginensis corrupte, FATIGARAT. Nicolaus Heinsius in ora sui libri, *Forte*, inquit, FATIGARIT. Sed recepta lectio sana est. Eo ipso tempore *spectandus*, tum cum *fatigaret*. Si legeris *fatigarit*, tum hoc dices, *Nunc* spectandus, quantis ruinis *olim* fatigaverit. Quod priore illo deterius est.

v. 20. INDOMITAS PROPE QUALIS] Tiberium victorem Austro comparat, Rhaetos undis. Vide itaque, quo consilio id protulit,

Indomitas *prope qualis* undas
Exercet Auster.

Scio equidem generali epitheto *mare indomitum* poëtis dici, ut Ovidio Trist. I, 12.

Factor in indomito *brumali luce* profundo.

Tibullo II, 3.

Claudit & indomitum *moles* mare.

& II, 5.

Prodigia indomitis *merge sub* aequoribus.

Verum illud in hac comparatione displicet; quod Rhaetos, quos jam *ruinis fatigatos* dixerat, postea *indomitos* appellet. Quamobrem dubito, annon id, quod recepta lectio Rhaetis assignat, Tiberio potius tribuendum sit, hunc in modum:

Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis,
INDOMITUS *prope qualis undas*
Exerces Auster.

Quod & eo magis placet; quia geminus huic & germanus est Ovidii locus, Epistola Sapphûs, v. 9.

Uror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accensis messibus ardet ager.

Vides hic *indomitos Euros exercere ignem*, plane ut apud Flaccum ex nostra correctione *indomitus Auster exercet undas*. Et profecto cum

Digitized by Google

cum haec scriberet Naso, verba ipsa, de quibus agimus, in mente habuit. Quin & Porphyrion ita olim, ut nunc nos, legisse censendus est. Sic enim παραφράζει, *Qualis est Auster, cum ortu Virgiliarum seu Pleiadum* CONCITATUS *exercet undas:* ubi *concitatus* respondere videtur τῷ *indomitus*; *undas* vero epitheto caret. Porro Galeanus noster mendose praefert INDOMITOS, quod forte ab *indomitus* natum esse videatur.

v. 24. MEDIOS PER IGNES] Mallem, si scripti codicis auctoritas accederet,

impiger hostium
Vexare turmas, & frementem
Mittere equum medios per ENSES.

Enses enim cum *hostium turmis* aptius conjungi videntur, quam *ignes*. Statius Theb. X, 709.

i, praelia misce
Per Danaas acies, mediosq; per *obvius* enses

Idem VII, 488.

excipiunt jussi, mediosque per enses
Dant iter. & ibidem 280.
Macte animo juvenis: medios *parat ire* per enses
Nudaque pro caris opponere pectora muris.

Silius Ital. III. *ruis* ipsos *acer* in enses,
Objectasque caput telis.

Virgil. Aen. IX, 400.

an sese medios *moriturus* in enses
Inferat, & pulchram properet per vulnera [*mortem.*

Idem Eclog. X, 45.

Tela inter media, *atque adversos detinet* [*hostes.*

& Aen. X, 237.

muro fossisque tuetur

Tela inter media, *atque horrentis Marte Latinos.*

XII, 682.

Perque hostes, per tela *ruit.*

& sic alibi. & Silius Ital. IV.

fertur per tela, *per hostes Intrepidus puer.*

Quod si receptam lectionem servas, omnino praestat *veros ignes* intelligere, quam metaphorice cum interpretibus *medium pugnae fervorem.* Virgil. VII, 296

medias acies, mediosque per ignes
Invenere viam. & II, 164.
quod me per tela, per ignes *Eripis.*

Utrobique loquitur de Trojae incendio, sine metaphora. Noster Serm. II, 3.

Alterum & huic varium & nihilo sapientius, ignes
Per medios *fluviosque ruentis.*

Silius Italicus XV.

Ni fugis hos ritus, virtus te saeva jubebit
Per medias volitare acies, mediosque per ignes.

qui alibi utrumque conjunxit, & *ignes* & *enses*; lib. XIV.

Si tibi per medios ignes mediosque per enses
Non dederit mea dextra viam.

Quamobrem, nisi fortasse veram hic historiam tangat Noster, quae in ore hominum tunc fuerit, Tiberium nempe in bello Rhaetico per hostilem *ignem* equo perrupisse; vix aliter scribere potuit, quam *medios per enses.*

v. 26. QUI REGNA DAUNI] Quin & hic etiam, si codex ullus astipularetur, libentius legerim,

Sic tauriformis volvitur Ausidus,
QUA *regna Dauni praefluit Appuli.*

ut & infra fortasse vers. 47.

Te belluosus, QUA *remotis*
Obstrepit, Oceanus, Britannis.

Non enim Geographum hic agit, ut situs fluviorum quasi ex professo doceat. Catullus Epig. XI.

Sive in extremos penetrarit Indos,
Sive QUA *septemgeminus colorat*
Aequora Nilus.

Tacitus Annal. II, 6. *Rhenus servat nomen & violentiam cursus,* QUA *Germaniam praevehitur.* Livius XXII, 2. *Per paludem,* QUA *fluvius Arnus per eos dies solito magis inundaverat.*

v. 28. DILUVIEM MEDITATUR AGRIS] Ita Veneta editio princeps: sed Loscheri MINITATUR, quod omnes nostri codices praeter tres ex recentissimis sequuntur; neque aliter citat Nonius voce *Diluvies.* Utrumque probum est, ut nescias fere utri palmam des. Falluntur enim, qui verbum *minitari* leve quid & ludicrum notare, neque ad rei hujus atrocitatem aut dignitatem carminis assurgere, putant. Livius II. 49. *Ibant Veienti populo* perniciem *minitantes.* Virgil. Aen. XII, 761.

terretque tremente,
Excisurum *urbem minitans.*

Cicero bis vel ter: *Urbi*, vel *patriae*, ferro flammaque *minitari.* Quin & hac lectione, melius, opinor, sibi constabit, & sui similis procedet sententia,

Cum SAEVIT, *horrendamque cultis*
Diluviem MINITATUR *agris.*

Aptissime enim haec duo inter se conjunguntur, *saevire* & *minari.* Ovidius in Remediis Amoris v. 664.

Horrebant saevis *omnia verba* minis.

Seneca Herc. Fur. v. 329.

Sed ecce saevus, *ac* minas *vultu gerens.*

Statius Thebaide I, 187.

Digitized by Google

Cernis, ut erectum torva sub fronte minetur
Saevior *assurgens demto consorte potestas?*

Pacuvius in Antiopa.

Minitabiliterq; *increpare dictis* saevis *incipit.* Recte denique *fluvii* exundantes *minitari* dicuntur; ut Claudianus de Mallii Cons. 237.

Torrentes *immane fremant*, *lassisque* minentur

Pontibus: *involvant spumoso vortice silvas.* Contra, haud ita belle inter se conveniunt *saevire* & *meditari*: quippe *meditari* non est jam *saevientis*, sed iram potius dissimulantis & subdole occultantis, quo violentius postea erumpat. Idcirco & jam olim sub terula criticorum vapulavit hic locus. Porphyrio: *Male dixit*, MEDITATUR *diluviem*; *quia in ipso actu est: nec debet cogitare ac condiscere id, quod jam facit.* Excusare conatur Servius; ita tamen, ut antiquum loquendi morem fuisse, postea desiisse fateatur, ad bina illa Virgilii loca Georg. III, 153. Aen. IV. 171.

Inachiae Juno pestem meditata juvencae.

Nec jam furtivum Dido meditatur amorem.

MEDITATA, ait, *inferens & exercens*, *accipiamus*; *ut Horatius*; Horrendamque cultis diluviem meditatur agris; *id est, infert, exercet. Nam in ipsa meditatione exercitium & actus est. Sciendum tamen est hoc hodie in usu non esse.* Meo tamen judicio & frustra hoc accusat Porphyrion, & perperam defendit Servius. Neque enim aut apud Virgilium aut Nostrum *meditari* est *inferre*, & ipsam rem, quam meditatur aliquis, agere, ut voluit Servius; sed cogitare, parare, designare; ut ubique alias: neque Ausidus jam *facit diluviem*, ut arguit Porphyrion. Eo enim posito, utrumque vocabulum aeque culpandum esset. Nemo enim *minitatur* id quod jam *facit*; non magis, quam *meditatur*. Verum haec est, ni fallor, Horatii sententia: *Qualis*, inquit, *Ausidus* volvitur; *cum aquis per pluvias adauctis* saevit ac fervet; *& tantisper intra ripas se continens*, meditatur *sive* minitatur *extra alveum exire, & late agros inundare.* Atque haec imago omnium efficacissima est ad Tiberii impetum exprimendum. Rapidissimus enim fluit amnis, dum alveo adhuc cohibetur mox exiturus; at postquam in patentes agros effusus stagnaverit, tum vero lentior & segnior incedit. Quamobrem, ut jam dixi, non adeo facile est dijudicare, utra verior meliorve sit lectio. *Meditatur.* agnoscunt Scholiastae veteres & Servius: at Nonius his antiquior & potiores Horatii codices, *Minitatur.* Equidem, etsi Interpretes fere dissentientes hic habeam, posterius verbum praetulerim: cum quia melius quadret cum *saevit*; tum quia praesentius quiddam fortiusque significet. *Minitamur* enim in praesens, *meditamur* in longinquum. *Meditari* ergo diluviem etiam tenuis & sicco fere alveo potuerit Ausidus: *minitari*, non nisi plenus & fervens. Jam autem, quod aiunt ideo se malle *meditari*, quia audacior metaphora est, & humanum affectum fluvio communicat; in eo judicium eorum desidero. Quippe & *minitari* aeque est affectus humanus; neque rei inanimatae nisi per translationem potest competere.

v. 49. TE NON PAVENTIS] Ita quidem editi omnes, & codices vetustiores. Ceterum in recentioribus duobus, uno Collegii Regii, & altero Episcopi Norvicensis, ut & in Acrone Regiae Societatis manuscripto diversam lectionem reperi,

Te non PAVENTES *funera Galliae,*
Duraeque tellus audit Hiberiae,

Galliae autem numero plurali passim apud scriptores occurrit. Suetonius in Julio c. 49.

Gallias *Caesar subegit, Nicomedes Caesarem.*

ita Tacitus aliique saepissime. *Constructio* vero figurata erit, & plane Horatiana: Galliae, *& tellus Hiberiae* audit: ut Carm. I, 3.

Sic fratres *Helenae, lucida sidera,*
Ventorumque regat *pater.*

Vide Nos Carm. I, 24. & IV, 11. Jucundior etiam forte erit variatio casuum, *Galliae non paventes*, & *Hiberiae tellus*; ut Carm. III, 6.

Jam bis Moneses & Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus.

Expectamus tamen, dum codex aliquis vetustior scripturam hanc confirmet.

CARMEN XV.

v. 9. JANUM QUIRINI CLAUSIT] Sic libri habent constanter: tamen viri doctissimi Passeratius & Gronovius pater corrigendum hic autumant,

Janum QUIRINUM *clausit.*

Sic enim aliis *Janus* est *Quirinus*, non *Janus Quirini*, ut Suetonio Aug. c. 22. *Janum Quirinum ter clusit.* Festo v. *optima. Tertia spolia*, Jano Quirino *agnum marem caedito.* Macrobio Saturn. I, 9. *In sacris quoque invocamus Janum Gemi-*

Digitized by Google

Geminum, Janum Patrem, Janum Junonium, Janum Conſivium, Janum Quirinum, *Janum Patulcium & Cluſivium*. Atque haec quidem Gronovius ad dictum Suetonii locum: quibus adde illa Servii ad Aen. VII, 610. *Alii Janum Cluſivium dicunt, alii Patulcium. Idem Junonius —— idem* Quirinus, *unde trabeatum conſulem aperire portas dicunt, eo habitu quo Quirinus fuit.* Veruntamen ut *Janus Junonius* recte etiam *Junonis* dici poterit; ita nihil prohibet, quin *Janus Quirinus* itidem *Quirini* dicatur. *Quirinus* enim hic nomen adjectivum videtur, ut Propert. IV, 10.

Hic ſpolia ex humeris *auſus ſperare* Quirinis.

Quid, quod noſter κακοφωνίαν vitaſſe videtur in eadem terminatione, JANUM *Quirinum*.

v. 15. AD ORTUM SOLIS] Veneta prima, & Loſcheri ORTUS, atque omnes fere codices noſtri praeter Graevianum, qui a manu prima habet ORTUM. Utrumque ſuos auctores habet. Virgilius Georg.

non Eure, tuos, neque ſolis ad ortus.

Plinius Nat. Hiſt. VII, 27. *Ad* ſolis ortus *miſſus*. Prudentius Apotheoſ. v. 424.

Audiit adventum domini, quem ſolis *Hiberi Veſper habet, roſeos & qui novus excipit* ortus.

Ovidius Epiſt. Paridis:

Nec tibi par uſquam Phrygiâ, nec ſolis ab ortu.

Salluſtius Catil. c. 36. *Cui cum ad occaſus* ab ortu ſolis *omnia domita armis parerent*. Et Jugurth. c. 17. *Ab occidente fretum noſtri maris & Oceani*, ab ortu ſolis *declivem latitudinem*. Ac nos quidem, etſi major pars membranarum ORTUS exhibeant, ORTUM tamen cum paucioribus probamus; ne toties ſibilet litera S in *majeſtas ad ortus ſolis*.

v. 18. EXIGET OTIUM] Scholiaſtes Porphyrion: *Exiget; nunc, excludet: ut ſit, quaſi extra aget; ut Terentius, ſpectandae an exigendae ſint vobis prius*. Atque hanc lectionem ſequuntur praeter aliquot Lambini Leidenſis noſter & Colbertinus, quibus in margine adſcriptum EXIMET pro varia lectione. Contra, Graevianus & Reginenſis EXIMET in ipſo verſu habent, & EXIGET ad oram ablegant. Ceteri omnes cum Acrone Manuſcripto & editionibus priſcis EXIMET retinent; nulla diverſae ſcripturae mentione facta. Utra jam harum retinenda erit? an *eximet otium*, hoc eſt, adimet, tollet? ut Ovidius Remed. Am.

Otia *ſi* tollas, *periere cupidinis artes.*

Statius Silv. I, 2. v. 182.

Ergo age junge toros, atque otia deme *juventae.*

Ovid. Pont. I, 2.

Hoſtibus in mediis interque pericula verſor,
Tamquam cum patria pax *ſit* ademta *mihi.*

Verum illud officit, quod *eximere* de re moleſta plerumque dicitur, ut *eximere curam, metum, famem, ſpinas, faſtum*, atque alia ejuſmodi, quae *intra* corpus aut animum verſantur; & proinde ex eo eximi, educi, extrahi, evelli poſſunt. *Otium* vero & *pacem* & caetera laeta, vel quae extra hominem conſiſtunt, non tam *eximi* quam *adimi* dixerim. Rectius igitur legemus,

Civilis aut vis EXIGET *otium*,

id eſt, excludet, expellet, exturbabit; ut Noſter alibi, *Exactos tyrannos*. Tacit. Annal. VI, 3. *Hoc pretium Gallio meditatae adulationis tulit, ſtatim curia, deinde Italia* exactus. Et XIV, 28. *Vibius ſecundus repetundarum damnatur, atque Italia* exigitur. Plautus Capt. V, 4.

Ubi labore laſſitudo eſt exigunda *ex corpore.*

Vide plura apud Nonium Marcellum v. *Exigere*.

Digitized by Google

NOTAE AD LIBRUM EPODON.

EPOD. I.

v. 5. QUIBUS TE VITA SIT SUPERSTITE] Sic hodie post Venetam principem pleraeque editiones. At Germanica Loscheri aliam lectionem praefert,

Quid nos? quibus te vita si superstite
Jucunda; si contra, gravis.

Atque ita nostri Graevianus, Battelianus, Galei, Leidensis, & a prima manu Reginensis & Regiae Societatis. Eandem ex suis protulerunt Pulmannus & Torrentius & Barthius in Adversar. lib. XXXVII. c. 15. Neque aliter olim legit Scholiastes Porphyrion: *Bis*, inquit, *posuit particulam* (male vulgo *periculum*) SI; *semel abundat, melius enim sic loqueretur*, Quibus te superstite vita jucunda est; si contra, gravis est: *ergo verbum extrinsecus accipiendum est* SIT, *ut plena fiat elocutio.* Sic & annotator Graevianus; *Vacat* SI: unde in Petrensi, Magdalenensi, & Bodleiano vox ea desideratur; & habetur tantum, *Vita superstite.* Quid multa? Recipiendum est omnino SI, cum ob tot codicum auctoritatem, tum ob singularem suam elegantiam. *Quibus vita*, ait, *jucunda; si te superstite* vivitur; *si contra, gravis.* Neque enim *vacat* SI aut *abundat*, ut Enarratores crediderunt. Posterius *si* pro *sin* ponitur; ut alii scriptores loqui amant, numquam Horatius. Terent. And. I, 3.

Si *illum relinquo, ejus vitae timeo*; sin *opitulor, hujus minas.*

Noster contra Epist. I, 5.

Si *potes Archiacis conviva recumbere lectis*—
Si *melius quid habes, arcesse.*

& Serm. I, 3. [*non*

Si *peteret per amicitiam patris atque suam;*
Hilum proficeret: si collibuisset, ab ovo.

Carm. III, 29. *Laudo manentem* (hoc est, laudo, *si* manet) si *celeres quatit pennas, resigno quae dedit.* Atque ita semper Noster; in quibus locis *sin* ponere aliis usitatius est. Ceterum illud,

Ibis Liburnis inter alta navium,

per interrogationem efferendum putamus: id enim vehementius & παρηλλαγμένον.

v. 17. SUM FUTURUS IN METU] Lege ex emendatione praestantissimi Nic. Heinsii:

Comes minore SIM *futurus in metu,*

sim, ut respondeat τῷ *juvem.*

v. 21. NON, UT ADSIT, AUXILI] Vide modo seriem verborum: Avis, inquit, incubans magis timet pullis suis absentibus; *non latura plus auxilii praesentibus, ut adsit*; hoc est, *quamvis adsit.* Nonne jam sentis eandem rem bis dici? sine dubio alterutrum supervacuum est, aut *praesentibus*, aut, *ut adsit.* Satis per se rem exprimit, *Non latura plus auxilii, ut adsit:* demto *praesentibus*; vel, *Non latura plus auxilii praesentibus*; demtis, *ut adsit.* Haec tamen tot Interpretes patienter tulerunt; quia sic invenerant in editionibus priscis. At, si bonis suis uti novissent, meliora eos docere poterant codices scripti; quorum veterrimus Blandinius, & Pulmanni unus cum aliquot Lambini sic verba repraesentant,

Magis relictis; non UTI SIT *auxili*
Latura plus praesentibus.

Quibus fere accedunt Graevianus noster & Galeanus cum sex aliis, qui *ut sit* exhibent, ex illo altero leviter corruptum. Et sententia & dictio clarissima est. *Plus timet pro pullis absentibus, non uti* (id est, *non quo, non quod*) *praesentibus plus auxilii latura sit.*

v. 26. ARATRA NITANTUR MEIS] Scabies mera & rubigo est, quae in omnibus fere editionibus lectio circumfertur,

Non ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis.

Omnino reponendum est ex codicibus Canteri, Lambini & Bersmanni,

Non ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur MEA.

Sic & ex nostris habet Bodleianus, & pro varia lectione Battelianus. Verum quidem est vetustiores membranas MEIS praeferre: sed perperam. Possessivum enim *meus* cum propiore nomine conjungi debet: neque vero in *meis pluribus juvencis* aut duplex adjectivum, aut prava & luxata collocatio tolerari potest. Porro pro NITANTUR Torrentii codices aliquot & unus Fabricii cum nostris Galeano & Magdalenensi NECTANTUR. Sic Avienus Fabula XXXII.

Haerens-

Digitized by Google

Haerentem luteo ſub gurgite ruſticus axem
Liquerat, & nexos ad juga tarda boves.
& XXVIII.

Cautus & immenſo cervicem innectit *aratro.*
Sed hoc in loco *illigata nectantur* eſſet βατολογεῖν & bis idem dicere. Quare retinemus *nitantur*, ſive, luctentur, gemant, in dura tellure proſcindenda.

v. 28. LUCANA MUTET PASCUA] Loſcherus quidem PASCUA edidit; ſed eo vetuſtior Veneta.

Pecuſve Calabris ante ſidus fervidum
Lucana mutet PASCUIS.

cui patrocinantur omnes Blandinii apud Cruquium, omnes Torrentii, plures Lambini, Pulmanni Berſmannique, & ex noſtris Graevianus, Reginenſis cum aliis quinque. Leidenſis tamen magnae vetuſtatis cum Batteliano & Regiae Societatis PASCUA; ut ratione potius quam auctoritate decidi haec lis debeat. Nos ideo PASCUIS praeferimus, RE in tribus continuis Epodis eadem exeat terminatio,

Aratra nitantur mea.
Lucana mutet paſcua.
Circea tangat moenia.

Quod vitium ſedulo evitare ſolet Noſter, ex reconditae artis praecepto. Ceterum figuratior erit locutio, *mutet Lucana Calabris paſcuis*, & Horatio familiaris, ut hoc ipſo in carmine,

Roges, tuum labore *quid juvem* meo?

& Art. Poet. v. 273. *ſi modo ego & vos*
Scimus inurbanum lepido *ſeponere* dicto.

& Serm. II, 4. ex lectione codicis Regii,

Ante meum nulli *patuit quaeſita* palato.

v. 29. NEC UT SUPERNI] Quantumvis conſpirent codices ſcripti editique in propaganda hac lectione,

Nec ut SUPERNI *villa candens Tuſculi*
Circaea tangat moenia,

vix tamen extorquebunt, ut vocabulum *ſuperni* pro vera Horatii ſobole agnoſcamus. *Superus* enim nomen eſt relativum; ſemperque aliud quid ſecum trahit, cujus reſpectu ſuperiorem locum occupare cenſetur: quod hic non fit. Quamobrem legendum potius exiſtimo,

Neque ut SUPINI *villa candens Tuſculi.*

Ideo enim *ſuperni* volunt, quia Tuſculum in *colle* poſitum erat. Atqui ob ipſam illam rationem legimus *Supini*; ut Noſter Carm. III, 4.

ſeu mihi frigidum
Praeneſte, ſeu Tibur SUPINUM,
Seu liquidae placuere Baiae.

ubi Acron Scholiaſtes: *Supinum*] *montuoſum, ut, Colleſque ſupinos. ſitum autem civitatis deſcripſit, quia in aſcenſu montis eſt conſtituta.* Porphyrion: *Supinum*, inquit, *Tibur, ad ſitum ejus reſpiciens; nam in latere montis eſt conſtitutum.* Virgil. Georg. II, 276.

Sin tumulis acclive ſolum, colleſque ſupinos.

& III, 555.

Arentеſque ſonant ripae, colleſque ſupini.

Statius Theb. IV, 238.

auget reſupina *maniplos*
Elis, *depreſſae populus ſubit incola Piſae.*

Dracontius Hexaëmero.

Et colles *tumidi cumulis juga celſa* ſupinant.

Tuſculum autem ſitum erat in clivo leniter aſſurgente, ut affirmat accuratiſſimus Cluverius, teſtis oculatus. Talis autem locus proprie *ſupinus* dicitur; quippe non praeceps & praeruptus; ſed molliter acclivis & aſcenſu facilis: unde etiam loca plana & undique aperta nonnunquam *ſupina* appellantur. Apuleius in Floridis: *Alibi montium vertices arduos extulit, alibi camporum* ſupinam planitiem *conequavit.* Ammianus Marcellinus XVIII, 6. *Et* planities ſupina *camporum.* Plinius Nat. Hiſt. IX, 1. *In* mari *autem tam late* ſupino. Male igitur Scholiaſtes Juvenalis ad verſum Satirae III, 192.

Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis *arce.*
In praecipiti, ait, *poſita*; *ut Horatius, Clivumque ſupinum.* Immo vero, in declivi, non *in praecipiti*; neque hodie in Horatio ea verba reperiuntur. Jam autem *ſupini Tuſculi* id abſolute ſignificat, quod *ſuperni* non niſi relative & comparate denotare poteſt.

EPOD. II.

v. 13. INUTILESQUE FALCE RAMOS] Primus omnium vir doctiſſimus Georgius Fabricius anno MDLXX, & poſtea Henricus Stephanus aliique, horum verſuum ordinem inverterunt, in hunc modum:

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos;
Inutileſque falce ramos amputans,
Feliciores inſerit:
Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes greges.

Digitized by Google

Idque ex sola conjectura contra omnium codicum auctoritatem: nimirum, ne duo districha illa de arborum cultu, alterum de maritatione, alterum de putatione & insitione, separentur, ut vulgo fit, ac divellantur, interveniente illo,

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.

Quod utrum recte atque ordine ab iis factum sit necne, non cujusvis est dijudicare. Posse quidem ejusmodi errores exscriptorum socordia furtim irrepere, & nonnunquam re ipsa irrepsisse, nemo dubitaverit, nisi qui in veteribus membranis hospes sit. Equidem sancte testari possum me nullum Horatii codicem versaviſſe, qui non alicubi unum vel alterum versum de sede sua luxaverit, ex aliis tamen facile corrigendus, & plerumque a manu secunda in ordinem reductus. Nihilominus haud temere contra omnium codicum fidem versuum seriem invertendam esse, neque citra ultimam necessitatem, omnes cordati semper existimarunt. Videamus igitur, quid in lectione recepta tantopere culpandum sit, & quid tandem utilitatis apportet ista immutatio. Post versus, inquiunt, de maritatione vitis continuo sequi debent alteri de insitione, propter argumenti cognationem. Recte quidem, si eodem tempore vel continenter utrumque opus per rusticos fieret. Atqui *maritatio* fit mense Octobri, *putatio* & *insitio* mense Martio. Columella lib. XI, 2. *Per hos dies* (mense Octobri) *ulmi vitibus recte* maritantur, *ipsaeque in arbustis ac vineis recte propagantur.* Et ibidem: Insitio *quoque arborum atque vitium tepidis locis hoc tempore* (mense Februario) *commode administratur.* Et paullo post: *Igitur a Calendis Martii eximia est vitium* putatio *usque in decimum Calendarum Aprilium; si tamen se gemmae nondum moveant: surculi quoque silentes ad* insitionem *nunc praecipue utiliterque leguntur; & ipsa* insitio *vitium atque arborum longe nunc est optima.* Similia habes apud Catonem & Palladium. Quid tam magnum itaque, si in carmine separantur duobus versiculis, quae in opere ipso dividuntur toto quinque mensium intervallo? Deinde illud ipsum quod intervenit, quale tandem sit, videamus:

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.

Enimvero nihil hic diutini operis est, sed brevis tantum intermissio & voluptas, *prospectus armentorum pascentium*; qui non modo inter maritationem & insitionem, sed etiam in ipsis intervenire potest & solet. Aut igitur valde fallimur, aut melius est tantisper manum abstinere, dum codex aliquis alicunde (quod numquam forte eveniet) mutationi isti patrocinetur. Nos interea lectionem vulgatam aliquantum adjuvimus, pro *inutilesque* reponentes

INUTILESVE *falce ramos amputans;*

prout caetera illa procedunt, *Ergo* aut *adulta,* Aut *in reducta,* Aut *pressa puris,* Vel *cum decorum.* Et similiter vers. 35.

Pavidumve leporem & advenam laqueo
gruem.

pro *pavidumque* substituimus. Graevianus hic *Pavidum leporem* sine particula exhibet; & ubique fere in uno aut altero codice QUE & VE inter se commutantur.

V. 18. AUCTUMNUS ARVIS EXTULIT] Ita Loscherus & editio Veneta 1490 cum codicibus aliquot, quos inter Battelianus, Petrensis & Vigornienſis nostri. At editio prima 1478, cum omnibus fere Lambini & Cruquii, & Graeviano, Leidensi, Reginensi aliisque & numero & vetustate potioribus,

Auctumnus AGRIS *extulit:*

quod & agnoscit Scholiastes Porphyrion. Cur autem antiquiores & plures testes hic deseramus? Virgilius Georg. II, 10.

tibi pampineo gravidus auctumno
Floret ager. Tibullus I, 9.
Non tibi si Bacchi *cura Falernus* ager.

Illud *arvis extulit* videtur natum ex Virgiliano loco Georg. II, 541. [*rumque*

Cum primum lucem pecudes hausere, vi-
Ferrea progenies duris caput extulit arvis:

ubi obiter corrigendum ex Lactantio, TERREA *progenies*: quos Lucretius *Terrigenas* vocat, lib. V. v. 1410.

Quam silvestre genus capiebat terrigenarum.

Quis enim omnium poëtarum *ferream* hominum aetatem *primam* fuisse finxit? sed haec alibi fortasse fusius.

V. 25. LABUNTUR ALTIS INTERIM RIVIS AQUAE] RIPIS habent editiones veteres; sed manuscripti in diversa abeunt, alii RIPIS, alii RIVIS praeferentes, etiam antiquissimi. Placet *labitur ripis*: quippe *auctumno,* cum arescunt flumina, non *alti* sunt *rivi,* sed *altae ripae.* Noster Carm. I, 2. de Tiberi: *vagus & sinistra*
Labitur ripa. Lucretius III, 352.
Fluminaque ulla queunt summis labentia ripis [*ram.*
Oblectare animum, subitamque avertere cu- Ovid.

Digitized by Google

Ovid. Amor. II, 17.

Sed neque diverſi ripa labuntur *eadem*
Frigidus Eurotas populiferque Padus.

Quintilianus Inſtit. XII. 2. *Ut vis amnium major eſt* altis ripis *multoque gurgitis tractu fluentium, quam tenuis aquae & objectu lapillorum reſultantis.* Valerius Flaccus IV, 402.

inde per urbes
Raptatur Graias, atque ardua *flumina* ripis.

v. 52. AD HOC VERTAT MARE] Illuſtriſſimus Nic. Heinſius in libri ſui margine, *Forte*, inquit, *legendum.*

Vel quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc VERRAT *mare.*

Sed praeterquam, quod omnes Flacci codices ſummo conſenſu VERTAT hic agnoſcunt; etiam apud Priſcianum bis ita legitur p. 863. & 930. neque variant ibi, quos conſului, quatuor ſcripti. Anſam Heinſio correctionis illud videtur porrexiſſe, quod habetur Serm. II, 3. v. 235.

tu piſces hiberno *ex aequore* verris.

Verum aliud longe eſt, piſcatorem cum reti & everriculo piſces *ex mari verrere* (proprie enim hoc dictum eſt) aliud, *hiemem* & tempeſtatem piſces *ad mare verrere.* Talis enim locutio nullum, credo, habet auctorem. Quare nihil mutandum.

v. 69. OMNEM RELEGIT IDIBUS PECUNIAM] Haec lectio eſt editionis primae & codicum aliquot ex recentioribus. Placuit autem pleriſque interpretibus, &, quod majus eſt, elegantiſſimo Nic. Heinſio ad Ovidii Faſt. II, 540. *Relegit*, aiunt, *pecuniam*, hoc eſt, *recollegit.* Et ſane *colligere* in ſimili ſenſu reperias; ut apud Lentulum Epiſt. Ciceronis ad Fam. XII, 15. *Ut & reliqua vectigalia exigerem, & quam depoſui* pecuniam colligerem: & Noſtrum Epiſt. I, 10.

Imperat aut ſervit collecta pecunia *cuique.*

Sed ne unicum quidem exemplum, ubi *relegere pecuniam* dicitur, aut ipſi afferunt, aut egomet obſervavi. Male autem colligunt, ex eo quod *colligere pecuniam* recte dicatur, idcirco & *relegere* bene dici. Ex *colligo* enim notiſſimum compoſitum eſt *recolligo*; neque *relego* & *recolligo* eandem habent notionem. Revocanda eſt igitur Loſcheriana olim lectio,

Omnem REDEGIT *idibus pecuniam:*

quam firmant vetuſtiſſimi omnium Blandinii, & Torrentii plures potioreſque, cum noſtris Leidenſi, Graeviano, Reginenſi, Magdalenenſi &c. Neque aliter Acron in Regiae Societatis Bibliotheca MS. etſi *recollectam* in paraphraſi habeat. Sic enim & Graevianus annotator; *Redegit pecuniam; colligit.* Nimirum *redigere pecuniam* eſt, aut apud varios debitores collocatam exigere, cogere, colligere; aut domo vel mancipiis vel fundis divenditis aurum aut argentum recipere. Nihil uſitatius eſt hac locutione: ut demirer equidem viros eruditos adeo tranſverſos hic a vero abiiſſe. Plinius Epiſt. III, 9. *Io, i?, liber ad te venio: jam ſeſtertium quadragies* redegi, *parte vendita Baeticorum.* Cicero Divinat. in Q. Caecilium, c. 17. *Deinde bona vendit*, pecuniam redigit. & mox, *Cogit quaeſtorem ſuum* pecuniam, *quam ex Agonidis bonis* redegiſſet, *annumerare & reddere.* In Verr. I, 36. *Reliqua vendidit*, pecuniam exegit: *cum enim ad H S vicies quinquies* redegiſſe *conſtaret.* & ibidem 38. *Pecuniae redactae.* Contra Rullum c. 36. *Cum omnem* pecuniam *ex aerario exhauſiſſetis, ex vectigalibus* redegiſſetis. Pro Flacco c. 36. *Quid ſi ita omnis* pecunia *reddita eſt? ſi petita? ſi* redacta? Pro Rabirio c. 11. *Soletne is dicere in eum, qui* pecuniam redegit, *qui in illum, cujus nomine ea* pecunia redigeretur, *non dixerit?* Philipp. V, 4. *Tanta* pecunia *una in domo coacervata eſt, ut ſi hoc genus in unum* redigatur, *non ſit pecunia Pop. Romano defutura.* Philipp. XIII, 5. *Decreviſtis tantam* pecuniam *Pompeio, quantam ex bonis patriis, ex praedae diſſipatione inimicus victor* redegiſſet. Livius II, 42. *Quicquid captum ex hoſtibus eſt*, vendidit *Fabius Conſul, ac* redegit *in publicum.* Idem XXVI, 49. *Non de pondere auri argentique &* redactae pecuniae *convenit.* Et XXXVIII, 59. *Tantum auri, quantum* venditis *omnibus bonis* redigi *non poſſet.* Quintilianus Declam. V. *Pater univerſis bonis in unum* redactis *profectus eſt.* Idem Declam. CCLXIX. *Si domum, ſi mancipia, ſi vendita eſſe omnia, ſi in* pecuniam redacta *conſtabit; ſupereſt ut deponendae pecuniae habuerim cauſſam.* Eutropius lib. VIII. *Inſtrumentum regii cultus diſtraxit, ac per duos continuos menſes* venditio *habita eſt, multumque auri* redactum. Digeſt. lib. III. tit. 5. ſect. 35. *Non enim e veſtigio in officio deliquit, ſi non protinus res ſuas diſtraxit ad* pecuniam redigendam. Ibid. V, 3, 20. Redactae *ex pretio rerum venditarum* pecuniae *uſuras non eſſe exigendas.* X, 2, 26. Pecuniam *ex pretio* redactam *ei numerari, cui legata ſit.* X, 2, 38. *Hic communes* pecunias *ex reditibus* redactas *ſingulis ſubminiſtraverat.* XX, 4, 2. *Quamvis ex ceteris* pecuniam *ſuam* redigere *poſſit.* Aſconius Pedianus ad Verr. I. c. 20.

Quae-

Digitized by Google

Quaestorem] *eum ad quem* rediguntur pecuniae *ex proscripti bonis, & a quo sociis adnumerantur.* Atque haec hactenus: quae eo fusius accumulavimus, ut vera lectio, quae toties vi & injuria de loco suo pulsa est, tandem aliquando in sedibus propriis secura requiescat.

EPOD. IV.

v. 8. CUM BIS TER ULNARUM TOGA] Numquam vidi nequiorem lectionem tam impune omnes interpretes lusisse. Quid enim, amabo, est *bis ter ulnae?* quis omnium mortalium sic locutus est? Sine dubio legendum,

Cum bis TRIUM *ulnarum toga:*

hoc est, *cum sex ulnarum toga.* (ut recte Porphyrion) *hanc autem justae togae mensuram intelligendum est.* Scholiastes Persii ad Satiram V. v. 14. *Mensura togae justae senas ulnas habebat.* Isidorus Orig. XIX, 24. *Mensura autem togae justae, si sex ulnas habeat.* Atqui *sex ulnae* sunt *bis tres,* non *bis ter ulnae:* quae mera est barbaries. Lactantius in carmine De Phoenice:

Per bis sex ulnas *eminet iste locus.*

Silius Ital. XVII.

Perque bis octonos *primus fuit Hannibal* [annos.

Prudentius Apotheosi v. 1001.

Quam bis terna *malis vexarunt* sabbata *noxis.*

atque ita alii passim. Ceterum diu postquam hanc emendationem feceram, etiam πολυμαθίας Barthium in Adversariis LIV, 26. in eandem incidisse animadverti, quam proinde ei ingenue & libenter resigno.

v. 16. OTHONE CONTEMTO SEDET] Editio prima quae Venetiis prodiit anno 1478. aliud quid profert:

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone CONTENTO *sedet:*

Quod, si admittatur, ita erit explicandum; adeo divitem scilicet fuisse Maenam, ut res ejus *sufficerit* & plene *satisfecerit* legi Othonis, qua sancitum, ut nemo spectaret in sedilibus equitum, qui quadringenta millia nummûm in censu non haberet. Sed scripti codices ad unum omnes, & editiones reliquae CONTEMTO habent; veram quidem lectionem, sed hactenus perperam intellectam. *Quomodo,* inquit Julius Scaliger, contemnebat *Othonis legem? quae permittebat habenti quadraginta millia, sedere in quattuordecim*: siquidem Maena multo plus in reditibus habuit. Huic ut objectioni occurrant Torrentius, Marcilius, Dacerius aliique, hoc comminiscuntur: Lege ista Othonis hoc inter alia fuisse cautum, ne quis *Libertus* aut *Libertinus* in quattuordecim ordinibus sederet, quantumlibet dives esset. *Contemsit* itaque Othonem Maena, qui Libertus in iis gradibus spectare ausus est. Unde vero compertum hoc habent, lege ista Libertis aut eorum filiis honorem eum interdictum esse? Ex hoc ipso, aiunt, Horatii loco. Eja vero, ut errorem errore defendunt. Nam hic ipse locus adhuc in obscuro est; neque lucem, quam non habet, alteri commodare potest; sed aliunde debet accipere. Tantum abest, ut libertinis lege Othonis Roscia hoc interdictum sit; ut ea ipsa lege tum primum juberetur, ut quocumque patre natus, modo quadringenta sestertia possideret, in XIIII gradibus spectare posset. Hoc clare ostendit locus ille Juvenalis Sat. III, 152.

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. Exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit: & sedeant hic
Lenonum pueri quocumque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi praeconis filius, inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistae:
Sic libitum vano, qui nos distinxit, *Othoni.*

Ubi vetus Scholiastes: *Legi Othonis, qua jussit eos, qui quadringentorum sestertiorum haberent reditus, in numero Equitum esse.* Hinc patet vel τεράστιος Libertos, si ad cccc millium censum semel pervenissent, eo ipso equites fuisse. Contra, per eandem legem ingenuos & ingenuis prognatos, si forte infra illum censum decidissent, plebi accenseri solitos, Noster ipse clare docet Epist. I, 1.

Est animus tibi, sunt mores & lingua fidesque:
Si quadringentis *sex septem millia desunt,*
Plebs *eris.*

Roscia, *dic sodes, melior* lex, *an puerorum*
Naenia?

Adhuc igitur quaerendum est, quid sibi ista velint, *Othone contemto:* nullo enim fulta sunt tibicine, quae docti interpretes hactenus attulerunt. Neque longe ea de causa proficiscendum est: ecce enim tibi e media re & ipsis ex verbis nascentem explicationem, quae omnem, ut opinor, numerum absolvet:

Sedili-

Digitized by Google

Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contemto, sedet.

Si jure, inquis, ut eques, in quattuordecim sedit Maena; cur additur *Otbone contemto?* Eam ipsam ob rationem, Quia jure ibi sedit. Vetuerat enim L. Roscius Otho, nequis infra CCCC M. censum in gradibus illis sederet. Quisquis igitur, ut Maena, supra illum censum longe evectus fuit, *contemnere* potuit Othonem, & legi ejus impune oppedere. Quid reditus meos, Otho, rimaris & exploras; si forte lege tua damnatus de quattuordecim gradibus deturbandus sim? ego vero census meos bene novi, & te tuamque legem εἰμαίζειν jubeo. Jam tandem, opinor, perspicis, qua fiducia fretus Maena Othonem contemserit. Sed ea *contemnendi* significatio latuit hic interpretes. Simile tamen quid Juvenalis habet de Marco Tullio, qui

Antoni gladios potuit contemnere, *si sic*
Omnia dixisset.

v. 17. TOT ORA NAVIUM GRAVI] Julius Scaliger in Hypercritico hunc locum sic castigat,

Quid attinet tot ORA *navium gravi*
Rostrata duci pondere?

Nescio, ait, *an* ora *dicamus navium recte, quia &* rostrum: *nam sane* rostrum *triremibus est*, os *non est.* Mussant hic Interpretes, quamquam alias libenter adversus Scaligerum insurgunt. Equidem fatebor me apud neminem Poëtarum *os navis* reperisse: neque tam insolentem metaphoram excusare, nedum admirari possum. Vide tamen, annon forte in librarios transferenda sit siquae est culpa, qui oscitanter pro *aera* legerint *ora.*

Quid attinet tot AERA *navium gravi*
Rostrata duci ponderes.

Ut *aera rostrata* idem sit ac *rostra aerata*: ut illud Virgilii,

Quot prius aeratae *steterant ad litora*
prorae.

Rostra enim aere munita fuisse notissimum est; unde Graecis naves χαλκέμβολοι *ahenirostrae* vocatae sunt. *Aera* autem *navium*, ut Virgilius Aen. XI, 329.

jacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerumque modumque carinis
Praecipiant: nos aera, *manus, navalia demus.*

EPOD. V.

v. 1. AT ODEORUM QUICQUID IN CAELO REGIT] Apud Diomedem p. 527. & Priscianum p. 1105. sic locus hic adducitur,

At o deorum QUISQUIS *in caelo* REGIS:

quale illud Senecae in Oedipode v. 248.

Quisquis deorum *regna placatus* vides.

& Ovidii Metam. I, 32.

Sic ubi dispositam, quisquis *fuit ille* deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit.

Verum illud *quisquis* omnes membranae aversantur, summo consensu exhibentes QUICQUID: atque hoc melius est. *Quisquis* enim unum aliquem deorum notat, *quicquid* simul omnes. Noster Serm. I, 6. [*Etruscos*

Non quia, Maecenas, Lydorum quicquid
Incoluit fines, nemo generosior est te.

& Livius XXIII, 9. *Paucae horae sunt, intra quas jurantes per* quicquid deorum est, *dextrae dextras jungentes, fidem obstrinximus.* Quae duo loca a doct. simo Lambino apposite citata sunt. De altero illo, REGIS legendum sit an REGIT, magna codicum dissensio est. Pauci quidem ex nostris atque ii recentiores *Regit*: plures & potiores *Regis*, ut Leidensis, Reginensis, a manu prima Graevianus & Magdalenensis, aliique cum Acrone manuscripto. Contra, Blandinii omnes apud Cruquium REGIT; atque ita citatur Servio ad Aen. VII, 363. & IX, 144; quin & Donato ad Terentii Andriam Act. IV. Sc. 1. in veteribus editionibus ann. 1483, 1488, 1503: nam recentiores hic male habent *quisquis* & *regis.* Quid igitur fiet? & cuinam parti accedemus? Torrentio quidem *Regis* magis abblanditur: mihi fixum firmumque est *Regit* ab Horatio profectum esse. Non enim puer ille, quicumque erat, deos hic precatur; sed Canidiam & socias alloquitur; ut ex ipso carmine patet. Alioqui, si deos hic precaretur, tum versu quarto, *omnium vultus truces* de deorum vultibus accipiendum foret; quod ab omni sensu alienum. Lego igitur,

At o deorum quicquid in caelo REGIT.

Neque vero invocatio deorum est; sed exclamatio duntaxat, & obtestatio: qualia ista, *Di boni, Di magni, Proh Jupiter, Proh deûm atque hominum fidem.* Per omnes, ait, deos, per quicquid deorum in caelo est, quid tumultus iste sibi vult?

Digitized by Google

v. 11. UT HAEC TREMENTI QUESTUS ORE] *Trementi* habent quotquot vidi codices, & Priscianus p. 707. Legerim tamen potius,

Ut haec TREMENTE *queſtus ore conſtitit*:

ut purus ſit Iambicus, qualis iſte proxime antecedens,

Quid ut noverca me intueris, aut uti.

Nam ablativos hoſce in TE definere apud Noſtrum, fuſe oſtendi ad Carm. I, 25. v. 17. ubi & ter *ore tremente* ex Naſone laudavi: cui & Tibullum adde, III, 5.

Inſicitur teneras ore rubente genas.

&, *Felices cantus ore ſonante dedit.*

v. 28. ECHINUS AUT CURRENS APER] Acron Scholiaſtes: *Currens, furens: ut, Inhorruit armos.* Quod varia potius lectio, quam interpretatio videatur:

Echinus, aut FURENS *aper.*

Sic & Apuleius Metam. VIII. *Nec diu & furens aper eum invadit jacentem.* Sane, quid CURRENS aper hic faciat, nullus video. Non enim dum *currit*, ſed cum *ſtat* & pugnae ſe aptat, ſetis maxime inhorreſcit. Id quod Virgilius optime expreſſit, Aen. X, 710.

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia, ſilva
Paſtus arundinea, poſtquam inter retia ventum eſt.

Subſtitit, *infremuitque ferox, &* inhorruit *armos.*

Sic & Homerus, ἑστῶτα ἠὲ μένοντα, *ſtantem & manentem* aprum, non *currentem*, ſetas erigere facit. Iliad. N. v. 471.

Ἀλλ' ἴθυν', ὡς ὅτε τις σῦς ἄρσην ἄλκὶ πεποιθώς,
Ὅς τε MENEI κολοσυρτὸν ἐπιχάζεται οὐλὸν ἀνδρῶν
Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ, ΦΡΙΣΣΕΙ δ' ἄρα οἱ νῶτον ὕπερθεν.

& Odyſſ. V. v. 446. [γας σῦς·

Ἔνθα δ' ἄρ' ἐν λοχμῇ πυκινῇ κατίκετο μίσ-
ὁ δ' ἀντίος ἐκ ξυλόχοιο
ΦΡΙΣΑΣ σὺν λοφιῇ, πῦρ δ' ὀφθαλμοῖσι δεδορκώς,
ΣΤΗ ῥ' αὐτῶν χεδόθεν.

& ſimiliter Silius Italicus lib. 1.

Cum ſilvam occurſu *venantum perdidit, hirto*
Horreſcit *ſaevus dorſo, & poſtrema capeſſit*
Prelia, candentem mandens aper ore cruorem.

Quamobrem *furens* libentius apud Noſtrum legerim, quam *currens*: ſed neutrum placet. Aliud enim melius veriuſque ſuppeditat acutiſſimi Nic. Heinſii conjectura,

Horret capillis ut marinus aſperis
Echinus, aut LAURENS *aper.*

Sic enim is in libri ſui margine; *Forte legendum, Laurens. vide notas ad Naſonis Faſtos II.* Nihil ingenioſius, nihil certius dici poteſt. *Laurens aper*, perpetuum epitheton poëtis Italis. Praeter illum Virgilii locum jam citatum alia tibi indicat ipſe Heinſius ad Faſt. II. v. 23.

Sicut aper ſilvis longe Laurentibus *actus,*
Fulmineo celeres diſſipat ore canes.

ubi plures codices perperam, *latratibus*. Idem Metam. XIV.

Exieras tectis Laurentes *Pisus in agros,*
Indigenas *ſixurus* apros.

Horatius Serm. II, 4.

Umber & iligneae nutritus glande, rotundas
Curvat aper *lances carnem vitantis inertem:*
Nam Laurens *malus eſt, olivis & arundine* [*pinguis.*

Martialis IX, 49.

Inter quae rari Laurentem *ponderis* aprum
Miſimus. & X, 45.
Ilia Laurentis cum tibi dempſas apri.

& Catalecta Vet. Poët.

Vite Sabine, Lacon ſulco, ſue cognite Laurens.

Atque haec Heinſius: quibus nihil addam, praeterquam quod Virgilii verſus ſupra laudatos in tranſitu corrigam:

Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia, ſilva
Paſtus arundinea &c.

ubi Servius: *Paſtus, pro paſtum: nam ſupra ait Quem: Ergo Antiptoſis eſt.* Recte quidem animadverterit *paſtum* hic dici oportere, non *paſtus*. Quid ergo? an ideo barbariſmi abſolvit Virgilium, quia *Antiptoſin* nominat? Quae malum, illa Antiptoſis? aut unde ei tantum jus, ut communem loquendi morem pro libitu ſubvertat? ſed praeterea illud vide, *quem multos annos Veſulus defendit, multoſque palus Laurentia defendit*, quam inane, verboſum, invariatum, & a Virgilii more & genio prorſus alienum. Sine dubio igitur locus corruptus eſt, &, niſi valde decipior, ſic reſtitui debet:

Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentiae ſilvae
PASCIT *arundinea.* vel PAVIT.

Neque vero in re adeo clara plura verba conſumam: ſed aliud potius mendum in verſu hunc locum proxime antecedente tollam: neſcio enim quo fato pagina illa Virgilii jam ante Servii aetatem ſupra alias corrupta erat.

Nec non Euathen Phrygium, Paridiſque Mimanta
Aequalem comitemque, una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face praegnans.

Ciſſeis

Ciſſeis regina Parim creat: urbe paterna
Occubat: ignarum Laurens habet ora Mimanta.

ubi iterum Servius: *Urbe paterna occubat: ſubaudis, Paris. Quod ut non diceret, metri eſt neceſſitate compulſus. nam deeſt Qui: ut ſit, Qui urbe paterna occubat.* Recte & hic notavit Servius, deeſſe nominativum verbo *occubat*: ſed nulla *metri neceſſitas* poëtam excuſare poſſit, ſi id re ipſa omiſerit. Quin & illud quam redundans & ſupervacuum, Theano *in lucem dedit*, & Ciſſeis CREAT? ut ne dicam, inconcinne tempora mutari, *dedit*, & *creat*. Quid multa? ſic credo olim fuiſſe a manu Virgilii. *una quem nocte Theano*

In lucem, GENITORE *Amyco, dedit, & face praegnans*
Ciſſeis regina Parim. PARIS *urbe paterna*
Occubat: ignarum Laurens habet ora Mimanta.

Una, ait, *nocte Theano Mimanta, & Hecuba Parim in lucem dedit.* At quam diſpari fato? *Paris* in urbe patria ſepultus eſt; *Mimas* in terra longinqua ignotus jacet. Oſcitantes librarii (quod ſollemne eorum peccatum eſt) verbum bis poſitum, ſemel tantum ſcripſerunt: inde alii ad verſum fulciendum ineptum illud *creat* ſuppoſuerunt.

v. 33. BIS TERVE MUTATAE DAPIS] Ab Aldo, ut opinor, defluxit haec lectio in omnes, quae poſtea prodierunt, editiones. Sed veteres ante annum MD, & codices noſtri ad unum omnes cum Porphyrione Scholiaſta,

Longo die bis TERQUE *mutatae dapis*
Inemori ſpectaculo.

Quae duo contraria plane ſunt; nam *bis terque* ſignificat *ſaepe*; *bis terve, raro*. Cicero Epiſt. ad Fam. II, 1. *A te vero* bis terve, *ſummum, & eas perbreves litteras accepi.* Noſter Art. Poet. 440.

melius te poſſe negares
Bis terque *expertum fruſtra.*

Recte igitur hic, *Bis terque mutatae*: nam, ut optime Porphyrio, *Ut magis incitaretur puer, ait illi opponi epulas &* SAEPE *mutari.* Contra, apud Noſtrum Art. Poet. v. 358. ubi editiones habent,

Sic mihi qui multum ceſſat, fit Choerilus ille,
Quem bis terque bonum cum riſu miror;

corrigendum ex codice Regio,

Quem bis TERVE *bonum.*

Raro enim Choerilum, bis fortaſſe vel ter, bonum fuiſſe ſignificat.

v. 37. EXSUCTA UTI MEDULLA] Mire variant hic codices ſcripti: major enim meliorque pars EXSECTA vel EXECTA cum editione Veneta, & Scholiaſtis. Graevianus noſter *Exſecta* cum interpretatione, *extracta*. Lambini quidam, & Berſmanni unus, EXSUCTA. Battelianus pro varia lectione, EXUGTA; Divaeus Cruquii, EXUCTA. Torrentianus unus, EXUSTA; ut a prima manu Magdalenenſis. Berſmanni unus, EXUTA, Barthii (in Adverſ. XXXVII, 15.) EXULTA. Zulichemianus, una litera eraſa, EXU..TA. Loſcheri editio, EXERTA, & pro varia lectione Bodleianus. Et plures quidem ex his ſatis commodae & probabiles ſunt; ut tanto ſit difficilius, quaenam ex omnibus pro vera & ſincera admittenda ſit, ſtatuere. Primo enim EXSUCTA magnis auctoritatibus defendi poteſt: Juvenalis Sat. VIII, 90.

Oſſa vides regum vacuis exſucta medullis:

ubi Scholiaſtes, *Exhauſta a rectoribus.* Ammianus Marcellinus XXX, IV. *In quas* (litium foveas) *ſi captus ceciderit quiſquam, non niſi per multa exiliet luſtra, aduſque ipſas* medullas exſuctus. Quintilianus Inſtitut. XII, 10. *Unde nunc quoque* (Atticorum imitatores) *aridi, & exſucti, & exſangues.* Gellius XX, 8. *Luna nunc videlicet ſeneſcit; ea re oſtrea quoque, ſicut quaedam alia, tenuis* exſuctaque *eſt.* Quamquam in duobus poſtremis locis corrigendum forte eſt EXSUCCI & EXSUCCA, hoc eſt, *ſine ſucco.* Onomaſticon vetus Vulcanii: *Exuccum,* ἄχυμον. Neque vero illud EXUSTA, quod duo codices praeferunt, ſuis auctoribus caret. Manilius lib. I.

Aut gravibus morbis & lenta corpora tabe
Corripit exuſtis *letalis flamma* medullis.

Petronius: *neque enim minor ira rebellat*
Pectore in hoc, leviorque exurit *flamma* me-[dullas.

Seneca Hercule Oetaeo v. 1219.

quis, fervida
Plaga revulſus, cancer infixus meas
Urit medullas?

Quin & exigua mutatione refingere etiam poteris,

EXHAUSTA *uti medulla & aridum jecur*:

quod verbum jam ante habuiſti in Scholiaſte Juvenalis, tamquam interpretamentum & *exſucta*. Ita enim Seneca Hercule Oetaeo v. 1227.

Exedit artus penitus, & totas malum
Hauſit medullas.

Paullinus de Vita S. Martini lib. II.

Arentes *penetrat praeſens benedictio venas,*
Et rigat exhauſtas *verborum rore* medullas.

& lib. V.

Nec prius abſiſtit, jugi cruciata labore,
Proterere exhauſtis arentia *membra* medullis:

hoc eſt, imminutis, ſiccatis, conſumtis. Quintilianus Declam. XII, de iis qui magna fame cogente carnes humanas comedebant: *Nunc occurrunt effuſa praecordia, & lividae carnes, & expreſſum dentibus tabum, &* exhauſtae *oſſibus* medullae. Verum hoc in loco *exhauſtae* idem notat ac *extractae*; quo ſenſu plane convenit cum illa altera lectione, EXSECTA *uti medulla*. Quae, etſi plurium & antiquiorum codicum teſtimonio nitatur, ideo tamen hic minus arridet, quia deſerit plane & deſtituit ſententiam. Longo, inquit, jejunio enecandus erat puer, ut *medulla exſecta* & arefactum jecur potionem amatoriam facerent. Atqui medulla *exſecari* & extrahi ex corpore pleno & pingui facilius & uberius poſſet, quam longa fame emaciato. Quare requiritur hic epitheton, quod diuturnae illius inediae cauſſam reddat, quale illud eſt quod ſequitur, *aridum jecur*: quo medulla quoque exſiccata pariter intelligi poſſit. Atque huic ſenſui longe aptius conveniunt illa, quae jam attigimus, EXSUCTA, EXUSTA, EXHAUSTA, quam EXSECTA. Nihil tamen tam ex omni parte quadrat, quam quod magnus Heinſius divinavit, in ora ſui exemplaris, *Lege*, inquit, EXESA *vel* EXESTA; *ad verſum*, *Eſt mollis flamma medullas*. Ubi refert nos ad Annotationes ſuas in Virgilium, quae jam magno rei literariae damno furto ſurreptae, proh nefas, interciderunt. Verum & antea in Notis ad Ovidium conjecturam hanc propoſuerat, Metam. XIV. v. 208. Horat. Epod. v.

EXESA *uti medulla, & aridum jecur*
Amoris eſſet poculum.

" Ita, ait, ſcribo. Nam vulgari *exerta*. Lam-
" binus, Faërnus, Cruquius, Torrentius, *Ex-*
" *ſucta*, ut in illo Juvenalis Sat. VIII.
" *Oſſa vides regum vacuis* exſucta *medullis*.
" Sed ibi allegorice locutus eſt. Scripti fere
" omnes *Exſecta* vel *Execta*. Niſi *exeſta* di-
" xerit Horatius, ut *comeſto patrimonio* Sallu-
" ſtius, quod ex illo a Grammaticis citatur.
" Et ſane archaiſmos hujuſmodi multos in
" Epodis Horatius adhibuit. *Eſtrices* etiam di-
" cit in Caſina Plautus, & *urſas hominum*
" *ambeſtrices* Ammianus Marcellinus lib. XIX.
" *Siccam* dixit *medullam* Propertius II, 12. quae
" *exeſta* eſt Horatio. Valerius Flaccus lib. IV.
" Exedit *labor, & miſeris feſtina ſenectus*.
" Caſtigandus ejuſdem locus lib. V.
" *Robur cura ducis magnique* edere *labores*
" Ineptiſſime & contra auctoris mentem *de-*
" *dere* nunc legitur. Apud eundem Valerium
" III. v. 693.
" *multuſque viri cunctantia corda*
" Eſt *dolor*.
" ubi *fert dolor* nunc legitur, minus bene.
" Quomodo & apud Naſonem Pont. I, 1.
" Eſtur *ut occulta vitiata teredine navis*,
" multi codices *fertur* agnoſcunt. *Odiis arbitr*
" *exedere* apud Maronem Aen. V. *Exedit cura*,
" *maerore, inedia, ira, dolore*, familiare eſt op-
" timis auctoribus. *Exeſt angor* apud Lucretium.

Haec ibi vir illuſtriſſimus. Nos archaiſmis illis valere juſſis, retinemus hic EXESA, quod praeter loca Heinſio citata confirmant amplius, Catullus in coma Berenices,

Quam penitus maeſtas exedit *flamma* medullas!

ut olim emendavimus notis ad Callimachum: vulgo, *Cum penitus*. Idem Epigr. XXXVI.

ex eo miſellae
Ignes interiorem edunt medullam.

& iterum LVI.

Defeſſus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus pereſus.

Corippus Africanus lib. II.

Et contracta rigent arentibus *oſſa* medullis.

Paullinus de vita Martini lib. I.

Huic febris totas penitus depaſta medullas.

& mox ibidem,

Et cutis exeſis *dudum jam lurida* membris.

& lib. IV.

Exeſis *penitus vehementi febre* medullis.

Silius XIV.

membriſque *cutis tegit oſſa* pereſis.

Statius Silv. II, 1.

quod non mors lenta jacentis
Exedit *puerile decus*.

Seneca, ut ſupra,

Exedit artus *penitus, & totas malum*
Hauſit medullas.

Seneca Epiſt. CXIV. *Cum vero magis ac magis vires morbus* exedit, *& in* medullas *nervoſque deſcendere deliciae*. Quintilianus Declam. XII, de *fame* confectis loquens: *Figura tibi exſos vultus, decreſcentem populum, jam praemortuas vires*. S. Hieronymus Epiſt. ad Heliodorum: *Super nudam metuis humum* EXESA IEIUNIIS *membra collidere?* Seneca Epiſt. CXII. *Si vetus & exeſa eſt vitis, ſi infirma graciliſque, aut non recipiet ſurculum, aut non alet.* Silius lib. II.

jam lumina retro
Exeſis *fugere genis*.

Noſter

Digitized by Google

Noſter Carm III, 4. *nec* peredit
Impoſitam celer ignis Aetnam.
Silius XII.
Mulciber immugit, lacerataque viſcera terrae
Mandit, & excelos *labefactat murmure mon-*
& ibidem. [*tes.*
Depaſti *flammis ſcopuli.*
& lib. XIV.
Nam Lipare, vaſtis ſubter depaſta *caminis,*
Sulfuream vomit exeſo *de vertice fumum.*
Ita *adedit ignis* familiare bonis auctoribus; de quo vide ipſum Heinſium ad Ovidii Amores I, 15.

v. 55. FORMIDOLOSIS DUM LATENT SILVIS FERAE] Loſcheri editio *Formidoloſis ſilvis*; cui accedunt Torrentii aliquot, Blandinii veteres (ut ex verbis Cruquii patet, quamvis ſecus ſit editum) Leidenſis & Reginenſis noſtri, & Battelianus pro varia lectione. Ceteri cum editione prima FORMIDOLOSAE *ferae*. Utram jam lectionem mavis? *Formidoloſus* ambigue ſignificat, & qui formidat, & qui formidatur: quorum neutrum convenit *feris*, dum *ſopore languidae* ſunt. Placet igitur *formidoloſis*, ut perpetuum ſit ſilvarum epitheton. Virgil. Georg. IV, 468.
Et caligantem nigra formidine *lucum.*
& Aen. I, 169. *tum ſilvis ſcena coruſcis*
Deſuper, horrentique *atrum nemus immi-*
Statius Theb. V, 577. [*net umbra.*
ſeu tu pavidi *ferus incola* luci,
Sive deus. Lucanus III, 411.
Arboribus ſuus horror ineſt.

v. 63. QUIBUS SUPERBAM FUGIT ULTA PELLICEM] Editiones veteres cum Acrone Scholiaſte, & dimidia parte codicum, in quibus Reginenſis & Leidenſis noſtri,
Quibus SUPERBA *fugit.*
ita & apud Senecam Chorus Medeam *ſuperbam* vocat, v. 855.
Vultus citatus ira Riget, & caput feroci
Quatiens ſuperba *motu, Regi minatur ultro.*
Rectius tamen SUPERBAM *pellicem* cum Blandiniis aliiſque legeris: Dulcior enim compoſitio eſt, & epitheton aptiſſimum. Auctor Octaviae v. 125.
Adice his ſuperbam pellicem, *noſtrae domus*
Spoliis nitentem.

v. 87. VENENA MAGNUM] Duriſſimus locus, neque quocumque modo vertas & excutias, ſententiam commodam praebens:
Venena, magnum fas nefaſque, non valent
Convertere humanam vicem.
Scio equidem, ut conati ſint explicare veteres novique Interpretes; ſed, ſiquid video, laterem laverunt. Neque rectius Rutgerſio proceſſit, qui ſic corrigebat;
Venena, MAGICUM *fas nefaſque non valent.*
hoc eſt, ait, *Venena, quae totum magorum fas & nefas ſunt.* Nihil vidi infelicius: neque enim verba eum ſenſum, quem concipit, admittunt; neque ſenſus ipſe uliam hic venerem aut elegantiam habet. Multa quidem ipſe nequicquam tentavi, quae piget hic referre: tamen ne omnino aſymbolus veniam, dicam aliquid; quod, etſi ne mihi quidem placeat, Rutgerſiano haud deterius fore credo. Ergo ecce tibi correctionem, qualiſcumque eſt,
Venena MAGICA *fas nefaſque non valent,*
NON VERTERE HUMANAS VICES.
Venena, ait, *magica*; id enim epitheton neceſſarium hic videtur: quippe *venena*, per ſe & abſolute poſita, non poſſunt rem magicam denotare. Valerius Flaccus VII, 327.
Utque procul magicis *ſpirantia tecta* venenis,
Et ſaevae patuere fores.
Ea vero, inquit, *non valent vertere fas & nefas.* Ita Virgilius loquitur Georg. I, 505.
Quippe ubi fas verſum atque nefas; *tot*
bella per orbem,
Tam multae ſcelerum facies.
Seneca de Ira II, 8. *Numquid enim ſinguli aut pauci rupere legem? undique, velut ſigno dato, ad* fas nefaſque miſcendum *coorti ſunt.* Negat itaque venena magica, quamvis poſſint
Siſtere aquam fluviis, & vertere ſidera retro,
Vertere *& in tacitos juvenilia corpora piſces,*
Fulminis & rapidi carmine vertere *iter,*
& alia id genus portenta facere; negat, inquam, naturam juſti & injuſti poſſe itidem *vertere.* Sed objicies fortaſſe cum Lambino & Dacerio, rem aliter ſe habere, & *veneficia* re ipſa fas nefaſque vertere, ut *bella* & *ſcelera* vertunt apud Virgilium. Verum illud viri docti non animadverterunt, diverſis nominibus utrumque verum eſſe, & quod vertant fas & nefas, & quod non vertant. Vertunt quidem, quod ad ipſas veneficas attinet: quippe quibus, ut Senecae verbis utar Controv. II. *omne fas nefaſque luſus eſt*; quae, ut Tacitus loquitur Hiſt. II, 50. *in omne fas nefaſque avidae ſunt & venales*;
Quae *fas atque nefas exiguo fine libidinum*
Diſcernunt avidae;
ut de Thracibus Noſter Carm. I, 18. Atque ita explicat Servius Virgilii illud, *Quippe ubi fas verſum atque nefas*] *Apud homines ſcilicet,*

Digitized by Google

qui spernunt licita, appetentes illicita. Non tamen vertunt quoad naturam rerum, & divinam providentiam: ut Virgilius Aen. I, 547.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma;
At sperate deos memores fandi atque nefandi.

quemadmodum & puer hic humana ope destitutus ad deos ultores se convertit:

Diris agam vos; dira detestatio
Nulla expiatur victima.

Postremo negat veneficia *vertere vices humanas*, sive effugere posse poenam, quae claudo licet pede scelestos tandem consequitur. *Vices*, ut optime hic Porphyrion, *appellantur poenae, quae in sceleratos regeruntur:* ut Noster Carm. I, 28.

fors &
Debita jura, vicesque *superbae*
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
Teque piacula nulla resolvent.

& Ovidius Trist. III, 11.

Humanaeque *memor sortis, quae tollit eosdem*
Et premit: incertas ipse verere vices.

Atque haec quidem ideo diximus, ne nihil diceremus. Frustra tamen, opinor, labor omnis impenditur: & fortasse locum spurium & interpolatum curamus, qui sola spongia sanari poterit, nulla alia medicina.

EPOD. VII.

v. 12. UNQUAM NISI IN DISPAR FERIS] Ita prima Veneta Editio & Loscheri, cum codicibus melioris notae, in quibus Graevianus & Reginensis Nostri. Leidensis FERAS, unde Nicol. Heinsius ex conjectura,

Umquam nisi dispari in fera.

Petrensis Noster,

Umquam nisi in disparibus feris.

Editio Veneta anni 1490.

Nunquam nisi in disparibus feris.

Miror equidem tot viros eruditos, & praesertim acutissimum Heinsium, non vidisse veritatem adeo in aperto & nudo positam. Quippe sine dubio scripsit Noster;

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus;
NUMQUAM, *nisi in dispar, feris.*

Cur, inquit, o Romani, non adversus Poenos aut Britannos, sed civis contra civem arma geritis? *ne lupis quidem & leonibus hic mos est, qui* NUMQUAM *feri & saevi sunt, nisi in* animal *dispar.* Lupus enim in lupum, & leo in leonem mitis est & innocuus. *In dispar*; ut Cicero Tuscul. V, 13. *Atque earum* (bestiarum) *quaeque suum tenens munus, cum in* disparis animantis *vitam transire non possit, manet in lege naturae.* Eleganter Juvenalis Sat. XV.

Sed jam serpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera: quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore umquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: saevis inter se convenit ursis.

Plinius Hist. Nat. VII, 1. *Denique cetera animantia in suo genere probe degunt: congregari videmus & stare contra* dissimilia: *leonum feritas inter se non dimicat: serpentium morsus non petit serpentes: ne muris quidem belluae ac pisces, nisi in* diversa genera, *saeviunt.* Seneca Epist. 95. *Nm pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno? bella gerere, gerendaque liberis tradere? cum inter se etiam mutis ac feris pax sit.* Una omnium locorum sententia est: sed quo Horatius argumento utitur, ne Romanus contra Romanum; eodem illi *φιλοσοφήσεον* utuntur, ne Homo contra Hominem bella gerat.

v. 13. FURORNE CAECUS] Recte quidem *furor caecus*; ut Seneca Herc. Furente v. 991. *quo se* caecus *impegit* furor? & Thyeste, 27. *mentes* caecus *instiget* furor. & Oedipode 590.

Tum torva Erinnys sonuit, & caecus Furor.

Sed elegans tamen lectio est, quam servat codex Regiae Societatis dum duobus Torrentii,

Furorne CAECOS, *an rapit vis acrior,*
An culpa? responsum date.

Atque ita plane citat Scholiastes Porphyrio in Editione Veneta MCCCCXC; in recentioribus male mutatum est *caecos* in *caecus.* Vix dubites, quin ab Horatii manu fuerit; unde enim librariis tam non vulgarem constructionem? contra, receptam lectionem ex hac procudere proclive iis fuit. *Furorne rapit caecos?* ut Virgil. Aen. II, 357.

quos improba ventris
Exegit caecos rabies.

Statius Theb. III, 630.

arma
Quo rapitis? quae vos Furiarum *verbera*
Exagitant? [caecos

Noster Serm. II, 3. v. 44.

Quem mala stultitia & quaecumque insciția
Caecum agit. [vers

Livius

Livius XXVIII, 22. *Cum* caeci furore *in vulnera ac ferrum audaci vecordia ruerent.* Ceterum illud interpretes noſtros ſollicitos habet, quid proprie notent, & quomodo inter ſe differant *furor, vis acrior, & culpa.* Tu, ſi ſapis, ſic explicabis & diſtingues:

Furorne caecos, an rapit vis acrior,
An culpa?

hoc eſt, *utrumne furore & vecordia in bellum civile ruitis, an vi & ira deorum acti, an ſcientes prudentes & veſtra culpa?* Ita Ciris fere apud Virgilium dubitat, utrum fato an caſu an culpa in amorem inciderit: verſu 455.

Vel fato *fuerit nobis haec debita peſtis,*
Vel caſu *incepto,* merita *vel denique* culpa.

ubi obiter corrigendum, *Vel caſu* INCERTO. *Vis acrior* eadem eſt, quae *Vis major.* Gaius in Digeſt. XIX. Tit. 11. leg. 25. ſect. 6. *Vis major, quam Graeci* θεῖον βίαιον, *id eſt vim divinam, appellant, non debet conductori damnoſa eſſe.* Vegetius I, 24. *Sed ubi* vis acrior *immineat hoſtium, tum legitima foſſa ambitum convenit munire caſtrorum.* Porro *vis* illa *major* opponitur *culpae*: ut hic, *An rapit vis acrior, an culpa?* Digeſt. XIII, 7, 13. *Venit in hac actione & dolus & culpa, venit & cuſtodia,* vis major *non venit.* Ibid. XIII, 7, 30. Culpam *dumtaxat ei praeſtandam, non* vim majorem. Tandem autem reſpondet Horatius,

Sic eſt: acerba fata Romanos agunt:

hoc eſt, *vi majore, divina ira, & fatali neceſſitate haec eveniunt.* Errant hic interpretes.

V. 15. ET ORA PALLOR ALBUS INFICIT] Recte hoc quidem: ſed elegantius tamen Editio Loſcheri, alio verborum ordine,

Tacent, & ALBUS ORA PALLOR inficit.

Quod & firmant codices noſtri Reginenſis & Regiae ſocietatis, cum Acrone & edito & manuſcripto. Quidni ergo recipiamus?

EPOD. VIII.

V. 15. ILLITERATI NUM MINUS NERVI] Infeliciter hunc locum tentavit Nic. Heinſius, hic in libri ſui margine, & ad Ovidii Amor. III, 7. v. 67. & infelicius multo Dacerius. Accedo ad Guieti ſententiam, qui notis ad Terentii Andriam IV, 1. ſic corrigebat:

Illiterati num minus nervi rigent?
MAGISVE *languet faſcinum?*

vel, ILLITERATIS. Cur autem ſi interroges; non dicam: haud immemor verborum Quinctiliani in Inſtitutionibus I, 13. *Utiles Tragoediae, alunt & Lyrici: ſi tamen in his non auctores modo, ſed etiam partes operis elegeris. Nam & Graeci licenter* MULTA; *& Horatium in* QUIBUSDAM *nolim interpretari.*

EPOD. IX.

V. 1. QUANDO REPOSTUM] Lege ex conjectura elegantiſſimi Nic. Heinſii:

Quando O repoſtum Caecubum ad feſtas dapes.

Illud O facile a praecedente abſorberi poterat, & a librariis omitti: reſtitutum vero mirificam vim & vehementiam ſententiae impertit.

V. 5. SONANTE MIXTUM TIBIIS] Duo codices notae optimae apud Lambinum habent,

Sonante MIXTIS *tibiis carmen lyra:*

quod ut ei non diſplicet, ita mihi quidem prae vulgata placet. Vide nos ad Carm. IV, 1. v. 22. Siquis tamen MIXTUM hic maluerit, non admodum pugnabo.

V. 16. SOL ASPICIT CONOPEUM] Ita quidem codices: ſed ſcribendum potius CONOPIUM. Graeci ſcilicet utrumque habuerunt, κωνώπειον & κωνώπιον; ut κηρώπειον & κηρώπιον, φοινίκειον & φοινίκιον, κυκλώπειον & κυκλώπιον & ſimilia. Ergo cum producta eſt penultima ſyllaba, ſcribendum *conopeum*; ut apud Juvenalem Sat. VI.

Ut teſtudineo tibi, Lentule, conopeo:

cum correpta eſt, *conopium*; ut hic & apud Propertium III, 9.

Foedaque Tarpeio conopia *tendere ſaxo.*

Atque hoc placuit etiam ſagaciſſimo Nic. Heinſio.

V. 17. AD HUNC FREMENTES] Locus difficillimus:

Ad hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli, canentes Caeſarem.

Loſcherus & ſequentium plerique AD HUNC, ut Graevianus, & Reginenſis noſtri cum iis aliis. Editio Veneta ADHUC, ut Leidenſis a prima manu, Bodleianus, & Servius ad Aen. VI, 613. Cruquiani aliquot cum duobus Pulmanni & Zulichemiano

Digitized by Google

lichemiano ac Vigornienſi, AT HUC. In tanta varietate, omnium peſſime rem gerunt, qui *Ad hunc* retinent, & interpretantur *contra Antonium*. Neque enim *Hunc* de Antonio accipere poſſis, qui nuſquam antea hic nominatur aut deſcribitur: neque *Ad hunc verterunt equos* perinde eſt ac *adverſus hunc*. Omnino enim hic indicatur Gallos hoſce fuiſſe tranſfugas, & ad Auguſtum ab Antonio equos vertiſſe: ut proinde *ab hoc* dicendum fuerit, non *ad hunc*. Servius loco jam laudato: *Si culpat eos, qui contra fidem datae veniae dimicarunt, tangit Auguſtum. Nam tranſierunt* ad eum ab Antonio *duo millia equitum, per quos eſt victoriam conſecutus; ut Horatius, Adhuc frementes* &c. Velleius Paterculus de bello Actiaco loquens II, 84. *Hinc ad Antonium nemo, illinc ad Caeſarem quotidie aliquid transfugiebat.* Neque multo felicius ſe expediunt, qui alteram lectionem ſequuntur,

AT HUC *frementes verterunt bis mille equos. Huc*, inquiunt, id eſt, *ad nos, ad Cueſaris partes.* Recte quidem; ſi carmen hoc in caſtris Caeſari praeſens ſcripſiſſet Noſter: is vero tum Romae erat cum Maecenate urbi praefecto. Jam autem quae reliqua eſt lectio ADHUC, nullum hactenus fautorem invenit; neque ſane ullum hic ſenſum parit. Ea tamen, ni fallor, omnium proxime ad veram ſcripturam accedit: ſic enim legendum arbitror:

Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopium.
AD HOC *frementes verterunt bis mille equos*
Galli, canentes Caeſarem.

Ad hoc, id eſt, ad hoc conopium, ad hoc turpe ſpectaculum: vel forte, AD HAEC: hoc eſt, *ad has res*, nempe quod feminae & eunuchis parendum eſſet, quod inter ſigna conopeum viſeretur, prae indignatione transfugerunt. Noſter Epiſt. I, 19.

ad haec *ego naribus uti Formido.*

i. e. ad haec verba. Naſo Pont. I, 3.

Et jam deficiens, ſic ad tua verba *revixi,*
Ut ſolet infuſo vena redire mero.

Rem vero ipſam optime enarrat Porphyrion; atque ita quidem, ut plane, uti nos nunc legimus, legiſſe olim videatur. *Significat*, ait, *equitum Gallorum duo millia ab Antonii partibus ad Caeſarem transfugiſſe: quorum ideo mentio facta eſt, ut Romanos, qui ſub Praepoſitis ſpadonibus aequo animo militarent, magis oneraret per comparationem Gallorum, qui* hoc dedignati *ad Caeſarem ſe contulerunt.* Vix eſt, ut aut aliter ſcripſerit Horatius, aut legerit Porphyrio.

V. 20. PUPPES SINISTRORSUM CITAE] Etiam hic locus omnium interpretum ingenia exercuit, & poſthac fortaſſe exercebit. Neque enim promittere audemus, nos expoſitione noſtra omnium dubitationibus ſatisfacturos: idque, quia rerum bello Actiaco geſtarum tenuem hodie notitiam habemus. Ut enim nullus jam extat auctor, qui illud equitum Gallorum transfugium memoret, praeter ipſum Horatium: ita & hoc loco rem aliquam tangi exiſtimo, de qua hodie nihil aliunde compertum habemus. Quare laudem aliquam, aut veniam ſaltem, merebimur; ſi tentando & divinando aut verum ipſum aut veri quid ſimillimum eruere poterimus. Accingamur itaque ad ipſa verba paullatim evolvenda:

Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopium.
Ad hoc frementes verterunt bis mille equos
Galli, canentes Caeſarem:
Hoſtiliumque navium portu latent
Puppes, ſiniſtrorſum citae.

Ubi primo id noviſſima emendatione (AD HOC) conſecuti videmur, ut poëtae mentem jam eminus etiam hic odorari valeamus. Vix enim aliter eſſe poteſt, quin ut diſticho priore *terra*, ita hic *mari* defectionem ab Antonio ſignificet. *Ad hoc*, inquit, Galli defecerunt; *ad hoc* hoſtiles naves latuerunt in portu, ſiniſtram verſus actae. Quod quale ſit, mox videbimus. *Puppes*, ait, *navium portu latent*: id more ſollemni; puppes enim in littore ſtatuebantur, quo naves expeditius rectis prorис e portu exirent; neque opus eſſet inhibendo remis eas convertere. Notum illud Virgilii:

Ancora de prora jacitur: ſtant litore puppes.

Citae autem participium eſt a *cieo* prima correpta; ut contra a *cio citus* primam producit; ab eo *concitus*, ab hoc *concitus* deducitur. Cum itaque *puppes navium citae* fuiſſe dicit; neceſſe eſt, ut intelligamus naves retrorſum fuiſſe actas, ita ut puppes praecederent, prorae ſequerentur: quod Graeci πρύμναν κρούειν, *puppem ciere*; Latini *inhibere remis & retro navem inhibere* dicunt. Id quod plerumque fieri ſolebat, quoties aut jam claſſe hoſtium propinqua navale praelium detrectarent, aut poſt congreſſionem fugam pararent. Ita Themiſtocles apud Juſtinum II, 12. Ionas ad defectionem his verbis ſollicitat. *Quin vos in haec noſtra caſtra ex iſta obſidione tranſitis?* (ſive transfugitis) *Aut ſi hoc parum tutum eſt; at vos commiſſo praelio ite ceſſim, inhibete remis, & a bello diſcedite.* Ergo hoc tandem in Horatii

Digitized by Google

ratii verbis habemus; Naves aliquot hostium ex praelio vel paullo ante praelium recessisse, & in portu aliquo se condidisse. Jam autem quid *sinistrorsum* hic denotet, non satis liquido apparet. Nescias enim, an forte nautica fuerit locutio, & perinde sit ac *retrorsum inhibere*. Quod si admittatur, jam nulla reliqua erit difficultas. Tutius tamen est hic significatione communi *sinistrorsum* accipere; quia de illa, quae rei nauticae propria fuerit, nihil nunc constat. Ergo *sinistrorsum citae* erunt sinistram partem versus remigio actae. Auctori autem haec Romae scribenti, & pugnae locum in oculis habenti, ad sinistram erant litora Epiri, & promontorium Actium. Quidni ergo sic totum locum interpretemur; ut Antonii aliquot naves ab eo desciscentes retrorsum in puppem remigando fugam capessiverint, & in portum aliquem Actio propinquum ad sinistram se receperint. Nam quod vetus Scholiastes & recentiorum plerique *sinistrorsum* Alexandriam versus exponant, & de navibus Antonium ipsum vehentibus accipiant; id vero cum sequentibus pugnat, neque hic potest consistere. Nesciebat enim tum Horatius Antonium Alexandriam petiturum, nedum jam tum in *portu* Alexandrino *latere*. Sic enim mox loquitur;

Aut ille centum nobilem Cretam *urbibus*
Ventis iturus non suis;
Exercitatas aut petit Syrtes *noto*,
Aut fertur incerto mari.

Quare, aut valde fallor, aut melius est de parte classis Antonianae, quae ab illo transfugerit aut pugnam detrectaverit, verba haec accipere. At dices fortasse, quis Historicorum memoriae id tradidit? Nemo quidem, qui nunc extat: at quot sunt deperditi? quis autem Gallorum equitum defectionem disertis verbis memorat praeter ipsum Horatium? Nam Servius ex Horatio solo habuit, quod ea de re narrat. Satis est, si verba ipsa, quae jam excutimus, eo nos recta via ducunt, ut defectionem talem intelligamus. Siquidem & Plutarchus refert in vita Antonii p. 1729. Edit. Steph. τὸ ναυλικὸν ἐν παντὶ δυνατωτάτῳ, καὶ πρὸς ἅπασαν ἰσχύοντι βοήθειαν, classem Antonii paullo ante pugnam rem omnem male gessisse, & ubique; tarde nimis auxilio adjuisse. Quod quantulum abest a detrectatione praelii? Ceterum quod ex Cruquii libris duobus afferunt, *sinistrorsum* SITAE, id parvi momenti est; etsi magnos fautores habeat. Ipse enim Cruquius fatetur a prima manu eos ipsos codices CITAE exhibuisse; ut sane omnes nostri & aliorum cum editionibus vetustis clare praeferunt.

v. 22. CURRUS ET INTACTAS BOVES] Nic. Heinsius in margine exemplaris sui, *Forte*, ait, INTACTOS. Sed vetat hoc vetustus Grammaticus Valerius Probus p. 1462. *Hic & haec bos hujus bovis: Horatius: Intactas boves.* Erudite Scholiastes Porphyrion: *Intactas boves, hoc est, indomitas. Non sic dixit, quasi feminis tantum triumphantes sacrificent; sed quia mestro quid gratius femineo genere boves, quam masculino.* Porro etiam *intactas* habent omnes scripti cum vetustis editionibus.

v. 25. NEQUE AFRICANO] In priscis Editionibus Veneta & Loscheriana sic locus hic exhibetur.

Io Triumphe, nec Jugurthino parem
Bello reportasti ducem;
Neque AFRICANUM, *cui super Carthaginem*
Virtus sepulchrum condidit.

Neque aliter praeferunt Pulmanni Bersmanniique & Torrentii & nostri codices. Primus opinor, Aldus Manutius illud alterum invexit; quod deinceps propagatum silentio transmiserunt Lambinus & Cruquius, dissimulata membranarum scriptura: nullus enim dubito, quin illi in suis idem invenerint. Quid vero est *Africano bello?* annon & *Jugurthinum* etiam erat Africanum? Si id voluit Horatius, bello *Punico* dictum oportuit, non *Africano*: quo quidem nomine hoc ab illo distingui non potest. Sed esto hoc: quid deinde erit, quo illud *cui* referatur? *cui bello* in ea constructione necessario accipiendum erit; quo nihil ineptius fingi potest. Recipienda igitur membranarum lectio: *Nec Marium*, ait, *parem Augusto ducem reportasti, nec Scipionem Africanum.* Illud interea dubium, & inter interpretes magnopere controversum est; utrum hic velit Scipionem, avumnene an nepotem? & quid ista significent, *cui super Carthaginem*
Virtus sepulchrum condidit.

Eorum dissidentes sententias videat, cui animus & copia est. Ego vero, utrumcumque Scipionem hic intelligam, longe aliter atque illi faciunt, verba explicem. Si majorem, tum sic velim enarrare: *Cui virtus sua* a poëta Ennio decantata *sepulchrum condidit, majus clariusque ipsa Carthagine.* Quid vero, inquies, an Ennii poëma, utcumque Scipionem praedicet, ejus sepulchrum dici potest? Quidni autem, ut Homeri Ilias sepulchrum Hectoris dicitur in Epigrammate, Antholog. III, 14.

Μή μοι πίφῳ τύγχανε τὸ Ἑκτόρεον, μηδ' ἐπὶ τύμβῳ
Μίτρῃ τὸ πάσης Ἑλλάδος ἀντίπαλον.

Ιλιάς, αὐτὸς Ομηρος ἰμοὶ ΤΑΦΟΣ. Ελλὰς, Ἀχαιοὶ

Φεύγοντες. τύτοις πᾶσιν ἐχωνεύμεθα.

Ut Lucani Pharsalia Pompeii sepulchrum, Statio in Silv. II, 7.

Tu Pelusiaci scelus Canopi
Deflebis pius, & Pharo superba
Pompeio *dabis altius* sepulchrum:

Ut Simonidis carmen sepulchrum naufragi cujusdam Valerio Maximo dicitur, lib. I, 7. *Memor autem beneficii Simonides elegantissimo eum* carmine *aeternitati consecravit, melius illi & diuturnius in animis hominum* sepulchrum *constituens, quam in desertis arenis struxerat.* Ita metaphora non dissimili *monumentum* passim occurrit, ut Noster Carm. III, 30.

Exegi monumentum aere perennius.

Notes autem velim illa praecipue verba, *altius Pharo, melius & diuturnius quam:* illud enim ipsum est *super* Carthaginem. Silius Italicus de eodem Scipione, lib. IV.

Nam tibi servantur, ni vano cassa volatu
Mentitur superos praepes, postrema subactae
Fata, puer, Libyae, & majus Carthagine nomen.

Quod si cui haec minus arrideant, tum is Scipionem Aemilianum majoris nepotem poterit hic intelligere: & deinde, si me audiet, sic levi mutatione locum refinget,

Neque Africanum, QUO *super Carthaginem*
Virtus sepulchrum condidit.

ut ordo sit, *Neque Aemilianum, super quo virtus Carthaginem sepulchrum condidit.* Ipsa scilicet Carthago, quam funditus delevit Scipio, sepulchrum ejus eleganter dicetur; ut Salamis Themistoclis sepulchrum est in Germanici Epigrammate Antholog. III, 5.

Αὐτὴ πάφος λιτοῖο θὲς Ελλάδα. θὲς δ' ἐπὶ ταύτᾳ

Δέξασα βαρβαρικὰς σώμβολα ναυφθορίας,
Καὶ τύμβῳ κρηπῖδα περιγεγραφὼς Περσικὸν Αρη,
Καὶ Σάρδεις. τύτοις ἁπλῶς Θεμιστοκλέα.
Στήλα δ' ἀ ΣΑΛΑΜΙΣ ἐπικείσεται, ἔργα λέγυσα

Ταμὰ. τί μι σμικροῖς τ μέγαν ἐντρέπε.

Ut Europa & Asia Alexandri magni, ibidem in Epig. Parmenionis;

Τύμβον Αλεξάνδρῳ Μακηδόνος ὃν τις ἀείδῃ

ΗΠΕΙΡΟΥΣ κείνε σῆμα λέγ' ἀμφοτέρας.

ubi pro *ἀείδῃ canat*, corrigendum obiter *ἐρείῃ quaerat, interroget.* Ut Graecia tota denique Euripidis sepulchrum est, ibidem III, 25.

Μνᾶμα μὲν ΕΛΛΑΣ ἁπᾶσ' Εὐριπίδυ. ὀστὰ δ' ἴσχει

Γᾶ Μακεδών. ἡ γὰ δίκαιῳ τέρμα βίυ.

v. 34. ET CHIA VINA AUT LESBIA] In vetustis codicibus Torrentii, & Galeano nostro non postremae notae, alia lectio est; quae si distinctione adjuvetur, vulgatae facile palmam praeripiet:

Capaciores affer huc, puer, scyphos:
AUT *Chia vina, aut Lesbia,*
Aut, quod fluentem nauseam coërceat,
Metire nobis Caecubum.

ubi constructio erit, *Metire aut Chia vina, aut Lesbia, aut Caecubum*; non, ut nunc circumfertur, *Affer Chia aut Lesbia, aut metire Caecubum.* Quis non videt illud elegantius esse? Quin, etiam si ET *Chia vina* cum majore codicum parte legeris, distinctio tamen post *scyphos* ponenda erit; ut sane habet princeps editio Veneta.

EPOD. X.

v. 1. MALA SOLUTA NAVIS EXIT ALITE] Apud Marium Victorinum p. 1252. masculino genere effertur,

MALO *soluta navis exit alite.*

Sed, praeterquam quod omnes codices & uterque Scholiastes in altera lectione conspirant, ita citatur & Servio ad Eclogam Virgilii III, & Diomedi p. 482. Lactantius ad Statii Theb. lib. III. *Et te mala protinus ales* [*Qua redeo*] *id est, malum augurium. Quotiescumque enim ales feminino genere dicitur, malum portendit augurium; ut Horatius: Mala soluta navis exit alite.* Retinendum ergo hic genus femininum, tot auctoritatibus fultum. Delirat tamen acumen Grammatici; nam eodem genere & bonum augurium significat. Noster ipse Epod. XVI. [secunda

Sic placet? an melius quis habet suadere?
Ratem occupare quid moramur alite?

Tamen codex optimus Reginensis clare illic praefert, SECUNDO. Catullus Epigram. LXII.

bona cum bona

Nubat alite *virgo.*

v. 8. FRANGIT TREMENTES ILICES] Plotio Grammatico veteri sic locus hic citatur, p. 1647.

Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
FREGIT *trementes ilices.*

E:

Digitized by Google

Et ſane dulcius quid apud Poëtas prae ſe ferunt Praeterita, quam Praeſentia: ut Carm. IV, 4.

Qualem miniſtrum fulminis alitem—
Egit *amor dapis atque pugnae.*

Virgilius:

Quales mugitus, fugit *cum ſaucius aram*
Taurus, & incertam excuſſit *cervice ſecurim.*

Neutrum tamen hic admiror, quia jam verſu proximo habuit,

FRACTOSQUE *remos differat.*

Equidem VERTIT vel STERNIT vel ſimile quid dixiſſem potius, quam bis continenter idem verbum inculcaſſem.

v. 19. IONIUS UDO] Locus hic, ut in Loſcheri & pleriſque editionibus habetur,

Ionius udo cum remugiens ſinus
Noto carinam ruperit,

nihil videtur difficultatis habere. Recte enim *Ionius ſinus*, ut Propertius IV, 6.

Qua ſinus Ioniae *murmura condit* aquae.

& Servius ad Aeneid. III, 211. *Et ſciendum* Ionium ſinum *eſſe immenſum ab Ionia uſque ad Siciliam.* Recte etiam *udo noto*, ut Statius Silv. I, 6.

quas udo *Numidae rapuere ſub* Auſtro,

de quo vide plura ad Carm. IV, 5. verſ. 9. Editio tamen Veneta, quod & Cruquius ex Blandiniis ſuis profert & recipit,

Ionius udo cum remugiens SINU
NOTUS *carinam ruperit.*

Quo nihil umquam frigidius & inſulſius vidi. Quid enim eſt *Ionius Notus?* quis umquam *Notum* eo epitheto donavit? Quod ſi maxime *Ionius notus* diceretur; tamen ineptum plane eſſet hoc in loco, quia Maevius in *Ionio mari* jam navigabat. Nam & *Threïcius* quidem *Boreas* dicitur; ſed non in Thracia verſantibus: & *Notus Libycus*; ſed non Afris ipſis, verum aliis inter Libyam & ſeptentrionem degentibus. Et quid jam erit *udo ſinu?* ſinu velorum, inquit. quid? an *vela* nominaverat antea Noſter; ut commode hic ſubintelligi poſſint? ut in illo Claudiani mox iterum citando,

Ionium tegitur velis, *ventique laborant*
Tot curvare ſinus.

Nugae meae. Tole rabilior longe eſt alia lectio,

Ionius udo cum remugiens SINU
Noto carinam ruperit:

quam Torrentius in quattuor codicibus inventam ſecutus eſt, ac poſtea Ianus Rutgerſius, & jam nuper eruditiſſimus Baxterus. Ubi conſtructio erit, *Cum Ionius udo ſinu remugiens noto ruperit carinam.* Et *Ionius*, aiunt, abſolute pro Ionio mari, ut Graecis ὁ Ἰόνιος. Recte quidem narrant de Graecis, qui & vincta oratione & ſoluta maſculinum hic uſurpant, ſubaudito πόντος. At Latini neutrum magis amant, quippe quibus *mare* ſubintelligitur. Ovidius Faſt. IV, 565. de Cerere:

Hinc init Aegaeum, quo Cycladas aſpicit omnes;
Ioniumque rapax *Icariumque legit.*

Lucanus VI, 27.

Ioniumq; *furens rapido cum tollitur Auſtro.*

Claudianus IV. Conſ. Honorii v. 209.

Ionium *tegitur velis, ventique laborant*
Tot curvare ſinus. & I. Stilich. v. 174.
Vexillum navale dares; ſub puppibus ibat
Ionium.

Nam quod ex Juvenali citant, ubi maſculino genere effertur, Sat. VI, 92.

Tyrrhenos igitur fluctus, lateque ſonantem
Fertulit Ionium:

aut refingi fortaſſe debet *lateque ſonorum*; aut ex verbo praecedente ſubſtantivum ſibi adſciſcere poteſt *fluctum*; aut certe ob raritatem non temere Horatio adfingendum eſt. Sed & aliud in hac lectione incommodum eſt & odioſum: quippe geminus hic ablativus *remugiens ſinu Noto* nauſeam plane movet. *Noto* enim ablativo caſu hic eſſerri, certo ſcire poteris ex iis quae ad Carm. III, 10. v. 7. adnotavimus. Retinenda ergo eſt altera lectio, in qua nihil eſt quod vel Momus ipſe culpet aut faſtidiat. Atque eam ſolam noſtri codices univerſi agnoſcunt; niſi quod in Petrenſi corrector neſcio quis, iratis Muſis, hoc inter lineas interſerit,

Ionio udus *cum remugiens ſinu*
Notus *carinam ruperit.*

v. 22. PORRECTA MERGOS JUVERIS] Jam ſemel antea in hoc vocabulo librariorum incuriam experti ſumus, Carm. III, 10. v. 3. & ecce tibi iterum eadem chorda oberrantes. Quantumvis enim ii ſimul omnes reclament, meo periculo reſcribe,

Opima quod ſi praeda curvo littore
PROJECTA *mergos juveris.*

Quid enim, amabo, hic facit *Porrecta?* Tacent interpretes novi: ſed antiquus rem omnem expediet. *Porrecta*, ait, *eſt extenta: ut Virgilius,* [*ſub axem.*

Quaque jacet medium Rhodope porrecta

En cor Zenodoti! ſed dic, ſodes, quid mergorum intererat, utrum *extentus*, an incurvatus, & quidem quadrupes conſtrictus jaceret? Nam utcumque, opinor, poſiti cadaveris rimari & lacerare viſcera potuerunt. Sed, ut jam dixi,

Digitized by Google

ab Horatii manu fuit, *Projecta litore praeda*; hoc est, quae inhumata, insepulta, abjicitur, ut supra Epod. VI.

Projectum *odoraris cibum.*

Statius Theb. XII, 749.

Sic juvat exanimis projectaque praeda *ferarum*
Degeneresque lupos: magnos alit ira leones.

Lucretius III, 890.

Vivus enim sibi cum proponit quisque futurum, [que;
Corpus uti volucres *lacerent in morte* feraeIpse *sui miseret; neque enim se vindicat hilum,*
Nec removet satis a projecto *corpore.*

&, V. 223.

Tum porro puer, ut saevis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet.

Ovid. Epist. Phyllidis.

Ad tua me fluctus projectam littora *portent,*
Occurramque oculis intumulata tuis.

Propertius I, 22.

Tu projecta *mei perpessa es membra propinqui,*
Tu nullo miseri contegis ossa solo.

Statius Theb. XII, 328.

projectus *cespite nudo,*
Hoc patriae telluris habes.

Lucanus VI, 625. *pererrat*

Corpora caesorum, tumulis projecta *negatis.*

& VII, 565.

obit latis projecta *cadavera campis.*

Cicero Tusc. I, 23. *Diogenes* projici *se jussit inhumatum. Tum amici*, Volucribusne & *feris?* Idem de Divinat. I, 27. *Unum de Simonide: qui cum ignotum quendam* projectum *mortuum vidisset, eumque humavisset.* Idem II, 69. *Alcibiades cum esset* projectus *inhumatus, ab omnibusque deserius jaceret.* Quintilianus Declam. VI. *Rursusque cum dicit lex, Insepultus abjiciatur: non utique id significat, ut non liceat eum sepeliri, postquam* projectus *est.* Seneca Epist. XCII. *Utrum* projectum aves *differant, an consumatur canibus data praeda marinis, quid ad illum? ——— Non conterret, inquit, me nec uncus, nec* projecti *ad contumeliam cadaveris laceratio, foeda visuris ——— Quem saevitia* projecerit, *dies condet.* Inunc, & mirare tot eruditos interpretes tam negligenter hic esse versatos. Ceterum codices nostri ad unum omnes JUVERIT, ut & Torrentii & aliorum cum editionibus vetustis. Solus Lambinus in octo suis, si credibile est, JUVERIS invenit. Sed undecumque hoc habuerit, sine dubio rectum est; & a Barthii codice Adversar. XXXVII, 15. & Adnotatore Cruquiano confirmatur. *Juveris*, ait, *paveris.* Et miror equidem illud alterum placuisse optimo Torrentio; non animadvertenti, si JUVERIT legamus, tum incertum fore, utrum ipse Maevius, an quivis alius ex *navitis suis*, an simul omnes, hic *praeda mergorum* intelligendi sint. Tollendum igitur illud ambiguum; neque sane aliud ab indoctis librariis expectandum erat, quam ut JUVERIT hic substituerent; quod vi & lege syntaxeos necessario hic requiri pro eruditione sua crediderunt.

EPOD. XI.

PESSIMUM hic flagitium fecit, alioqui de Flacco bene meritus, doctissimus Lambinus. Cum enim antea ubique sic versus hi ederentur,

Petti nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos, amore perculsum gravi:

& similiter in Epodo XIII,

Horrida tempestas caelum contraxit, & imbres [silvae:
Nivesque deducunt Jovem, nunc mare nunc

primus ille, partim, ut ait, Buchanani auctoritate motus, partim codices quosdam antiquissimos secutus, alternum quemque versum in binos divisit hoc modo,

Scribere versiculos,
Amore perculsum gravi:

&,

Nivesque deducunt Jovem,
Nunc mare, nunc silvae.

& deinceps idem mos in omnibus fere editionibus obtinuit, Dauniis, opinor, Musis praedolore lacrimantibus. De re ipsa mox videbimus: at quod codices hic nobis obtrudit bonus Lambinus, eras credo, hodie nihil. Cur enim *codices quosdam* hic universe memorat male titubans & falsi conscius? cur non singulatim, ut solet, vel Vaticanum, vel Fabrini vel alium nominat? certe in omnibus nostris alternus ille versus unicus est, non geminus: atque ita omnes praeter Lambinum in suis repererunt; ita exhibent Lascherus, & Editio princeps Veneta; ita denique Grammatici veteres citant, & Scholiastae confirmant. Rubrica codicum Leidensis & Graeviani sic habet: I. TERNARIUS IAMBUS. II. QUADRATUS COMPOSITUS A DACTYLO IN IAMBUM.

Simi-

Digitized by Google

Similiter fere Acron: *Metrum primo versu ternarium iambicum. Secundus ex penthemimeri dactylica & iambica. Alii dicunt esse ternarium iambicum, & II. quadratum a dactylo & Iambico.* Eiusdem & Reginensis Rubrica ad Epod. XIII. I. SENARIUS EPICUS. II. QUADRATUS A IAMBO IN DACTYLON. At Rubrica Reginensis ad Epodon hunc XI. paullo diversa est: METRUM PRIMO VERSU IAMBICUS TERNARIUS. SECUNDUS E LONGA IAMBICUS SCANDITUR ITA,

Scribere | versicu | los | amo. | re per | cul- sum | gravi.

Ubi pro *e longa jambicus*, quod nullum sensum habet, corrigendum ELEGOI AMBICUS, ut Cruquius in suis invenit, compositus nempe ex Elegiaco versu & Iambico. *Elegiambum*, & vicissim *Iambelegum* habes apud Marium Victorinum p. 2592. Ἰαμβέλεγον apud Hephaestionem p. 51. Porro quid in alteris Rubricis & Acrone QUADRATUS sibi velit, non omnes, opinor, sciunt. Equidem corruptum esse dico ex Graeco vocabulo per Latinos librarios vitiose scripto, ΑΣΥΝΑΡΤΗΤΟΣ. Cruquius enim in Blandiniis suis Συναρτητῶς reperit, sibi minime intellectum. Sed & illic & hic Ασυναρτήτῳ reponendum est; quod quid sit, & totum simul hujus Epodi artificium, jam tibi elucidabo. Sub primis Poeticae artis initiis simplici pede versus decurrebant, Heroicius dactylo, Trochaicus & Iambicus uterque suo; nisi ubi, pes omnibus illis cognatus, Spondaeus interponebatur, quo versus, ut Nosterait, *tardior paullo gravioresque ad aures veniret.* Postea, ut varietatis gratiam aucuparentur, cola quaedam sive partes Heroici versus cum colis Trochaici generis vel Iambici, & vicissim, in unum versum miscebant; unde magnus novorum metrorum numerus illico nascebatur: quos Graeci magistri Ασυναρτήτους, hoc est, *inconnexos* vocabant; quia alterum colon altero diversi generis connecti & coagmentari non potest, utcumque uno versiculo utrumque sit conclusum. Horum ἀσυναρτήτων numerum ad LXIIII usque exsurgere narrant Scholiastes Hephaestionis p. 52. & Marius Victorinus p. 2552. Parens autem & inventor horum erat Archilochus. Πρῶτος ἀσυναρτήτοις Ἀρχίλοχος κέχρηται, ait Hephaestion p. 48. *Primus inconnexis versibus Archilochus usus est:* ubi & diversa eorum genera profert; quorum ea tantum hic memorabo, quae Flaccus imitatus est. Unum ergo ait (pag. 50.) constare ἐκ δακτυλικῆς πυτραπαδίας & ἰαμφιμακρου, hoc est, prius colon esse tetrametrum Heroicum, posterius tres trochaeos: quale illud Archilochi;

Οὐκ ἔστ' ὁμοῖς θαλάσσης ἀπαλὸν χέοντα | κάρφος ἢ πόδι.

quod semel duntaxat Flaccus expressit, Carm. I, 4.

Solvitur acris hiems grata vice | veris, & Favoni.

Ubi iterum Cruquius ex Blandiniis suis profert συναρτητῶς pro ἀσυναρτήτως; atque idem inepte ex duobus colis duos versus constituit in hunc modum,

Solvitur acris hiems gratia vice.
Veris & Favoni:

eodem plane errore, quo in hisce Epodis peccavit Lambinus. Ea enim Ἀσυναρτήτων ratio ipsa & definitio est, ut δύο κῶλα ἀντ' ἑνὸς μόνου παραλαμβάνωνται, *duo cola pro unico versu accipiantur:* p. 48. Alterum Archilochi ἀσυναρτήτου (p. 51.) constabat ἐκ δακτυλικῆς πενθημιμερεῦς, & ἰαμβικῆς ἡμίσεως ἀκαταλήκτου, sive prius colon erat pars Elegiaci, posterius pars Iambici; quale illud,

Ἀλλά μ' ὁ λυσιμελὴς | ὦ παῖες δάμναται πόθος.

& ad hoc exemplum semel tantum decurrit Horatius in hoc ipso Epodo XI.

Scribere versiculos | amore percussum gravi.

Tertium autem Asynarteti genus, quale nullum ex Archilocho profert Hephaestion, est illud Epodi XIII; ubi ordine inverso, pars Iambici praecedit, & pars Elegiaci subsequitur; tamquam si scriberes,

Ὦ παῖες δάμνατ' πόθος | ἀλλά μ' ὁ λυσιμελής.

Niveque deducunt Jovem | nunc mare nunc silvae.

Occasionem de die | dumque virent genua.

Utrum autem hoc invenerit Horatius, an ex Archilocho acceperit, nescias hodie; quandoquidem hujus opera ad nostram aetatem non perennaverunt. Si Attilio Fortunatiano credis, Horatii inventum est: sic enim ait p. 2684. *Omnia metra variantur — aut permutatione, tamquam*

Occasionem de die | dumque virent genua.

Nam cum Archilochus Heroi partem priorem cum Iambici priore parte composuerit, ita ut antecederet Heroum, in hunc modum;

Scribere versiculos | amore percussum gravi:

Horatius immutavit, ut antecederet Iambici pars, sequeretur Heroi, sic;

Occasionem de die dumque virent genua.

Eadem fere habes apud eundem p. 2699. Tamen, opinor, Horatio ipsi de se potior fides

Digitized by Google

habenda est; qui clare negat se ullius carminis modos immutasse, Epist. II, 19.

Parios ego primus Iambos
Ostendi Latio, numeros *animosque secutus*
Archilochi, *non res & agentia verba Lycamben.*
Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos *& carminis artem.*

Et certe hunc ipsum versum *Archilochium* vocat Diomedes p. 515. & Scholiastes Blandinius de Metris apud Cruquium in fine libri. Sed utcumque hoc fuerit; utrumque Epodon, & hunc XI, & alterum XIII, alternos versus Ἀσυναρτήτους habere, ex duobus colis constantes; atque ea cola intra unum versiculum concludenda esse, non, ut Lambinus voluit, in binos dissecanda, jam certo, puto, compertum tibi est, ex iis quae modo attulimus. Atque illis concinunt omnes ubique Grammatici, quotiescumque de his metris agunt, ut Diomedes p. 511. & 528; Marius Victorinus p. 2549, 2619, 2622, & Attilius Fortunatianus p. 2706. Sic & auctor Carminis de Pasiphaë (apud Blandinium de metris scriptorem, & Pithoeum) quo omnia Horatiana metra eleganter complexus est, singulis versibus singula Asynarteta exhibuit,

Cecropides juvenis | quem perculit fractum manu,
Filo resolvens Cnossiae | tristia tecta domus.

Denique dissertissimus ille de Metris scriptor, Terentianus Maurus, in ipso fine operis, ex duobus colis *unum versum fieri* bis clare testatur; cujus locum, ob singularem viri auctoritatem & elegantiam, integrum hic subjiciam; ubi de Flacco loquitur,

Nec non trimetro talem Epodum comparat.
Pentametri partem dactylicam subicit,
Atque dimetron ad hoc; | unumque versum *reddidit:*
Petti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos | amore perculsum gravi.
Semelque & istud functus est.
Idemque Epodon non trimetro reddidit:
Sed versum heroum voluit praemittere totum,
Dein dimetrum conlocat | *commaque dactylicum;*
Et hic, ut ante, versus unus *ut foret:*
Horrida tempestas caelum contraxit, & imbres
Nivesque deducunt Jovem | nunc mare nunc silvae.

Quid ergo? jamne vides, in quanta harum rerum ignoratione versati sint, qui per integrum jam saeculum, duce Lambino, editiones suas hoc emblemate dehonestarunt. Nam quod arguit optimus Torrentius; si unico versu duo cola illa concludantur, inverecunde nimis Flaccum nunc brevem syllabam produxisse, nunc vocalem ante vocalem non abjecisse, ut in illis,

Arguit & latere | *petitus imo spiritus.*
Fervidiore mero | *arcana promorat loco.*
Levare diris pectora | *sollicitudinibus,*

in eo ostendit se versus Ἀσυναρτήτου indolem non omnino percepisse. Dicerte enim docet Hephaestion, optimus metrorum auctor, syllabam ultimam prioris coli perinde esse communem, ac si integrum Hexametrum vel Iambicum clauderet: unde & Archilochum ait in illo, de quo jam egimus, Asynarteto,

Οὐκ ἴσ' ὁμοῖος παίδεσι ἁπαλὸν χρόα | καρφ-
τὴν ἢ νέην,

etiam Creticum pedem Ἀλκ. τὸν ἐπὶ τέλους ἀδιάφορον pro dactylo posuisse, ut in hoc,

Καὶ βήσας ὀρέων δυσπαλάπτους | οἷς τὸν ἰφ'
ἥβης.

Vides tamen nihilo minus, tam haec cola apud Archilochum, quam illa apud Flaccum, in unum versum coalescere.

v. 2. AMORE PERCULSUM GRAVI] Editio Loscheri, & Veneta anni 1490. PERCUSSUM. At Veneta princeps PERCULSUM, quod postea in omnibus ferme obtinuit. Variant etiam & scripti codices: vetustiores nostri ab hac parte stant; Petrensis, & Reg. ae Societatis a Loschero; atque ita tres Torrentii, quorum unum longe optimum fuisse praedicat. Ceteri interpretes tacent; non quod in omnibus suis *perculsum* invenerint; cave istud credas: sed quod aut neglegenter eos versaverint, aut alteram lectionem crediderint memoratu indignam. Quippe haec duo vocabula nusquam non confuderunt librarii; ut in Lucretii, Virgilii, Ovidii membranis eruditi viri adnotarunt. Quin & Grammaticis locus hic ambigue citatur. Apud Diomedem p. 527. habetur *perculsum*; at ibidem p. 511. *percussum*; ut & apud Marium Victorinum p. 2549, 2619, 2622. & Attilium Fortunatianum p. 2684, 2699. Rursus tamen apud Attilium *perculsum* extat p. 2706. & Terentianum Maurum p. 2450. Utram jam harum praeferas? nam utraque aequali fere auctoritate nititur, utraque sic satis apta sententiae est; ut elegante aliquo formarum spectatore sit opus, qui venustiorem ex iis seligere possit. Si Agroetio

&

Digitized by Google

& Bedae credis, *percussum* ad corpus, *perculsum* ad animum refertur. Hanc differentiam pueri olim omnes in ludis docebantur; unde, ut opinor, hic & ubicumque de *animo* agitur, *perculsum* toties inferserunt erudituli Librarii. Sed hoc ineptum est, & trivia ium magistrorum commentum. Utrumque enim de utroque dicitur, de *corpore* proprie, de *animo* μεταφορικῶς. *Percellere* tamen majus quid quam *percutere* significat; tanta scilicet vi percutere, ut evertas & solo prosternas. Terentius Eunucho II, 3.

Quo trudis? perculeris *jam tu me.*

Cato apud Gellium II, 22. *Ventus Circius, cum loquare, buccam implet; armatum hominem, plaustrum oneratum* percellit. Virgil. Aen. v, 374.

victorem immani corpore Buten
Perculit, *& fulva moribundum extendit arena.*

Ergo in re graviore *perculsus* aptius vocabulum est; *Perculsus terrore, metu, formidine, clade, ruina, damno, discordiis,* passim in auctoribus occurrunt. Contra, in leviore affectu *percussus* potius dixeris; ubi animus scilicet est *ictus, saucius*; non eversus tamen & consternatus. Recte itaque apud Nostrum Epod. VII.

Tacent, & albus ora pallor inficit:
Mentesque perculsae *stupent:*

etsi ibi quoque Battelianus codex, *percussae.* Et recte vicissim in hoc loco,

Scribere versiculos, amore PERCUSSUM *gravi.*

Virgilius Georg. II, 476. de Mutis,

Quarum sacra fero, ingenti percussus amore.

& Aen IX, 197.

Obstupui: magno laudum percussus amore.

ut utrobique praefert accuratissima Nic. Heinsii editio, & confirmant vetustissimi codices apud Pierium. Vulgo *perculsus* ibi circumfertur. Statius Thebaide IV, 260.

Prosilit audaci Martis percussus amore.

Lucretius I, 921. *sed acri*
Percussit *thyrso laudis spes magna meum* cor.

Noster Carm. IV, 5.

Sic desideriis icta *fidelibus*
Quaerit patria Caesarem.

Lucretius V, 1074.

Pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris.

Ennius in Medea:

Medea, animo aegra, amore *saevo* saucia.

Lucretius IV, 1041.

Idq; petit corpus mens, unde est saucia amore.

Virgil. Aen. IV, 1.

At regina, gravi jamdudum saucia cura;
Vulnus *alit venis, & caeco carpitur igni.*

v. 4. MOLLIBUS IN PUERIS] Non placet illud *in pueris in puellis:* ubi praepositio geminata otiosa & elumbis videtur. Scripserat, opinor, Auctor,

Mollibus AUT *pueris, aut in puellis urere.*

quod mutarunt Librarii, quia in priore membro desiderari praepositionem credebant; quae tamen eleganter abesse solet, ut ostendi ad illud, Carm. III, 25.

quae nemora, aut quos agor in specus.

v. 7. HEU ME! PER URBEM] Theodorus Marcilius corrigebat, *Heu mi*, sive *heu mihi.* Credo, quia alicubi apud Plautum sic editum est. Sed nihil hic mutandum. Terent. And. IV, 1.

Heu me *miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo.*

Seneca in Troadibus 681.

Repellor? heu me! *rumpe fatorum moras.*

& Herc. Oetaeo v. 1761.

Anilis, heu me! *recipit Alciden sinus.*

& Octavia v. 32.

Conjugis, heu me! *pater insidiis*
Oppresse jaces.

Graeci tamen οἴμοι casu dativo efferunt.

v. 8. CONVIVIORUM ET POENITET] In Magdalenensi deest ET; in Lambini quibusdam ponitur ante *conviviorum.* Apud Plotium Grammaticum veterem p. 2662. sic editum est, *Conviciorum poenitet.* Nos unius literulae mutatione languentem & jacentem sententiam ereximus in hunc modum:

Fabula quanta fui! conviviorum UT *poenitet!*

Neque dubites, quin auctor ita scripserit, licet centum librarii vel jurati negaverint.

v. 24. VINCERE MOLLITIA AMOR] Ita editi omnes: sed Zulichemianus noster, & a prima manu, ut videtur, Graevianus,

Vincere MOLLITIE *amor Lyciſci me tenet*

quod recipimus, ut evitetur vastus ille & inconditus sonus A A: sic & alibi Serm. II, 2. mollitiem *dixit, non* mollitiam.

EPODS

EPOD. XII.

v. 2. MUNERA CUR MIHI, QUIDVE TABELLAS] Sic extat in editione prima Veneta & Loſcheri: at in altera anni 1490 eſt *cur mihi cúrve*. Acron manuſcriptus, habet *quid mihi cúrve*; at editus *quid mihi quidve*: atque ita citat Marius Victorinus p. 2619. Neque aliter codices noſtri Reginenſis, Magdalenenſis, & Regiae Societatis, & unus Gulielmi Canteri. Revocamus ergo ut omnium ſimpliciſſimum & elegantiſſimum,

Munera QUID *mihi, quidve tabellas.*

v. 7. QUIS SUDOR VIETIS] Lege QUI *ſudor*; ut praeter ſex Torrentii, Graevianus noſter, Leidenſis, Reginenſis cum tribus aliis. Praeterea in verſu proximo CRESCAT habet editio Loſcheri, & codex Galei, & a prima manu Graevianus; hoc eſt, *odoror, qui ſudor creſcat*. Sed taedet harum ſordium: & ſane hoc carmen indignum eſt, quod aut emendetur, aut legatur.

v. 25. O EGO NON FELIX] Codices quidam tam aliorum quam noſtri, ſed ii non ultimae veruſtatis, O *ego* INFELIX; & ſic hic verſus citatur Chariſio p. 131. Servio De ultimis ſyllabis p. 1802. & Martiano Capellae p. 64. Sed nihil mutandum. Auctor de morte Druſi v. 145. [*Neronum*,

Jamne ego non felix? *jam pars mihi rapta*

Auſonius, de Ambiguitate vitae

ſic nempe pudicum
Perdidit Hippolytum non felix *cura puderis.*

Sabinus, Epiſtola Demophoontis,

Et jam non felix *omine Demophoon.*

Prudentius Periſteph. v, 42.

Audeſne non felix, *ait,*
Jus hoc deorum & principum
Violare verbis aſperis?

EPOD. XIII.

De hujus carminis metro vide quae jam diximus ad Epod. XI.

v. 3. RAPIAMUS, AMICI] Legendum apparet, quamvis magna pertinacia codices ſcripti refragantur, *rapiamus*, AMICE.

Occaſionem de die.

Non enim plures, *ſed* unum *hic alloquitur*, cui adverſi aliquid acciderat; ut ex ſequentibus conſtat:

Tu *vina Torquato* move *Conſule preſſa meo*:
Caetera mitte *loqui. Deus haec fortaſſe* &c.

v. 8. NUNC ET ACHAEMENIA] Primus, ut credo, Aldus Manutius *Achaemenia* edidit; a quo in poſteriores editiones receptum eſt. Vide autem hic ſupinam tot interpretum neglegentiam: quorum ne unus quidem ullam lectionis varietatem notat. Atqui praeter vetores ante Aldum editiones & Acronem Scholiaſtam, omnes noſtri codices ſine ulla litura *Achaemenio* hic exhibent. Neque fas eſt dubitare, quin in illorum codicibus idem haberetur, male ſilentio praetermiſſum. Recte autem *Achaemenio nardo* genere neutro, ut Noſter alibi Epod. v.

Nardo *perunctum*, quale *non perfectius*
Meae laborarint manus.

Tibullus II, 2.

Illius puro *diſtillant tempora* nardo.

Celſus lib. v. cap. 11. *Juncus quadratus*, nardum, *cinnamomum*, atque ita alii ſaepe. Ideo autem genus neutrum faemininо hic praetulit Auctor, ut vitaret inſuavem homoeoteleuti ſonum in fine verſus;

Reducet in ſedem vice, nunc & ACHAEMENIO
Perfundi nardo juvat; & fide Cyllenea.

Scribe enim cum vulgatis, *Achaemenia, Cyllenea*; & aurem tuam, niſi hebes & ſtolida eſt, verberari & offendi ſenties.

v. 10. LEVARE DIRIS PECTORA] *Dirus* pro *durus* non ſemel ſubſtituerunt oſcitantes librarii, ut ſupra Carm. III, 24. *dira neceſſitas*: & nunc quoque *diras ſollicitudines* nobis obtrudunt, pro *duris*, ut clare exhibet codex noſter Galeanus & editio Loſcheri:

Levare DURIS *pectora ſollicitudinibus*,

Sic Virgilius Aen. IV, 488.

aſt aliis duras *immittere* curas.

Nemeſianus Eclog I. 59.

duras *docuiſti fallere* curas.

Noſter Carm. II, 13. dura *navis*,
Dura *fugae mala*, dura *belli*.

& Carm. I, 18.

Siccis *omnia nam* dura *deus propoſuit, neque*
Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines.

v. 12.

Digitized by Google

v. 12. INVICTE MORTALIS] Risum hic movent Interpretes, cetera tamen eruditi; qui haec duo *Invicte mortalis* constructione jungunt: credo, ut Plautus olim *mortalem malum, mortalem catum*, aut *lepidum* dixit. Quo nihil hoc quidem in loco putidius ineptiusve excogitari potest. Tu vero sic divide verba & distingue,

Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,

hoc est, *qui natus es mortalis matre licet immortali.* Quaesitum est ab Horatio illud antitheton, & sane elegantissimum est. Ita Lucretius III, 883.

Mortalem *vitam mors cui* immortalis *ademit.*

Sophocles apud Dicaearchum:

Θάβας λέγεις μοι, ὃς πόλις ἐπῴκισας,
Οὐ δὴ μόνον τίκτουσι καὶ θνητοὶ θεούς.

Invicte autem per se absolute positum erit; ut Virgilio Aen. VI, 365.

Eripe me his, invicte, *malis.*

& VIII, 293.

tu nubigenas, invicte, *bimembres*
Hylaeumque Pholumque manu.

& Claudiano de Nuptiis Honorii v. 336.

Quod gener est, invicte, *tuus.*

v. 13. QUEM FRIGIDA PARVI] *Parvi* habent codices omnes, qui hodie extant. Sed Scholiastes Cruquii variantem lectionem suggerit, *Parvi*, ait, *id est, exigui, aut si* PRAVI *legas, id est tortuosi, non recti, sinuosi.* Ubi nimis quam ineptum illud *pravi*: sed eo excitatus elegantissimus Nic. Heinsius. FLAVI ex conjectura reponebat. Et *flavus* quidem *Scamander*, ut *flavus Tiberis*: sed *frigida flavi* ob ejusdem literae concursum scabre & dure exibit. Nos, si quid mutatum vellemus, sic propius ad vulgatum reponeremus, *Quam frigida* PRONI *Findunt Scamandri flumina*; ut *pronus rivus, pronus amnis* passim. Sed nihil sollicitandum.

v. 15. CERTO SUBTEMINE PARCAE] Parcarum subtemen *certum* erat; id in confesso est: ut Auctor Consolationis ad Liviam v. 240.

Quondam ego tentavi Clothoque duasque sorores,
Pollice *quae* certo *pensa severa trahunt.*

Illud tamen inquirendum est, an epitheton illud generale loco huic atque sententiae apte & ad amussim respondeat. Singula itaque verba expende, & videbis forte ἄτυπον quiddam & insincerum hic subesse. Quippe *rupere reditum subtemine* durissima videtur locutio; nisi *subtemine* epitheto quopiam juvetur, quod affinitatem aliquam cum *rupere* habeat. Atqui illud *certo* nihil omnino ad *abruptionem* facit Quo, opinor, argumento inductus, vir eruditissimus Achilles Statius, in Notis ad Tibulli lib. III. Eleg. 3. *fecto* reponebat pro *certo. Rupere fecto subtemine*, id quidem epitheton sententiam prius hiantem satis apte conglutinat; verum illud habet incommodi, quod jam tum mortuum nobis Achillem exhibeat, priusquam Trojam proficiscatur. Quippe si jam *fectum* erat subtemen, cum Chiron haec loquitur, apud inferos haec Achilli fabuletur, necesse est. Semel enim *fecto* uniuscujusque filo, illico eundum est

Illuc, unde negant redire quemquam.

Quamobrem vide, si non alio vocabulo, quod neque a vulgata lectione tantum abscedat, neque ullum ejusmodi incommodum secum trahat, refingi possit locus in hunc modum:

Unde tibi reditum CURTO *subtemine Parcae*
Rupere.

In voce *curtus* saepius peccatum est a Librariis, dum modo *curvus*, modo *certus* pro eo substituunt; de quo vide Nic. Heinsium ad Ovidii Fastos II, 408 & 645. *Unde Parcae*, ait, *rupere tibi reditum brevi vitae tuae stamine.* Contra Juvenalis Sat. X, 252. de Nestore,

Attendas quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine.

Quod si ne hoc quidem tibi placeat; tum, si me audies, vulgatam lectionem sic explicabis; ut *subtemine* non ad *rupere*, sed ad *Parcae* referatur. *Parcae certo subtemine*, id est, *quae certum stamen nere solent*, absolute & *per defectionem* dictum, ut Macrobius loquitur Saturnal. VI, 8. Sic Virgilius, Aen. III, 618.

domus sanie dapibusque cruentis.

VI, 187. *Ipse Quirinali lituo.*

I, 171, *Intus aquae dulces, vivoque sedilia saxo*

atque alia id genus plura.

v. 18. AEGRIMONIAE DULCIBUS ALLOQUIIS] Ita quidem exhibent codices scripti, tam aliorum quam nostri; neque in ullo vidi conjunctionem *et* additam, nisi inter lineas, ut habent Battelianus, Regiae Societatis, Graevianus, Reginensis. Solus Magdalenensis in ipso versu perperam statuit, *Dulcibusque alloquiis.* Ergo hac lectione admissa, necessario cum interpretibus explicandum erit, *Vino cantuque alloquiis* (sive quae alloquia & solatia sunt) *deformis aegrimoniae.* Et sic quidem Graeci παραμύθιον ἀτυχίας, παραμύθιον κακοπραγίας &c. *alloquium infortunii, egestatis.* Sed non opinor tam quaerendum est, quid Graeci dicere ausi sint, quam quid Romanae

Digitized by Google

manorum aures ſeveriores propitie accipere poſſint. Neque vero unum hic adducunt locum Latini ſcriptoris, quo *aegrimoniae alloquium* aut ſimile quid reperitur. Sane *alloqui* eſt *ſolari*, & *alloquium* & *allocutio* eſt *conſolatio*: ſed ea ſemper ad perſonam aegram referuntur, numquam (ut hic volunt) ad aegritudinem ipſam. Sic in iis quae citant, Senecae & Catulli,

Alios parentes alloqui *in luctu decet,*
Tibi gratulandum eſt.
Quem tu quod minimum facillimumque eſt,
Qua ſolatus es allocutione?

& illo Statii Theb. VI, 45.

ſolatur Adraſtus
Alloquiis *genitorem ultro.*

& XI, 196.

Coeperat & leni genitor mulcere furentem
Alloquio.

in his, ut vides, non *alloqui luctum, alloqui furorem* dicitur; ſed perſonas lugentes & furentes. Ut profecto magis ex linguae Latinae uſu fuerit; ſi & vel *ac* interjecto ſic legeretur,

Illic omne malum vino cantuque levato
Deformis aegrimoniae, AC *dulcibus alloquiis.*

Et facile quidem *A c* a praecedentibus *A e* abſorberi poterant; & alioqui ſollemne eſt Librariis omittere particulas, ubi in verſus ſcanſione neceſſariae non ſunt. Jam autem conſtructio erit, *Illic levato omne malum aegrimoniae vino cantuque ac dulcibus alloquiis. Malum aegrimoniae,* ut Carm. II, 13.

dura navis,
Dura fugae mala, *dura* belli.

Dulcibus vero *alloquiis* quid hic denotent, jam conſiderandum. Et primo commode interpretari poſſis, *dulcibus* ſodalium *alloquiis*; neque enim ſolus, opinor, & ſine conviva *vino* ſe invitaverit Achilles. Quippe jocoſis ſodalium confabulationibus miſcenda & temperanda erant Bacchi munera: ut Noſter Carm. I, 27.

dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.
Ceſſat voluntas? non alia bibam
Mercede.

Atque ita Serm. I, 5. Sarmenti, ait, & Cicerri facetiis exhilarati,

Prorſus jucunde coenam producimus illam.

& Serm. II, 6. ſuaves ſermones inter vina ſpargebantur;

prout cuique libido eſt,
Siccat inaequales calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis, ſeu quis capit acria fortis
Pocula, ſeu modicis inveſcit laetius. Ergo
Sermo *oritur, non de villis domibuſve alienis* &c.

Ergo praeter vinum & cantum, *dulcia* etiam *alloquia* in maeroris ſolatium bene hic advocat Chiron: plane ut Valerius Flaccus I, 250.

Hanc vero, o Socii, venientem in litore laeti
DULCIBUS ALLOQUIIS *& ludo educite noctem.*

Nec multum abſimile illud Auſonii in Protreptico:

Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron
Theſſalico permixtus equo; nec pinifer Atlas
Amphitryoniaden puerum: ſed blandus uterque
Mitibus alloquiis *teneros mulcebat alumnos.*

& ejuſdem Valerii VII, 373.

Dat dextram vocemque Venus, blandiſque
paventem
Alloquiis, *junctoque trahit per moenia paſſu.*

Vel ſecundo intelligere poteris, *dulcibus* mulierum *alloquiis*, blandis ſuſurris, τοῖς ΟΑΡΙΣΜΟΙΣ: ut Venerem ipſam verecunde his verbis obumbret. Ergo tria hic aegrimoniae remedia proponuntur, *vinum, cantus, & Venus.* Quae ſimiliter una jungit & Ovidius Amor. III, 10.

Cur ego ſim triſtis, *cum ſit tibi nata reperta,*
Regnuque, quam Juno, ſorte minore regat?
Feſta dies Veneremque *vocat,* cantuſque,
merumque:
Haec decet ad dominos munera ferre deos.

Et, quod majus eſt, ipſa Thetis hoc Achilli conſilium dedit, ut ad ſollicitudines levandas conviviis & Venere uteretur, Iliad. Ω. v. 130.

Τέκνον ἐμὸν, τέο μέχρις ὀδυρόμενος ἐ ἀχεύων
Σὴν ἤδεαν κραδίην, μεμνημένος ἔπτε τι σίτου,
Οὔτ' οὖν ἐς; ἀγαθὸν ἡ γυναικὶ πὲρ ἐν φιλότητι
Μίσγεσθ.

Sic & Noſter Carm. I, 9. amico ſuo conſulit, ut *Donec virenti canities abeſt moroſa* (plane ut hic, *Dumque virent genua, & decet*) non ſperneret *merum, nec choreas, nec dulces amores, nec lenes ſub noctem ſuſurros.* Tales intellexit Statius Silv. II, 1. de Glaucia Melioris puero, v. 230.

tu pectora mulce,
Tu prohibe manare genas; nocteſque beatas
DULCIBUS ALLOQUIIS, *& vivis vultibus imple.*

EPOD.

Digitized by Google

EPOD. XIV.

v. 3. UT SI DUCENTIA SOMNOS] *Ut si* habent Editio princeps, codex Reginensis a manu prima, Petrensis, & Bodleianus. Sed Loscherus cum Magdalenensi, & Batteliano,

Poculu Lethaeos VELUTI *ducentia somnos:*

Graevianus perperam, *Lethaeos uti ducentia*; & Galeanus, *uti si duc.* Retinemus vulgatam UT SI. Sic alibi Serm, I, 1. v. 46. ut si

Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas *humero.*

Et vers. 90. ut si *quis asellum*
In campum doceat *parentem currere frenis.*

& II, 8. v. 58.

Rufus posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, *flere.*

Ceterum versum hic septimum,

Inceptos olim promissum carmen Iambos,

de hoc toto libro accipe, qui nunc Epodôn inscribitur: quod miror interpretes non animadvertisse. Sic Epist. I, 19.

Parios ego primus Iambos
Ostendi Latio.

& Epist. II, 2. v. 59.

Carmine tu gaudes, hic delectatur Iambis.

Utrobique intelligit librum hunc Epodôn. Nam Iambos simplices diu ante ostenderant Latio Tragici aliique. Porro, quod addubitat Porphyrion, utrum *olim inceptos*, an *olim promissum* construendum sit; equidem posterius probo, ut Poët. Art. V, 45.

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis *auctor.*

& significat magnam fuisse hominum de his Epodis expectationem.

EPOD. XV.

v. 3. NUMEN LAESURA DEORUM] Doctissimus Nic. Heinsius, *Forte*, inquit, *Lusura.* Sed nihil est opus. *Ludere, fallere, laedere deos* aeque quidem apud Auctores occurrunt. Sed *laedere* hic, ut fortius verbum & atrocius, sententiae magis convenit; & Neaeram perjurii sui poena magis territat.

v. 8. TURBARET HIBERNUM MARE] Vide modo totum locum:

Cum tu magnorum numen laesura deorum,
In verba jurabas mea,
Dum pecori lupus, & nautis infestus Orion
Turbaret hibernum mare,
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.

ubi ordo est, *amorem hunc mutuum* FORE, *dum Orion* TURBARET, *& aura* AGITARET. Et jam sentis, opinor, male convenire haec, & futura praeteritis jungi. Quippe *fore* ad tempus futurum spectat; *turbaret & agitaret* ad praeteritum. Certe & sensus & Latinitas poscit, ut *turbet* vel *turbaverit* hic reponatur:

TURBARIT *hibernum mare,*
Intonsosque AGITARIT *Apollinis aura capillos.*

ut infra Epod. XVI. *Sed juremus in haec, simul imis saxa* renarint, *Padus* laverit, *Apenninus* procurrerit, *amor* junxerit. Et sic clare exhibet codex Bodleianus: cui adde alium Barthio visum Adversi. XXXVII, 15. & editionem Loscheri anno MCCCCXCVIII.

v. 15. NEC SEMEL OFFENSAE] Oleum hic & operam perdunt Interpretes, dum colorem aliquem his versibus inducere laborant,

Nec semel offensae cedet constantia formae,
Si certus intraris dolor.

Offensus, aiunt, interdum active significat, non qui offenditur, sed qui alium offendit; & tum idem valet, ac *ingratus, odiosus, invisus.* Verum quidem hoc; & Ciceronem aliosque sic eo verbo usos non diffitemur. Ergo haec demum secundum ipsos exoritur sententia: *Nec constantia mea cedet formae tuae semel offensae vel invisae mihi.* Sed rogo vos, quid causae erat, cur *forma* Neaerae Horatio invisa foret? non enim vetula jam facta erat, non morbo aliquo deturpata; nihil horum vel verbo significatur. *Formam* quidem ejus nunc cum maxime amabat Noster; sed mores, nequitiam, inconstantiam, perfidiam, aversum in se animum & rivali suo deditum, jam coeperat odisse. Quorsum autem illud *cedet?* enimvero id satis indicat magnam ejus formae potentiam, qua verendum erat, ne quantacumque Nostri constantia etiamnum labascere & vinci posset. Quid enim mirum, si *formae offensae & invisae* non cederet? si non illam deperiret, quam turpem jam & deformem esse crederet? Nunc vides, opinor, tot interpretes meram hic caliginem pro luce offudisse. Quid multa? Corrigendus

Digitized by Google

dus est locus, librariorum audacia & ignorantia corruptus; qui lectionem veram *offensi* ideo immutabant, ut cum *formae*, substantivo ut putabant suo, genere & casu conveniret. Id quod sexcenties iis male cessisse sciunt, qui membranas veteres manibus versarunt.

Nec semel OFFENSI *cedet constantia formae,*
Si certus intrarit dolor.

perspicua sententia; nec constantia mei semel *Laesi & irati* cedet formae tuae, ubi vere indoluero. Numquam alio sensu vocabulum hoc Noster usurpat; ut mox Carm. XVII.

Infamis Helenae Castor offensus *vicem.*

Serm. II, 1.

Ingenio offensi, *aut laeso* doluere *Metello.*

& Epist. I, 7.

Offensus *damnis.*

Nondum itaque amori Neaerae nuntium remiserat: sed jam nunc in perpetuum facturum minatur; si pergat laedere. Nam quod illa forte prae formae fiducia speret, se una falsa lacrimula dolorem ejus facile restincturam esse: id eam frustra expectare. Quippe se, ubi semel perdoluit, numquam postea in gratiam redditurum; sed *constanter* in proposito permansurum: contra ac vulgo amatores solent; qualis Ovidius Amor. III, 12.

Luctantur, pectusque leve in contraria tendunt,
Hac amor, hac odium: sed, puto, vincit amor.

Nequitiam fugio: fugientem forma *reducit.*
Aversor morum crimina: corpus amo.

Porro & Acron Scholiastes non aliter, ac nunc nos, legisse olim videtur: sic enim verba enarrat. *Tunc constantia amatoris cedit formae mulieris, quando* laesus *non audet abscedere. Et, hoc est quod dicit: si* offensus *fuero, non cedam formae tuae, id est, non tibi serviam, non perseverabo, injuriam passus.* Rectissime. Si cui tamen haec non plene satisfaciunt: is per me licet vulgatam lectionem sic interpretetur, ut *forma* figurate ipsam Neaeram significet: & tum sententia sit; Nec constantia mea cedet *tibi*, o formosa Neaera, semel mihi invisae: ut illud Propertii II, 4.

Cynthia, forma *potens*; *Cynthia*, forma *levis.*

Sed hoc durius est; & prior, ni fallor, explicatio pluribus placebit.

v. 17. AT TU, QUICUMQUE ES] Ita nunc ubique editur, AT TU, Aldo ut opinor Manutio praeeunte. Sic Ovidius in Remed. Amor. v. 371.

At tu, quicumque es, *quem nostra licentia*
& Art. Amat. III, 683. [*laedit.*

Sed te, quaecumque es, *moderate injuria*
Lucanus IX, 538. [*turbet.*

At tibi, quaecumque es, *Libyco gens igne*
Tibullus I, 5. [*diremta.*

At tu, *qui potior nunc es, mea fata caveto.*

Tamen, cum & veteres editiones, & membranae aliorum ac meae omnes praeter unum ex recentioribus ET TU hic exhibeant, placet hic antiquam lectionem retinere. *Et tu*, etiam tu, quicumque es, maerebis amores alio translatos, pariter atq; *ego* nunc maereo. Sic infra XVII, 45.

Et tu (*potes nam*) *solve me dementia.*

EPOD. XVI.

v. 2. SUIS ET IPSA] Doctissimus Barthius in Adversar. XXXIX, 9. vix dubium sibi ait esse, quin Flaccus sic scripserit.

Altera jam teritur bellis civilibus aetas,
Suis UT *ipsa Roma viribus ruit.*

hoc est, altera jam aetas est, *ut*, sive ex quo, Roma suis ipsa viribus ruit. Certe talis ejus particulae significatio familiaris est bonis scriptoribus. Nihil tamen hic mutaverim; tum quia omnes codices & Grammatici veteres, qui saepe hunc versum citant, sic ubique exhibent; tum quia sequentia refragantur. Non enim id dicit, quod Barthius autumat; sed ideo Romam jam suis viribus ruere, quia altera etiam aetas civilibus bellis teratur: adeo ut non prior, sed posterior & sua aetas ruinam rebus Romanis minaretur; ut v. 9.

Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi—
Impia perdemus *devoti sanguinis* aetas.

v. 6. NOVISQUE REBUS INFIDELIS] Lege hic & versu octavo *ve* pro *que* in hunc modum; [*acer,*

Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus
Novis VE *rebus infidelis Allobrox;*
Nec fera caerulea domuit Germania pube,
Parentibus VE *abominatus Hannibal.*

Quid enim Allobrogibus cum Spartaco, aut quid Hannibali cum Germanis? Anne hi una Romanis bellum intulerunt, ut particula QUE conjungendi fuerint? Immo vero lege VE, quod aeque disjungit, & perinde hic valet, ac *Neque. Nec Capua, nec Spartacus*, aut *Allobrox.* Ita Noster Carm. III, 23.

Nec

Digitized by Google

Nec *pestilentem sentiet Africum*
Fecunda vitis, nec *sterilem seges*
Robiginem, aut *dulces alumni*
Pomifero grave tempus anno.

& Serm. I, 6. v. 68.

Si neque *avaritiam*, neque *sordes*, aut *mala lustra*:

ut ibi legendum esse pluribus ostendam ad ipsum locum. Vulgo circumferuntur ibi *Nec* & *Ac*.

v. 15. FORTE QUID EXPEDIAT] Ita omnes scripti editique. Sed valde laborant Interpretes in expedienda verborum constructione: [*pars*,

Forte quid expediat, communiter, aut melior
Malis carere quaeritis laboribus.

Julius Scaliger ad hunc modum verba ordinat, *Forte communiter quaeritis, quid expediat; aut melior pars quaeritis carere laboribus. Atqui hoc*, inquit, *idem est*. Et proinde censura sua critica totum hunc locum damnat. Sane *quid expediat* nihil aliud notare potest, quam *quid utile sit*; eodem autem recidunt quid utile sit, & malis laboribus carere. Cicero Epist. ad Famil. V, 19. *Est enim res profecto maxima: quid rectum sit, apparet:* quid expediat, *obscurum est*; & pro Marcello c. 10. *Multi dubitabant, quid optimum esset; multi*, quid sibi expediret; *multi, quid deceret; nonnulli etiam, quid liceret.* Ovidius Pont. II, 2.

Cura, quid expediat, *prius est, quam quid*
Sit honestum:
Et cum fortuna statque caditque fides.

Alii hoc ordine verba contexunt; *Forte communiter aut melior pars quaeritis, quid expediat carere malis laboribus*: in quam sententiam gregatim pedibus accedunt Lambinus, Torrentius, Dacerius aliique. Sed, quod pace eorum dictum velim, numquam ex illis verbis sic positis excudent eum sensum, quem sibi confingunt. Sic enim explicare volunt; *Quid expediat carere*, hoc est, *quid subveniat, promoveat, adjuvet; quid auxilio & adjumento sit, ut careatis.* Enimvero aliud plane notarent ea verba, ab auctoris mente prorsus alienum. *Quaeritis, quid expediat carere malis laboribus*; hoc esset, *quid referat, quid attineat, quid juvet, quid commodi apportet.* Atqui valde expedit, permagni refert, permultum attinet malis laboribus liberari: ut stultum sit de hoc *quaerere* & deliberare. Ut ne addam vitiosissimam fore hoc pacto verborum collocationem: nam *carere quaeritis*, ut loco se mutuo contingunt, ita in constructione non sunt separanda. Ergo vir egregius Janus Rutgersius in Venusinis Lectionibus aliam viam insistit: sic enim corrigendum esse pronuntiat;

Forte (QUOD *expediat*) *communiter, aut melior pars*
Malis carere quaeritis laboribus?

quod sic explicat: *Fortasse vel communiter (quod optimum quidem erat) vel si id non potest, melior saltem pars malis laboribus carere quaeritis?* Atqui eo sensu *expediet* potius dicendum foret, quam *expediat*. Nos emendationem ipsam viro elegantissimo libenter acceptam referimus: sed nostra & nova interpretatione donatam proponimus. Sic enim precationis sensu verba enarranda sunt: Forte, (*quod expediat*, hoc est, *quod prosit, quod utile & salutare sit, quod bene eveniat, quod bene & feliciter vertat, quod bonum felix faustumque sit*) aut omnes, aut certe major pars quaeritis malis laboribus carere, sive de remedio civilibus bellis inveniendo consultatis? Noli dubitare, quin veram hic Horatii manum, veramque adeo sententiam habeas: ita omnia clara sunt & conspicua, & de ritu Romanorum sollemni sumta. Nam deliberationes & consultationes, ut hic, fere semper simili precatione auspicari mos erat. Livius I, 28. *Tullus Mettium benigne alloquitur:* quod bene vertat, *castra Albanos Romanis castris jungere jubet.* Et III, 26. *Rogatus, ut* (quod bene verteret *ipsi reique publicae*) *togatus senatûs mandata audiret.* & ibidem 34. *Populum ad concionem advocaverunt; &* (quod bonum faustum felixque *reip. ipsis, liberisque eorum esset*) *ire & legere leges propositas jussere.* Cato de Re Rustica c. 142. *Impera suovetaurilia circumagi cum divis volentibus*, quodque bene eveniat. Vide plura apud eruditissimum Brissonium de Formulis. Porro hanc loci hujus sententiam esse eo magis apparet, quod mox sequatur,

Sic placet? an melius quis habet suadere?

Placet enim illud ex formula sollemni itidem petitum est: Cum enim consulebant, sic loquebantur, *Placetne? Quid fieri placet?* & in decernendo, *Placere senatui*, vel, *Non placere*: de quibus vide eundem Brissonium. Nihil amplius addam in re certa: illud tantum monebo, per interrogationem haec efferri debere, ut recte annotat Porphyrio,

Malis carere quaeritis laboribus?

quod tamen editiones perperam neglexerunt.

v. 33. CREDULA NEC FLAVOS] Ita editiones veteres & major pars codicum. Leidensis & Magdalenensis SAEVOS, cum quibusdam

Digitized by Google

busdam Lambini. Utrumque nempe corruptum erat ex vero, quod in quattuor Blandiniis longe optimis reperit Cruquius: cui tamen bene monenti nemo editorum hactenus obtemperavit.

Credula nec RAVOS *timeant armenta leones.*

ut *rava lupa* Carm. III, 27. Sic apud Ciceronem Acad. II. c. 33. ubi *mare nunc purpureum, nunc caeruleum, nunc ravum* dicitur, citante Nonio Marcello; codices, qui nunc habentur, *flavum* pro *ravo* substituunt. Glossae Philoxeni, *Ravus*, καρπός: corrige χαροπός; quod & vidit doctissimus Vulcanius. Atqui χαροπὸς notissimum *leonis* epitheton est Homero & aliis Graecis.

v. 39. VOS QUIBUS EST VIRTUS] Sic codices ubique: sed in excerptis Bodleianis annorum cccc reperi sine ulla litura,

Vos, quibus est ANIMUS, *muliebrem tollite luctum.*

Utrumque probum est, ut nescias utrum utrius glossema sit. Noster Epist. I, 1.

Est animus *tibi, sunt mores, & lingua fidesque.*

Cicero Offic. II. *Despiciunt autem eos & contemnunt, in quibus nihil* virtutis, *nihil* animi, *nihil nervorum putant.* Virgil. Aen. V, 363.

Nunc si cui virtus, animusque *in pectore praesens.*

Aen. X, 712.

Non cuiquam irasci propiusve accedere virtus.

& mox de re eadem v. 715.

Non ulli est animus *stricto concurrere ferro.*

Valerius Flaccus III, 679.

Vos, quibus & virtus, *& spes in limine primo.*

Cicero de Consulatu suo (Epist. ad Attic. II, 3)

Interea cursus, quos prima a parte juventae,
Quosque adeo Consul virtute animoque *petisti.*

v. 48. LYMPHA DESILIT PEDE] Codices aliquot NYMPHA; quod magnos patronos & fautores nactum est. Retinemus tamen hic LYMPHA, ut & supra Carm. III, 13. v. 12. quem locum vide.

v. 63. SECREVIT LITORA GENTI] Tres codices Torrentii cum Galeano nostro SACRAVIT. Quod eodem fere recidit: si enim *secrevit* ea litora piae genti, etiam *sacravit*, sive dicavit ei ut propria. Manilius III,

His regimen naturae dedit, propriasque sacravit
Unicuique vices.

inde *secreta sedes*, & *sacrata sedes* Virgilio, sensu fere eodem. Zulichemianus SECRERAT. Sed retinemus SECREVIT, ut & plurium membranarum auctoritate fultum, & omnibus editionibus receptum. Nemesianus Eclog. I. v. 17.

Secreti *pars orbis habet, mundusque* piorum.

v. 65. AERE, DEHINC FERRO] Sic libri editi. Sed codices nostri Leidensis, Reginensis, Magdalenensis, Battelianus, Petrensis,

AEREA *dehinc ferro duravit saecula, quorum*
Piis secunda, vate me, datur fuga.

Quin & Galeanus habet *Aera*, cum e minuto supra scripto. *Dehinc* autem sic unicam syllabam faciet, ut Virgil. Aen. IX, 480.

caelum dehinc *questibus implet.*

& Ovid. Fast. VI, 788.

Dehinc *erit*, Orion, *aspicienda mihi.*

Tolerari tamen non potest haec lectio, quia *quorum* eo pacto ad saecula *aerea* referretur: atqui haec scribente Horatio *ferrea* aetas jam diu processerat. Huic tamen difficultati medetur eruditissimi Graevii emendatio; qui, ut Heinsius in libri sui margine memorat, sic olim legebat:

——QUORSUM
Piis secunda, vate me, datur fuga.

ubi *quorsum*, opinor, sic explicabat, *Ad quae litora, ad quae beata arva & dvites insulas.* Et eodem sensu QUO NUNC, fortasse melius, reponere potuisset. Sed impedita & coacta erit constructio, si *quorsum* vel *quo nunc*, tot verbis intervenientibus, ad *litora* referantur: & multo quidem impeditior, nisi *aerea* scribas, non *aere.*

ECLOGA XVII.

v. 5. REFIXA CAELO DEVOCARE SIDERA] Editio Veneta princeps, & Lotscheriana DEFIXA habent; at Veneta altera anni 1490 REFIXA. Inde in sequentibus nunc hoc, nunc illud receptum est, pro vario editorum palato & judicio. Sane praeter unum librum Torrentii & alterum Barthii Adversar. XXXVII, 15. plures ex nostris *defixa* habent, ut Leidensis, Zulich. Graevianus, Galei, Petrensis. Et de *defixionibus* magicis res nunc notissima est, & loca scriptorum jam ab aliis citata. Virgilius Ciri v. 375.

Pergit Amyclaeo spargens altaria thallo
Regis Iolciacis animum defigere *votis.*

Auctor Herculis Oetaei v. 524.

Tunc

Digitized by Google

Tunc verba moriens addit: Hoc, inquit, magae
Dixere amorem posse defigi *malo.*
Plin. Hist. Nat. XXVIII, 4. Defigi *quidem diris deprecationibus nemo non metuit.* Seneca de Beneficiis VI, 35. *Execraris enim illum, & caput sanctum tibi dira imprecatione* defigis. Sed in his omnibus quis non animadvertit, utut metaphorice hic accipiatur *defigere*, tamen ex propria & nativa significatione adhuc aliquid retinere? *Defigi* enim *veneficiis* sic fere dicitur, ut *defigi pavore, stupore, defixus malis animus.* Numquam itaque commisisset Horatius, (neque quisquam alius poëtarum id fecit) ut eadem in sententia tam diversis & contrariis ideas poneret; ut sidera & *d fixa* sint, & simul *de caelo derepta & devocata.* Quare legendum cum Blandiniis codicibus, & nostris Reginensi, Batteliano, & Regiae Societatis,

REFIXA *caelo devocare sidera*;

Et sic plane Acron manuscriptus in Bibliotheca Societatis Regiae: nam vulgati perperam habent *Defixa.* Neque aliter Cruquii commentator vetus: *Refixa*, ait, *detracta, evulsa, ut Virgilius Aen.* V, 360.

Neptuni sacro Danais de poste refixum.

cui addas alium locum magis appositum, ibidem 527. caelo *seu saepe* refixa

Transcurrunt, crinemque volantia sidera *ducunt.*

Ideo autem *refixa* incantationibus sidera, quia alioqui naturaliter *affixa* sunt. Plinius Hist. Nat. II, 8. *Hinc redeamus ad reliqua naturae.* Sidera, *quae* affixa *diximus mundo* &c. & ibidem, 14. *Sed altitudo cogit errantes stellas minores luna videri: sicut* affixa caelo *solis fulgor interdiu non cerni.*

V. 11. UNXERE MATRES ILIAE] Editio Veneta princeps, *unxere*: at altera anni 1490 cum Loscheriana LUXERE: posteriores nunc hoc, at saepius illud pro captu editorum. Par quoque diversitas in codicibus scriptis. Blandinii quattuor, cum pluribus Lambini & Torrentii, duobus Pulmanni, uno Barthii Adversar. XXXVII, 15. & Nostris Graeviano Zulich. Batteliano, Regiae Societatis, Petrensi, Bodleianis duobus, UNXERE. Contra, praeter Lambini aliquot, & Torrentii unum, duos Pulmanni & Bersmanni totidem, totidemque Lucenses omnium vetustissimos, (ut ait Michael Brutus) Leidensis noster & Galeanus, & a prima manu Reginensis, & pro varia lectione Petrensis & Bodleianus alter, LUXERE. Atque hanc lectionem in priore Editione Lambinus secutus est, & egregie explicavit; postea pertinacia quorundam fatigatus & victus aut mutavit sententiam, aut certe dubius haesit. Neque vero mirum est illud *unxere*, utpote facilius & de medio petitum, plures advocatos reperisse. Notum enim illud Virgilii;

corpusque lavant frigentis & unguunt,

& illud Ennii.

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Ovidius Fast. IV, 853. de Remi cadavere,

Arsurosque artus unxit: fecere quod ille,
Faustulus & maestas Acca soluta comas.

& Epist. Ariadnae 123.

Nec positos artus unget amica manus.

Ego vero eam ipsam ob causam hoc a Librariis, alterum ab Auctore profectum esse nullus dubito. *Unxere* enim qui is de plebe literatorum reponere potuit, *Luxere* nemo nisi apprime eruditus. Deinde illud vide, *Matres Iliae unxere*, hoc est, *omnes matronae Iliades.* Id vero qui fieri potuit? aut quid attinuit tanti officio tot manus adhiberi? Ungebant cadaver aut pollinctores, aut propinqui, aut certe pauci. Inde in Misseni funere, Aeneid. XI, 218.

PARS *calidos latices & ahena undantia flammis* [unguunt:

Expediunt, corpusque lavant frigentis, &

At *omnes* Teucri ibi *luxere* Misenum, ut hic omnes Iliades *luxere* Hectorem: v. 212.

Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant, *& cineri ingrato suprema ferebant;*
& 220. [*munt.*

Fit gemitus: *tum membra toro* defleta *repo-*

Recta igitur & genuina lectio est,

LUXERE *matres Iliae addictum feris*
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem:

quod vocabulum satis significat sollemni funeris pompa Hectorem sepultum esse. Recte enim animadvertit Lambinus, frustra id cavillante Torrentio, sollennes illos ploratus & luctus, non nisi praesente mortuo corpore, esse solitos usurpari. Inde toties poëtis junctim proferuntur ea verba, ἄκλαυτος καὶ ἄταφος, *indefletus & insepultus*: quia numquam *defletus* dicitur, qui sepulchro caruit. Euripides Phoenissis.

Ἐᾶν δ' ἄκλαυτον, ἄταφον, οἰωνοῖς βορὰν.

Et ita bis terque alibi, citante Lambino. Quibus adde Homeri illud de Elpenore Odyss. Λ. v. 53. [μειξ

Σῶμα μὲν σὺ μεταλλήσῃ Κίρκης καπαλείσπομεν ἀ-
Ακλαυτον καὶ ἄθαπτον, ἐπὶ πάσι ἄλλοις ἔπιτελ-

& v. 74. [κειν.

Μή μ' ἄκλαυτον, ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν καπαλεί-

Virgilius

Digitized by Google

Virgilius Aen. XI, 372.

Nos animae viles, inhumata infletaque *turba*.

Quid quod, si ex praecepto suo *famam* & historiam hic *secutus* est Flaccus, numquam dicere potuit, matres Ilias Hectorem *unxisse*. Lotus enim & unctus & nitidis vestibus indutus est Hector in tentorio Achillis; priusquam Ilium deportandus Priamo redderetur: Iliad. Ω. 582.

Δμῳὰς δ' ὑπκαλίσατο λοῦσαι κίλεσ' ἀμφίπολας.
Τὸν δ' ἐπεὶ οὖν δμῳαὶ λοῦσαν & χρῖσαν ἐλαίῳ,
Ἀμφὶ δ' ἅμιν φᾶρος καλὸν βάλον ἠδὲ χιτῶνα.

Neque vero unctionem illam a Troadibus iteratam esse aut ulli usui fuit, aut poeta vel verbulo indicavit. At *luxisse* eum matres Iliadas multis versibus ibi memorat; primo enim praedicit Priamus sollemnem *luctum* per novem dies extrahendum esse, v. 664.

Ἐννῆμαρ μὲν κἀνὰν οἰκῳ μετὰ ϚΟΑΟΙΜΕΝ.

Deinde, ubi Trojam delatum est cadaver, & in *lecto* positum v. 720. (nihil hic de repetita lotione aut unctione aut vestitu) ἀοιδοὺς θρήνων ἐξάρχους *poëtas sive praeficos planctuum principes* constituebant, quibus adgementes responderent mulieres; v. 522.

Οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον· ἐπὶ δ' ἐστενάχοντο γυναῖκες.

Deinceps vero Andromache, & postea Hecuba, & tertia tandem Helena, lamenta ceteris feminis ordiebantur:

Τῇσιν δ' Ἀνδρομάχη λευκώλενος ἦρχε γόοιο.

& v. 745.

Ὡς ἔφατο κλαίουσ'· ἐπὶ δ' ἐστενάχοντο γυναῖκες.
Τῇσιν δ' αὖθ' Ἑκάβη ἀδινῇ ἐξῆρχε γόοιο.

& v. 760.

Ὡς ἔφαθ' κλαίουσα· γόον δ' ἀλίαστον ὄρινε.
Τῇσιν δ' αὖθ' Ἑλένη τελάμων ἐξῆρχε γόοιο.

& v. 776.

Ὡς ἔφατο κλαίουσ'· ἐπὶ δ' ἔστενε δῆμος ἀπείρων.

Quis ulterius dubitet, quin *luxerint* Hectorem matres Iliades, potius quam *unxerint*? Illud enim ex ritu sollemni & historiae fide ductum: hoc & supervacuum, & nulli auctori memoratum. Elegantissimus scriptor Consolationis ad Liviam, v. 429.

Hectora *tot fratres, tot* DEFLEVERE *sorores,*
Et pater, & conjux, Astyanaxque puer,
Et longaeva parens: tamen ille redemtus ad ignes;
Nullaq; per Stygias umbra renavit aquas.

Qui quidem locus vel solus sufficeret ad lectionem nostram stabiliendam. Accedat tamen Dictys Cretensis IV, 1. *Dein exorto quam maximo ululatu, postrema funeri* (Hectoris) *peragunt, hinc feminis cum Hecuba* deflentibus, *hinc reclamantibus Trojanis viris, & postremo sociorum gentibus. Quae per dies decem concessa bellandi requie, ab ortu solis usque ad vesperam per Trojanos gesta, nusquam remisso* lugendi *officio.* & Juvenalis X, 260.

Incolumi Troja Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis sollemnibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrimas; *ut primos edere* planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla.

Sic apud Virgilium in funere Polydori Aen. III, 65.

Stant circum Iliades *crinem de more solutae*, id est, *de more plangentium*, ut recte Servius. Et iterum in funere Pallantis XI, 37.

Circum omnis famulumque manus, Trojanaque turba,
Et maestum Iliades *crinem de more solutae.*

Ubique opinor vides in funere sollemni matres Iliadas, non ad *unctiones*, sed ad *luctus* & *planctus* & *lacrimas* advocari.

V. 17. VOLENTE CIRCE] Disertissimus Janus Broukhusius ad Propertii II, 7. sic reponit,

Volente CIRCA, *membra: tunc mens & sonus*;

idque, ut ait, ex optimo codice, quem saepe laudat, Graeviano. Ego vero eundem codicem jam nunc ante oculos habeo, & *circa* quidem ibi extare video; sed *ca illud* a manu secunda est, & post rasuram; ut vel primo conspectu apparet. Olim autem *circe* fuisse, ut in aliis omnibus, quos viderim codicibus, ex spatii angustia facile cognoscas. Et vereor mehercle, ne a stolido quodam interpolatum sit, qui *circa membra* sic acceperit; quasi si *circa* praepositio esset. Sed utcumque ceciderit haec suspicio; etiam caecus scopum feriebat. Quippe jam olim Latina inflexione, *Volente Circa*, scriptum hic fuisse, testis est locuples Valerius Probus p. 1446. *E nomina terminata Graeca sunt, ut Danaë, Euterpe, Circe, Agaue. In genitivo* ES *& in accusativo* EN, *hujus Danaes, hanc Danaën. Ablativum enim, quia Graecum est, non habent, & convertuntur. Sic ex* E *litera* A *facit, & dicitur Circa*; *unde est illud Horatii, Volente Circa.* Ergo Valerii auctoritate, qui tanto antiquior est omnibus qui nunc extant Flacci codicibus, recipimus CIRCA. Et sane observavi in Iambis, Sermonibus, & Epistolis Latinas declinationes libentius adhibere Nostrum; in Carminibus Graecas. In illis *Cretam, Helenae, Penelopam* habes, in his *Creten, Helene, Penelopen.*

Quippe

Digitized by Google

Quippe in illis puram & nativam orationem ſectatus eſt; in his plus exotici nitoris & tranſmarinae elegantiae affectavit. *Circa* itaque Latine nunc extulit; ut Plautus in Epidico, *Circam, Solis filiam.* Sic & apud Virgilium Aen. III, 386.

Infernique lacus, Aeaeaeque inſula Circes,

omnes Pierii codices aut CIRCE ibi habebant, aut CIRCAE. Quin & magnus Cujacius Obſervat. XII, 18. ſe in veteribus Horatii codicibus *Circa* inveniſſe teſtatur.

v. 18. TUNC MENS ET SONUS RELATUS] Editio Veneta princeps RELATUS; at altera cum Loſcheriana RELAPSUS, quod agnoſcunt codices noſtri Graevianus, & Reginenſis, cum quinque aliis: & Plotius Grammaticus p. 2643. Semper fere in hac voce variabant Librarii; ut Carm. IV, 13. *Dilapſam in cineres facem*; Leidenſis codex *Delatam*. & Serm. I. 10. v. 68.

Si foret hoc noſtrum fato dilatus *in aevum*;

major pars membranarum *dilapſus*. In loco autem, quem nunc tractamus, non permultum intereſt, *relatus* legas, an *relapſus*. In eo dumtaxat differunt, quod *relatus* externa vi reductum ſignificet, *relapſus* ultro & ſponte ſua reverſum. Atque hic opinor ſenſus commodior eſt, & rei convenientior. Simul enim ac Circe magicarum cantionum vim aboleverat; extemplo priſtina mens & vox & figura ſponte redierunt.

v. 19. SATIS SUPERQUE POENARUM TIBI] Lego:

Dedi ſatis ſuperque poenarum tibi, O
Amata nautis multum & inſtitoribus.

Sic oratio, quae prius languida & hiulca erat, novas vires novamque junCturam acquirit. Ita verſu 46,

Et tu, potes nam, ſolve me dementia;
O nec paternis obſoleta ſordibus.

Ideo autem (ut ſolent) omiſerunt id Librarii; quia ſine eo menſura verſus plena & integra eſt.

v. 22. RELIQUIT OSSA] Vide modo integrum locum; & miraberis ſervile quorundam ingenium, qui melius pejus, jure injuria, quidvis defendunt, quod a magno auctore profectum credunt:

Fugit juventas, & verecundus color
Reliquit oſſa pelle amicta lurida.

Quibus verbis olim offenſus vir magnus Julius Scaliger, *Quis*, inquit, *dicat colorem reliquiſſe oſſa? non igitur debuit dicere oſſa amicta pelle, ſed reliquiſſe pellem amicientem oſſa.* Nihil hac cenſura juſtius clariuſve dici poteſt. Sed quid hic noſtri Interpretes? ſunt qui rem callide diſſimulent; & ſicco pede ſapienter tranſiliant; eſt qui Scaligerum *cavillari* hic dicat; & tandem exortus eſt, qui id ipſum, quod ille vituperat, in caelum ferat, & *admirabile* eſſe pronuntiet. En quo tandem pervenimus; ut miremur ſcilicet ea, quae nemo intelligit; imo quae probe intelligimus inepta eſſe, & falſa, & abſurda. Quid enim? *Verecundus color* eſt rubor. Id quidem ſine controverſia eſt. *Rubor* ergo *reliquit oſſa*. Qui pote, ut locum relinquat, ubi numquam fuit? quis *rubra oſſa* vel fando audivit? Quod ſi ſtulte contendat quiſpiam, oſſa vivi hominis rubere: at oſſa hominis aegroti, qualem hic ſe deſcribit Horatius, haud minus rubent, opinor, quam ſani. Andromache apud Virgilium Aen. III, 307. conſpecto derepente Aenea,

Diriguit viſu in medio, CALOR OSSA RELIQUIT.

& matri Euryali, Aen. IX, 475. audita filii ſui morte,

ſubitus miſerae CALOR OSSA RELIQUIT.

Recte quidem hoc: nam in conſternatione & animi deliquio ſubitum frigus per ipſa oſſa permanat, vitali calore totum corpus relinquente. *Calor* itaque tum *relinquit oſſa*: ſed ſcire velim, qua tandem animi corporiſve affectione *color oſſa relinquat*. Hic opinor morbus & Hippocratas omnes & Galenos effugit, ſoliſque Ariſtarchis compertus eſt. Quid quod *verecundus color* non quivis *rubor* eſt, nec in qualibet parte corporis; ſed proprius *genarum*. Nemo enim, cui ſanum eſt ſinciput, ſanguinem, aut vulnus, aut naſum, aut ſupercilia, aut capillum, aut quidvis praeter genas *verecundo colore* ſuffuſum dixerit. Quid ergo? an *rubor genarum reliquit oſſa*? Hoccine *admirari* nos jubetis, ut a divino poëta prolatum? Quanto melius erat, & ab illo & a vobis tam foedam maculam abſterſiſſe? quod quidem non ita magni negotii eſt: in aperto enim & facili poſita eſt vera emendatio:

Fugit juventas; & verecundus color
Reliquit ORA, *pelle amicta lurida.*

Ora, inquam, reliquit, non *oſſa*; quippe in *ore* ſolo ſedem & locum habet. Ovidius Epiſt. Phyllidos.

Flava verecundus *tinxerat* ora rubor.

& Metamorph. I, 384.

Pulchra verecundo *ſuffunditur* ora rubore.

Seneca Hippolyto 376.

Non ora *tingens nitida* purpureus rubor.

Digitized by Google

Ergo queritur Horatius ſe Canidiae veneficiis pallidum & *luridum* factum eſſe, & ruborem priſtinum *ora reliquiſſe*: ut plane Canace apud Ovidium Epiſt. XI.

Fugerat ore color: *macies adduxerat artus*:

& Camilla moribunda Aen. XI. 819.

Labitur exſanguis, labuntur frigida leto
Lumina: purpureus *quondam* COLOR ORA RELIQUIT.

Ceterum codices Reginenſis & Magdalenenſis, AMICTUS, & Bodleianus AMICTAS: quae neſcio equidem quid ſibi velint: alii ingenioſiores hic ſe exerceant. Ideo autem crediderim Librarios *oſſa* hic interpolaviſſe; quia *oſſa pelle tegi & amiciri* vulgari dicto notiſſimum erat. Plautus Captivis I, 2.

Oſſa atque pellis *ſum miſer a macritudine.*

Silius Ital. XIV. *ſanies immixta cruore*
Expuitur, membriſque cutis tegit oſſa *pereſis*:

Idem libro II. *jam lumina retro*
Exeſis fugere genis; jam lurida ſola
Tecta cute, *& venis male juncta trementibus* oſſa
Extant, conſumtis viſu deformia membris.

Ora vero dici *pelle amicta*, duriuſculum forte, aut certe novum iis videbatur. Atqui & *ora* & omnia corporis membra cute teguntur: & ſi *ora pelle nudata* bene dixeris; quidni itidem & *pelle amicta*?

V. 24. NULLUM A LABORE] Graevianus cum duobus aliis,

Nullum AB *labore me reclinat otium.*

ut Terentius Hecyra Prolog. II.

Ab ſtudio, atque ab labore, *atq; arte muſica.*

& Noſter Carm. III, 17.

Aeli vetuſto nobilis ab Lamo.

Sed parvi intereſt: neque tantillam ob cauſſam editiones convellendae ſunt.

V. 30. O MARE ET TERRA, ARDEO] Acron & editus, & manuſcriptus ſic exhibet,

O *mare*, O *terra*, *ardeo*:

quod explicat ex illo Terentiano, *O caelum, O terra, O maria Neptuni.* Recte; nam longe vehementius quid ſonat O repetitum. Plinius Epiſt. I, 9. *O mare, o litus, verum ſecretumque μυσταῖον.*

V. 33. VIRENS IN AETNA FLAMMA] Editiones veteres URENS, & major pars manuſcriptorum; ſane ex noſtris omnes, praeter Graevianum & Collegii Regii, qui VIRENS habent. *Virens* etiam in quibuſdam ex ſuis invenerunt Lambinus, Torrentius, Pulmannus, Cruquius & Gifanius. Equidem, ſi alterutrum ex his neceſſario recipiendum eſſet, *virens* praetulerim. Quis enim *urens* abſolute & intranſitive dixit? Hoc quidem ſenſu ſine dubio *ardens* poſuiſſet, non *urens*. Sed eſto, ut *urens* idem ſit ac *ardens*: quae deinde ſententiae vis & venuſtas erit? *flamma urens in fervida Aetna.* Si *flamma*, ſi *fervida*; mirum certe, ſi non *ureret*. Quid ergo attinebat tam inerti, tam redundans, tam invariatum epitheton infercire? At illud alterum *virens*, ſi nihil aliud, certe novam metaphoram orationi impertit: ideoque & pleriſque interpretum placuit, & elegantiſſimo Nic. Heinſio tam hic, quam ad Ovidii Faſt. VI, 234. Jam autem *flammam virentem* interpretantur *validam & inextinctam*: ferme ut *viridis ſenectus*, *virens genua*, χλωρὸν γῆρας. Sed haec exempla ad ſcopum non pertingunt. Non enim ſi *aetas*, tranſlatione a vernis floribus ſumta, *virere* belle dicitur; idcirco etiam & *flamma*, quae toto genere diſpar eſt. Illa paullo validiora ſunt, *flos flammae*, πυρὸς ἄνθος, *igne & flammis florere*, ex Lucretio I, 898.

Donec flammai *fulſerunt* flore *coorto.*

& IV, 451.

Bina lucernarum florentia *lumina* flammis.

& Statio Theb. II, 276.

arcano florentes igne *Smaragdos.*

Sed rogo vos, ſi de levi aliqua flamma aut *lucernae*, aut *gemmae*, aut *fomitis* felici & audaci metaphora *florere* uſurpatur; an ideo de immani Aetnae incendio recte etiam procedet? An ſi auctor hic dixiſſet, *Florens in Aetna flamma*, propitiis auribus acciperetis? Vix crediderim; & tamen hoc magis illo veniam meretur: hoc enim, etſi in re plane diverſa, auctores ſuos habet; illud indictum prorſus & inauditum. Nam quod Heinſius ad Ovidium *virens flamma* ex Martiali citat, in eo accuratiſſimum virum memoria fefellit. Ibi enim *aurum virens*, non *flamma* dicitur, Epigr. XII, 15.

Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Juppiter.

Tum autem, quod quidam de colore flammae Aetneae, utpote ex ſulfure & bitumine ortae, *virens* interpretatur, *id* levi manu refelli poteſt. Flamma enim *in Aetna* nullum colorem habet; neque ex Aetna prorumpens, *viridem*. Quid multa? ſi illud volunt, ut *virens* hic pro valida & numquam moriente flamma accipiatur; miror equidem, quod nulla fere mutatione non ſic repoſuerint,

nec Sicana fervida
VIVENS *in Aetna flamma.*

quod ſane minime contemnendum eſſet, ſi

Digitized by Google

si libri accederent: Sic Noster Carm. III, 21.

Vivaeque *producent* lucernae.

& Ovidius Fast. VI, 291.

Nec tu aliud Vestam, quam vivam *intellige*

& Fast. IV. 553. [flammam.

Inque foco pueri corpus vivente favilla

Obruit.

Severus in Aetna:

Proxima vivaces Aetnaei verticis ignes

Impia sollicitat Phlegraeis fabula castris.

Sed quid opus est conjecturis? cum ipsi codices veram lectionem suppeditent, nempe ex Torrentianis aliquot, & Pulmanni unus, Berlmannique alter; *O mare, o terra, ardeo*

Quantum neque atro delibutus Hercules

Nessi cruore, nec Sicana fervida

FURENS *in Aetna flamma.*

Enimvero haec lectio omne aufert punctum: pulchram enim habet translationem ab humano affectu; & simul, ut fieri hic oportet, ingentem flammae vehementiam ostendit. Sic Virgilius Aen. V, 662.

furit *immissis* Volcanus *habenis*

Transtra per & remos, & pictas abiete puppes.

& IV, 670. flammaeque furentes

Culmina perque hominum volvantur perque

& Georg. III. 100. [*deorum.*

Ut quondam in stipulis magnus sine viribus

Incassum furit. [ignis

& Aen. II, 759.

Ilicet ignis *edax summa ad fastigia vento*

Volvitur: exsuperant flammae: furit aestus

Seneca Medea, 885. [*ad auras.*

Avidus per omnem regiae partem furit Ignis.

& Herc. Oet. 1958. *cum plurimus*

In caelum fureret flammae *metus.*

Sed praecipue amant hoc verbum poetae, ubi de *Aetna*, ut hic, loquuntur: sic Lucretius II, 593.

Eximiis vero furit *ignibus impetus* Aetnae.

Severus in Aetna.

Aetnaei *montis fremitus, animumque* furen-

Lucanus X, 447. [tis.

Non secus in Siculis fureret tua flamma *cavernis,*

Obstrueret summam siquis tibi, Mulciber,

Seneca Herc. Fur. 106. [*Aetnam.*

acrior mentem excoquat,

Quam qui caminis ignis Aetnaeis furit.

& Hippolyto, 190.

Opifex trisulci fulminis sensit deus,

Et qui furentes *semper* Aetnaeis *jugis*

Versas caminos.

& Herc. Oetaeo 285.

quis ignis *tantus in caelum* furit

Ardentis Aetnae?

Porro *furens*, initiali litera de more omissa aut minio notata, facile a Librariis mutabatur in *urens*, aut *virens*.

V. 35. CALES VENENIS] Expedi mihi, si potes, hunc locum; & magnam gratiam a me inibis: *tu, donec cinis*

Injuriosis aridus ventis ferar,

Cales venenis officina Colchicis.

Tu, inquit, O *Canidia, cales officina venenis Colchicis.* Quid hoc? aut quo pertinet? Dicet forte Porphyrion Scholiastes: *Ipsam mulierem officinam venenorum diserte dixit.* Neque hilum praeterea habent interpretes novi. Sed vereor, ne aliud longe, ac illi existimant, his verbis, ut nunc quidem extant, denotetur. Quippe (si sic legis) Canidia ipsa sive corpus Canidiae erat *officina venenorum*, & corpus Canidiae *calebat venenis.* Sequitur ergo, ut ipsa Canidia veneficiis acta & fascinata fuerit, non ut Horatium fascinaverit. Qui enim *cales officina venenis*, sive qui calida officina venenorum est, is profecto non veneficus est, sed veneficia patitur. Qualem ipse se hic describit Horatius; nam *calebat*, & *ardebat: fugerat color, incanuerant capilli*; & praeterea *pectus, caput, praecordia*, & totum denique corpus dolebat; ut quasi *officina* seu domicilium venenorum dici potuerit: eodem plane jure, quo variis morbis affecti *domicilia morborum* vocantur Arnobio lib. VII. *Nonne alios*, ait, *videmus ex illis* domicilia esse morborum; *extinctis luminibus, atque auribus obseratis, pedum carere processu, truncos sine manibus degere.* Quare vide, ne non ita magna mutatione ad Horatium haec forte referenda sint,

NUM, *donec cinis*

Injuriosis aridus ventis ferar,

CALEO *venenis officina Colchicis?*

Sic, inquam, potius legerim, si cum Porphyrione *officinam* de homine interpretarer: sed mihi quidem dura & plebeia & Horatio indigna videtur metaphora; tantum abest, ut *diserte* dictum existimem. Quidni autem *officinam* accipiamus de loco, ubi omnis veneficiorum apparatus repostus erat. Qualia erant Medeae illa penetralia, Valer. Flacc. VII, 327.

Utque procul magicis spirantia tecta venenis

Et saevae patuere fores; oblataque contra

Omnia, quae Ponto, quae manibus eruit imis.

Appuleius Metam. III. de Pamphila saga: *Apparatu solito instruit feralem* OFFICINAM, *omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis*

Digitized by Google

literatis &c. Seneca Controverſ. XXXIII. *Volo mehercules noſſe illud ſpecum tuum, illam humanarum calamitatum* officinam, *illud infantium ſpoliarium.* Ita Cicero *officinam nequitiae, officinam falſorum chirographorum,* Columella *contemtiſſimorum vitiorum officinas* dixit; ſed de loco & domo, non de perſona. Ergo & hic *officinam venenorum,* non de ipſa Canidia, ſed de ejus domo intelligendum eſt: atque eo magis, quod ea vero nomine Gratidia appellata *officinam* unguentariam Neapoli exercebat; ſi veteribus Scholiaſtis, ut ſane eſt, fides habenda eſt. Jam vero, ſi hanc ſententiam amplecteris, ſic locus erit conſtituendus;

Furens in Aetna flamma. TUA, *donec einis*
Injurioſis aridus ventis ferar,
CALET *venenis officina Colchicis.*

ubi in primo verſu pes quartus erit Tribrachys; ut in verſu XII,

Alitibus atque canibus homicidam Hectorem.

& LXXIV,

Vectabor humeris tunc ego inimicis eques.

Et ſententia quidem hac nihil clarius videtur: vera autem ſit Horatii manus necne, penes alios judicium eſto.

v. 39. CENTUM JUVENCOS] Elegans eſt ſcriptura, quam codex Battelianus pro varia lectione ſuppeditat,

Paratus expiare, ſeu popoſceris
Centum JUVENCIS.

hoc eſt, *ſeu popoſceris expiari juvencis centum*; ut Carm. I, 4. v. 11.

Seu poſcat agna, *ſive malit* haedo.

vide plura, quae ibi diximus.

v. 40. VOLES SONARI] Codex Reginenſis, & duo Bodleiani, & a prima manu Graevianus, *ſive mendaci lyra*

Voles SONARE.

quod eſt, *ſive voles me ſonare mendaci lyra, Tu pudica, tu proba.*

v. 42. OFFENSUS VICE] Odioſa eſt cacophonia in clauſulis horum verſuum,

Infamis Helenae Caſtor offenſus vice,
Fraterque magni Caſtoris, victi prece.

quod homoeoteleuton, ſi bene eum novi, numquam auctor admiſit. Et opportune quidem abſolvit eum ab hac culpa codex unus Torrentii, qui ſic locum exhibet,

Infamis Helenae Caſtor offenſus VICEM.

Noli dubitare, quin genuina ſit haec lectio. Ita Livius VIII, 35. *Tribunos ſtupentes, & ſuam jam* vicem *anxios.* & XXVIII, 19. *Clamor undique ab ſollicitis* vicem *imperatoris militibus ſublatus.* & XXXIV, 32. *Remittimus hoc tibi, ne* vicem noſtram *iraſcaris.* & XLIX, 32. *Sollicito conſuli eorum* vicem, *quos paucos praemiſerat.* Curtius VII, 4. *Maeſtus, non ſuam* vicem, *ſed propter ipſum periclitantium fratrum.* & VII, 41. *Rex non cupidine magis potiundi loci, quam* vicem *eorum, quos ad tam manifeſtum periculum miſerat, ſollicitus.*

v. 43. FRATERQUE MAGNI CASTORIS] Vide modo illud epitheton,

Infamis Helenae Caſtor offenſus vicem,
Fraterque magni *Caſtoris.*

Certe ſi hiſtoriam ſequimur, legemus potius, *Fraterque* MAGNUS *Caſtoris*, vel, *Fraterque* MAJOR, ut Terent. Phorm. I, 2.

Senis noſtri, Dave, fratrem majorem *Clre-*
Noſtin'. [*mem*

Quippe Pollux erat frater major Caſtoris; major & natu, & virtute. Sed Latini veteres etiam ipſum Pollucem nomine Caſtoris appellaſſe videntur.

v. 50. TUUSQUE VENTER PARTUMEIUS] Nulla foedior ſordes uſquam Horatium inquinavit, quam hoc in loco; ubi ex malae notae codicibus *partumeius*, verbum ad ultimam Barbariam ablegandum, nobis obtrudunt. Quid autem eſt *venter partumeius?* Reſpondebunt tam lepidae mercis mangones, compoſitum eſſe a *partu* & *meiere*; qui tam facile ſcilicet & ſine ullo nixu pariat, ut potius meiere, quam parturire videatur. Quid autem? quiſquamne alius hac voce uſus eſt? Non. An ad analogiae regulas formatum eſt? ne hoc quidem. Sunt tamen, qui *ſubmeies* & *ſubmeiulus*, id eſt, *qui in lectulo mingit* (ſic enim loquuntur) ex infima corruptae Latinitatis faece depromant. Praeclare vero comparatum eſt, ſi Flaccus ex Marcello Empirico Latine loqui diſcet. Sed ignoſcendum fortaſſis eſſet tam plebeio & ſordido vocabulo; ſiquid urbani & arguti ſenſus inde exſurgeret. Jam autem id pro comperto eſt, auctorem hic, dum acerbiſſimis probris lacerare quaerit Canidiam, falſa tamen Ironia laudare eam videri. Ergo cum ait,

Tibi hoſpitale pectus, & puraе manus,

quae vera laudatio eſt; contrarium tamen vult intelligi. Et ſimiliter, ubi ſtatim addit,

Tuusque venter partumeius, & tuo
Cruore rubros obſtetrix pannos lavit;

re ipſa quidem innuit, partus ſibi ſuppoſuiſſe; ſed verbo tenus *vera* puerperia enixam eſſe dicit. Male igitur hic convenit ſpurcum illud *partumeius*, quod & re & verbo ipſo contumelia, non *laudatio* eſt. Male quoque ſubjungit

cruore,

Digitized by Google

cruore, (quod & verum & non adeo facilem partum indicat) ſi *partumeius* Canidiae venter tam facile offas ſuas effunderet, quaſi emitteret urinam. Revocanda igitur eſt antiqua & vera lectio,

Tuuſque venter PACTUMEIUS, *& tuo*
Cruore rubros obſtetrix pannos lavit:

quam ſolam agnoſcunt Scholiaſtes uterque, & editiones priſcae ante Aldum, & omnes opinor membranae paullo vetuſtiores, ut Blandiniae apud Cruquium, & ex noſtris omnes praeter codicem & notae & aetatis ſequioris Petrenſem. Nam in Reginenſi & Regiae Societatis a prima manu erat *Pactumeius*, quod poſtea immutatum eſt ab inſulſis correctoribus. Leidenſis & editio Loſcheri *Pactomeius*; Veneta 1490 *Patumeius*. Sed vera ſcriptura & pluribus codicibus confirmata, eſt *Pactumeius*; nomen ſcilicet Canidiae filii. Ita Digeſt. XXVIII, 6, 92. Pactumeius Androſthenes Pactumeiam Magnam *filiam* Pactumeii magni *ex aſſe haeredem inſtituerat*. & ibidem XL, 7, 21. Pactumeius Clemens *aiebat*. Lampridius in Commodo c. VII. *Interemit ex Conſularibus Allium Fuſcum*—— Pactuleium Magnum *cum ſuis*. Ubi recte eruditi interpretes *Pactumeium* reponunt; ut ſane hic eodem errore *Pactuleius* praefert Torrentii codex. Gruterus in Inſcriptionibus, DCCCXVI, 8. PACTUMEIAE. CAMPANAE. & DCCCLXXXII, 7. PACTUMEIAE. THEOPHILAE. DULCISSIMAE. Sententia autem eſt, *Pactumeius erat tuus venter*, hoc eſt, verus filius, non ſuppoſitus; *partus ventris tui*, ut exponit vetus Annotator Graevianus: & quidem ridiculum illud *Partumeius* a ſimili gloſſemate natum eſſe pro certo habendum eſt. *Venter* autem, ſive *uterus*, pro infante, qui in ventre eſt, non inuſitata bonis auctoribus locutio. Tacitus Annal. I, 59. *Arminium, ſupra inſitam violentiam, rapta uxor, ſubjectus ſervitio uxoris* uterus, *vecordem agebant*. & ibidem XV, 23. *Jam ſenatus* uterum *Poppaeae commendaverat diis*. Quintilianus Declam. CLXXVII. *Illa igitur prior damnavit* ventrem *ſuum*: victurus *autem fuit* ille, *ſi ego adulteram non occidiſſem*. Digeſt. XXXVII, 9. *Totiens autem mittitur in poſſeſſionem* venter.—— *Si* venter *ab inſtitutis exhaeredatus ſit, a ſubſtitutis praeteritus*.—— *Rationem non eſſe, cur* venter *repelli debeat*.—— *Non in totum repelli* uterus *debet*.—— *Solet mulier curatorem* ventri *petere*. & ibidem V, 5, 3. *Antiqui libero* ventri *ita proſpexerunt, ut in tempus naſcendi omnia ei jura integra reſervarent*.

v. 60, & 63. QUID PRODERIT DITASSE]

Ita nunc vulgo editur hic locus;

Quid proderit ditaſſe Pelignas anus,
Velociuſve miſcuiſſe toxicum,
Si tardiora fata te votis manent?

Quae ad verba jam olim adnotavit Porphyrio, *fallere hic ſenſum*, & ambiguum eſſe, utrum ad Canidiam haec, an ad Horatium referenda ſint. Concludit tamen, ad Horatium potius pertinere; ut ſic ſint intelligenda, *Quid tibi proderit, Horati, ditaſſe Pelignas anus*, ut te a meis incantationibus per potentiores incantationes liberarent? *aut quid proderit tibi miſcuiſſe velocius toxicum*, quo poenas tibi a me irrogatas cita morte effugeres? Atque in hanc ejus ſententiam omnis fere interpretum ſenatus pedibus accedit. Ego vero altera potius via inſiſtendum exiſtimo. Neque enim vel verbo indicavit Horatius in priore parte Carminis, ſe ab aliis veneficis antidota petiiſſe: neque vero par erat, ut qui vanitatem magicam tam falſo hic derideat, ad eaſdem artes ſe devolutum eſſe fateretur: multo minus mortem toxico ſibi arceſſere voluiſſe: id enim ipſius orationi plane repugnat. Omnibus enim precibus jam obſecraverat Canidiam, ut ſolveret ſe dementia, vitaeque ſpem & valetudinem ſibi reſtitueret. Ergo de Canidia, non de Horatio, haec verba accipienda ſunt: quae tamen prius emendare, quam enarrare oportet. Quippe pro *proderit* veterrimus codex Leidenſis, & non infimae notae Magdalenenſis PRODERAT clare exhibent: & pro *ſi tardiora*, editiones vetuſtae Venetae, Porphyrio Scholiaſtes, Torrentii aliquot codices ex optimis, Pulmanni unus Berſmannique alter, & a prima manu Reginenſis noſter, SED *tardiora*. Sic igitur totus locus refingendus & diſtinguendus videtur:

Quid PRODERAT *ditaſſe Pelignas anus,*
Velociuſve miſcuiſſe toxicum?
SED *tardiora fata te votis manent.*

Cujus haec demum erit ſententia, & ſic ex praecedentibus colligenda. *Inultus* ut tu ſacra magica deriſeris, & *impune* me famoſo carmine proſcideris? Numquam a me, ne ſpera, hanc veniam impetrabis. Quid enim *proderat* mihi, etiam plurium ſagarum auxilium magno pretio conciliaſſe, aut *velocius* potentiuſque toxicum tibi miſcuiſſe; ſi nunc te inultum & impunitum dimitto? Noli tamen, quia *velocius* dixi, brevem vitae exitum ſperare, qui cito te a tormentis eripiat. Vita enim tibi etiam invito producetur; ut diutius crucieris. Nihil quidem hac ſententia clarius aut ſimplicius.

Digitized by Google

cius. *Quid proderat autem*; ut Cicero III. in Verrem, Quid proderat *tibi ta expensum illis non* tuliſſe? Seneca Praefat. in lib. III. Controverſ. *Uni illi* proderat *excuti: melius ſemper fortuna, quam cura de illo merebat.* Salvianus De Gubernatione Dei lib. III. *Quod ſi ita eſſet*, quid proderat *tamen unum a ſcelere deſiſtere, & multos in ſceleribus permanere?* & alii ſaepe. Porro & plurium veneficarum opem ſibi adſciviſſe Canidiam, patet ex Epodo quinto & Serm. II, 7. ubi ejus conſciae Sagana, Veia, & Ariminenſis Folia nominantur.

v. 64. SUPPETAS DOLORIBUS] Ita quidem editiones Venetae; ſed Loſcheriana LABORIBUS: cui accedunt Lambini codices aliquot, & vetus noſter Leidenſis. Utrumque probum eſt; ſed illud potius hujus interpretamentum videtur, & ex ſpatio interlineari in verſum irrepſiſſe.

v. 65. PELOPIS INFIDUS PATER] Iterum Editiones Venetae INFIDUS; contra Loſcheriana INFIDI: quam tamen hic, ut & loco ſuperiore, recentiores fere deſeruerunt. Perperam. Nam, *infidi* etiam exhibent omnes fere aliorum codices, & noſtri. In Reginenſi quidem & Regiae Societatis, *infidus* nunc extat, ſed altera lectione prius eraſa. Soli id habent a prima manu Magdalenenſis & Bodleianus. Revocanda igitur eſt priſca lectio, & pluribus teſtimoniis firmata,

Optat quietem Pelopis INFIDI *pater,*
Egens benignae Tantalus ſemper dapis.

Uterque quidem *infidus*, & pater & filius; ut Ovid. Amor. III, 12.

Proditor *in medio* Tantalus *amne ſitis.*

Statius Theb. I, 246.

neque enim arcano de pectore fallax
Tantalus, *& ſaevae periit injuria menſae.*

Catullus de Nuptiis Pelei.

Troïcaque obſidens longinquo moenia bello
Perjuri Pelopis *vaſtabit tertius heres.*

Sed hic potius filio donandum eſt epitheton: quia pater ſuum habet verſu ſequente. Qui poëtae ſunt, hoc ex more & decoro fieri facile agnoſcent,

v. 72. GUTTURI INNECTES TUO] Sic editiones veteres, & recentiorum pleraeque: ſed bona pars codicum, ut ex noſtris Graevianus & Galei cum quattuor aliis, NECTES: quae vera & genuina lectio eſt:

Fruſtraque vincla gutturi NECTES *tuo.*

Sic enim loquuntur boni ſcriptores, *nectere vincla gutturi*; minime autem *innectere vincla gutturi*, ſed (quod interpretibus noſtris non animadverſum eſt) *innectere guttur vinclis.* Noſter Epiſt. I, 19.

Nec ſponſae laqueum *famoſe carmine* nectit. Auſonius Epig. XXIII.

Qui laqueum collo nectebat, *repperit aurum.* Plinius Epiſt. IX, 28. *Jam* tibi compedes nectimus; *quas perfringere nullo modo poſſis.* Contra, Virgilius Aen. V, 510.

& vincula linea rupit,

Quis innexa pedem *malo pendebat ab alto.* & V. 425. de caeſtibus loquens,

Ex paribus palmas *amborum* innexuit armis. & VIII. 60. *tum lactea* colla

Auro innectuntur.

Ovid. Triſt. V, 3.

Feſtaque oderatis innectunt tempora ſertis. Metam. X, 378.

laqueoque innectere fauces
Deſtinat. & XI, 252.

Ignaram *laqueis* vincloque innecte *tenaci.* Claudian. II Stilich. 374.

Barbara ferratis innectunt colla catenis. & VI Conſ. Honorii 378.

Palladiaq; comas innexus arundine *Triton.* & II de Raptu Proſerp. 369.

Mutuaque alternis innectite colla lacertis. Prudentius Peristephanon, X, 353.

Innexa crines vinculis *regalibus.* & Pſychom. 357.

his rigidas nodis innectier *ulnas.*

Vides, opinor, ad haec exempla dicendum omnino fuiſſe,

Fruſtraque vinclis gutturi innectes tuum.

non ut nunc circumfertur,

Fruſtraque vincla gutturi innectes tuo.

Haud enim temere ſic poſitum invenies apud bonos ſcriptores. In unum duntaxat vel alterum locum incidi: ut Arnobii lib. III. p. 146. Edit. Heraldi; *Innectuntur*, ait, *cervicibus laquei*: verum hujus levis eſt auctoritas, & fortaſſe ſcripſerat, *nectuntur*. Et Silii Italici XI, 250.

huic *agedum (nam cur indigna feramus)*
Magnanimo, miles, meritas innecte *catenas.*

Verum haec opinor haud Silii locutio eſt, ſed librariorum: ſic enim corrigo,

Magnanimo, miles, meritas i, necte *catenas.*

Sequitur enim mox verſu 258.

At Decius, dum vincla ligant, Necte *ocius, inquit,*
Namſic Hannibalem decet intrare iſſa, catenas.

Denique & Statii Theb. IV, 26.

Haeres amica manus: certans innectere collo

Brachia

Brachia: manantesque oculos hinc ofcula turbant,
Hinc magni caligo maris.

Sed & hic forte corrigendum:

Haeret amica manus, certatim nectere *collo Brachia.*

v. 78. & 79. VOCIBUS POSSUM MEIS, POSSUM CREMATOS] Legendum cum editionibus antiquis, & pleriſque codicibus, noſtris certe ad unum omnibus,

Deripere caelo vocibus POSSIM *meis,*
POSSIM *crematos excitare mortuos.*

v. 80. TEMPERARE POCULUM] Placet magis, quod in noſtris Leidenſi, Zulich. Regiaenſi, Magdalenenſi, Bodleiano, Regiae Societatis, & pro varia lectione Petrenſi invenimus,

Deſideriique temperare POCULA.

Norat enim Canidia plura philtrorum & potionum genera conficere: unde ipſa ſit Varo minatur Epod. V. v. 73.

Non uſitatis, *Vare,* potionibus
Ad me recurres.
Majus *parabo,* majus *infundam tibi*
Faſtidienti poculum.

Ergo hic, ubi de arte & potentia ſua gloriatur, *pocula* magis convenit. Tum & hoc pacto effugies odioſum homoeoteleuton verſus ſequentis, *poculum, exitum.* Ceterum ex hoc metiri poſſis Interpretum diligentiam; qui nullam variationem in ſuis codicibus memorant: credo, quia *poculum* jam in omnibus editionibus receptum erat.

NOTAE AD CARMEN SAECULARE.

v. 16. SEU GENITALIS] Oſtentant hic eruditionem ſuam docti Interpretes; nemo tamen ex illis, quod maxime conandum erat, Dianam ſive Lucinam proprio cognomine *Genitalem* Romanis eſſe dictam, ex ullo alio auctore probare potuit. Neque ſane mirum: aliud enim quid, & ab hujus loci ſententia plane diverſum ea vox ſignificat, & diis pluribus attribuitur. Ennius apud Servium ad Aen. VI, 764.

Romulus in caelo cum Dîs Genitalibus *aevum Degit.*

Ubi Paullus Merula *deos genitales* Saturnum, Jovem, Venerem, Aeneam, Martem intelligit, quod ab iis Romulus divina quadam ſerie *genitus* fuerit. Eoſdem fere Hieronymus Columna: proprie tamen ait *Genitales deos* eoſdem eſſe ac Indigetes, qui ſcilicet prius homines fuerint, & poſtea in deorum numerum adſciti, quales erant Hercules, Caſtor, Pollux, & Aeneas. Nos plane contrarium ab Ennio notari credimus; quippe *deos genitales* ibi accipimus deos genitos & naturales; non adoptivos & adſcititios; qui ſtatim nati ſunt caeleſtes & immortales, non qui mortalitate exuta caelo poſtea donati ſint. Hi Genitales duodecim numero erant, ſex mares, & totidem feminae; Gentium ſcilicet majorum dii; quorum nomina idem Ennius hoc diſticho comprehendiſſe memoratur;

Juno, Veſta, Ceres, Diana, Minerva, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo.

Ergo hoc voluit Ennius, non mortuum eſſe Romulum, ſed cum diis immortalibus in caelo vivere. Neque aliter ejus mentem cepiſſe olim Ciceronem, vel inde patet, quod Tuſc. Quaeſt. I, 12. ſic locum hunc citaverit,

Romulus in caelo cum dis agit aevum,
ut famae aſſentiens dixit Ennius. Quippe perinde eſſe putavit, utrum poetice *cum diis genitalibus,* an abſolute *cum diis* diceret. Atqui vox *dii,* cum abſolute & per ſe ponitur, deos immortales & θεογενίτας ſemper ſignificat. Eodem modo & Servius ad Virgil. Aen. VI, 777. *deos* univerſe in hoc Ennii loco interpretatur: *Romulus,* ait, *ſecundum Ennium refertur* inter deos *cum avo ſuo Aenea.* Sed adhuc clarius ex Auſonio diſcere poteris, quinam fuerint *dii genitales.* Is enim periocham IV libri Iliados hoc diſticho concluſit,

Juppiter interea cum dîs genitalibus *una*
Concilium cogit ſuperûm de rebus Achivis.

Non

Digitized by Google

Non enim Indigetes, sed Deos majores ibi intelligi, liber ipse Homeri indicio est,

Οἱ δ' ἥμενοι πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο
Χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ.

Undecim enim illi, quos jam ex Ennio memoravimus, Jovi erant a consiliis: unde Ovidius Metam. VI, 72.

Bis sex caelestes medio Jove sedibus altis
Augusta gravitate sedent.

Et Plautus in Epidico, Act. V. Sc. I.

Si undecim deos praeter sese secum adducat
Juppiter.

Denique & ex Festo adhuc amplius constabit, *Genitales* Ennii *deos* majorum esse gentium, non deos ex hominibus factos. Sic enim ille: *Geniales* (lege, ut & alii viderunt *Genitales*) *deos dixerunt Aquam, Terram, Ignem, Aërem: ea enim sunt semina rerum, quae Graecorum alii Στοιχεῖα, alii Σπέρματα vocant. Duodecim quoque signa, Lunam & Solem inter hos deos computabant.* Haec autem ex sententia Physicorum dicit, qui vulgarem Theologiam de Elementis & Astris allegorice exponebant. Numquam tamen Indigetes deos, sed naturales duntaxat & aeternos allegoriis suis eo trahebant. Sed utcumque Ennii verba acceperis, sive de his, seu de illis; illud inde recte colligas, vix fieri posse ut Diana proprio cognomine *Genitalis* appellata sit. Quippe id vocabulum, si Indigetes notet, de Diana non omnino; si majores illos, quos Hetrusci Consentes vocabant, de ea sola dici non potest. Ut neque illud, quod in duobus Crispinae nummis occurrit apud Mediobarbum, DIS GENITALIBUS; nam si Lucinam tantummodo & ejus comitatum eo nomine signassent Romani; non DIS, sed DEABUS utique dixissent. Quid ergo fiet? inquies: & quo pacto ex tantis tenebris in lucem tandem emergemus? Equidem locum esse corruptum & contaminatum existimo, vel potius certo scio. Levissima autem mutatione veram Horatii manum non dubitanter agnosces:

Rite maturos aperire partus
Lenis, Ilithyia, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu GENETYLLIS.

Genetyllis enim apud Graecos *Dianae* cognomen, a γένεσις ei inditum, quia partubus praesidebat: alii quidem id ad *Venerem* referebant; sed priores secutus est auctor. Suidas: Γενετυλλὶς, δαίμων περὶ τὴν Ἀφροδίτην, γενέσεως αἰτία· ἀπὸ τῆς γενέσεως τῶν παίδων ἀνομασμένη· ἑορτὴν ἦν τὸ ὄνομα παρὰ τὴν γένεσιν. Οἱ δὲ περὶ τὴν ΑΡΤΕΜΙΝ φασὶ τὴν τῶν ἐφήβων, καὶ πάλιν περὶ (lege παρὰ) τὴν γένεσιν GENETYLLIS, *dea, Veneris comes, generationis auctor, a voce γένεσις dicta. Alii* Genetyllidas DIANAE *comites dicunt, partuum praesides, a voce γένεσις, ut antea, appellatas.* Locus Aristophanis a Suida hic citatus ex tat Thesmophor. p. 515.

Ὡς ἡδὺ τὸ φίλος, ὦ πατρίαν Γενετυλλίδος,
Καὶ ἡλυδερωδὲς, καὶ καπνολαπτισμένον.

Idem iterum in Nubibus p. 62.

Ὄζων λαφυγμῶν, Καλιαδῶν, Γενετυλλίδος.

Et in Lysistrata, ipso principio:

Ἦ Πανὸς, ἢ περὶ Καλιαδῶ, ἢ Γενετυλλίδος.

Porro ut quidam *Genetyllidas* Veneris vel Dianae, & *Ilithyias* Dianae *comites*; ita alii Genetyllidem esse ipsam Venerem vel Dianam, & Ilithyiam esse ipsam Dianam prodiderunt. Scholiastes ad locum Nubium: Γενετυλλὶς, ἡ ἐπὶ γενέσεως ἑορτὴ Ἀφροδίτης. Etymol. Magnum. Εἰλείθυιαι, παρὰ τὸ πολυσὶν ἑορτὰν Διὸς καὶ Ἥρας ἐνγατέρες. At Horatio *Ilithyiae* hic est ipsa Diana: & similiter Genetyllis, non παρὰ περὶ τὴν Ἄρτεμιν, sed ipsa Ἄρτεμις. Locus Hesychii de Genetyllide singularis plane est, & dignus qui emendationem accipiat. ΓΕΝΕΤΥΛΙΣ, γυναικεία θεὸς, παρεπιμένη δ' ὁμοίῳ παρὰ τὰς γενέσεις, ἐοικυῖα τῇ ἑορτῇ, διὸ καὶ κύνας προσετίθεσαν. Ubi κύνας sine dubio mendosum, & idcirco a Scaligero & Meursio mutatum in κύνας. Sed dic sodes, quid illud sibi velit, παρὰ ἐοικυῖα τῇ ἑορτῇ, *dea similis festo?* Ego vero sic totum locum corrigendum existimo. Γενετυλλὶς —— ἐοικυῖα τῇ ΕΚΑΤΗ, διὸ καὶ κύνας ΠΡΟΣΕΤΙΘΕΣΑΝ. *Genetyllis —— dea Hecatae similis; quamobrem & huic quoque canes attribuerunt.* Habes, opinor, emendationem claram & certam. Atqui *Hecate* eadem est ac *Diana:* unde Noster Carm. III, 22.

Quae laborantes utero *puellas*
Ter vocata audis, adimisque leto,
Diva triformis.

Recte igitur restituimus, cum Suidae, tum Hesychii auctoritate nixi,

Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genetyllis.

Favet autem huic emendationi, quod auctor in hoc Carmine Saeculari, & Illo IV, 6. quod hujus quasi praefatio & commendatio est, Graeca nomina quasi de industria sectari videatur. Sic *lenis Ilithyia* dixit, & *levis Agyieu*; quae vocabula utique Latinis auribus tam inaudita tum erant, quam nostrum *Genetyllis.*

Neque

Digitized by Google

Neque vero aliter legiſſe olim credibile eſt Servium & Porphyrionem; quantum ex locis hodie contaminatis conjectura aſſequi datur. Sic enim ille ad Virgilii Eclogam IV. *Caſta fave Lucina) modo Lucinam Dianam accipimus. Sic Horatius: Sive te Lucinam probas vocari, ſeu te penitus Junonem.* Quae poſtrema in aperto mendo cubantia ſi lic refingas ex lectione hodierna, *ſeu te Genitalem*; immane quantum a ſcriptura abſcedes: multo propius abiturus, ſi ſic a *Servio* profectum eſſe dicas, *ſeu te Genetyllidem.* Porphyrionis autem verba ſic habent ad hunc ipſum auctoris locum. *Oſtendit*, ait, *eandem Lucinam & Genitalem deam appellari.* Animadvertis, opinor, verba prave collocata, & ſede ſua divulſa. Quippe ſi id voluit, ſic omnino verba diſpoſuiſſet; *Oſtendit eandem deam Lucinam & Genitalem appellari.* Sed quid opus eſt *deam?* quaſi vero id quiſquam docendus erat, Lucinam *deam* fuiſſe. Vix aliter eſſe poteſt, quam ut ſic olim ſcripſerit; *Oſtendit eandem Lucinam & Genetyllidem appellari:* quae vox, utpote Librariis ignota & mendi ut putabant manifeſta, in *genitalem deam* reformabatur. Accedit huc codex noſter veterrimus Graevianus, ubi *genitalis* quidem nunc habetur; ſed litera quarta *i* alia manu inſerta eſt; & quattuor poſtremae poſt raſuram interpolatae. Videtur ergo a prima manu *gentilis* exaratum eſſe. Quod maximo indicio eſt in quibuſdam exemplaribus *genetillis* fuiſſe ſcriptum. Hoc enim ab ignaris correctoribus pro mendoſo habitum in *gentilis* immutari facile potuit: at vulgatum *genitalis* nemini offendiculo erat; neque quiſquam adeo inficetus, ut ex verbo facili & noto contra ipſum metrum *gentilis* excuderet.

V. 26. STABILISQUE RERUM TERMINUS SERVET] Minime quidem mirandum eſt & veteres & novos interpretes in hoc loco ceſpitaſſe. Quocumque enim te vertas, nullum exitum invenies; adeo magnis undique difficultatibus obſeſſa & circumvallata haeret ſententia:

Voſque veraces cecinisſe, Parcae,
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum
Terminus ſervet, bona jam peractis
Fungite fata.

Principio enim, illa *dictum eſt*, & *ſervet*, in ſyntaxeos legem peccant: unde Aldus & complures eum ſecuti SERVAT ediderunt, tam manifeſto vitio ire obviam conati; atque ita ſane inveni in Magdalenenſi, & a manu ſecunda in Regiae Societatis codice. Sed ceteri noſtri, meliores illis vetuſtioreſque, ut & Cruquii, Torrentii, Berſmanni, Pulmanni, Lambinique exemplaria SERVET. retinent; quod a Scholiaſte etiam & Servio agnoſcitur. Et profecto Latini ſermonis ratio poſcit & efflagitat, ut poſt *cecinisſe quod* verba modi ſubjunctivi, non indicativi, ſequantur; *Parcae veraces cecinisſe, quod ſemel dictum* SIT, *ſtabiliſque rerum terminus* SERVET. Ita Carm. I, 32.

Luſimus tecum, quod & hunc in annum
Vivat *& plures.* Epod. II.
Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod invitet *leves.*
Epiſt. I, 17. *aſpice, ſi quid*
Et nos, quod cures *proprium feciſſe, loquamur.*

Neque uſquam aliter boni auctores. Deinde & ipſa ſententia languet, nutat, & vacillat. *Quod ſemel*, ait, *dictum eſt.* Quorſum amabo illud *ſemel?* quam vim, quam elegantiam habet? nullam opinor, ut quidem hic nude poſitum & deſtitutum eſt: niſi ſequatur aliquod antitheton, quod jacentem ſenſum exſuſcitet, *Quod* ſemel *dictum ſit, &* ſemper *ſtabile permaneat.* Neque vero illud, ſi ſapiam, laudaverim, *ſtabilis rerum terminus ſervet.* Quidnam obſecro ille *ſervet?* Nihil. Nihil enim hic ſequitur, quod *ſervandum* eſſe intelligamus. Hiſce omnibus difficultatibus ſi levi verborum mutatione occurrere potero; ecquis eſt adeo duri & feri ingenii, ut conatibus noſtris, ſi non faveat & applaudat, aequum ſaltem & candidum ſe non praebeat? Sic itaque emendo:

Voſque veraces cecinisſe, Parcae,
Quod ſemel dictum ſtabilis PER AEVUM
Terminus ſervet, bona jam peractis
Fungite fata.

Dictum hic jam vides caſus eſſe accuſativi. Et ſane EST in veterrimo noſtro Graeviano inter lineas tantum, non in ipſo verſu habetur; prorſus autem abeſt a Servio, ubi hunc locum laudat ad Virgilii Eclogam IV, 47. Recte ergo illud ejecimus: ſi tamen quovis pacto retinendum eſſe exiſtimas, tum, ſi me audis, hoc modo verſum refinges,

Quod, SIMUL *dictum eſt, ſtabilis per aevum*
Terminus ſervet.

Simul dictum eſt, hoc erit, *ſimul atque, ut primum dictum eſt: ſimul* autem & *ſemel* ubique fere a Librariis confunduntur, ut norunt qui vetera exemplaria manibus verſaverunt. Prius

Digitized by Google

tamen illud & rectius eſt & elegantius. Jam autem ſi in iſtis *que rerum* & *per aevum* ductus literarum contempleris, fateberis opinor proclivem fuiſſe & facilem librariorum lapſum. Sententia vero mirum quantum ea ratione promovetur & attollitur: *ſemel* dictum, ſtabile ſervetur *per aevum*; hoc eſt, in perpetuum, in aeternum. Elegans loquendi modus, & optimis ſcriptoribus familiaris. Lucretius I, 549.

Nec ratione queant alia ſervata per aevum
Ex infinito jam tempore res reparare.

ubi & illud notes *ſervata* dici per *aevum*, plane ut hic *ſervet per aevum*. Iterum ibidem v. 634.

Diſcrepat aeternum tempus potuiſſe manere
Innumerabilibus plagis vexata per aevum.

& v. 950.

Sed quoniam docui ſolidiſſima materiai
Corpora perpetuo volitare invicta per aevum.

& lib. V, 62. [aevum.

Nec poſſe incolumes magnum durare per

Propertius IV, 2. [aevum.

Sed facias, Divûm fator, ut Romana per
Tranſeat ante meos turba togata pedes.

Ovidius Metam. V, 227.

Quin etiam monumenta dabo manſura per

Manilius II, 100. [aevum.

Denique ſic pecudes & muta animantia terris
Cum maneant ignara ſui legiſque per aevum.

& IV, 291.

Et celeres motus mutataq; cuncta per aevum.

Statius Theb. I, 362.

nulliſque aſpecta per aevum
Solibus umbroſi patuere aeſtiva Lycaei.

& VII, 200. *videt axis, & iſta* per aevum
Mecum aeterna domus.

Silius X, 421. *ſacroſque* per aevum
Aetherio ramos populantur ſulfure flammae.

Claud. IV. Conſ. Honorii, 284.

nec vi connexa per aevum
Conſpirent elementa ſibi.

Prudentius Periſteph. VIII, 23.

Ut ſe per aevum *conſecrandos autument.*

& Hamartig. 660.

Excitat e tumulis homines, regniq; per aevum
Participes jubet eſſe ſui.

Agnoſcis jam opinor emendationem noſtram recto talo inſiſtere: at contra, illud vulgatum *ſtabilis rerum terminus* diverſum, ac vulgo creditur, ſenſum parit, & ab auctoris mente prorſus alienum *Rerum* enim *terminus* idem eſſet, ac rerum finis & extremitas. Quid autem hoc eſt, *Rerum extremitas ſervat effata Parcarum?* Nihil inſulſius vel fingi poteſt. Seneca Hercule fur. 290. (ubi Megara Herculem obteſtans, ut e Tartaro diu expectatus tandem aliquando redeat, haec loquitur)

Talis parentes, liberos, patriam petens,
Erumpe, rerum terminos *tecum efferens*; hoc eſt; *imas terrae radices tecum evellens.* Seneca Epiſt. XCIV. *Adjice nunc quod ſapientis praecepta* finita *eſſe debent, & certa: ſi qua* finiri *non poſſunt, extra ſapientiam ſunt: ſapientia* rerum terminos *novit.* Iterum Epiſt. CX. *Sed ipſum illud Cadere non habet in ſe mali quicquam; ſi exitum ſpectes, ultra quem natura neminem dejicit. Prope eſt* rerum omnium terminus, *prope eſt, inquam, & illud unde felix ejicitur, & illud unde infelix emittitur.* Jam vero *terminus* hic apud Noſtrum, non ea venit notione, qua *ultimum & extremum* ſignificat; ſed qua *fixum & immobile.* Unde dicitur *ſtabilis terminus*; atque hoc ſenſu abſolute poni ſolet, non ſequente genitivo *rerum.* Virgil. Aen. IV, 614. [ret.

Et ſic fata *Jovis poſcunt: hic* terminus haec Lucretius, ter vel quater.

quid queat eſſe,
Quid nequeat: finita poteſtas denique cuique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus haereat.

Quin & *fatorum terminum* dixit Attius in Hecuba apud Priſcianum p. 716.

Veter fatorum terminus *ſic juſſerat.*

v. 45. & 46. DOCILI JUVENTAE, DI SENECTUTI] Qui aut ipſe eſt poeta, aut alioqui ingenio & judicio valet, mirabor, ſi hanc ſtrophen aeque ac ceteras admirabitur:

Di, probos mores docili juventae,
Di, ſenectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque, prolemque,
Et decus omne.

Quid enim? Annon *juvenes* & *ſenes* Romanos intelligit? quî itaque fit, ut tertio demum verſu *Romulam gentem* inferat, tamquam ſi in prioribus pro alia gente precaretur? Praeterea autem hiulca eſt oratio, ac fine nervis & articulis diſſoluta. *Date* enim extra ſedem ſuam male collocatur; & *di* illud in hac quidem conſtructione tertia vice repetendum erat. Quid multa? jam olim ex conjectura veram lectionem divinaveram,

Di, probos mores DOCILIS *juventae,*
Di, SENECTUTIS *placidae quietem*
Romulae genti date, remque prolemque
Et decus omne.

Poſtea autem in Batteliano noſtro *docilis* inveni

Digitized by Google

veni a manu prima: nunc enim litera *ſ* ab inepto correctore eraſa eſt; ita tamen ut intento oculo ſtatim ſe prodat. *Senectutis* vero clare extat in optimis noſtris codicibus Graeviano & Reginenſi, ut & Colbertino & duobus aliis inferioris notae. Idem reperit in duobus ſuis Berſmannus: neque dubites quin in aliis pluribus habeatur, utcumque ab interpretibus neglectum. Quanto autem haec vulgatis meliora, rotundiora, & elegantiora ſint, quid attinet dicere? *Di*, inquit, *date Romanis probos juventae mores, placidae ſenectutis quietem, remque, prolem, & decus omne.* Ubi *juventa* & *ſenectus* non homines ipſos, ut in recepta lectione, ſed aetates ſignificant. Porro & in Batteliano ſic amplius variatum eſt, *Di, ſenectuti* PLACIDAM *quietem:* &, quod in ceteris omnibus extat, *placidae*, pro diverſa ſcriptura apponitur. Sane *placida* perpetuum fere *quietis* epitheton eſt. Virgil. Aen. I, 695.

At Venus Aſcanio placidam *per membra* quietem.

IV, 5. placidam *membris dat cura* quietem.
V, 836. placida *laxarunt membra* quiete.
IX, 187. *nec mens* placida *contenta* quiete *eſt.*

Varro apud Senecas Controv. XVII, & Ep. LVI.

Omnia noctis erant placida *compoſta* quiete.

Boëtius Conſolat. III. 10.

Hic portus placida *manens* quiete,
Hoc patens unum miſeris aſylum.

Tamen & *ſenectus* etiam *placida* vocatur: ut Cicero de Senectute c. V. *Eſt etiam quiete & pure & eleganter actae aetatis* placida *ac lenis* ſenectus. Seneca de Vita beata c. XXI. *Et in multa* ſenectute placidus *viret.* Quare ſatius eſt, quod ceteri codices & editiones amplectuntur, *placidae* retinere.

V. 49. & 51. QUIQUE VOS BOBUS] Hic quidem poſt fruges repertas & palam expoſitas glande veſci maluerunt plerique interpretes. Sic enim fere poſt Aldum ediderunt,

Quique vos bobus veneratur albis,
Clarus Anchiſae Veneriſque ſanguis,
Imperet.

At priſcae editiones, duae nempe Venetae & Loſcheriana, *Quaeque*; neque aliter codices meliores Cruquii, Pulmanni, Berſmanni & Torrentii cum noſtris Graeviano, Reginenſi a prima manu, & aliis duobus. Quin & Acron hanc lectionem agnoſcit, tam editus anno 1490, quam manuſcriptus: nam poſtea Fabricius male locum interpolavit. Priſcianus p. 774. *Bobus euphoniae cauſſa pro bovibus. Horatius: Quique vos bobus veneratur albis.* Ita quidem Putſchius verba exhibuit, ad vulgatas credo Flacci editiones refingens: verum tres ſcripti codices, quos data opera conſului, clare ibi praeferunt *Quaeque.* Praeterea pro *imperet*, quod editiones etiam priſcas obſedit, iidem in pleriſque ſuis *impetret* repererunt: ut & ipſe in Petrenſi, Batteliano, & a manu prima in duobus aliis Reginenſi & Magdalenenſi. Sic ergo reponimus,

QUAEQUE *vos bobus veneratur albis*
Clarus Anchiſae Veneriſque ſanguis,
IMPETRET, *bellante prior, jacentem*
Lenis in hoſtem.

Nihil clarius. *Et quae*, inquit, *vos veneratur, orat, precatur Auguſtus, impetret & conſequatur*; ut recte jam olim enarravit Scholiaſtes Blandinius; & poſtea pluribus explicuit doctiſſimus Torrentius. Hac ſcilicet occaſione pro re Romana, pro ſe & domo ſua preces & vota faciebat ipſe Auguſtus; quae omnia ut Dii rata habeant, jam verbis Horatii Chorus veneratur. At in vulgata lectione, quorſum attinebat orare, ut *imperaret* Auguſtus; id quod jam multos annos, amotis omnibus aemulis, ſecurus & tranquillus fecerat? Altera igitur lectio praeferenda eſt; & profecto ut ex illa vulgatam procuderent ſtolidi Librarii, longe erat facillimum, vixque aliter evenire poterat: contra, ut ex vulgata & facili tam reconditam & argutam comminiſci aut vellent aut poſſent, minime eſt credibile.

V. 53. JAM MARI TERRAQUE MANUS POTENTES] *Subaudiendum utique eſt Romanorum*, ait Porphyrion. Neque aliter recentiores accipiunt. Equidem non repugno: quamquam ſi codex aliquis vetuſtus accederet, libentius legerim,

Jam mari terraque MANUM POTENTEM:

ut de Auguſto intelligatur. Sic alibi de eodem, Serm. II, 5. V. 62.

Tempore quo juvenis Parthis horrendus, *ab alto*
Demiſſum genus Aenea, tellure marique
Magnus *erit.*

Virgil. Aen. VII, 233.

Fata per Aeneae juro, dextramque potentem.

Ovid. Metam. I.

Parva mora eſt, alas pedibus, virgamque potenti
Somniferam ſumſiſſe manu, *tegimenq; capillis.*

Claudianus Carm. XIII.

Junge potenti *pignora* dextra.

Prudentius Cathem. VI, 85.

Digitized by Google

Huius manum potentem
Gladius perarmat anceps.

v. 57. ET HONOR PUDORQUE] Tres Pulmanni codices, & ex noſtris Leidenſis, Graevianus, & Galei,

Jam fides, & pax, & HONOS, *pudorque.*

quod euphoniae gratia merito recipimus.

v. 65. SI PALATINAS VIDET AEQUUS ARCES] Praeter veterrimos Cruquii Blandinios, & aliorum aliquot, etiam Colbertinus noſter & Regiae Societatis codex, & pro varia lectione Graevianus cum Batteliano ARAS habent non *arces*. Atque illam lectionem agnoſcit Porphyrion: *Apparet*, inquit, *jam eo tempore ab Auguſto dedicatum fuiſſe in Palatio Apollinis templum: & ſenſus eſt, Si acceptas* aras *habet Apollo, quae in Palatio dedicatae ſunt.* Cetera exemplaria cum priſcis editionibus ARCES, vel, ut Leidenſis noſter, ARCIS retinent. Sane *aras* & *arcis* tam ſimiles habent ductus literarum, ut librarios, etiam minime lippientes, facile decipere poſſent. Sic in Ciceronis Orat. pro Balbo c. 17. *Qui & veterem illam ſpeciem foederis Marciani ſemper omni* arce *duxerunt ſanctiorem*: exſcriptores illud *arce* ſubſtituerunt pro *ara*, ut recte repoſuit Lambinus, fruſtra obnitentibus Gulielmio & Grutero. Contra apud Tacitum Annal. XI, 23. *Capitolio & ara Romana*, membranae praeferunt pro *arce*; ut jam viderunt eruditi ibi interpretes. Quod ad Flacci hunc locum attinet, utraque quidem lectio proba eſt & venuſta; ut neſcias fere, utri priores partes jure ſint deferendae. Verum enim eſt, in Palatio templum Apollini conditum eſſe, unde noſter Epiſt. I, 3.

Scripta Palatinus *quaecumque recepit* Apollo.

Propertius IV, 6.

Muſa, Palatini *referamus* Apollinis aedem.

& Ovidius Metam. XV, 865.

Veſtaque Caeſareos inter ſacrata Penates,
Et cum Caeſarea tu, Phoebe domeſtice, *Veſta*,

& alii complures. Recte igitur habet *Palatinas aras*. Lectio tamen altera neſcio quomodo magis arridet; cum quia *arces* poeticum magis & figuratius videtur; tum quia praeter domum Auguſti Palatinam etiam ipſum Apollinis *templum* ſenſu comprehendit. Ita Virgil. Aen XI, 477.

Nec non ad templum *ſummaſque ad* Palladios arces
Subvehitur magna matrum regina caterva.

Noſter antea verſu ſeptimo:

Dis, quibus ſeptem *placuere* colles.

Claudianus Bello Gildonico v. 119.

tuque o, ſi ſponte per altum
Vecta Palatinis *mutaſti* collibus *Idam.*

Colles autem iſti paſſim apud Poëtas *arces* vocantur. Idem in VI. Conſ. Honorii v. 617.

unaque totis
Intonat Auguſtum ſeptenis arcibus *Echo.*

& Carm. XII, 19.

Aurea ſeptemgeminas
Roma coronet arces.

& II Conſ. Stilichonis v. 30.

Non alium certe Romanae *clarius* arces
Suſceperе ducem.

Virgil. Georg. II, 172.

Imbellem avertis Romanis arcibus *Indum.*

& Aen. X, 12.

Cum fera Carthago Romanis arcibus *olim*
Exilium magnum atque Alpes immittet a-

Statius Silv. III, 4. [*pertas.*

tunc Auſonias, *ait, ibis ad* arces?

& IV, 4.

Atq; ubi Romuleas *velox penetraveris* arces.

v. 66. REMQUE ROMANAM LATIUMQUE FELIX] Ambiguus locus, & variarum conſtructionum capax:

Si Palatinas videt aequus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in luſtrum, meliuſque ſemper
Proroget aevum.

Ubi Scholiaſtes Cruquianus: *Felix) ſecundus: ut poëta* (Aen. I, 334)

Sis felix, *noſtrumque levos quaecumque laborem.*

Erudite quidem: ſed cum in priore verſu *aequus Apollo* dicatur, non convenit, ut eadem plane ſignificatione *felix* continuo vocetur. Deterius tamen recentiores, qui ſic verba conſtituunt; *Proroget rem Romanam, Latiumque felix, in alterum luſtrum & in melius ſemper aevum.* Equidem non inficior, quin alio in loco *felix Latium* recte dici queat; ut Statius Silv. III, 3.

premit felix *regum diademata* Roma.

Verum hic quidem minus apte inculcaretur illud epitheton: id enim jam factum eſſe ſignificat, quod ab Apolline conatur precibus impetrare. Tum praeterea *felix* a *Latio* disjungendum eſſe oſtendit locus Ennii Annal. I, unde Noſter haec verba mutuatus eſt,

Audire eſt operae pretium, procedere recte
Qui REM ROMANAM, LATIUMQUE *augeſcere voltis.*

Varro apud Nonium in Nutritur. *Natis, quos Menippea haereſis nutricata eſt, tutores do,*

Qui

Digitized by Google

Qui rem Romanam Latiumque *augescere voltis.*

Qualis autem precatio esset, *proroget Latium felix in alterum lustrum?* quasi vero satis esset, si non intra proximum quinquennium imperium Romanum everteretur. Enimvero aut valde fallor; aut diverso plane ordine construenda sunt verba; *Si Apollo*, inquit, *aequus videt Palatinas arces & rem Romanam Latiumque; proroget aevum in alterum felix lustrum melinsque semper. Proroget*, inquit, non *rem Romanam*, sed *aevum:* ea enim conjungenda esse declarat locus in Arte Poet. v. 364.

Hic meret aera liber Sositis, hic & mare transit,

Et longum noto scriptori prorogat aevum.

sic *prorogare horam, diem, annos, aetatem, tempus*, familiares sunt locutiones. *Felix* autem *lustrum*, ut *felix saeculum*. Quintilianus Instit. VIII, 6. de Tropis. *Sicut ex eo quod continet, id quod continetur, usus recipit; ut Bene moratas urbes, & Poculum epotum, & Saeculum felix.* Ovid. Trist. I, 11.

Hoc duce, si dixi, felicia saecula; *proque Caesare tura pius Caesaribusque dedi.*

Seneca in Apocolocyntosi; *Initio saeculi felicissimi*; & iterum, felicia *lassis* Saecula *praestabit.*

Nummi antiqui saepe, FELICIA TEMPORA. FELICITAS TEMPORUM. FELICITAS SAECULI. Auctor Panegyrici ad Constantinum: *Praeclara fertur Catonis oratio de* LUSTRI *sui* FELICITATE. *Jam tunc enim in illa vetere republica ad Censorum laudem pertinebat, si* LUSTRUM FELIX *condidisset, si horrea messis implessent, si vindemia redundasset, si oliveta larga fluxissent.* Lucilius apud Gellium XV, 17.

Scipiadae magno improbus objiciebat Asellus,
LUSTRUM *illo Censore malum* INFELIXQUE *fuisse.*

Vide autem elegantiam singularem: *Proroget*, inquit, sive producat, propaget, continuet *aevum in felix alterum lustrum. Felix alterum:* id enim Augusti auribus donat, & alioqui verum & par erat, ut lustrum elapsum pro felici haberetur. Optat tamen, ut currentibus lustris, priore posterius *melius melinsque semper* evadat. Sic Ovid. Fast. I, 87. de Calendis Januariis;

Salve laeta *dies*, meliorque *revertere* semper.

Tibullus I, 7. de natali Messallae:

At tu, natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque *veni.*

ubi *redi* reponendum ex codice Achillis Statii; plane, ut Naso, *revertere.*

v. 68. PROROGET AEVUM, & v. 72. CURET, & v. 73. APPLICET AURES] Hinc quoque, ut ex multis aliis locis, apparet permultum interpretis interesse, judicium simul afferat, an solam eruditionem. Quippe, cum in editionibus priscis & quae eas excipiebant, sic uno consensu positum invenirent, *Proroget, curet, applicet*; id alba linea signabant, & calculis suis comprobabant omnis fere interpretum chorus. Nimium sane patienter, siquid mihi judicii est. Neque enim inanis & putidae loquacitatis notam effugere poterit auctor; si ad eorum sententiam sub precationis formula haec protulit. Dixerat jam versu 33.

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo:
Siderum regina bicornis audi,
Luna, puellas.

Nunc iterum tandem, quasi aut priorum oblitus esset, aut deorum aures eadem ingerendo fatigare vellet & obtundere, sub ipso exitu denuo precatur,

Quindecim Diana preces virorum
Curet, & votis puerorum *amicas*
Applicet aures.

Praeterea jam ea *vota* facta & finita erant: neque postea ullum novum concipitur: adeo ut ineptum & praeposterum sit, cum tu vota nuncupare desieris, tum demum deos sollicitare, ut votis tuis aures aperiant. Hoc quidem in precum initio factum oportuit, in fine nimis sero fit, in utroque loquaciter & stolide. Sed meliora suppeditabant veteres membranae; si modo sagaces lectores nactae fuissent. Quattuor enim Blandinii apud Cruquium, Berismanni unus, cum Leidensi nostro & a manu prima Reginensi, *Prorigat, curat, applicat.* Porro & *curat, applicat*, praeter tres Berismanni, Graevianus noster, Regiae Societatis, Bodleianus, & pro varia lectione Battelianus. *Curat* etiam Galei codex, & *prorogat* a prima manu Magdalenensis. Quid quod *curat* & *applicat* diserte agnoscant Scholiastes uterque: quamvis absurde quidem enarrant, *particula* SI *ex superiore sensu per Zeugma arcessita*; ut ordo sit: Si *Diana preces curat, si aures applicat, proroget aevum in melius.* Belle sane, quod Zeugma illud, tamquam deum aliquem ex machina, introducunt; cujus ope & numine quibuslibet soloecismis & barbarismis patrocinari queant. Tamen & ipsos aura quaedam veri afflavisse

Digitized by Google

afflaviſſe videatur. Sic enim annotant: *Proroget, dilatet, differat: & eſt tempus pro tempore, Prorogabit.* Certe quicumque haec ſcripſit; *prorogat, dilatat, differt* ſcripſiſſe videtur. Quippe ſi *proroget* precandi & optandi modo extuleris, ſtuitum fuerit enallagen temporis ſomniare, & per *Prorogabit* explicare: contra, ſi *prorogat* legeris; non inconcinne id quidem, etſi non adeo neceſſario, per futurum tempus enarrabitur. Adde huc illud Porphyrionis: *Si propitius Romanos aſpicit Apollo, melius ſaeculum* tribuet *in futurum.* Sic enim ex ſuis membranis Cruquius edidit; non ut vulgo, *tribuat futurum.* Unde amplius conſtat nonnullos, (nam Scholia vetera centones ſunt ex variis conſuti) legiſſe olim, *prorogat.* Quid multa? tu tot auctoribus fretus non dubitanter reſtitue:

Alterum in luſtrum melinſque ſemper
PROROGAT *aevum.* &,
Quindecim Diana preces virorum
CURAT, *& votis puerorum amicas*
APPLICAT *aures.*

Nihil verius decentiuſve dici potuit. Primo enim Chorus pro imperio & re Romana, pro principe & civibus vota Apollini & Dianae nuncupat: tandem quaſi praeſenti numine afflatus toti coetui & coronae circumſtanti fidenter narrat, vota ſua ab diis exaudiri, preceſque ratas haberi. Unde continuo addit,

Haec Jovem ſentire *deoſque cunctos*
Spem bonam certamque domum reporto.

& Epiſt. II, 1. v. 134. ubi ad hoc ipſum carmen reſpicit Noſter,

Poſcit opem chorus, & praeſentia numina ſentit.

Ita Tireſias apud Senecam Hercule Furente v. 571.

Graviore manes voce & attonita ciet,
& poſt aliquam moram, Audior, *vates ait,*
Rata verba fudi.

& Statius Silv. III, 2.

ſoli Zephyro ſit copia caeli,
Solus agat puppes, ſummaſque ſupernatet undas.
Audimur: *vocat ipſe ratem.*

Id vero videtur fraudi fuiſſe librariis, ut priſcam lectionem *prorogat* interpolarent; quia praeceſſerat illud de Apolline,

Si *Palatinas* videt *aequus arces*
Remque Romanam Latiumque:

Autumabant enim poſt illud 61, obteſtandi particulam, neceſſario ſequi debere modum verbi optativum, *Proroget* aevum: ut ſane paſſim apud Poëtas ſubſequi ſolet. Virgil. Aen. II, 536.

Di, ſiqua *eſt caelo pietas, quae talia curet,*
Perſolvant *grates dignas & praemia red-* [dant.
& V. v. 797.
liceat *Laurentem attingere Thybrim,*
Si *conceſſa peto,* ſi *dant ea moenia Parcae.*

In quo tamen eos opinio fefellit. Eam enim particulam uſurpare ſollemne eſt, non tantum cum deorum opem precantur, verum etiam cum deos propitios certo ſibi pollicentur; ut hic, *Prorogat,* inquit, *aevum in melius, ſi aequus rem Romanam videt.* Ovidius Pont. II, 11.

O referant grates, quoniam non poſſumus ipſi,
Di tibi: qui referent, ſi *pia facta vident.*

Ovid. Triſt. II. [buntque
Per ſuperos igitur, qui dent tibi longa, da-
Tempora, Romanum ſi *modo nomen amant.*

v. 75. DOCTUS ET PHOEBI] Codex Manuſcriptus Barthio memoratus Adverſ. XXXVIII, 18.

Doctus & PHOEBO *chorus, & Dianae*
Dicere laudes.

Utrumque probum eſt, & *Phoebo,* & *Phoebi.* Ovidius Art. Amat. II. in fine.

Me vatem celebrate, viri, mihi dicite laudes.

Tibullus I, 3.

Ut mea votivas perſolvens Delia voces
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat;
Biſque die reſoluta comas, tibi dicere laudes
Inſignis turba debeat in Pharia.

Virgil. Georg. II, 393.

Ergo rite ſuum Baccho dicemus *honorem*
Carminibus patriis.

Et ſane fatendum eſt, ſi *Phoebo* ſcripſerit auctor, vix aliter evenire potuiſſe, quam ut *Phoebi* ſuppoſuerint plerique librariorum: contra ſi *Phoebi,* vix unum e multis *Phoebo* interpolaturum. Verumtamen, cum caeteri omnes ſcripti & editiones priſcae miro conſenſu *Phoebi* exhibeant, nihil mutandum cenſemus. Virgil. Aen. VIII. [laudes

Hic juvenum chorus, ille ſenum, qui carmine
Herculeas *& facta ferunt. i. e.* Herculis.

Idem Eclog. VI.

namque ſuper tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas *cupiant, & triſtia condere bella.*

Sidonius Apollinaris Carm. IX. v. 226.

Non quod per ſatiras Epiſtolarum,
Sermonumque ſales, novumque Epodon,
Libros Carminis, & Poëticam artem,
Phoebi laudibus *& vagae Dianae*
Conſcriptis, voluit ſonare Flaccus.

NOTAE

Digitized by Google

NOTAE AD SERMONUM

LIB. I. 1.

v. 8. MOMENTO CITA MORS] Ita quidem editiones veteres, & codices plerique; noſtri certe omnes. Neque aliter citat Johannes Saresberienſis in Policratico VII, 16. Libri tamen Lambini quattuor,

Momento AUT *cita mors venit, aut victoria laeta.*

Quod elegantius & magis Horatianum; Sic Carm. III, 20.

Qualis aut *Nireus fuit*, aut *aquoſa*
Raptus ab Ida. IV, 8.

Quas aut *Parrhaſius protulit*, aut *Scopas.*

Serm. II, 7.

Aut *inſanit homo*, aut *verſus facit.*

& ſaepe alibi. Librarii autem hic omiſerunt, quia, demto eo, verſui ſuum metrum conſtabat. Atqui illud animadvertere debuerunt, *Horae momento cita mors venit*, niſi particula disjunctiva inſeratur, ominoſum plane & infauſtum eſſe.

v. 38. ET ILLIS UTITUR ANTE QUAESITIS PATIENS] *Patiens*, quod editiones veteres occupaverat, primus expulit eruditiſſimus Lambinus; & in ejus locum ex quinque ſuis *ſapiens* repoſuit. Illud tamen repoſcunt non modo Douza, Torrentius, & Marcilius, Lambino ſemper iniqui: ſed, quod magis miror, acerrimi vir judicii Gronovius pater ad Senecae Thyeſtem v. 470. Nempe aiunt *formicam* recte dici *patientem*; ut illud de *mure* Serm. II, 6. v. 91.

quid te juvat, inquit, amice,
Praerupti nemoris patientem *vivere dorſo?*

ſane quidem; ſine dubio formica eſt *patiens* laboris. Verum illud nunc non quaeritur, numquamne alias ea beſtiola *patiens* vocari poſſit; ſed an loco, ſenſui, & auctoris menti id epitheton conveniat. Id quod jam examinandum venit. Principio ſi legere velis *quaeſitis utitur ſapiens*, perinde erit, ac ſi hilariter, genialiter, non perparce & ſordide uti dixeris. Sic Carm. I, 11.

ſapias, vina liques, *& ſpatio brevi*
Spem longam reſeces.

& I, 7. *ſic tu* ſapiens *finire memento*
Triſtitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero:

quae duo loca Lambinus appoſite citavit: quibus adde Ep. I, 15. v. 45.

Vos ſapere, *& ſolos aio* bene vivere, *quorum*
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

& I, 10. v. 44.

Laetus *ſorte tua* vives ſapienter, *Ariſti.*

& Carm. IV, 9.

Non poſſidentem multa *vocaveris*
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus ſapienter uti.

Quin & *uti* vel *frui* per ſe ſola idem ſignificant: ut Art. Poët. v. 170.

Quaerit, *& inventis miſer abſtinet, ac timet* uti.

Epiſt. I, 7. v. 57.

Et properare loco, & ceſſare, & quaerere, *&* uti.

& Epiſt. I, 4. *dî tibi formam,*
Dî tibi divitias dederunt, artemque fruendi.

Haec ergo erit ſententia; Tu, avare, male te defendere & excuſare quaeris exemplo formicae: illa enim, laboribus per aeſtatem ſtrenue decurſis, hiemem in otio genialiter tranſigit: tu vero totam aetatem quaerendo & laborando conſumis; neque umquam ceſſas, aut quaeſitis uti vel acervum comminuere audes. Jam autem pro *ſapiens* ſubſtitue *patiens*; & totam ſententiam labefactas. *Patiens*, aiunt, *utitur quaeſitis formica*, hoc eſt, *parca, frugalis, paucis contenta.* Imo vero, non *pauco* victu, ſed *duro*, inopi, & ſordido contenta. Sic enim exponendum eſt, quod de *mure* dictum afferunt,

Praerupti nemoris patientem *vivere dorſo*; hoc eſt, *lolio & adore* viliſſimo cibo patienter victitantem; cum in urbe ſuaviſſimis ferculis & bellariis ſatur quotidie eſſe poſſit. Ita Epiſt. I, 17.

Si pranderet olus patienter, *regibus uti*
Nollet Ariſtippus:

id eſt, ſi vilibus *herbis & urtica* patienter veſci poſſet; non menſas regias ſectaretur, mullorum & rhomborum nidore tractus. Ergo haec demum ſecundum ipſos exorietur ſententia: *Avari & formicae diverſa longe ratio eſt: haec enim quaeſitis* patiens *utitur; dureque & miſere ac ſordide victitans per totam hiemem*

ſub

Digitized by Google

ſub terra latitat: ille quaerendis ſemper inhiat, neq; tamen pro quaeſtus ratione ſumtum in ſe facit; ſed quaeſitis miſer abſtinet, & uti timet. Bella vero antitheſis, quaeque magnis viris ſuo merito placeat. Illud vero per ſe quale eſt, *acervo farris conſtructo, patiens utitur quaeſitis?* quemnam, amabo, cibum alium *farri* praetulerit formica? Qualis ergo ea *patientia* eſt; ſi & cibo gratiſſimo veſcitur, & de magno acervum ſine parſimonia tollit, & pingui otio ſine labore perfruitur? Quid quod nuſquam ſatis apte dixeris, *Patienter uti quaeſitis? Uti* enim, ut vidimus, ipſum per ſe geniale quid ſignificat: *patientis* autem eſt carere potius & abſtinere, quam uti. Recte ergo ſe habet Lambini lectio,

Non uſquam prorepit, & illis utitur ante
Quaeſitis SAPIENS;

illa, inquit, *ſapiens quaeſitis laete lauteque fruitur; tu miſer & ſtultus guſtare & tangere tua non audes.* Atque hanc ſolam agnoſcit Porphyrio Scholiaſtes: neque aliter omnes fere codices paullo vetuſtiores, ut praeter Lambini aliquot & Torrentii, Cruquiani omnes; & ex noſtris optimi Leidenſis, Graevianus, & Reginenſis a ſecunda ſed antiqua manu, cum aliquot aliis.

v. 46. NON TUUS HOC CAPIET, VENTER PLUS QUAM MEUS] Editiones quidem veteres *plus quam meus* in ſequentes propagarunt: idque ſilentio tranſmiſerunt interpretes omnes; excepto Berſmanno, qui ex duobus ſuis *plus ac meus* protulit. Ego vero in Graeviano, Reginenſi, & octo praeterea aliis eandem lectionem reperi, *quam* autem in duobus tantum, eiſque notae ſequioris; ut inde de aliorum codicibus conjecturam capere poſſis. Revocanda igitur membranarum ſcriptura,

Non tuus hoc capiet venter plus, AC *meus.*

Plus ac, *minus ac, aliter ac* &c. notiſſimae locutiones. Serm. II, 3. v. 270.

nihilo plus *explicet*, ac *ſi*
Inſanire paret certa ratione modoque.

Ideo autem hoc in loco AC maluit auctor, quia mox verſu abhinc uno habetur,

nihilo plus *accipias*, quam:

Variare itaque ſermonem voluit, ut faſtidium evitaret.

v. 55. MAGNO DE FLUMINE MALLEM] Etiam *mallem* de lo o movere veriti ſunt Interpretes, quia in prioribus editionibus obtinuerat. Solus Lambinus, in quinque ſuis *malim* ſe inveniſſe memorat; ceteri tacent. At idem exhibet melior majorque pars noſtrorum, Graevianus, Leidenſis, Colbertinus, Galei, Battelianus aliique, & a prima manu Reginenſis. Lege igitur,

magno de flumine MALIM,
Quam ex hoc fonticulo tantundem ſumere.

Praeſentis enim temporis verbum hic requiritur. Si tibi *ſit* opus — & *dicas, Malim* ſumere. Si *mallem* legis; tum dicendum fuerit, *Si eſſet opus*, & *Dixeris.*

v. 59. AT QUI TANTULI EGET, QUANTO EST OPUS] *Tantuli* habent meliores noſtri, Graevianus, & a prima manu Reginenſis, cum aliis: atque ita editiones vetuſtae; non *tantulo*. Porro & in iiſdem extat *Quanto eſt opus.* Nicolaus Heinſius ex conjectura, *Quantillo opus.* Mihi quidem magis arridet ea lectio, quam in ſuis quibuſdam Lambinus invenit,

At qui tantuli eget, QUANTUM *eſt opus.*

Nam & eo pacto ſententia fit paullo concinnior; & praeterea locutio ejuſmodi eſt, ut non temere a Librariis ſubſtitui poſſet; quibus ſollemne eſt reconditas & raras lectiones in familiares & tritas mutare; non viciſſim. Lactantius III, 5. *Nam vulgus interdum plus ſapit, quia tantum*, quantum opus eſt, *ſapit.* Quadrigarius apud Gellium XVII, 2. *Nihil ſibi* divitias *opus eſſe.* Lucretius II, 1137.

Unde queat tantum ſuboriri ac ſuppeditare,
Quantum opus eſt; & *quod ſatis eſt, natura novare.*

Ita Cicero ſaepe, *Quod opus eſt, Quae opus erunt, Nummos opus eſſe, Dux nobis & auctor opus eſt*, & ſimilia.

v. 62. JUBEAS MISERUM ESSE LIBENTER] Vide modo locum integrum.

At bona pars hominum decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit, quia tanti, quantum habeas, ſis.
Quid facias illi? jubeas miſerum eſſe libenter.

ubi haec ſeries dictionis eſt, *Bona pars hominum inquit.* — *Quid facias illi* bonae hominum parti? *Jubeas miſerum eſſe libenter.* Quid audio? imo vero *miſeram*; niſi ſoloeciſmum facere velis. Lege igitur, invitis licet codicibus,

Quid facias illi? jubeas MISERAM *eſſe libenter.*

Quod poſtea Marcilium quoque animadvertiſſe vidi. Is tamen pro judicii ſui modulo *miſerum* nihilominus retinet. *Vertit*, inquit, *poëta filum orationis; ut ſi* hominem *dixiſſet, non* partem hominum. At quid opus erat, o bone?

Digitized by Google

bone? Annon *quid facias illi hominum parti*, aeque commode dicitur, ac *illi homini?* annon tam *pluribus* ea formula convenit, quam *uni?* Lactantius III, 20. Quid his facias, *qui inconcessa scrutari volunt?* &, V, 12. Quid his facias, *qui jus vocant carnificinas veterum tyrannorum?* Quorsum itaque attinebat *filum vertere?* cum filum perducendo & sententiae magis, & orationi aeque consultum esset.

v. 81. LECTO TE AFFIXIT] Editio prima Veneta, *Afflixit*; altera & Loscheri *affixit*. Inde in partes itum est ab interpretibus: ita tamen ut pluribus placuerit *afflixit*, quod profecto & in pluribus membranis reperitur. Verior tamen ea lectio est, quae pauciores advocatos sibi nacta est. Seneca Epist. LXVII. *Ago gratias senectuti, quod me lectulo affixit.* Ubi nulla in tot codicibus variatio est, praeterquam quod tres apud Gruterum Palatini *lecto* pro *lectulo* exhibeant; atque eo propius ad hanc Flacci lectionem accedant. Cicero in Verrem. V. c. 7. *Nam pater, grandis* natu, *jam diu lecto tenebatur*; quod perinde est ac *affigebatur. Morbus* quidem *afflixit*, vel *casus afflixit* recte dixeris; atque ita saepe Celsus aliique: minime vero, *casus lecto afflixit. Affligere* enim, sequente dativo, vim & impetum in illidendo significat: atqui aegroti lecto decumbunt, non lecto illiduntur. Vide nos ad Serm. II, 2. v. 79.

v. 83. SUSCITET, AC REDDAT NATIS] Quia semel in veteribus editis sic constituta est lectio, veriti sunt immutare plerique interpretes. At Cruquius in tribus Blandiniis, in uno suo Pulmannus, in Graeviano, Zulichemiano, Magdalenensi, & Franekerano nos alio ordine *natis reddat* reperimus, Scribe igitur,

Suscitet, ac NATIS REDDAT, *carisque propinquis.*

quae verborum collocatio & dulcior & elegantior est.

v. 88. AT SI COGNATOS] Salebrosus sane locus, unde haud facile est pedem inoffensum referre:

At si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas: ut siquis asellum
In campo doceat parentem currere frenis.

ubi primo videndum erit, quo pertineant illa *nullo labore.* Et nos quidem cum veteribus Scholiastis ad *naturam* referenda esse censemus; *quos scilicet natura sponte, ultro, & gratuito, tibi dat sine ullo* tuo *labore.* Seneca in Apocolocyntosi:

Sponte *sua festinat opus*, nulloque labore
Mollia contorto descendunt stamina fuso.

i. e. *nullo* Parcarum *labore.* Statius Theb. VIII, 315. de Tellure loquens,

astriferumque domos Atlanta supernas
Ferre laborantem nullo *vehis ipsa* labore.

i. e. *nullo* tuo. Seneca Epist. LXXXIV. *Deinde adhibita ingenii cura & faculiate, in unum saporem varia illa libamina confundere: ut etiamsi apparuerit unde sumtum sit, aliud tamen esse quam unde sumtum est appareat: quod in corpore nostro videmus* sine ulla opera *facere* naturam. Interdum pronomen exprimitur; non subintelligitur: Cicero II contra Rullum c. 6. *Nobis traditam libertatem,* nullo vestro labore, *consule adjutore, defendere.* Plinius Hist. XXXII, 1. *Infrenat impetus Echeneis, & domat mundi rabiem,* nullo suo labore, *non retinendo, aut alio modo quam adhaerendo.* Verum aliam hic constructionem instituunt viri doctissimi; quorum primus Torrentius rem dubius & paene dissentiens proposuit; mox ab illo arreptam Dacerius aliique tamquam certam & indubitatam fidenter obtruserunt: ut ordo sit, *At si velis nullo labore retinere cognatos, quos natura tibi dat.* In quo certe, praeter coactam & impeditam orationem, jocularem hominum errorem & ἀβλεψίαν ridere licet. Sic enim secundum ipsos procedet sententia: *si nullo labore, sive sine ulla* opera, *cognatos retinere velis, infelix* operam *perdas.* Quid? an opera perditur, quae non omnino insumitur? *Si nullum,* aiunt, *laborem impendere velis, operam perdas.* Haud vidi magis operam sine sudore & oleo navatam. Sed venia danda est viris eruditis ἄλλοις ἐπ' ἀλλοῖς; quam & nos vicissim petimus, siquid simile usquam nobis incogitantibus obrepserit. Illud jam porro inquirendum, quid sibi velit & quo spectet tota haec oratio. Quod in recepta quidem lectione desperandum mihi videtur. *Tu, avare,* inquit, *si cognatorum tuorum amicitiam servare & retinere velis, perdas operam infelix.* Hactenus quidem rem intelligere posse videor. Frustra enim avarus benevolentes sibi cognatos speret, sine sumtu & largitione: omnis alia opera rogando, obtestando, blandiendo, incassum sumitur. Sed repudiant hunc sensum quae mox subjunguntur;

ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis:

haec enim non in avarum ipsum, sed in cognatos culpam transferunt. Quippe superiore sententia is ipse est *asinus ad lyram*, & indo-

Digitized by Google

cilis recte utendi cognatis ſuis: hac, contra, cognati vituperantur, tamquam *aſelli frenorum impatientes*, quibus omnis cura cultuſque impenſus in irritum cadit. Vides jam, opinor, locum undique obſeptum eſſe; unde pedem aut proferre, aut referre nullo modo poſſis. Quid ergo? Mihi quidem omnino revocanda videtur lectio, quam uterque Scholiaſtes memorat, quam & Cruquii duo codices, Pulmanni quattuor, Torrentiique aliquot agnoſcunt, & pro varia lectione Leidenſis noſter,

AN *ſi cognatos*, ——?

ut ſententia ſit hujuſmodi? An miraris, quod te non ament cognati; quos tu nulla benignitate conciliare tibi ſtudeas? An potius nihili facis a cognatis amari; & omne, quod ad demerendos eos impendi debet, male locatum & perditum iri putas? quaſi ſi aſinum tradere res magiſtro, qui in Campo eum inſtituat

Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos?

In quo tamen male tibi conſulis: quid enim?

Uni nimirum tibi recte ſemper eunt res?

Adveniet fortaſſe tempus, cum cognatorum ope & benevolentia indigeas. Vel *denique*, ſi eorum gratiam non ita magni aeſtimas; cave ſaltem, ne avaritia tua & ſordibus perniciale familiae odium in te concites: ne fortaſſis, ut miſer ille *Ummidius*, ſecuri vel toxico ſublatus digniorum haeredem locupletes.

v. 94. NEC FACIAS QUOD UMIDIUS QUIDAM] Primo pro *Nec facias*, quod ex priſcis editionibus male derivatum eſt, ſcribendum NE *facias*; ut omnes ubique codices & aliorum & noſtri exhibent ſummo conſenſu. Neque aliter citat Charitius p. 202. NE, *quoties pro eo quod eſt apud Graecos* INA MH *accipitur, optativa recipit, ut apud Horatium, Ne facias quod Numidius.* Eadem plane habes apud Diomedem p. 388. Sententia autem aperta eſt, quam & ſupra illuſtravimus. Mox in avari divitis nomine valde in codicibus variatum eſt, *Unidius, Uvidius, Vinidius, Nummidius, Umidius, Ummidius.* Placent duo poſtrema, quorum illud in Reginenſi noſtro eſt, hoc in Graeviano. Apud Gruterum occurrit C. UMIDIUS. C. L. OPTATUS. apud Reineſium UMIDII AVITI. in Marmoribus Felſineis C. UMIDIUS ACTIUS. Iterum apud Gruterum habes UMMIDIAE CALE. & ..MMIDIO HERMETIONI. & p. 432. 1. UMMIDIO SECUNDO. & 895, 10. UMMIDIAE MANES —— UMMIDIAE C. F. ET P. UMMIDIO PRIMIGENIO. —— P. UMMIDIUS ANOPTES. Varro de Re Ruſtica, III, 3. *Non Philippus, cum ad Immidium hoſpitem Caſini divertiſſet, & ei e tuo flumine lupum piſcem formoſum appoſuiſſet, atque ille guſtaſſet & expuiſſet, dixit, Peream, ni piſcem putavi eſſe?* Ubi pro *Immidium*, quale nomen nuſquam alias habetur, reponendum credo *Ummidium*: & fortaſſe is ipſe eſt, de quo loquitur Horatius; ut & *Philippum* illum alibi memorat Epiſt. I, 7. nam ex dicto Philippi acerbo ſane & contumelioſo conjicias Ummidium illum pro avaro & ſordido habitum fuiſſe. Illud quod ſequitur ſubtilioris eſt diſquiſitionis,

ne facias, quod
Ummidius quidam (non longa eſt fabula)
dives,
Ut metiretur nummos; ita ſordidus, ut ſe
Non umquam ſervo melius veſtiret; ad uſque
Supremum tempus, ne ſe penuria victus
Opprimeret, metuebat.

ubi animadverte ſodes, ut aliquantum ſcabrior & paene hiulca ſit oratio: *Ne facias, quod Ummidius quidam, dives & ſordidus: metuebat, ſemper, ne victus inopia moreretur.* Certe ad ſententiam plene & diſerte efferendam QUI particula requiritur: *Dives & ſordidus, qui metuebat*; aut, Qui *dives & ſordidus metuebat.* Unde nata mihi ſtatim conjectura eſt, quae minima mutatione ſcabritiem illam leviget, & hiantem dictionem coagmentet:

ne facias, quod
Ummidius; QUI TAM (*non longa eſt fabula*) *dives.*

Qui tam dives, ait, *ut pecuniam modio metiretur; ita ſordidus & parcus, ut honeſtum veſtitum ſibi graveretur*; *metuebat tamen, ne* &c. Porro *Tam dives*; *ut*, plane ut ſupra verſu 20.

Tam facilem *dicat, votis* ut *praebeat aurem.* Erſi alioqui *tam* vel *ita* interdum apud noſtrum ſubaudiri non ignorem; ut Serm. I, 7.

Ira fuit capitalis, ut *ultima divideret mors.*

Neque vero ineleganter inter *tam* & *dives* parenthesis interjicitur, licet in medio orationis curſu. Ovidius Faſt. II, 283.

Cur igitur currant, & cur (nec currere mos eſt)
Nuda ferunt poſita corpora veſte, rogas.

Quintilianus Inſtit. IX, 2. *Utilis autem aliquando diſſimulatio eſt: ut in eo* (nota enim fabula eſt) *qui, cum eſſet contra eum dictum, Iura per patroni tui cineres, paratum ſe eſſe reſpondit.* Poſtremo nihil opus erat quaſi de homine ignoto *quidam* ſubjungere, non magis quam mox de *Maenio* & *Nomentano.* Nam & *Ummidium*,

Digitized by Google

midium, vel luculentas illas divitias, vel etiam ipsam avaritiam, celebrem & famosum reddidisse veri admodum simile est.

v. 100. FORTISSIMA TYNDARIDARUM] Jam diu est, cum haec verba crucem Grammaticis fixerunt; quippe si masculinum est genus *Tyndaridarum* a recto *Tyndarides*, sententia impeditur; si femininum a *Tyndarida*, analogia violatur. Quem tamen nodum non solvere, sed secare nuper conatus est vir & ingenio & eruditione celebris Joannes Clericus in opusculo Gallico *Bibliotheque Choisie* Tomo III. p. 256. Sic enim reponit, eodem, ut putat, sensu, literis non multum diversis:

at hunc liberta securi
Divisit medium fortissima Tyndaris. Horum
Quid mi igitur suades? ut vivam Naevius? aut sic
Ut Nomentanus?

Quod equidem nollem, viro sagaci & ibidem de notulis meis ad Horatium promissis tam bene existimanti, sub calamum umquam venisset. Nam ut condonetur illud *fortissima Tyndaris*, quod tamen non una de caussa displicet: illa certe quae sequuntur, *Quid igitur horum mihi suades*, nullo pacto possunt consistere. Non enim *Naevius* pro avaro, & *Nomentanus* pro nepote hic proponitur; ut sententia sit, Utrum *horum* imitari me maris: sed utemque prodigus erat & nebulo. Neque vero, postquam tot versibus avaritiam insectatus esset, sic se interrogari fingeret Nasica, *Quid igitur? suadesne, ut vivam avarus?* id enim ineptum plane & absurdum esset. Sed is interrogationis sensus est, *Video te nolle, ut Ummidii more vivam: suadesne igitur, ut in morem nepotis, Naevii aut Nomentani?* Cui apta statim redditur responsio,

pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere?

Ummidium nempe cum Naevio & Nomentano? Male igitur cessit conjectura viro alioquin ingenioso. Imo vero nihil hic sollicitandum esse monet omni exceptione major Quintiliani auctoritas. Is enim Instit. XI, 4. *Est in eo quoque*, inquit, *nonnihil, quod sic singulis versibus bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle: nec solum ubi* quinae sylabae *nectuntur, ut in his,* FORTISSIMA TYNDARIDARUM; *sed etiam ubi quaternae, cum versus cludituv* Apennino, & Armamentis, & Oriona. Vides, opinor, adeo expressis signis notisque haec citari; ut de lectionis sinceritate nulla controversia esse debeat. Quare adhuc integra Grammaticorum lis erit, quid de *Tyndaridarum* caussa sit statuendum. Et femininino quidem genere pro *Tyndaridum* accipit illustris Nic. Heinsius ad Ovidii Met. v, 268. quo exemplo & Ausonium ex conjectura corrigit Gripho numeri Ternarii,

Et Lyrici vates numero sunt Mnemonidarum,

hoc est, *Mnemonidum*: Mnemonides enim Musae. Membranae tamen *Mnemosynarum* ibi praeferunt. Idem cum Heinsio de hoc Horatii loco sentit magnus Scaliger ad Manilium; ut *Tyndaridarum* sit haec Tyndarida hujus Tyndaridae; quo exemplo a *lampade*, *hebdomade*, Latinos in casu recto *lampada*, *hebdomada*, formavisse narrat. Equidem non negaverim fieri potuisse, ut, priusquam linguae Graecae usus vulgo Romae inoleverit, veteres illi feminina Graeca in IS vel AS exeuntia terminatione Latina secundae declinationis efferrent. Illud tamen numquam concesserim, in mediis Athenis institutum Horatium, & illo praesertim saeculo, quod verba Graeco fonte deducta libentissime recepit, tam casce & Opice locutum esse: nisi forte hoc hemistichion ab Ennio vel Accio vel Lucilio prius dictum & ore hominum celebratum in suos usus transtulerit. Id quod, ut pro comperto haberi jam nequit, ita non admodum verisimile est. Nam & illi ipsi, quantum ex eorum reliquiis constat, terminationes Graecas praetulerunt. Lucilius apud Nonium v. Unguentum;

Eumenidum sanctissima Erinnys:

non *Eumenidarum*: & iterum v. Contendere:

Thestiados Ledae atque Ἰξιονίης ἀλόχοιο:

non *Thestiadae*. Sic Ennius *Eumenidibus*, *Levii Alcestis*, *Accius in Thebaide* & *Troadibus* citantur: non *Eumenidis*, *Alcestida*, *Thebaida*, *Troadis*. Ita apud Accium *Tantalidarum*, apud Pacuvium *Pelopidarum* invenies, non a *Tantalida Pelopida* rectis femininis deducta, sed a *Tantalides*, *Pelopides*.

Quinam Tantalidarum *internecioni modus?* Iidem adhuc citantur in *Antenoridis*, *Agamemnonidis*, *Phinidis*; ubi filii, non filiae, denotantur. Quare satius est, opinor, plebeiam illam, quam Horatio adfingunt, terminationem missam in praesens facere: atque ita locum exponere (quod & olim tetigit Lambinus) ut *Tyndaridarum* genere quidem masculino utriusque sexus liberos, tam filias quam filios, comprehendat. Liberta igitur illa Ummidii erat altera Clytemnestra, *fortissima omnium*

nium liberorum Tyndari: quo modo & salva erit sententia, neque ulla scabies nitidissimo poetae affricabitur. Synesii Philosophi Epigramma, Antholog. IV, 4.

Οἱ τρεῖς ΤΥΝΔΑΡΙΔΑΙ, Κάστωρ, ΕΛΕΝΗ, Πολυδεύκης.

Tres illi Tyndaridae, *Castor*, Helena, *& Pollux.*

Helena ergo, ut vides, erat *una* & quidem pulcherrima *Tyndaridarum.* Quin & alias Masculinum genus sub se alterum concludit. Digest. II, 10. 38. *Lucius & Titia* fratres. & 14, 35. *Tres* fratres *Titius & Maevius & Seia.* Livius XXXVII, 3. *Legati ab Ptolemaeo & Cleopatra*, regibus *Aegypti, venerunt.* Tacitus Annal. XII, 4. Fratrumque *non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit:* hoc est, Silani & Juniae Calvinae. Ubi accuratissimus Gronovius pater & illa Senecae adducit, Medea v. 56. & 59.

Ad regum *Thalamos numine prospero.*
Primus sceptriferis colla Tonantibus.

regum, id est, Jasonis & Creusae; *Tonantibus*, id est, Jovi & Junoni. Atque haec scripseram; cum in memoriam demum redii, eruditissimum Munckerum in commentario ad Hyginum *Tyndarida* in casu recto multis exemplis adstruere; qualia sunt *Briseïda* pro *Briseis, Chryseïda* & *Tritonida* apud Hyginum; *Nereïda* & *Aulida* apud Dictyn Cretensem; *Heroïda* apud Fulgentium; *Titanida* apud Martianum Capellam, *Symplegada* apud Isidorum, & alia plura ejus farinae. Quae omnia, sive ipsis auctoribus, ut fieri potest, sive delirantibus librariis imputanda sint, meo quidem judicio nihil ad Horatium faciunt. Absit enim, ut Augusteo aevo & probatissimo quidem scriptori verba tribuamus; quibus post multa saecula, late tum grassante barbarie, scriptores al quot proletarii chartas inquinarunt.

v. 101 UT VIVAM MAENIUS, AUT SIC UT NOMENTANUS] Plerique codices *Naevius* habent; Editiones veteres Mevius; ut & Galenus noster, & a prima manu codex Regiae Societatis. Unde recte videntur reposuisse *Maenius*, qui ex Epistola I, 15. notus est luxuriae. Porro & Reg. Soc. liber,

ut vivam Mevius, AN *sic*
Ut Nomentanus?

Nimirum hunc pro nebulone, Mevium pro avaro & sordido cepit librarius: quam sententiam supra refutavimus. Melius itaque cum ceteris leges, *ut vivam Naevius*, AUT *sic*; aut quod adhuc minus ambigui habet, *ut vivam Naevius*, AC *sic*, cum Leidensi codice, & Collegii Trinitatis. *Aut* & *ac* ab exscriptoribus confundi solere passim animadverti.

v. 120. CRISPINI SCRINIA LIPPI] Ipse quidem Horatius *lippus erat*, ut ipse de se confitetur non semel. Serm. I, 5. v. 30

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere.

& ibidem v, 49. *dormitum ego Virgiliusque:*
Namque pila lippis *inimicum & ludere cru-*
& Epist. I, 1. v. 29. [*dis.*
Restat, ut his ego me ipse regam solerque
elementis.
Non possis oculo quantum contendere Lynceus;
Non tamen idcirco contemnas lippus *inungi.*

Impudentis ergo hominis & stolidi esse videatur, imo communi plane sensu carentis, Crispinum ob lippitudinem deridere, cum ipse eodem oculorum vitio laboraret. Numquam equidem crediderim adeo sui oblitum & decori inscientem fuisse nostrum, ut hoc faceret. Neque vero Scholiastae veteres, vel verbulo indicant lippiisse Crispinum: & tamen illi ex commentariis veterum non pauca didicerunt, praesertim circa personas, quae hodie aliunde scire numquam potuimus: quale illud de *Tanai* & *Visellii socero*, versu 105, illum scilicet spadonem fuisse, hunc herniosum. Imo inde potius sanis eum fuisse oculis recte colligas: quippe Annotator Cruquianus *non oculorum ratione, sed mentis, quod insulsus fuerit poëta*, lippum hic vocatum memorat: alius vero Glossator, cognomen ei *Lippo* fuisse inditum. Quae cum absurda sint, & otiosorum hominum commenta; tanto magis tamen ostendunt ab oculorum morbo immunem eum fuisse: quod ad has ineptias descendere coacti sint, quo rationem hujus epitheti pravam saltem & falsam eruerent. Quid ergo? mihi nulla quidem dubitatio est, quin auctor sic scripserit,

Jam satis est: ne me Crispini scrinia LIPPUM
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

Tam enim hoc urbane & facete de se dixerit, quam de Crispino stolide & inhumane. Hoc scilicet Maecenatem dicturum sibi fingit: *Quorsum haec tam putida? mirum, ni hic lippus Crispini scrinia compilaverit.* Ecquid vero jam videtur? annon sordet prae hac nostra lectio illa vulgata? Ego quoque, utpote in re clara & certa, verbum non amplius addam.

SERMO

Digitized by Google

ECLOGA II.

v. 6. FAMEM DEPELLERE POSSIT] Editiones veteres, Venetae duae & Loſcheriana, PROPELLERE: atque ita major pars codicum. Utrumque probum videtur. *Propellere* quidem *famem aut frigus* non memini legiſſe: at *propulſare*, quod proxime accedit, non ſemel occurrit. Cicero de Finibus IV, 25. *Vacemus, an cruciemur dolore*; frigus, famem propulſare *necne poſſimus*. Tacitus Annal. XIV. 24. *Carne pecudum* propulſare famem *adacti*. Praeſtat tamen retinere DEPELLERE, quod poſt Aldum omnes fere Editiones ſecutae ſunt; & ita nos in Graeviano, Magdalenenſi, Batteliano, & Coll. Trinitatis reperimus. Cicero de Oratore III, 38. *Ut veſtis* frigoris depellendi *cauſſa reperta*. Seneca Epiſt. IV. *Ut* famem *ſitimque* depellas. Quintilianus Declam. V. *Quid tam publicum, quam ut alicujus* famem *proximus quiſque* depellat? Tacitus Annal. XV, 12. *Ut ſimul hoſtem* famemque depelleret. Idem Hiſt. V, 4. *Effigies animalis, quo monſtrante errorem* ſitimque depulerunt. Sic denique hunc verſum citat Scholiaſtes Juvenalis ad Sat. XIV, 273.

Frigus quo duramque famem DEPELLERE *poſſit.*

v. 25. MALTHINUS TUNICIS] Ita Editio Veneta prima: ſed altera cum Loſcheriana MALCHINUS. Par quoque in membranis diverſitas. Codex Graevianus, *Malthinus*, Leidenſis, Torrentianus & Barthianus Adverſ. XXXVIII, 6. *Malsinus*; Reginenſis cum pluribus aliis, *Malchinus*, duo *Malchimus*. Qui *Maltinus* ſcribunt, deductum volunt a vetere vocabulo *Malta*, quo *mollis* ſignificatur, ut Lucilius XXVII.

Inſanum vocant, quem maltam *ac feminam dici vident.*

Ergo ſi *Malta* inter cognomina erat (quod non memini me legiſſe) erit a *Malta Maltinus*, ut ab *Agrippa Agrippinus*. Quibus autem *Malthinus* magis arridet, ii a μαλθακὸς *mollis* nomen formatum putant: verum haec ſententia vix ullam veri ſpeciem habet. Mihi quidem tutius hic videtur, in re adeo incerta plurimorum codicum veſtigiis inſiſtere; ut MALCHINUS cognomen ſit a *Malcho* derivatum. Gruterus 317, 7, T. AEL. MALCO. LICTORI. 93, 5. SUB. CURA. M. ULPII. MALCHI. unde & 627, 13. P. METTIO MALCHIONI. 578, 2. T. STATILIUS MALCHIO. A *Malcho* autem *Malchinus*, ut *a Paullo Paullinus, a Rufo Rufinus, a Balbo Balbinus*, & alia infinita.

v. 27. GORGONIUS HIRCUM] Ita quidem Editiones veteres, *Gorgonius*, ut & verſu mox 35, *Cupennius*. Quorum poſterius ex melioribus codicibus, qui *Cupiennius* exhibent, recte reformarunt Interpretes. Ita Cicero in fine Epiſtolarum ad Atticum, CICERO C. CUPIENNIO S. *Hoc te vehementer, mi Cupienni, etiam atque etiam rogo.* Reineſius in Inſcript. V, 23. C. CUPIENNIUS PRIMITIVUS. Prius tamen illud *Gorgonius* in ſedibus ſuis quietum reliquerunt, nihil ex codicibus proferentes. Solus Pulmannus ingenue fatetur, quattuor ſuos & hic & infra Sat. IV. v. 92. GARGONIUS exhibere: quibus aſtipulantur ex noſtris optimi Graevianus, Reginenſis cum Regio & Franekerano. Atque haec melior, me judice, lectio eſt. *Gorgonius* enim ἀπὸ τοῦ Γοργόνος deductum ſecundam ſyllabam corripere debuit. Extat autem apud Gruterum 1031, 8. CAVIAE GORGONIAE: Symmach. Epiſt. I, 29. *Frater meus Gorgonius:* Ammian. Marc. XV, 2. *Gorgonius, cui erat thalami Caeſariani cura commiſſa.* Niſi forte ibi quoque, ut hic, exſcriptores erraverint. Nam & alibi ſaepe ita peccatum eſt. Cicero in Bruto c. 48. *Omnium rabularum acutiſſimum judico equeſtris ordinis C. Gorgonium.* Ita quidem, libri typis impreſſi; ſed membranae *Gargonium* habent, teſte Grutero Seneca Suaſoria VII. *Gargonius dixit duas res, quibus* ſtultio es *ne ipſe quidem umquam dixerat.* Ita membranae & editiones: ſunt tamen qui ex conjectura *Gorgonius* hic reponere geſtiant. Idem Controv. 34. *Gargius multo* ſtultius, *quare Promethei Parrhaſius ſupplicium finxiſſet: Ego, inquit, ardente Olyntho, non odiſſem ignium auctorem?* Etiam hic repone *Gargonius*, nam eundem eſſe res ipſa clamitat. Idem Controv. 24. *Gorgonius in hac controverſia foedo genere cacozeliae uſus, dixit, Iſtud publicum adulterium eſt ſub Miltiadis tropaeis concumbere.* Iterum Controv. 7. *Gorgonius fuit Buteonis auditor, poſtea Scholae quoque ſucceſſor, vocis obtuſae, ſed pugnaciſſimae, cui Baro Scurra rem venuſtiſſimam dixit: Centum raucorum vocem habes. Hic putavit, varium*

Digitized by Google

colorem se excogitasse pro patre. Ego, inquit, dictavi, Duplum dabo, si manus non praecideritis. Librario una syllaba excidit, Non: & scripsit, si praecideritis. Digna res quae voce illa diceretur. Utrobique silet Gruterus: & tamen hic ipse sine dubio est, qui supra Suasoria VII *Gargonius* vocatus est. Atque haec loca eo libentius exscripsimus; quia eundem hunc *Gargonium* esse credimus, quem Horatius *hircum olere* dicit. Aetas enim & cetera omnia pulchre conveniunt. Similiter & *Baro ille Scurra*, sive ut codices Gruteri, *Baros*, idem mihi esse videtur, qui Horatio *Barrus* vel *Barus* dicitur, Serm. I, 7. v. 8.

adeo sermonis amari

Sisennas, Barros *ut equis praecurreret albis.*

Porro *Gargonius* nomen erat Romanum: Gruterus Inscript. 685, 3, CN. GARGONIO CN. FILIO PAULLINO: atque ei alia affinia, *Gargennias*, *Gargilius*, *Gargilianas*: Grut. 543, 5. Q. GARGENNIUS L. F. SCA. CELER. Martialis III, 96.

Si te prendero, Gargili, *tacebis.*

& III, 30.

Dic mihi, quid Romae, Gargiliane, *facis?*

v. 30. OLENTI IN FORNICE STANTEM] Codices quidem, quos vidi, *olenti:* sed ad morem Horatianum scribendum est, OLENTE. Vide nos ad Carm. I, 25. v. 17. Antiquitus videtur scriptum esse, *olentin fornice:* inde facilis Librariis ansa data est, ut *olenti in* reponerent.

v. 33. TETRA LIBIDO] Novi virum ingeniosum, qui ex conjectura reponere voluit,

Nam simul ac venas inflavit tenta *libido:*

atque ejus emendationis Petronium sponsorem dedit; *Ut pateretur satisfieri sibi, & cetera quae* libido distenta *dictabat.* Satis quidem appositè: retinemus tamen omnium codicum lectionem, TETRA. Porcius Latro in Catilinam; *Adjutore* teterrimarum libidinum, *socio maximorum periculorum.* & iterum, *In excitatione* teterrimarum libidinum. Lactant. Div. Inst. VI. *De istis loquor, quorum* teterrima libido *ne capiti quidem parcit.*

v. 38. QUI MOECHIS NON VULTIS] Parodiam hanc esse ex versibus Ennianis monent Scholiastae:

Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechis non vultis.

Ennii autem verba sic citant:

Audire est operae pretium, procedere recte
Qui rem Romanam, Latiumque augescere vultis.

Unde facile erat divinare, quo propior esset & perfectior imitatio, sic potius scripsisse Nostrum, *procedere recte*

Qui MOECHOS *non vultis.*

Atque ita postea reperi in codice Leidensi, & in Excerptis Bodleianis, & Collegii Trinitatis Codice pro varia lectione, & in Regiensi a manu secunda. Neque aliter legisse Acronem, ex ejus paraphrasi, quantumvis inepta & absurda, licet animadvertere. *Operae*, ait, *pretium est audire* moechos, *qui non vultis procedere recte ad meretricem.* Porro, quod ad sententiam attinet, eodem recidit, sive *moechos recte procedere* dixeris, sive *recte procedere moechi.* Terentius Adelph. Act. 5 Scen. ult.

Syre, processisti hodie pulchre:

quod perinde est, ac *pulchre tibi hodie processit.*

v. 46. DEMETERET FERRUM] In vetustis editionibus sic locus hic exhibetur,

quin vrbanus illud
Accidit, ut quidam vestes vendentemque falcem
Demeteret ferro.

Quae cum manca & imperfecta oratio sit (deest enim nomen casus dativi) cumque Lambinus in duobus suis *cuidam*, non *quidam*, invenerit; ille partim eos secutus, partim conjecturae suae fisus, sic edi curavit,

Accidit, ut cuidam *vestes vendentique falcem*
Demeteret ferrum.

Quin & Cruquius in uno suo *cuidam* pro varia lectione adscriptum reperit; in altero ultima syllaba *& ferro* in litura erat; ut a prima manu *ferrum* fuisse videatur. Henricus autem Stephanus utrumque, & *vuidam* & *ferrum*, ex veteribus codicibus edidisse se memorat; quem tamen non alios praeter Lambinianos & Cruquianos velle hic suspicor. Mihi vero *demeteret ferrum* (praeterquam quod codices id abnegent) figuratius paullo & elatius videbatur, quam ut Sermonibus hisce per humum repentibus conveniret: quale illud Virgilii, Aen. X, 394.

Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis:

& praeterea *ferro demetere* receptam bonis scriptoribus phrasin, non temere mutandam esse censebam. Silius Ital. XVI.

Tantum acies, hominumque ferox discordia
Demetit. [ferro

Lactantius V, 9. *Qui virilia sua* ferro metant. Seneca Agam. v. 986.

Aegisthe, cessas impium ferro *caput*
Demetere?

Ovid.

Digitized by Google

Ovid. Metam. V, 104. [*mis*
Huic Chromis amplexo tremulis altaria pal-
Demetit enſe *caput.*

ubi plura vide apud Heinſium in notis. Quamobrem unius literulae vel apicis potius additione ſic locum refingebam, cum ſuperioribus connectens:

Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut CUIDAM *teſtes caudamque ſalacem*
DEMETERENT *ferro:*

ſcilicet, *calones demeterent:* quibus enim potius ejuſmodi opus mandandum erat? Ita in Milite Plauti Glorioſo Scena ultima, Periplectomenes moechum deprenſum Carioni & Sceledro ſervis verberandum & caſtrandum committit:

Ducite iſtum: ſi non ſequitur, rapite ſublimem foras:
Vide ut iſtic tibi ſit acutus, Cario, culter probe.

Atque haec olim mihi in mentem veniebant; cum poſtea animadverti ἀνάγνωσιν Barthium in Adverſar. XXXVIII, 6. in eandem plane conjecturam incidiſſe. Ille itaque hanc palmam ſibi habeat, qui prior occupavit.

v. 48. SALLUSTIUS IN QUAS NON MINUS INSANIT] At potius caſus Ablativus hic requiri videtur, ut Epod. XI.

Hic tertius december, ex quo deſiti
Inachia furere.

& Serm. I, 4. v. 49.

meretrice nepos inſanus amica.

& v. 27.

Hic nuptarum inſanit amoribus, *hic puero-*
& Carm. I, 17. [*rum.*
Dicas laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.

Unde acutiſſimus Nic. Heinſius in exemplaris ſui margine, *Forte,* inquit, IN QUIS *corrigendum.* Recte quidem, quod ad dictionem attinet. Nos tamen, ni fallimur, verius propiuſque ad receptam lectionem;

Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda,
Libertinarum dico: Salluſtius in QUA
Non minus inſanit, quam qui moechatur.

hoc eſt, in *qua claſſe libertinarum.* Atque ita poſtea invenimus clare & ſine ulla raſura in Codice Regio. Poteris tamen vulgatam defendere ex Seneca Her. Oet. v. 370.

Referam quid alias? nempe Theſpiades vacant,
Brevique in illas arſit *Atrides face.*

Ubi tamen idem Heinſius (referente Gronovio) *in illis arſit* repoſitum voluit; ut apud Ovidium Metam. VII, 21.

quid in hoſpite *regia virgo*
Ureris?

& VIII, 50. *merito deus* arſit in illa.

Verum, utcumque de Senecae loco ſiat; tot utique exemplis freti manuſcripti Regii auctoritatem tuto ſequemur. Quin & Joannes Saresbericenſis ita olim videtur legiſſe: nam aperte huc alludit in Policrat. VIII, 3. *Dignus eſt ergo Thraſo, qui intromittatur ad Thaidem, excluſo Phaedria, qui* in ea non minus inſanit.

v. 49. AT HIC SI] Optimus noſter Graevianus clare, *ut hic ſi.* Et in Reginenſi *at* quidem hodie extat, ſed alia manu & poſt raſuram: unde initio fuiſſe *ut* non falſo licet conjicere. Lege igitur, & diſtingue:

Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda;
Libertinarum dico: Salluſtius in qua
Non minus inſanit, quam qui moechatur:
UT *hic ſi,*
Qua res— velles bonus atque benignus Eſſe.
Quanto tutior, inquit, *merx eſt: adeo ut ſi Salluſtius vellet &c.* vulgata quidem ferri poteſt; ſed haec verior & elegantior.

v. 63. PECCESVE TOGATA] Sine dubio legendum, ut recte olim Lambinus conjecerat,

quid inter—
Eſt, in matrona, ancilla, peccesne togata?

atque ita codices noſtri, Colbertinus, Batteliannus, & Collegii Trinitatis. Ordo eſt, *Quid intereſt, in matrona, ancilla, togatáne pecces?* ſic infra v. 76. *tuo vitio, rerumne labores,*
Nil referre putas?

Ne enclíticum idem hic valet, ac *an*: & aut alterutrum aut utrumque in hac locutione neceſſarium eſt. Epiſt. II, 2. v. 166.

Quid refert, vivas numerato nuper, an olim?

Serm. II, 3. v. 157. [*pinis?*
Quid refert, morbo, an *furtis pereamve ra-*
& v. 166. *quid enim differt, balatróne*
Dones quicquid habes, an *numquam utare*
& II, 7. v. 8. [*paratis?*
Quid refert, uri virgis ferroque necari
Auctoratus eas, an *turpi clauſus in arca?*

Carm. II, 3.

Dives ne *priſco natus ab Inacho*
Nil intereſt, an *pauper.*

Tibullus IV, 5.

Annue: quid refert, clamne palamne roget?

Vulgata itaque lectio ne Latina quidem eſt. Et ſi ve retinere malis, tum legendum, ut codex Regius habet, & pro varia lectione codex Regiae Soc. *quid inter—*
Eſt, an *matrona, ancilla, peccéſve togata.*

Et

Et *pecces* quidem *matrona*, ſine praepoſitione; ut Carm. I, 33.

Quam turpi Pholoë peccet adultero.

Sed eo pacto ordo vitioſus erit; ſic enim dicendum erat; *Quid intereſt, matrona, an ancilla togatave pecces.* Quare lectio ſuperior ſola eſt ſincera.

v. 68. MALA TANTA VIDENTIS] *Videnti* habent tum veteres editiones, tum ſcripti codices ad unum omnes; certe quibus ego uſus ſum. Atque ita ſententia poſtulat, *Huic Villio videnti tanta mala, ſcilicet ſe pugnis caeſum, ferro petitum, & domo excluſum eſſe, ſi animus diceret.* Equidem miror, unde illud *videntis* in tot editiones malum pedem intulerit: cum nihil eo inſulſius abſurdiuſve fingi poſſit.

v. 81. SIT LICET HOC, CERINTHE, TUUM] Locus implicatiſſimus, quemque truſtra aggreſſi ſunt vir eruditi:

Nec magis huic inter niveos virideſq; lapillos
(Sit licet hoc, Cerinthe, tuum) tenerum eſt
femur, aut crus

Rectius: atque etiam melius perſaepe togatae. *Nec huic* matronae, ait, *magis tenerum femur eſt, aut crus rectius.* Rectius quo? omnino deeſt aliquid; quocum comparatio fiat. Deinde illud vide, *Sit licet hoc, Cerinthe, tuum.* Quodnam, amabo, illud *tuum?* hic vero in anguſtiis ſe verſari probe ſentiunt Interpretes. Quidam enim ſic explicant, *hoc tuum*, Cerinthe, niveos lapillos geſtare: alii, *hoc tuum* matronas lapillos geſtantes deperire. Quae, ut ſine teſte & auctore dicuntur (quis enim de Cerintho talia prodidit) ita ex verbis auctoris nullis tormentis elici, nullioque jure ſubinteiligi poſſunt. *Hoc tuum* enim ex vi conſtructionis nuſquam alio referri poteſt, quam ad *femur aut crus.* Id quod ſatis oſtendit Priſciani locus p. 701. *Hoc femur femoris*: *Horatius*: *Femur, o Cherinte, tuum*: ſive ut in Codd. MSS. extat, *Femur Cerinthe tuum.* Quae conſtructio cum ineptam aut nullam potius ſententiam efficiat; ideo ad conjecta illa, & conſcii quidem abſurditatis, confugerunt interpretes. Nos locum ipſum prius emendabimus; deinde rerum ſingularum rationes reddemus: ſic itaque legimus & diſtinguimus:

Nec magis huic, inter niveos virideſq; lapillos
Sit licet, O Cerinthe, TUO *tenerum eſt femur, aut crus*
Rectius: atque etiam melius perſaepe togatae EST.

ubi ordo eſt, *Nec huic*, cuicumque ſtolatae ſcilicet & diviti, *ſit licet inter niveos virideſque lapillos, magis tenerum femur aut crus rectius eſt tuo, O Cerinthe: imo vero perſaepe crus femurve melius eſt togatae, quam illi ſtolatae.* Cerinthus, ut recte hic veteres Scholiaſtae, puer erat ex delicatis, omnium iis temporibus formoſiſſimus; qualis Lyciſcus ille Epod. XI, qui *quamlibet mulierem mollitie vincere gloriari* poſſet. De hoc Cerintho & ejus eximia ſpecie multa habet Tibullus lib. IV. Ex ipſo certe cognomine apparet ſervum fuiſſe, etſi poſtea manumiſſum. Eſt enim a Graeco Κήρινθος & ſcribendum eſt *Cerinthe*; non ut plerique codices & Flacci & Tibulli habent *Cherinte*, vel *Cherinthe*. Gruterus 838, 8. M. BLOSSIUS CERINTHUS. 944, 3. T. LARCII CERINTHI. 1129, 7. CERINTHUS. Marmora Felſinea p. 251. C. TERENTII CERINTHI. Eodem tamen, quo librarii, errore Lapidarius dedit apud Grut. 996, 7. T. ANNIO CHERINTO. Sententia itaque jam nunc ſatis aperta eſt: Nullius matronae margaritis & ſmaragdis onuſtae femur tenerius aut crus rectius eſt tuo, o formoſiſſime Cerinthe, qui ejuſmodi ornamentis cares. Porro, O *Cerinthe*, non *hoc*, praeterunt duo Cruquii & totidem Berſmanni codices, optimuſque noſter Reginenſis. Facile autem *O* in *hoc* a Librariis mutatum eſt, quia ſequens vocabulum a litera C inciperet. Sic Ovid. Triſt. III, 3. v. 27.

liquet, o cariſſima, nobis
Tempus agi ſine me non niſi triſte tibi.

plurimi codd. *hoc cariſſima*: & ita alibi paſſim. *Tuo* autem habent, non *tuum* Turnebi & Lambini aliquot cum Colbertino noſtro. Cave vero credas illud *tuum* Priſciani auctoritate firmari; cum citet ex Horatio, *Femur, Cerinthe, tuum.* Non enim, quod ipſe vides, eo ordine & modo, quo apud auctorem extant, verba laudavit; ſed ſuis uſibus variando accommodavit: idque jure ſuo; quippe & nos, qui *tuo* legimus, *Cerinthi femur* intelligimus. Denique poſt *togatae* EST cohibetur in Blandiniis Cruquianis. Ceterum Codex Colb. Trinitatis paullo ornatius verba collocat,

Nec magis huic NIVEOS INTER *virideſque lapillos.*

Imitatus vero eſt elegantiſſimus Boëtius Conſol. Philoſ. III, 10.

Aut Indus calido propinquus orbi
Candidis *miſcens* virides lapillos.

& III. 4.

Quam-

Quamvis se Tyrio superbus ostro
Comeret, & niveis lapillis.
Seneca Hippol. 392. *nec* niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.

Postremo non aliter, quam nos, legisse veteres Scholiastas constabit ex ipsorum enarratione, quae sic habet: *Nec femur aut crus magis tenerum est huic matronae, licet sit inter niveos & virides lapillos, quam tuum, o Cerinthe: cum tenerius femur atque etiam melius crus persaepe sit togatae.* Nihil verius. Certe *quam tuum, o Cerinthe*, liquidissima est paraphrasis nostrae lectionis,

Sit licet, O Cerinthe, tuo.

v. 86. UBI EQUOS MERCANTUR, OPERTOS INSPICIUNT] Editio princeps Veneta *opertos*: sed altera cum Loscheriana *apertos*. Prius tamen in recentioribus magis obtinuit; utpote & a Scholiastis agnitum, & in plerisque melioris notae codicibus inventum, ut in nostris, Leidensi, Graeviano, Reginensi aliisque. In margine Graeviano a manu vetere sic annotatum est: *Divites prudentia callentes, cum equos emunt*, opertos *considerant; ne specie & magnitudine illorum decipiantur: ac per hoc potius* ungulam *pedis considerant, utrumnam mollis habeatur.* Rectissime; & his gemina fere habes apud Acronem & Porphyrionem. Nempe hoc modo argumentatur Horatius: Amatores stulte rem suam gerere: quippe amati corporis pulchriora tantum membra considerare; cetera si qua sint deformia praetermittere: in *brachiis*, si forte, candidis & pluma mollioribus, in *crure* recto & teretibus suris, defixos stupere: atque *nasum* interim pravum & nimium, *latus* breve & curtum, *pedem* longum & enormem minime animadvertere. Multo autem rectius sapere principes, cum generosos equos mercari eis opus sit. Cavere enim, ne pulchriorum equi partium admiratione abrepti praviores non videant, aut videntes ignoscant. Quonam autem pacto id sibi cavent? Nempe reliquo equi corpore stragulis tantisper tecto & operto, pedes (quorum praecipue habenda est ratio) diligenter inspiciunt; si *ungula* alta sit & concava, brevi & rotundo & solido cornu: tum demum his probatis, caetera nudant, & contemplantur *caput* breve & argutum, *cervicem* mollem & excelsum, *clunes* rotundos & torosos, ceteraque quae in nobili equo pulchritudinem absolvunt. Quid in hac expositione vituperandum sit, equidem nullus video. Magnus tamen Lipsius ad Senecae Epist. LXXX. *apertos* hic apud Flaccum legit; Scilicet, ut ibi Seneca, *equum emturus, solvi jubes stratum; detrahis vestimenta venalibus, neque vitia corporis lateant.* & iterum Ep. XLVII. *Stultus est, qui equum emturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac froenos:* quae verba & plura ibidem suo more suffuratus est Macrobius Saturn. I, 11. Apuleius de deo Socratis circa finem. Lipsio etiam laudatus; *Quippe non intelligit, aeque divites spectari solere, ut equos mercamur. Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, & baltei polimina inspicimus, & ornatissimae cervicis divitias contemplamur:* —— *sed istis omnibus exuviis amolitis equum ipsum nudum, & solum corpus ejus & animum contemplamur.* Quid ergo? annon ubi equos mercantur reges, *apertos* inspiciunt? Sine dubio id quidem: at nihilo tamen minus lectio altera sola est sincera. Primum enim *opertos* inspiciunt, tantisper dum pedes probantur; tum denique totos nudos & *apertos* considerant. Atque hunc sensum locus ipse & auctoris propositum plane efflagitat. Non enim amatores hic redarguit, quod corporis amati *nihil omnino* videant (& tamen, si *apertos* legeris, id foret admittendum) sed quod sola *corporis optima* contemplentur, O *crus, o brachia*, exclamantes: in vitiis interim explorandis Hypsaea caecieres. Quos potius exemplo eorum, qui equos mercantur, facere hortatur. Ut enim illi speciosas equi partes tegunt & operiunt, quo pedibus ejus scrutandis fideliorem dent operam: ita vos, ait, laudata illa *crura & brachia* tantisper praetermittite; ut de *nasi* & *lateris* & *pedum* deformitate verius judicare possitis. Quid, quod absurdam plane efficiunt sententiam, qui *apertos* substituunt? *Apertos scilicet inspiciunt equos, ne mollities pedum lateat & fallat emptores.* Atqui ea cautela nihil hic juvat. Ut enim stratum detraxeris, & apertum nudumque equum stiteris; non ideo occulta pedum vitia deprehendas. Ad ea exploranda alia arte opus est. Neque vero quisquam venditor *pedes* equi occulere solet aut potest: ut ad hanc rem supervacuum prorsus consilium sit de equo *aperiendo*. Denique, ut jam ex Seneca & Apuleio vidimus, *stultus* omnino & bardus sit oportet, qui equum emturus, non nudum & *apertum* inspicit: *omnes*, quicumque equos mercamur, exuviis amolitis, *corpus ipsum* consideramus. Quorsum itaque solis *regibus* tribuendus erat, qui omnium mos est? Enimvero *apertos* equos inspiciunt omnes, *opertos* soli reges & prin-

Digitized by Google

cipes: Quippe his non niſi pulcherrimi equi venales proponuntur,

Quis pulchrae clunes, breve quis caput, ardua cervix:

& proinde id praecipue eis cavendum eſt, ne facie illa decora capti & deliniti vitioſo pedi ignoſcant: aliis, qui pro re anguſta viliores ignobilioreſque mercari ſolent, non par eſt periculum. Atque haec quidem eo exactius proſecuti ſumus, cum ob ſummam Lipſii auctoritatem, tum quod nuperius duo viri inſignes Faber & Dacerius pro lectione altera *apertes* acerrime contenderunt. Quorum tamen rationes, ſi cum his noſtris componantur, inanes & pravas reperies. *Si* operti, *inquiunt, forent equi, certe* pulchrae *illae* clunes *in equis non apparerent, quod tamen ab Horatio poſitum eſt manifeſtiſſime.* Quomodo ſodes *poſitum?* imo vero contrarium prorſus. Opertos enim inſpiciunt, NE pulchrae clunes appareant, & emtorem hiantem ducant. Quid hoc manifeſtius? *At ſi equorum clunes apparent, qui tandem pedes ipſi* operti *erunt?* Iterum, o boni, eadem chorda, & quidem turpius. Clunes enim non *apparent*, ſed occuluntur: pedes vero *opertos* vel fingere ridiculum eſt. Cetera taedet ventilare & excutere: ex iis enim, quae jam diximus, ſponte ſua labaſcunt & corruunt.

v. 88. EMTOREM INDUCAT HIANTEM]. Ita quidem editi & ſcripti, quos vidimus. Pace tamen eorum, audebimus reponere,

Molli fulta pede eſt, emtorem DUCAT *hiantem:*

Elegantiſſimum certe in hac ſententia vocabulum. *Inducere* enim eſt univerſim perſuadere & illicere, ſive bene cedat, ſeu ſecus: *ducere* vero eſt male perſuadere, & in fraudem & damnum illicere. Perſius Sat. V. v. 176.

Jus habet ille ſuĭ, palpo quem DUCIT HI-
Cretata ambitio? [ANTEM

Quis ambigat, quin frequentiſſimus Flacci imitator ad hunc ipſum locum reſpexerit? Noſter ipſe Serm. II, 2. v. 35.

Ducit *te ſpecies, video.*

ſpecies te ducit & fallit, plane ut hic, *facies ducat emtorem.* Epiſt. II, 1. v. 75.

Injuſte totum ducit venitque *poëma.*

hoc eſt, ducit emtorem & venundatur; ut ibi corrigendum eſſe ſuo loco oſtendemus. Terentius And. I, 2.

Id voluit, nos ſic nec opinantes duci *falſo* [gaudio.

& IV, 1.

Quid tandem? etiam nunc me ducere *iſtis dictis poſtulas?*

Ceterum facillime *in* adherere potuit *ut ducat* ex ultima litera *m* vocis praecedentis.

v. 90. NE CORPORIS OPTIMA LYNCEIS] At interpretes non uſque adeo Lynceis hic uſos eſſe oculis, jam opinor manifeſtum erit. Videamus totum locum:

Hoc illi recte: ne corporis optima Lynceis
Contemplere oculis; Hypſaea caecior illa
Quae mala ſunt ſpectes. O crus, o brachia.

Ubi primo, *Lynceis* quidem *oculis* recte dicitur, ut Boëtio Conſ. Philoſ. III, 8. *Quod ſi, ut Ariſtoteles ait,* Lynceis oculis *homines uterentur:* ſed loco huic minime convenit. Nam Λυγκεὺς, Λύγκειος *Lyncéus* formatur, ſecunda ſyllaba producta: ut ab Ἀχιλλεὺς Ἀχίλλειος *Achillĕus,* Θησεὺς Θήσειος *Theſĕus* &c. & proinde per Craſin in diſyllabon coaleſcere non poteſt. Propertius III, 20.

Scandam ego Theſĕae *brachia longa viae.*

Ovidius Triſt. I, 1.

Solus Achillĕo *tollere more poteſt.*

Idem Faſt. V. v. 709.

Pectora trajectus Lyncĕo *Caſtor ab enſe.*

Corrige ergo cum vetuſtiſſimo Blandinio apud Cruquium, & Graeviano noſtro, *Lyncei,* caſu genitivo a *Lynceus;* ut illud Virgilii Aen. I, 41.

Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei.

Dein vero & ſententiam perpende. *Hoc illi,* ait, *recte*: reges ſcilicet equos emturi opertos eos inſpiciunt; *ne tu,* amator, *optima corporis amicae tuae oculis Lyncei contempleris, mala autem oculis Hypſaeae.* Itane vero? an eo conſilio reges equos conſiderant, ne amatores in amicarum forma caecutiant? Tam comes & facetos reges non temere hodie, credo, inveneris. Sed dic, amabo: an tibi credibile eſt, tam ineptum hoc ab auctore profectum eſſe? cave, dixeris. Quin ignaros potius librarios incuſare jus & fas eſt; qui antitheſin a Flacco hic poſitam interpolatione ſua perdiderunt. Sine dubio enim ſic ille ſcripſerat,

Hoc illi recte: TU *corporis optima* LYNCEI
CONTEMPLARE *oculis; Hypſaea caecior, illa*
Quae mala ſunt, SPECTAS.

Et *contemplare* quidem praeferunt, praeter Torrentianos aliquot, Reginenſis noſter & alter Collegii Trinitatis: unde anſa porrigitur ad cetera corrigenda. *Hoc quidem,* ait, *illi recte: tu contra inepte & ſtulte facis, qui corporis optima acutiſſime cernis, mala vero negligis & praetermittis.*

v. 106.

Digitized by Google

v. 106. IN NIVE SECTATUR] At editiones vetuſtae, & membranae fere omnes, antiquiores praeſertim, tam aliorum, quam noſtrae, SECTETUR. Et miror equidem (cum Epigramma Callimachi, unde haec ad verbum ſunt tradu&ta, jam editum & omnibus expoſitum ſit) veram lectionem conſtructionemque adhuc in incerto eſſe. Tu vero ſic ſcribe & diſtingue.

Leporem venator ut alta
In nive SECTETUR, *poſitum ſic tangere nolit,*
Cantat: & apponit, Meus eſt amor huic ſimilis; nam
Tranſvolat in medio poſita, & fugientia captat.

ubi ordo eſt, *Cantat, ut venator ſectetur leporem.* Ita Virgilius Eclog. VI, 31.

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque mariſque fuiſſent.

& verſ. 64.

Tum canit, errantem Permeſſi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit *una ſororum.*

Vel illud *nolit* per ſe ſatis oſtendit legendum eſſe *ſectetur.*

v. 110. CURASQUE GRAVES E PECTORE PELLI] Ita priſcae editiones, & codices noſtri Graevianus, Reginenſis cum aliis, ut Carm. I, 7.

nunc vino pellite curas.

Silius Ital. XIII:

Virtus a Pectore nullam docet eſſe ſalutem,
Vociferans, pulſis *vivendi e pectore curis.*

Tamen alliteratio illa, *pectore pelli*, ingratum quiddam ſonat. Unde diſertiſſimus Nic. Heinſius e conjectura corrigebat, *e pectore* VELLI: quod in Collegii Trinitatis codice clare exhibetur. At omnium veterrimus Blandinius, cum codice Regio & Galei, & Regiae Societatis, & a prima manu Magdalenenſi, TOLLI habent. Et ex his quidem *velli* minus placet. Reliquorum utrumcunque legas, non flocci intereſt. Dabimus tamen Blandinii codicis honori, ut *tolli* reponamus.

v. 111. NONNE CUPIDINIBUS STATUIT NATURA] Si vulgatam lectionem ab editionibus primis derivatam retines; vix erit, ut ſententiam expedire poſſis, adeo implicata & ſalebroſa eſt:

Nonne cupidinibus ſtatuit natura modum? quem,
Quid latura ſibi, quid ſit dolitura negatum,
Quaerere plus prodeſt, & inane abſcindere ſoldo.

hoc eſt, ut quidem enarrant, *Quem modum*, videlicet, *Quid latura ſibi, quid negatum dolitura ſit, quaerere plus prodeſt.* Ubi, praeterquam quod hoc modo claudicat oratio, & adſcititio illo *videlicet* tamquam baculo inniters non recte ambulat; illud inſuper attendendum eſt, *modum cupidinum* & *quod naturae negari poteſt vel non poteſt* non unam & eandem rem eſſe (quod illi arbitrantur) ſed alteram ex altera colligi. At quanto rotundius elegantiuſque eſt, quod in melioribus membranis exhibetur; modo recte interpungas?

Nonne cupidinibus STATUAT *natura modum quem,*
Quid latura, ſibi quid ſit dolitura negatum.
Quaerere plus prodeſt, & inane abſcindere ſoldo?

& *ſtatuat* quidem praeter Cruquianos omnes. Pulmanni ſex, Lambini & Berſmanni aliquot, etiam ex noſtris Graevianus, Galei, Petrenſis, Battelianus clare praeferunt: neque aliter Scholiaſtae veteres, ut ex enarratione eorum conſtat: *Nonne ſatius eſt quaerere, quem cupiditatibus finem natura* ſtatuerit, *quid tolerare poſſit ſi denegetur, quid denegatum ſuſtinere non poſſit?* Recte hoc atque ordine. Siquidem ea vera conſtructio eſt, *Nonne plus prodeſt quaerere, quem modum natura ſtatuat cupidinibus &c.* Ceterum *quaerere, quem ſtatuat* modo ſubjunctivo; ut Serm. II, 3. v. 20.

olim nam quaerere *amabam,*
Quo *vafer ille pedes* laviſſet *Siſyphus aere.*

& Epiſt. II, 1. 163.

quaerere *caepit,*
Quid *Sophocles & Theſpis & Aeſchylus utile* ferrent.

v. 121. GALLIS HANC, PHILODEMUS AIT:] Mirari ſane licet interpretum aut incuriam aut tarditatem, qui toties haec recuderunt, pravam & ineptam diſtinctionem non animadvertentes:

Illam, Poſt paullo, Sed pluris, Si exierit vir;
Gallis hanc, Philodemus ait: ſibi quae neque magno.

Quis enim non videat, in hac conſtructione *illam* & *hanc* eidem orationis membro inepte aſſignari? Tolle itaque tam foedam maculam, & ſic interpunge:

Illam, Poſt paullo, Sed pluris, Si exierit vir,
Gallis: hanc, Philodemus ait, ſibi, quae neque magno
Stet pretio, nec cunctetur, cum eſt juſſa venire.

hoc eſt, *Illam, quae tot moras & conditiones ferat, Gallis: hanc ſibi, quae* &c. *Gallos* autem hic ſpadones & Cybeles ſacerdotes accipio;

cipio; qui tam lentas ambages facile & patienter ferre queant. Si Philodemi Epigramma ex angulo aliquo erueretur, ut ex Anthologia inedita productum est illud Callimachi; tum certius scire possemus, utrum Γάλλυς vellet an Γαλάτας.

v. 129. VEPALLIDA LECTO DESILIAT MULIER] *Quidam putaverunt*, aiunt veteres hic Scholiastae, vepallida *nunc unam partem orationis esse, ut* Vegrandi subere coctum, *quod ait Persius Flaccus, ut significet* valde pallida: *sed magis dividendum est, ut* vae *interjectio sit.* Atqui quod illis displicuit, recentioribus mirifice placuit; adeo ut nunc in omnibus fere editionibus *vepallida* circumferatur. At recte an secus, paullisper examinemus. *Vepallida*, inquiunt, est valde pallida. Mirum vero, aut neminem alium hoc usum esse vocabulo, si in frequente hominum sermone esset; aut, si adeo insolitum, non Flaccum id tamquam scopulum effugisse. Sed esto, ut novum verbum fingere voluit *vepallida*: multo certe rectius erat, ut *parum*, imo *minime pallida*, imo *rubicunda* significaret, quam quod volunt interpretes. *Ve* enim in compositione non minuit solum & negat, sed contrarium etiam ponit. Ita *vecors* & *vesanus* non modo *parum cordis* aut *sani* habens, sed & *furiosus*: *vegrandis* non *parum grandis* modo, sed & *parvus*. Ovid. Fast. III, 445.

Nunc vocor ad nomen: vegrandia *farra colonae*
Quae male creverunt, vescaque *parva vocant.*

Vis ea si verbi est: cur non ego Vejovis *aedem*
Aedem non magni suspicer esse Jovis.

Ausonius Epist. XXII.

Hic saepe falsus messibus vegrandibus
Nomen perosus villici.

Varro de Re Rustica II, 2. Vegrandes *fiunt oves & imbecillae.* Adde illud Martialis XI, 73. quod hic describi non meretur. Ad haec exempla, ut jam vides, *vepallida* esset pallidae contraria, plane contra auctoris mentem. Sed *ve*, inquiunt, in compositione interdum *auget*. Esto: tamen interea ineptum faciunt Horatium, qui nulla necessitate adactus & se & lectorem ambigua voce elusit. Atqui ne illud quidem extorquebunt, particulam *ve* significationem vocis, cui adjuncta est, usquam augere. Quippe in illo Persii loco, tam in editis quam scriptis, *praegrandi* exhibetur, non *vegrandi*. Sat. I, 96.

Arma virum *nonne hoc spumoso & cortice pingui?*
Ut ramale vetus, praegrandi *subere coctum*,

Atque etiam si maxime hic *vegrandi* legeretur, non valde grandem, ut illi volunt, sed minimum suberem notaret. Nimirum si *praegrandi* scripsit Persius, jocose & per ironiam; si *vegrandi*, serio & vere respondit. Hoc enim vult, Virgilii stilum nihil inflatum & φλοιώδες, nihil corticis suberisque habere: sed totum esse de duro & solido robore. At ad Festum nos amandant, qui, *Vegrande*, inquit, *significare alii aiunt male grande, alii parvum sive minutum.* Optimum sane advocatum, cui ipsi alio patrono opus est. Nam *male grande* & *parvum*, non contrarium neque adeo diversum, sed idem plane significare solent. At Nonius diserte ait: *Vegrande, valde grande. Lucilius libro* XXVI.

Non iccirco extollitur, nec vitae vegrandi datur.

Sed quoties fatuus ille turpissime se dat, & auctorum loca prave & sinistre interpretatur? Fortasse etiam & hic lapsus est; & *vegrandis vita* Lucilio erat vita humilis & misera; ut si talem versum anteponas:

Nec in adversis rebus sapiens concutitur,
neque prosperis: [*datur.*

Non iccirco extollitur, nec vitae vegrandi

Adde, quod idem Nonius ex meliore, ut videtur, exemplari versum hunc aliter citet, v. Efferre:

Non iccirco extollitur, vel irae, vel gaudii dator.

Adeo ut & levis alioquin & incerta sit hac in re Nonii auctoritas. Sed quid A. Gellio facias? qui libro V, 12. & XVI, 5. *Particula* VE, ait, *& augendae rei & minuendae valet, sicuti aliae particulae plurimae; propter quod accidit, ut quaedam vocabula, quibus particula ista praeponitur, ambigua sint & utroqueversum dicantur; veluti Vescum, Vehemens, & Vegrande.* Haec quidem dici fateor, sed nullo satis idoneo auctore. Quis enim ei concesserit, *vehemens* & acre & remissum significare? *Vescum* quidem exile & gracile notat: hoc agnoscimus. At contrario sensu apud Lucretium poni volunt lib. I. 326. pro *edaci*:

Nec mare quae impendent, vesco sale saxa pereſa.

Sed quidni & hic quoque communi acceptione sumatur, *vesco sale*, id est, tenui & minutissimus partibus constante, atque ideo penetrabili? Ut verbo dicam, *ve* significationem augere & intendere, non satis compertum est: & utcumque fuerit, in ambiguae vocis *vepallida* usu ridendus foret Horatius. Ergo hac lectione

ctione missa, videamus, siquid melius ferat altera illa, VAE *pallida lecto*

Desiliat mulier, miseram se conscia clamet. ut Ovidius Amor. III, 6. [*amores?*

Huic ego. vae *demens narrabam fluminum* Catullus Epithal. Pelei.

meas audite querelas,
Quas ego vae *misera extremis proferre me-*
Cogor inops. [*dullis*

& Virgil. Eclog. IX. [*monae.*

Mantua vae *miserae nimium vicina Cre-*

Sed & huic lectioni obstat, quod in his & similibus locis, *vae demens, vae misera* junctim construuntur: in *vae pallida* id non potest, (ridiculum enim foret) sed *vae* solum hic & incomitatum incedit. Indagandum igitur aliud quid: & sane codices aliquot, etiam ex nostris, *vel pallida* habent. Unde N. Heinsius in libri sui margine, *Forte*, ait, *Resonet ve, & pallida*: quo pertineat, non equidem intelligo. Ne multis morer; pro *ve* corrigendum opinor *ne*, ut clare exhibent Petrensis noster & Zulichemianus: quod cum superioribus sic conjungendum: *Nec vereor*, inquit, NE *ruinae recurrat,*

Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet: NE *pallida lecto*
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet.

Ne illud in singulis orationis membris subauditur; & in illo venuste repetitur: ut supra v. 102. ne *crure malo*, ne *sit pede turpi.* & Serm. II, 8, 68. ne *panis adustus*,

Ne *male conditum jus apponatur.*

& Epist. I, 5.

ne *turpe toral*, ne *sordida mappa*
Corruget nares; ne *non & cantharus & lanx*
Ostendat tibi te; ne *fidos inter amicos*
Sit, qui dicta foras eliminet.

Atque hoc, opinor, contenti, facile illo *vepallida* in posterum carere possumus.

v. 131. DOTI DEPRENSA] Lege cum sagacissimo Nic. Heinsio;

Cruribus haec metuat, doti HAEC *deprensa, egomet mi.*

hoc est, *cruribus haec* (ancilla) *metuat, doti haec* (matrona.) Necessarium quidem id pronomen est: neque enim *deprensa* per se dominam significare poterit: cum & conscia, & adultera, & adulter ipse *deprensi* fuerint.

ECLOGA III.

v. 7. USQUE AD MALA CITARET, IO BACCHE] *Io Bacche* videtur fuisse initium Cantici: sic enim olim solebant & cantica & poëmata a primis vocabulis designare. Persius Sat. I.

Arma virum, *nonne hoc spumoso & cor-* Ovid. Trist. II. [*tice pingui?*

Sumserit Aeneadum genetrix *ubi prima*; *requiret,*
Aeneadum genetrix unde sit alma Venus.

ubi illud Aeneida, hoc Lucretii opus significat. Aristophanes Equitibus p. 219.

Ἀσπ. Ἀλλ' οὐκ ἦν σὺ ξυμποσίῳ, πλὴν, Δαρεῖ συνοπίδλης,
Καὶ, Τεκτόνες σύπαλάμων ὕμνων ὕστω ἠχήεν & Nubibus p. 108. [σεν ἀοιδόν.

Εἶ' αὖ σεσιγηδὸν ἄσμ' ἐδίδασκεν, τὸ μηρὸν μὴ ξωιχοῖς,
Ἢ Παλλάδα περσέπολιν δεινὴν, ἢ, Τηλέπορόν τ' βόαμα.

ubi recte notat Scholiastes illis Cratini, his Lamproclis & Cydidae cantica ex primis eorum verbis indicari. Ita & Hesiodi opus Ἔργα inscribebatur, eo quod multi ibi versus ab Ἢ οἵη inciperent; quorum aliquot reliquiae etiam hodie servantur,

Ἢ οἵη δίδυμος ἱερὸν ταύρου κολωνόν.
Ἢ οἵη Φθίη καλλίστη ἄπο κάλλος ἔχουσα.
Ἢ οἵη Υέλη πανυπέρθυρον Μηκιονίκη.

Ergo ad haec exempla *Io Bacche* notat canticum, quod ab his verbis est inchoatum; & eandem credo ob causam Poëma Archilocho adscriptum *Iobacchi* vocabatur: Hephaestio p. 55. Οἷόν ἐστι τὸ ἐν τοῖς Ἀρχιλόχου διαφερομένοις ΙΟΒΑΚΧΟΙΣ,

Δημητρὸς αὐγῆς κ' κόρης τὴν παννύχιον σέβων.

Proclus Chrestomathia p. 342. Εἰς ἣν ἀναφέρουσ' ὕμνον — Ἀδωνίδια, Ἰόβακχον. & 345. Ἤδετο δ' ὁ Ἰόβακχος ἐν ἑορταῖς κ' θυσίαις, Διονύσου βεβακχευμένος πολλῷ φρυάγματι. Ita & *Bacchebacchus* appellabatur Hymnus in Bacchum; quia frequenter ibi ingeminabatur, Βάκχε, Βάκχε, Βάκχε. Aristoph. Equitibus p. 212.

Ἡσθήσῃ δ' παιωνίσας Ε Βακχεβακχον ἆσας.

Grammatici tamen narrant, deum ipsum Βακχεβακχον & Ἰόβακχον vocatum esse. Ceterum apud Horatium *Io Bacche* lysilabam ultimam producere potest, quia in caesuram incidit. Sunt tamen, qui metro metuentes *Io Bacchae* reponant; uti sane habet Editio prima Veneta, & Pulmanni codices quattuor, Bersmannique

Digitized by Google

nique unus: quod confirmare volunt ex Euripidis Bacchis v. 83. & 152. Ω ἰὴ βάκχαι, ὦ ἰὴ βάκχαι. Magis tamen appositе versum ibidem 577. laudare potuissent;

Ἰὼὼ κλύεῖ', ἐμὰς κλύεῖ' αὐδάς,
Ἰὼὼ βάκχαι, ἰὼὼ βάκχαι.

Sed utcumque hoc fuerit; illud jam videndum erit, quid sibi velit *citaret*:

si collibuisset, ab ovo
Usq; ad mala citaret, *Io Bacche, modo summa*
Voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.

Citaret, aiunt Scholiastae, id est, *clamitaret* aut *recitaret*. Neque quidquam hic addunt novi interpretes. Atqui id erat sedulo faciendum; si verbo, ut aiunt, aptissimo hic usum esse Nostrum persuasuros sese speraverint. Quippe cum, ut jam vidimus, *Io Bacche* sit canticum; apud quemnam quaeso auctorem *citare cantilenam* reperiemus? *Citare* est vocabulum Juris, & significat *vocare quempiam, ut se coram in loco aliquo sistat*. Ita *citare senatum, reos, testes, judices*. *Citare* autem *Io Bacche* ne Latinum quidem est. Neque enim *citaret* idem est ac *recitaret*: neque vero ipsum *recitaret* ad Horatii propositum quidquam faceret. *Cantor* enim fuit Tigellius, & cantilenam hanc modo *summa* modo *ima voce* cecinit. Sed aliud opinor est *canere*, aliud *recitare*. Quid multa? jam diu est, cum ex conjectura vere divinabam, sic esse corrigendum:

si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala ITERARET, *Io Bacche.*

Quod ideo interpolatum credidi, quia plerumque Librarii *ter* & *cer* & *ler* & similia soliti essent compendiose scribere, consonantem tantum ponentes cum apice superne adscripto. Ergo *usque ad mala iteret* tandem est lectum; apice illo prae vetustate evanido & oculos fugiente. Quod cum adversus metri leges peccaret; laudabilem operam se navasse credidit, qui primus ad versum fulciendum *citaret* reposuit. Postea, ubi veterrimi codicis Reginensis copia mihi contigit, *citaret* quidem ibi inveni, sed ita ut tres priores literae *cit* alia manu scriptae sint; & ex spatio constet quatuor literas erasas fuisse, quae vix aliae quam *iter* esse potuerunt. Atque id quidem multis ostendi, quorum nemo dubitavit, quin, ut ante visum eum codicem correxeram, a prima manu *iteraret* fuerit scriptum. Quippe hoc vocabulum adeo apte, concinne, & quasi ad amussim sententiae & verbis convenit; ut sine ullius codicis auctoritate merito foret recipiendum. *Ut ab ovo*, inquit, *ad mala iteraret, Io Bacche*: hoc est, *iterum iterumque cantaret*: neque enim per totam caenam protrahi potuit una cantilena, nisi saepe repetita. Noster Carm. II, 19. *lactis & uberes*

Cantare *rivos, atque truncis*
Lapsa cavis iterare *mella.*

Phaedrus lib. V. fab. 8.

Magnoque risu canticum *repeti jubet:*
Iteratur *illud.*

Apuleius Metam. XI. *Sequebatur lectissimae juventutis Chorus*, carmen *venustum* iterantes. Sulpicius Severus Epist. II. *Cum inter Benedictionis verba sollemnia familiare illud ori suo Crucis nomen* iteraret. Plautus Casina V, 2.

Operam date, dum mea facta itero: *est*
operae, aurибus percipere:
Ita ridicula auditu, iteratu *ea sunt, quae*
ego intus turbavi.

Lucretius IV, 580. *ita colles, collibus ipsis*
Verba repulsantes, iterabant *dicta referre.*

Noster Epist. I, 8.

Sic iterat *voces, & verba cadentia tollit.*

V. 20. IMO ALIA, HAUD FORTASSE MINORA] Et editiones priscae & exemplaria scripta ad unum omnia longe aliter habent,

Nulla ne habes vitia? imo alia, ET *fortasse*
minora,

Primus, opinor, Aldus Manutius sincerum vas incrustare voluit, & reposuit *haud minora*; quem deinceps plerique omnes nimium patienter secuti sunt. Quid enim? an credibile est, hoc fassum esse Horatium? sua vitia non minora esse illis, quae in Tigellio tam acerbe notaverat? Cur itaque *Clodius accusat moechos?* cur ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων? Imo vero sibi *mediocria* tantum vitia esse alibi gloriatur, non Tigellianis similia. Serm. I, 4. 130. *ex hoc ego sanus ab illis*

Perniciem quaecumque ferunt; mediocri- [bus & quis
Ignoscas vitiis *teneor.*

& VI, 55.

Atqui si vitiis mediocribus, *ac mea* paucis
Mendosa est natura, alioqui recta; velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos:
Si neque avaritiam, neque sordes, aut mala
lustra
Objiciet vere quisquam mihi; parcus & insons,
Ut me collaudem, si & vivo carus amicis.

Credat jam qui poterit, hunc Tigellio se aut postponere aut comparare. Imo enim modeste respondet, se alia quidem vitia habere (neque enim Maenii exemplo suis se vitiis ignoscere, dum alios carpat) & *tamen fortasse*

Tigelli-

Digitized by Google

Tigellianis illis leviora. Summa urbanitas est in τῷ *fortasse*: quasi non pugnaturus foret, si quis vel aequalia esse diceret. Ceterum & Acron Scholiastes lectionem nostram clare agnoscit; cum sic locum enarrat: *Confiteor me habere vitia, sed leviora: nec sum similis Maenio, qui dicebat se ignoscere peccatis suis.* Ita recte *nec sum* Fabricius & Cruquius & codex manuscriptus Reg. Soc. exhibent; non ut alii perperam, *sed sum.*

v. 25. CUM TUA PERVIDEAS OCULIS MALA LIPPUS INUNCTIS] *Praevideas*, quod legendum hic ex conjectura contendit elegantissimus Rutgersius, non improbante Nicolao Heinsio ad Ovidii Pontic. I, 7. v. 43. clare & sine ulla litura praefert codex Regiae Societatis: cui favet Acron manuscriptus, in quo habetur *provideas*. Ergo in hac lectione quiescendum tandem videtur: ut *praevideas* idem sit ac *praetervideas*, παραβλέπῃς, παρορᾷς, *neglegas*, *praetereas*. Quo pertinet locus ille Poëtae veteris, jam ab aliis saepius adductus,

Τί τἀλλότριον, ὦνθρωπ' βασκαναίνεις,
Κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις?

Illud tamen fatendum est, si *pervideas* nihil amplius significaret quam simplex *videas*; ad stili Horatiani genium propius hoc accessurum esse, quam illud alterum. *Cum lippus inunctis oculis tua mala videas*, hoc est, *non videas*, non magis quam lippi solent: qui loquendi modus Nostro fere peculiaris est. Ita supra Serm. I, 2. v. 91.

tu corporis optima Lyncei
Contemplare oculis; *Hypsaea* caecior, *illa*
Quae mala sunt, spectas:

hoc est, *non omnino spectas*. Carm. III, 7.

Frustra: *nam scopulis* surdior *Icari*
Voces audit *adhuc integer*.

quod perinde est, ac *non audit*. Quomodo enim audit, si scopulis surdior est? Unde duo Pulmanni codices & Bersmanni unus sic locum ibi interpolant,

Voces spernit *adhuc integer*.

Sed & illi frustra: quippe Euripidis locum fideliter imitatus est ex Medea v. 28.

ὡς ὁ ΠΕΤΡΟΣ, ἡ θαλάσσιος
Κλύδων, ΑΚΟΥΕΙ ναυτιμώνη φίλων.

Recta igitur & plane Horatiana locutio foret, *Cum tua mala lippus* VIDEAS; quo vocabulo uterque Scholiastes in enarratione sua utitur. Sed certum interim & indubitatum est, compositum illud *pervideas* non posse hic consistere. Quippe *pervidere* ubique significat, *acute & perspicue & penitus rem videre*: & proinde inexcusabile prorsus & intolerabile hic esset cacozelon. Neque enim quicquam proficit cum *Oxymoro* suo Dacerius: quasi vero magnam rem faceret, qui Oxymoron & Enallagen & cetera Grammaticorum emplastra quibuscumque ulceribus adhiberet. Equidem potius sic reponerem,

Cum tua TU *videas oculis mala lippus inunctis*:

& pronomen illud dicerem a voce praecedente absorptum esse: posteaque ad versum supplendum *pervideas*, *praevideas*, *provideas* pro vario librariorum ingenio conficta esse.

Ceterum pro *mala* Cruquii aliquot codices *male*; & sic *in bonis exemplaribus legi* a Mureto didicit Hercules Ciofanus, ad Ovidii Metam. p. 80. Ergo totus locus ad hunc modum constituendus est:

Cum tua PRAEVIDEAS *oculis* MALE *lippus inunctis*,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

ubi *tua vitia* subaudiendum est ex altero orationis membro *in amicorum vitiis*. Neque aliter olim legisse videtur Acron Scholiastes: *Ordo*: ait, *Cum tua oculis inunctis lippus videas, id est, cum tua vitia cernas quasi caecus.* Ita exemplar scriptum, & editio Veneta 1490: male autem Fabricius edidit, *Cum tua mala oculis — pervideas.* Eleganter vero *male lippus*, i. e. admodum & valde lippus, ut alibi *male salsus*, *male parvus*, *male raucus*. *Mala* autem pro *male* passim a Librariis poni, docebit te praestantissimus N. Heinsius ad Ovid. Fast. II, 170.

v. 29. MINUS APTUS ACUTIS NARIBUS HORUM HOMINUM] Quid hic sibi velint *minus aptus naribus acutis*, non adeo liquidum est. Scholiastae veteres sic explicant: *paullo iracundior est, ut non possit deridentium urbanitatem sustinere.* Neque ab hoc recedunt interpretes novi. Et profecto interpretationem hanc sententia postulare videtur; verba tamen ipsa aut invita eam recipiunt, aut plane recusant. Nam *acutae nares*, non sannae & derisionis, sed morbi & mortis jam instantis signum. Lucretius in descriptione pestis, VI, 1191.

item ad supremum denique tempus
Compressae nares, nasi primoris acumen
Tenue, *cavati oculi*, *cava tempora*, *frigida pellis*.

Cornelius Celsus II, 6. *Ad ultima vero, jam ventum esse testantur,* NARES ACUTAE, *collapsa tempora, oculi concavi.* Quae ex Hippocrate

Digitized by Google

pocrate versa sunt, Prognost. c. 2. ΡΙΣ ΟΞΕΙΑ, ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, κρόταφοι ξυμπεπτωκότες. Ergo fieri potest, ut librariorum hic error sit, qui *acutis* pro *aduncis* scripserint;

Iracundior est paullo: minus aptus ADUNCIS
Naribus horum hominum:

ut ipse alibi, Serm. I, 6.

Ut plerique solent, naso *suspendis* adunco
Ignotos.

& Persius, perpetuus nostri imitator Sat. I, 54.

rides, nit, & nimis UNCIS
NARIBUS *indulges.*

Cui suspicioni favet, quod codex Collegii Trinitatis in posteriore loco pro *aduncо* habet *acuto*. Alioqui *acutae nares* ingeniosum & sagacem denotare possunt; ut contra *obesa naris* stolidum & nihil sentientem, Epod. XII. Verum hoc ad auctoris mentem nihil facere videtur. Possunt & iracundum significare; nam ut Aristoteles, in Physiognomonicis c. 6. Οἱ τὴν ῥῖνα ἄκρην ὀξεῖαν ἔχοντες, δυσόργητοι; *Quibus nares acutae sunt, ad iram sunt proniores.* Quo sensu & illud Ausonii videtur accipiendum, Praefatione ad Griphum: *Neque me fallit fore aliquem, qui hunc jocum* acutis naribus *& caperata fronte condemnet.* Sed & iracundiae notio huic Flacci loco minus apta est: & erit fortasse qui *acutis naribus* tam apud Flaccum, quam apud Ausonium pro derisoribus & sannionibus poni existimet. Atque hoc quidem in medio relinquo. Ceterum non Virgilium hic describit & χαρακτηρίζει, ut & olim & hodie a multis creditum est, sed seipsum. Primo enim ipse se compellat,

Cum tua praevideas oculis MALE LIPPUS
inunctis.

Lippus enim fuit Horatius; vide nos ad Serm. I, 1. v. 120. Sequitur mox:

Evenit, inquirant vitia *ut* tua *rursus & illi.*

id est, tua, o Flacce, vitia: & te absentem his verbis carpent: IRACUNDIOR EST PAULLO. Hoc unum ex Horatii vitiis, ut ipse de se Serm. II, 3. v. 323.

Non dico horrendam rabiem.

& Epist. I, 20.

Irasci facilem, *tamen ut placabilis essem.*

RUSTICIUS TONSO. Hoc etiam ad Horatium pertinet: ut Epist. I, 1.

Si curatus inaequali tonsore *capillos*
Occurri,—
—& prave sectum *stomacharis ob unguem.*

TOGA DEFLUIT; & hoc quoque ibidem de se fatetur: *si forte subucula pexae*
Trita subest tunicae, vel si toga dissidet *impar.*

Mox virtutes quasdam addit, ut cum vitiis compensentur: & hae quoque virtutes ad Horatium ipsum referendae sunt. AT EST BONUS, ut Carm. I, 22.

Integer vitae *scelerisque purus.*

& Serm. II, 1. v. 85. *si quis*
Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse.

& saepe alibi. AT TIBI AMICUS. Serm. I, 6. v. 70. *purus & insons,*
Ut me collaudem, si & vivo carus amicis.

vide & I, 4. v. 101. AT INGENIUM INGENS. Carm. II, 18.

At fides & ingeni
Benigna vena est.

Sed haec obiter, & praeter morem nostrum; qui emendationes scribimus, non commentarium. Quis enim esset modus? Doluit tamen locum hunc tam prave ab interpretibus acceptum esse, & in transitu eos tribus saltem verbis admonendos esse censuimus.

v. 34. SUB CORPORE] Lambini aliquot codices & Pulmanni Torrentiique,

at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub pectore.

atque ita quattuor ex nostris. Quod miror equidem Lambinum non improbasse, & Torrentium amplius etiam vulgato praetulisse. Nihil enim absurdius: & perinde esset ac *ingens ingenium sub inculto hoc ingenio*, ut Epist. I, 3.

non tibi parvum
Ingenium, *non* incultum *est, nec turpiter hirtum.*

Pectus enim ipsum ingenium notat: ut Epist. I, 2.

Non tu corpus eras sine pectore.

i. e. sine mente, sine ingenio. Ovid. Metam. XIII, 290.

Artis opus tantae rudis & sine pectore *miles*
Indueret?

Recte ergo cum melioribus membranis & priscis editionibus *sub inculto corpore*: ut ad *rusticiorem tonsuram, togam defluentem, & laxos calceos* referatur. Porro saepius haec duo vocabula a Librariis permutantur; ut apud Virgil. Aen. VII, 349.

Ille inter vestis & levia pectora *labsus:*

Pieriani aliquot codices *corpora* habuerunt.

v. 40. POLYPUS AGNAE] Si *Agnae* hic legimus; non femineum, ut esse debet, sed virile cognomen erit: ut *Asina, Scrofa, Pica, Panthera, Ovicula, Capella, Vaccula*, etsi ipsa feminini sint generis, virorum tamen sunt cognomenta. Quare legendum cum duobus Torrentii codicibus,

Delectat,

Digitized by Google

Delectat, veluti Balbinum polypus HAGNAE. *Hagna* sive *Hagne* Graecorum est ΑΓΝΗ, *casta*; unde Libertinam fuisse recte colligas. Gruterus, 957, 8. DIS MANIBUS VETTIAE HAGNAE. 820, 4. ULPIAE HAGNE CONIUGI. 955, 5. TURRANIAE HAGNE. 754, 13. NUMITORIA HAGNE. Reinesius, XVI, 16. CLAUDIA HAGNE. XIV, 152. VIDIAE HAGNAE. Marmora Felsinea, p. 378. HAGNAE CONSERVAE MEAE.

v. 47. ILLUM BALBUTIT SCAURUM] Locus elegantissimus; in quo tamen interpretes, dum nimium ingeniosi esse volunt, nubes & inania nobis venditant:

strabonem
Appellat Paetum pater; & Pullum, male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus: hunc Varum, distortis cruribus; illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.

Paetus, Pullus, Varus, Scaurus cognomina sunt, ut recte vidit disertissimus Rutgersius, a formae vitiis pueris imposita; ita tamen ut ἀποφορισμῷ quodam vitia illa extenuentur. Sic qui strabis & distortis oculis est, non *strabo* a parentibus, sed *Paetus* vocatur; quod in cognatis oculorum vitiis multo levissimum est, & Veneri ipsi assignatur. Appositе Ovidius Art. Amat. 659.

Nominibus mollire licet mala, fusca vocetur,
Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit.
Si paeta est, Veneri similis; si flava, Minervae:
Sit gracilis, macie quae male viva sua est.

ubi versum tertium ex vetustis codicibus, qui *Si crasia est v. s. si parva, Minervae,* exhibent, sic refingit sagacissimus Nic. Heinsius;

Si qua straba *est, Veneri similis; si* rava, *Minervae.*

Optime ad sententiam; nisi quod versus paullo scabrior sit, quam ut Ovidianus esse videatur. Nos levi emendatione sic veram poëtae manum praestabimus;

Si straba, *sit Veneri similis; si rava, Minervae.*

hoc est, *si straba est, molliore nomine vocetur Paeta:* plane ut hic Horatius. Ceterum *Pullus* cognomen notat *parvulum*, & est nani & pumilionis ἀποφορισικόν. *L. Junius Pullus* in Fastis occurrit A. U. C. 504. quod observavit Rutgersius; cui adde *L. Numitorium Pullum* apud Ciceronem De Invent. II. 34. quem alibi *Pullum Numitorem* vocat De Finibus, V, 22. Male itaque D. Heinsius *Putum* hic reponit. Porro idem Rutgersius magno apparatu conjecturam suam stabilire conatur, qua versum sequentem sic interpolat,

Sisyphus; hunc Varum, distortis cruribus;
HILLUM,

Balbutit; Scaurum, pravis fultum male talis.

ubi sic verba explicat, particula si ex prioribus repetita: *Pullum vocat pater, si filius est male parvus; Hillum vocat, si balbutit.* Et mirifice quidem hic sibi placuit vir celeberrimus: sed numquam vidi doctiorem operam infelicius collocatam. *Hillum*, ait, balborum more qui R literam per L efferunt, posuit pro *Hirrum.* Unde vero *Hirrus* est balbutientis pueri cognomen, ut Pullus nani, & Paetus strabonis? Imo ait, C. Lucium Hirrum hic tangit, qui balbus fuit, ut ex joco Ciceronis conjicere licet, Epist. Fam. II, 10. *De te, quia quod sperabam; de Hillo (balbus enim sum) quod non putaram.* Lubrica sane & periculosa ratio, quae unam conjecturam super alia struit: neque enim ulli scripti codices *de Hillo* habent, sed *de nihilo.* Sed esto: cur idcirco ipsum Hirrum balbum fuisse credemus? Tota, inquit, joci elegantia jacet, nisi hoc statuamus. Mihi alia longe sententia est. Ut enim, qui R literam pronunciare non poterant, Balbi & Blaesi cognominabantur; ita (ut mihi videtur) ab *hirriendo* Hirri vocabantur, qui R nimis crebro & nimis duriter efferebant: quales olim fuerunt Eretrienses & Lacedaemonii, qui σκληροτῆρ, & πὼρ βασιλέαρ, πὼρ ῥήτραρ, & similia pronunciabant, pro sigma identidem rho ponentes. *Hirrus* itaque & *Balbus* contraria linguae vitia notant: unde Cicero, utpote Hirro competitor & inimicus, Balbum se esse jocose dicit, atque adeo pro *Hirro Hillum* pronunciat. Sed utcumque hoc fuerit; illud quaeso quam incredibile est, Hirrum illum, jam ut veriimile est mortuum, ab Horatio hic sugillari. Scripsit enim Epistolam eam Cicero A. U. C. 702. Horatio tum puero quindecenni. Quid autem? nulline tum balbi in vivis erant Romae, quos honestius nominare poterat, si homo lippus balbum deridere gestiret? Quid quod non Horatii haec verba sunt, sed parentum: quos mollioribus ait nominibus filiorum vitia solari & excusare solitos. Atqui, si filium balbutientem facetus pater Hillum cognominet, non tam Hirrum, quam Filium ipsum deridendum propinet. Valeat itaque conjectura, sententiae auctoris prorsus contraria: neque vero, si cetera omnia recte procederent, constructio ipsa stare posset. *Hillum, balbutit:* i. e. *si balbutit.* Nego

Digitized by Google

vero *si* illud subintelligi hic posse: repeti enim oportuit; nisi ipsum quoque Flaccum data opera balbutire & incondite loqui existimemus. Atque haec quidem contra Rutgersium paullo accuratius, propter summam viri famam & auctoritatem. Alioqui nodum in scirpo quaerat, qui tam clara & perspicua sollicitare velit,

hunc varum, distortis cruribus; illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.

illum enim ad *hunc* ex opposito refertur, & erudite Scholiastae, *Suaviter*, aiunt, *dixit* Balbutit Scaurum: *sic enim blandientes infantibus, infingere* (lege, *infringere*) *linguam solent, ut quasi eos imitentur.* Quid amplius desideres? Celeberrimus tamen Dacerius, ut balborum vitium urbanius & salsius exprimatur, sic emendandum esse pronunciat,

Balbutit SCAULUM.

ubi miror, cur non itidem VALUM pro *Varum* reposuerit; quippe verbum *balbutit* utrique commune est. Sed frustratur se & lectorem vir cetera ingeniosus. Neque enim, si Aristophanes sic Alcibiadem introducit blaese loquentem, in Vespis p. 312.

Ολᾷς, Θέωλος τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει,

ut in voce κόλακος pro κόρακος jocum captaret: idcirco & Horatius hoc blaese efferre debuit, ubi nulla similis joci materia est: quid enim significat *Scaulus?* In Aristophane quidem urbanum erat: in nostro putidum foret & insulsum. Neque vero *balbus*, & *balbutire* unum idemque sunt ac Graeca illa τραυλὸς & τραυλίζειν; id quod satis indicat Lucretii locus, IV, 1157. ubi amatores ridet, quod Venerum suarum vitia mollioribus nominibus occulere studeant,

Balba, *loqui non quit*, τραυλίζει: *muta, pudens est.*

At flagrans, odiosa, loquacula, Λαμπάδιον *fit.*

Balbus itaque gravius vitium Latine notat, quam Graece τραυλός. Tamen ut interdum eadem esse fateamur: nihil tamen in recepta lectione movendum erit. Iterum Lucretius, & suaviſſime quidem, de primo hominum saeculo, V, v. 1021. [*clum*;

Et pueros commendarunt, muliebreque saevo
Vocibus & gestu cum balbe significarent,
Imbecillorum esse aequum misereri omnium.

An & hic blaese reponet Dacerius,

Imbecillolum esse aequum miselellel omnium?

Quid, cum Cicero de Divinatione I, 3. *Reliqui*, ait, *omnes praeter Epicurum*, balbutientem *de natura Deorum, divinationem probaverunt*; an & hic quoque leget, *Cum natulo deolum?* Non equidem memini hoc inter Jocos Ceronis a veteribus relatum esse.

v. 57. MULTUM DEMISSUS HOMO. ILLI] Hic locus quasi scopulus est, Interpretum omnium naufragiis infamis. Videamus, si nos salvi eum praetervehi possumus.

At nos virtutes ipsas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare. probus quis
Nobiscum vivit; multum demissus homo: illi
Tardo cognomen pingui damus.

hoc est, ex communi interpretum sententia, Si *probus* quis est, nos per contumeliam *demissum* vocamus; si *tardus* est, *pinguem*. In eo tantum a veteribus Novi discedunt, quod illi inversis verbis enarrant, Si *pinguis* est, *tardum* vocamus: hi contra, si *tardus* est, *pinguem*. quia dubium est scilicet, utrum utro verbum sit contumeliosius. Mirum vero est, nec hos neque illos diligentius attendisse animos ad verba auctoris. *Virtutes*, inquit, *ipsas invertimus*; *Cautum* hominum & prudentem, fictum & astutum vocamus; *simplicem*, communi sensu carere dicimus: *probum*, alio nomine traducimus. Vides opinor *virtutes* hic poni, *prudentiam, simplicitatem, probitatem*; quas sub cognatorum vitiorum nominibus deprimi & infuscari solitas auctor indignatur. Jam autem, cum exponunt Interpretes, *si tardus est, pinguem vocamus*, vel vicissim, *si pinguis est, tardum*: scire velim, utrum ex his nomen pro *virtute* hic haberi censeant? *tarditatemne* ingenii, an *pinguitudinem?* Quid jam haesitant, & mussant? Dispudet sane tot viros doctrina & ingenio excellentes tam neglegenter hic versatos esse; neque enim ipsos *tardorum pinguiumve* nomen hic sibi quaesiviſſe fas nobis est dicere. Sine dubio & *tardi* & *pinguis* cognomina contumeliae loco hic posita sunt: ut Terentius Eunucho V, 8.

Fatuus est, insulsus, tardus, *stertit noctesque & dies.*

ubi Donatus, *Intellectu tardos vocamus, qui stulti sunt. Pingue* autem *ingenium* pro *stupido* Noster & Ovidius dixerunt. Quaerendae itaque jam sunt, ex mente auctoris, virtutes illae, quas aegre ille fert sub horum vitiorum larva traduci & derideri. Neque vero diu indagandae sunt: sic enim in promptu est vera hujus loci lectio:

probus quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo ILLE;
Tardo AC *cognomen pingui damus.*

hoc est, si *probus* quis & *demissus* nobiscum vivit, *tardum* ac *pinguem* nominamus. *Ille* autem

Digitized by Google

autem extat in Blandinio Cruquii omnium vetustissimo: *Ac* ex conjectura addidimus, quod facile per Librarios elidi potuit, cum propter orationis hyperbaton, tum ob vocalem C proxime sequentem. Jam vero, quod ad sententiam attinet, *probus & demissus* propinquas & cognatas virtutes notant, ideoque hic conjunguntur, ut apud Ciceronem de Oratore II. c. 43. *Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi, signa proferri perutile est: eaque omnia, quae* PROBORUM, DEMISSORUM, *non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant.* Iterum Cicero pro Murena c. 40. *Sit apud vos modestiae locus, sit* demissis hominibus *perfugium, sit auxilium pudori.* Ex his facile intelligis, *Probum, demissum, mansuetum, modestum, pudentem,* virtutes inter se affines significare; ut apud Graecos, ἐπιεικῆ, πρᾶον, μέτριον, χρηστόν. Quid itaque hic faciunt, qui omnia in pejus interpretantur? nempe ejusmodi hominem, quia *non acer est*, non vehemens & fervidus, pro *tardo & pingui* traducunt: idque *ex more*, ut ait Noster alibi, *cognata vocabula rebus imponentes.* Exigua enim sunt virtutum vitiorumque confinia; & omnino paullum interest inter *non acrem* & *tardum*: facile itaque probitatem qui calumniari vult, *tarditatem* appellat; ut vicissim cum laudare studet, *probitatis* nomen & patrocinium *tarditati* praetexit. Plutarchus vita Artoxerxis p. 1052. Ἦν δέ τις καὶ ΜΕΛΑΗΣΙΣ ἐν τῇ φύσει τοῦ βασιλέως, ΕΠΙΕΙΚΕΙΑ φαινομένη τοῖς πολλοῖς. *Erat autem & Tarditas quaedam in regis indole, quae a multis* Probitas *putabatur.* Quintilianus Instit. VI, 5. *Nam est res animi jacentis, & mollis supra modum frontis; fallitque plerumque, quod* Probitas *vocatur, quae est* Imbecillitas. Recte itaque explicavimus auctoris sententiam: Probus enim & demissus, tamquam tardus & pinguis, facile vituperatur; ut *homo minime malus*, qui idem est ac probus, pro *hebete* ponitur. Et miror equidem Lambinum, qui in priore editione verum ex parte viderat, postea in curis secundis seque & illud deseruisse. Ceterum illud in constructione ambiguum est; utrumne *vivit multum*, an *multum demissus*, inter se conjungenda sint. Ita Cicero, *Vivam tecum multum, Multum uti aliquo, Multum esse cum aliquo:* contra idem, *Vir multum bonus*, & Noster, *Multum facilis, multum celer atque fidelis.* Et posterius quidem placet; ut distinguendum sit,

Nobiscum vivit, multum demissus homo ille.

nobiscum vivit, id est, amicus, sodalis est nobis. Terentius: *Imo sic homo est perpaucorum hominum: imo nullorum arbitror, si* tecum vivit. Martialis: *Nec* tecum *possum* vivere, *nec sine te.* Porro eleganter, *demissus homo* ILLE: Plinius Paneg. c. 30. Nilus *cunctanter alveo sese & languide extulerat, ingentibus quoque tunc quidem* ille *fluminibus conferendus.* Denique synchysis ista sive hyperbaton Horatio familiare est: ut Serm. I, 6. v. 65.

Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura.

& VIII. v. 34. *Serpentes* atque videres
Infernas errare canes.

v. 60. CUM GENUS HOC INTER VITAE VERSETUR] Ita quidem editiones, & nostri codices. Sed veterrimus Cruquii Blandinius, VERSEMUR. Quod, me quidem judice, verius altero & elegantius est. Sententia enim haec universim saeculi mores temporumque conditionem tangit. Neque enim vult *cautum* hunc in pejore vitae genere, quam alios versari; neque huic magis, quam aliis, insidias calumniasque vitandas; sed ejusmodi cautelam & prudentiam in omni vitae genere maxime probandam esse. Adde huc, quod proclive fuit librariis pro *versemur*, ob constructionis facilitatem, substituere *versetur*: contra, non item.

v. 63. SIMPLICIOR QUIS AT EST] Primus Lambinus AT reposuit, codices suos, ut ait, secutus. Ego vero & in priscis editionibus & scriptis, quos viderim, omnibus repperi,

Simplicior quis ET *est.*

Atque idem de suis testantur Cruquius, Pulmannus, & Torrentius. In solo Reginensi *at* habetur pro varia lectione, a manu recenti. Sed nihil causae est, ut membranas veteres hic deseramus. Nam ideo, ut videtur, mutarunt; quia haec omnia per interrogationem efferri voluerunt. Quod non modo non necesse est, sed etiam sententiam aliquanto deteriorem facit.

v. 65. UT FORTE LEGENTEM AUT TACITUM IMPELLAT] Haec quidem omnium membranarum lectio est; atque ita editi vetusti. Nullo tamen modo consistere hanc posse, judicavit Lambinus. Quippe *impellere*, cum ad corpus refertur, est ictu quodam urgere, trudere, percellere: cum ad animum, suadere, movere, incitare: quorum utrumvis a loci hujus sensu alienum credidit. Quare idem reposuit APPELLET, ingenioseque quidem &

Digitized by Google

docte: in quo ab uno codice ſcripto ſe adjutum narrat, utpote qui habuerit *appellat*. De codice autem (non enim nominat) fides penes auctorem eſto: ceterum valde favet huic correctioni Acron Scholiaſtes, cujus verba ſunt; *Si quis libere & ſine obſervatione temporis* appellaverit *amicum ſuum — ſiquis eſt ſimplex, ut legentem, aut cogitantem moleſtus* interpellet; *ſtatim eum carere communi ſenſu dicimus.* Recte ergo & appoſite ad ſententiam Lambinus. Vide tamen, ſiquid & nos afferamus, quod aut melius aut certe non deterius eſſe videatur. Lego itaque,

ut forte legentem
Aut tacitum IMPEDIAT, *quovis ſermone moleſtus.*

Enimvero hoc commodi habet noſtra conjectura, quod a recepta lectione minimum abſcedit: neque vero precario admitti poſtulat, ſed ſuo jure & magnis auctoribus ſe tuetur. Chariſius lib. v. p. 261. ubi *idiomata accuſativi caſus* recenſet, IMPEDIO LEGENTEM, exempli loco profert. Id autem ex hoc Flacci loco deſumtum eſſe videatur,

ut forte LEGENTEM
Aut tacitum IMPEDIAT, *quovis ſermone moleſtus*:

ut quod ibidem adducit, COMMEIO LECTUM, ex hac ipſa Ecloga petitum eſt v. 90.

COMMINXIT LECTUM *potus, menſave catinum* &c.

Adde huic Diomedem p. 297. qui ſimiliter *incuſativi idiomata* memorans, IMPEDIO LECTOREM, habet. *Impedit* vero *legentem* aut *meditantem*, qui quovis ſermone moleſtus interpellat & obturbat. Ceterum penes lectorem ſit judicium, cuinam ex his lectionibus priores partes deferat. Illud tantum moneo; ſi cui ab exemplaribus ſcriptis diſcedere hic religio eſt, is, ſi me audiet, τὸ *impellat* ſic explicabit; ut *ſimplicior* ille, qui hic deſcribitur, legentem ſiquem aut meditantem offenderit, manu vel cubito prius feriat & *impellat*, & deinde ſic excitatum verbis appellet: qui hodie ruſticiorum & agreſtiorum hominum mos eſt. Porro quid ſibi hic velit *ſenſus communis*, non ſatis viderunt Interpretes: varie enim apud varios accipitur. Vide Ciceronem pro Planco c. 13. & 14. de Oratore I, 3. Juvenalem III, 73: Senecam Epiſt. 5. & 105; Phaedrum Fab. VIII: Lucretium, I, 422: Quintilianum Inſtit. I, 2: Arnobium IV. p. 160. & 166. Editionis Heraldi: Gellium XII, 12. ubi ἀκοινονοήτους *communi ſenſu carentes* verti debet. Adi & Marcum Antoninum I, 16; & ibi doctiſſimum Gatakerum, ubi κοινονημοσύνην, enarrat. Certe haec omnia loca, in quibus *ſenſus communis* occurrit, non ſunt uno & communi ſenſu explicanda. Iſte homo ab Horatio hic denotatur; qui cetera bono ſenſu praeditus, tempus, locum, perſonas obſervare & diſtinguere neſcit. Seneca de Beneficiis I, 12. *Sit in beneficio* ſenſus communis: *tempus, locum, perſonas obſervet: quia momentis quaedam grata & ingrata ſunt.* Cicero de Oratore II, 16. *Quae verſantur in conſuetudine vitae, in ratione reipublicae, in hac ſocietate civili,* in ſenſu hominum communi, *in natura, in moribus, comprehendenda eſſe oratori jure.* Communi igitur ſenſu ideo hic carere dicitur, quia legentem aut tacitum, alieno cum maxime tempore, ſermone ſuo obturbat. Quales & illi, quos Sermone proximo v. 76. ſugillat;

inanes
Hoc juvat, haud illud quaerentes, num ſine ſenſu,

Tempore *num faciant* alieno. hoc eſt, *ſine ſenſu communi*, quia *tempore alieno.*

v. 74. IGNOSCAT VERRUCIS ILLIUS] Ita editiones credo omnes poſt Aldum exhibuerunt. At vetuſtiores Venetae duae cum Loſcheriana, IGNOSCET; quod Pulmannus in ſuis omnibus, Berſmannus in duobus reperit. Ceteri tacent. At quam bona fide, ex meis quoque diſcere potes; quorum melior majorque pars *ignoſcet* clare praeferunt. Atque id altero lenius & urbanius. *Civile* enim magis eſt, Futuris quam Imperativis praecipere, idque Horatio ſollemne: ut Epiſt. I, 18. v. 37.

Arcanum neq; tu ſcrutaberis *ullius umquam:*
Commiſſumque teges, *& vino tortus & ira:*
Nec tua laudabis *ſtudia, aut aliena* reprendes.

Sic alibi paſſim. Ut Arte Poët. 385.

Tu nihil invita dices facieſve *Minerva.*

v. 82. LABEONE INSANIOR INTER SANOS DICATUR] Porphyrio ad locum: *M. Antiſtius Labeo, praetorius, juris etiam peritus, memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter adverſus Caeſarem dixiſſe & feciſſe dicitur: propter quod nunc Horatius adulans Auguſto inſanum eum dixit.* Quibus gemina habet Acron; & eandem cantilenam iterant interpretes novi. Ego vero, ſi uſquam alias, judicium hic in iis deſidero. Videamus enim verba ipſa:

Siquis eum ſervum, patinam qui tollere juſſus
Semeſos piſces tepidumque ligurrieris jus,

In

Digitized by Google

In cruce suffigat, Labeone insanior inter Sanos dicatur: hoc est, ab omnibus *sanis* Labeone *insanior* habeatur. Perperam enim Dacerius accipit, sic verba construens; *Cum insanior sit Labeone, illéne inter sanos dicatur, sive numeretur?* Quo quidem nihil infelicius dici potuit. Ergo hoc pro comperto habendum est, *Labeonem* illum, quicumque fuerit, jam tum priusquam haec scriberet Horatius, à sanis hominibus pro insano fuisse habitum. Videant igitur, qui Antistium Labeonem inter veteres Jurisconsultos facile principem a Flacco hic traduci existimant. Quid enim? illéne ut virum Senatorem, dignitate, opibus, sapientiae gloria, & gratia apud cives, florentissimum, multis denique rebus sese meliorem, tam vecordi contumelia laceraret? Esto enim, ut in gratiam Augusti laedere eum gestiret: quo tamen ore, non sibi solum, sed *omnibus sanis* insanum eum videri, dicere potuit? Hoc certe convitio, sibi ipse cognomen insani & furiosi merito invenisset. Audiamus enim Tacitum Annal. III, 75. *Consulatum Capitoni Ateio acceleraverat Augustus, ut* Labeonem Antistium *iisdem artibus* (eloquentiae & jurisprudentiae) *praecellentem dignatione ejus magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit. Sed* Labeo *incorrupta libertate, & ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur*, Illi, *quod praeturam intra sortitus, commendatio ex injuria: huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.* Idem est, qui toties quasi juris quoddam oraculum, in Digestis laudatur. Pomponius I. 2. 47. *Post hunc maximae auctoritatis fuerunt Ateius Capito, &* Antistius Labeo, *qui omnes hos audivit: institutus est autem a Trebatio. Ex his Ateius Consul fuit*: Labeo *noluit, cum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, honorem suscipere. Sed plurimum studiis operam dedit — itaque reliquit quadringenta volumina; ex quibus plurima inter manus versantur* — Labeo *ingenii qualitate, & fiducia doctrinae, qui & ceteris operis sapientiae operam dederat, plurima innovare instituit.* Justinianus Instit. II, 25. de Codicillorum usu & origine disserens, *Post quae tempora*, inquit, *cum & Labeo codicillos fecisset; jam nemini dubium erat, quin codicilli jure optimo admitterentur.* Quid jam videtur? An qui *pacis togaeque decus* & suo aevo & apud posteros est habitus, idem tum mente captus vulgo habebatur? Sed gratificatur, aiunt, Flaccus Augusto, cui Labeo propter nimiam libertatem offensus erat. Quinam *gratificatur?* An credibile est, tam foeda & absurda adulatione aut Augustum capi potuisse, aut Flaccum captare ausum esse? Qui autem *offensus?* Nempe (ut ejus aemulus Ateius Capito apud Gellium XIII, 12.) *agitabat hominem libertas quaedam nimia & vecors*; tamquam, *Divo Augusto jam principe & rempublicam obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod* jussum *sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset.* Ita obiter corrigendum; illud ex codice Regio Lutetiae omnium optimo; hoc ex conjectura: vulgo edunt *usque eo ut*, & *justum*. Et *Libertatis* quidem ejus exemplum afferunt Suetonius Augusto c. 54. & Dion l. LIII. Quam tamen negant uterque fraudi aut detrimento ei fuisse apud Augustum; apud cives autem maximo honori fuisse, jam ex Tacito audivimus. Nam & Praetura & proconsulatu provinciae Narbonensis functus est; & ab ipso Augusto inter Triginta nominatus est, quorum arbitratu Senatus legeretur. Enimvero qui tali viro cognomen *Insano* posuerint, ii ipsi multo magis furere & desipere videantur. Quamobrem, si receptam sequimur lectionem, alius opinor intelligendus erit Labeo, cujus hodie licet ignoti famosa tum fuerit insania. Frequens enim Labeonum cognomen, & in nullis non familiis locum habuit. Fabius Labeo, Atinius Labeo, Asconius Labeo. Segutius Labeo, Cethegus Labeo, Pomponius Labeo, aliique praeter Antistium, apud auctores occurrunt. Aut si conjecturae locus hic concedatur, equidem levissima mutatione pro *Labeone Labienum* reposuerim: ut vera forte lectio fuerit,

In cruce suffigat; LABIENO *insanior inter Sanos dicatur.*

Quis autem & qualis Labienus iste fuerit, quóque jure insani nomen hic ferre possit, ex Seneca cognosces, Praefat. ad lib. V. Controversiarum: *De* LABIENO *interrogatis? — magnus orator, qui per multa impedimenta elatus, ad famam ingenii confitentibus magis hominibus pervenerat, quam volentibus. Summa egestas erat, summa infamia, summum odium. — Libertas tanta, ut libertatis nomen excederet; &, quia passim homines ordinesque laniaret,* RABIENUS *vocaretur. Animus per vitia ingens, & ad similitudinem ingenii sui violentus; & qui Pompeianos spiritus nondum in tanta pace posuisset. In hunc primum excogitata est nova poena. Effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur.* Res

Res nova & insueta, supplicia de studiis sumi.— Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit; sed in monumenta se majorum suorum ferri jussit, atque ita includi. Veritus scilicet, ne ignis, qui nomini suo subjectus erat, corpori negaretur; non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit. Memini aliquando cum recitaret historiam, magnam partem convolvisse, & dixisse: Haec quae transeo, post mortem meam legentur. Quanta in illis libertas fuit, quam etiam Labienus extimuit? Cassii Severi, hominis Labieno junctissimi, belle dicta res ferebatur. Illo tempore, quo libri Labieni ex SC. urebantur: Nunc me, inquit, vivum uri oportet, qui illos edidici. Haec de Labieno Seneca: ex quibus illud opinor constat, nullum potius hominem, quam hunc, Insaniae cognomine hic taxari a Flacco nostro debuisse. Tempus enim convenit: cum Labienus sub Augusto vixerit & decesserit. Idem vulgo *Rabienus* ab insania & rabie vocitatus: idem in *summo odio* tum apud Cives, tum apud Principem: idem *Cassio Severo junctissimus*, quem Horatius virulentissimis Iambis laceravit, Epod. VI. Huc accedit, quod exemplum hic a Nostro ponitur, non cujusvis mente capti & delirantis, verum homiuis prae iracundia & rabie insanientis;

Si quis eum servum — In cruce suffigat:

quo nullum aptius pertinet, quam hoc Labieni, qui eo ipso furoris genere Rabieni nomen est consecutus. Qualis & ille *Domitius* erat, *cui*, ut narrat Gellius XVIII, 7. *cognomentum* INSANO *factum est, quoniam erat natura intractabilior & morosior.* Haec quidem omnia me facile inducunt, ut de hoc, & non alio, locutum esse Flaccum existimem: saltem absit, ut Antistius ille Labeo, *flos delibatus populi, suadaeque medulla*, ab homine quoquam, qui ipse sanus sit, pro insano habeatur.

v. 86. FUGIS, UT DRUSONEM DEBITOR AERIS] Ita post Aldum plerique ediderunt; cum prima Veneta *Rufonem*, altera *Rissonem*, Loscheriana *Ruffonem* exhibeat. Lege vero RUSONEM, quod membranae fere omnes tam nostrae, quam aliorum, agnoscunt. Atque ita Acron & MStus, & Venetiis olim editus. *Ruso* satis frequens apud Romanos cognomen. Gruterus 64. 9. P. CALVISIO RUSONE COS. 302, I. M. OCCIUS RUSO. 464. 9. RUSP. ASTROPHILI RUSON. Martialis V, 28.

Pietate fratres Curtios licet vincas,
Probitate Macros, comitate Rusones.

Cn. Octavius Ruso, apud Sallustium in Jugurth. c. 104. *Abudius Ruso.* Tacitus Annal. VI, 30. *Cremutius Ruso*, Plin. Epist. VI, 23. vide & IX, 19. In tribus quidem nostris Magdalenensi, Petrensi, & Batteliano *Drusonem* clare habetur: sed nusquam alibi illud verbum legisse meminimus. Ceterum in hujus loci interpunctione non leviter ab interpretibus peccatum est:

paullum deliquit amicus,
Quod nisi concedas, habeare insuavis; acerbus
Odisti, & fugis, ut Rusonem debitor aeris.

Sic, inquam, distinguendum: *Habeare insuavis, nisi concesseris: at tu acerbus odisti.* At vulgo ἀνόητως conjungunt, *habeare insuavis, acerbus:* quod quanto vilius deteriusque sit nostro, nihil opus est dicere. Non concedere & condonare, *insuavis* est; at odisse & fugere, *acerbi.* Porro & illud vide, annon & vetere scribendi ratione error irrepserit, *quod* pro *quoi*:

paullum deliquit amicus,
QUOI *nisi concedas, habeare insuavis.*

id est, *cui delicto*: ut Ecloga proxima v. 140.

hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum, cui *si* concedere *noles.*

& v. 130. *mediocribus, &* quis Ignoscas, *vitiis teneor.*

v. 91. CATILLUM EVANDRI MANIBUS TRITUM] Dissident inter se veteres novique interpretes, de hujus loci explicatione. Hi fere in ea sunt sententia, ut Evander Rex intelligatur, & ideo catillus tum ob vetustatem, tum ob tantum olim possessorem jam pretiosior sit. Favet his imprimis Martialis Epigramma, VIII, 6.

Archetypis vetuli nihil est odiosius Euclii:

ubi Euctus ille gloriatur sua pocula olim fuisse Laomedontis, Lapitharum, Nestoris, Achillis, Didûs:

Hi duo longaevo censentur Nestore fundi:
Pollice *de Pylio* TRITA *columba nitet.*

Verum obstat magis, quod Evander ille antiqua erat paupertate, neque nobilium artificum pocula in supellectile habere potuit. Tum autem *catillus* hic, quia *dejectus* frangebatur, sine dubio fictilis erat: at incredibile est, ut vas fictile ab Evandri usque aetate ad Horatii tempora servari posset integrum & sincerum. Adde, quod figlina opera non *trita* fiunt usu & in manibus habendo; sed metalla tantum. Audiendi ergo jam Veteres Scholiastae, qui Evandrum hunc, non Regem, sed plastem & caelatorem accipiunt: *Qui de personis*, inquiunt, *Horatianis scripserunt, aiunt Evandrum hunc*

Digitized by Google

hunc caelatorem & plaſten ſtatuarum; quem Marcum Antonium ab Athenis Alexandriam tranſtuliſſe; inde inter captivos Romam perductum, multa opera mirabilia feciſſe. Enimvero haec non ſunt temere repudianda: quippe prolata a fidis auctoribus, qui ab aetate Flacci proxime vixerunt. Idem ille videtur, cujus meminit Plinius Hiſt. XXXVI, 5. *Timothei manu Diana Romae eſt in Palatio, Apollinis delubro: cui ſigno caput repoſuit Aulanius Evander.* Et ſententia quidem aptiſſima eſt; ut *catillus* hic ob artificis celebre nomen in majore pretio haberetur. Sed interea quid faciemus illo TRITUM? Nam ea vox minime artificem, ſed poſſeſſorem plane indicat. Membranae quidem noſtrae ſic inter lineas fere enarrant, *Tritum, factum vel fabricatum*: ut annotator Cruquianus, *perfectum, caelatum.* Fruſtra: neque enim quiſquam eo modo locutus. Codex Collegii Trinitatis SCULTUM clare praefert, non *tritum*: ſed ille & aetatis & notae ſequioris eſt. Et ſatis apparet, ex gloſſa quadam hoc irrepſiſſe, quae *tritum* enarraverat *ſculptum.* At codex Regius egregie,

menſave catillum
Evandri manibus TORTUM *dejecit*:

cui voci pro explicatione ſuperne adſcribitur, *tornatum. Tortum* etiam a manu ſecunda exhibet codex alter Magdalenenſis. Et *tortum* quidem interpretamur, *rota figuli fabrefactum.* Statius Silv. V, 9.

Ollares, rogo, non licebat uvas,
Cumano patinas *in orbe* tortas,
Aut unam dare ſyntheſin (quid horres?)
Alborum calicum, atque caccaborum?

hoc eſt, *patinas Cumana rota fictas*: ut Tibullus II, 3.

At tibi laeta trahant Samiae convivia teſtae,
Fictaque Cumana lubrica terra rota.

Martialis in Xeniis, XIII, 25. VAS COCTANORUM.

Haec tibi quae torta *venerunt condita* meta,
Si majora forent coctana, ficus erant:

hoc eſt, *vaſe figlino ad metae formam torto & ficto.*

V. 116. ALIENI FREGERIT HORTI] Acutiſſimus Heinſius ex conjectura, *Forte*, inquit, *legendum,*

Qui teneros flores alieni INFREGERIT *horti.*

Recte, opinor: quod & ipſe ante viſum ejus codicem de meo excogitaram. Syllaba *in* abſorpta eſt ab ultima vocis praecedentis. Ovidius Metam. X, 19.

Ut ſi quis violas, *riguove* papaver *in horto*
Liliaque infringat, *fulvis haerentia virgis.*

Cicero pro Cornelio Balbo c. 6. *Eſt enim hujus ſaeculi labes quaedam & macula, virtutis invidere, velle ipſum* florem *dignitatis* infringere. At *frangere flores* non memini legiſſe: adde, quod verſus ex hac correctione dulcior & numeroſior incedit.

V. 117. DIVUM SACRA LEGERIT] Ita dederunt poſt Aldum Manutium interpretes omnes,

Et qui nocturnus divûm ſacra *legerit:*

neque quiſquam de varia lectione monuit, praeter Berſmannum, qui in omnibus ſuis inverſo ordine reperit.

Et qui nocturnus SACRA DIVUM *legerit.*

Quod & ipſe in plus decem inveni; alterum autem ne in uno quidem. Revocetur igitur antiqua lectio; praeſertim, cum in priſcis etiam editionibus compareat, Venetis binis, & Loſcheriana. Certe nova illa radit vulneratque aures ſua aſperitate: haec ut lenior molliorque eſt, ita ſine dubio verior. Magdalenenſis tamen longius abſcedit,

Et qui ſacra deûm *nocturnus legerit*:

ut Virgilius in Georgicis, II, 473.

Sacra deûm, *ſanctique patres.*

&, IV, 521.

Inter ſacra deûm, *nocturnique orgia Bacchi.*

Verum hoc ornatius paullo eſt, & altius aſſurgit quam pro humilitate Satirae Horatianae. Quare plurium vetuſtiorumque auctoritatem hic ſequemur.

V, 128. SUTOR TAMEN EST SAPIENS. Quo?] Ita quidem editi: ſed lege cum Blandinio Cruquii, & Cod. Collegii Trinitatis:

Nec ſoleas fecit: ſutor tamen eſt ſapiens.
QUI?

Quî, id eſt, quomodo, quo pacto, qua ratione? Terent. Andria V, 4.

Davo ego iſthuc dedam jam negotî. Non poteſt.
Quî? *Quia habet aliud magis ex ſeſe & majus.*

Ita Comici paſſim, & noſter ipſe ſaepius:

Quî *fit, Maecenas, ut nemo* &c.

Sic & *Quî dum* iidem Comici ſenſu eodem. At *Quo* numquam valet *quo pacto*, ſed *quem ad finem*: quod ab hoc loco alienum eſt.

V. 132. CLAUSAQUE TABERNA SUTORERAT] Ita editi quoad unum omnes, & codices noſtri, SUTOR. Sed ſi ſententiae filum ſequaris; occurret tibi credo, quod nonnihil diſplice-

Digitized by Google

diſplicebit. *Sapiens*, inquit, *quamvis ſoleas ſibi non facit, eſt tamen ſutor: plane ut Hermogenes, quamvis tacet, eſt* cantor; *& Alfenus, etiam cum clauſerat tabernam, erat* Sutor. Auſer quaeſo illud *ſutor?* Certe exemplum non ex eodem artificii genere, ſed ex diverſo petendum erat: Sapiens, etſi ſoleas non facit, eſt *ſutor:* ut Cleon, etiam cum exercitui imperaret, *coriarius* erat; ut Agathocles, etiam poſtquam regnaret, *figulus.* Inconcinnum eſt utique, ſi ad idem opificium revertatur oratio: ſaltem concinnius eſſe, ſi per varia diſcurrat, vel invitus fatebere. Quid ergo? Placetne ut amplectamur vetuſtiſſimi omnium Blandinii lectionem? qui *eraſis characteribus*, id eſt opinor a prima manu, teſtante Cruquio, ſic habuit,

ut Alfenus vafer, omni
Abjecto inſtrumento artis, clauſaque taberna
TONSOR *erat:*

Cui accedit Acron MStus Regiae Societatis; *Urbane*, inquit, *ſatis Alfenum Varum Cremonenſem deridet, qui abjecta* TONSTRINA, *quam in municipio ſuo exercuerat, Romam venit: magiſtroque uſus Sulpitio Juriſconſulto, ad tantum pervenit ſcientia, ut & Conſulatum gereret.* Editiones habent, *abjecta ſutrina.* Quin &, notante eodem Cruquio, Alexander ab Alexandro, qui ferme ducentis abhinc annis vixit, Genialium Dierum VI, 23, *Alfenum hunc ab adoleſcentia* TONSTRINAM *exercuiſſe*, aliaque narrat, quae non niſi a ſcripto quodam Acronis vel Porphyrionis codice haberi potuerunt. Certe utrum *ſutor* an *tonſor* fuerit Alfenus, non aliunde jam datur cognoſcere; malim tamen Horatii cauſſa, ut pro *Tonſore* potius habeatur.

V. 133. EST OPIFEX, SIC REX SOLUS.] Etiam hic quoque Aldum male ſecuti ſunt poſteriorum plerique. Quippe editiones Aldo priores, & membranae opinor omnes, hoc ordine verba collocant,

Eſt opifex ſolus, ſic rex.

quae terſior & elegantior lectio eſt.

V. 140. SI QUID PECCAVERO STULTUS] Hoc a priſcis editionibus propagatum in omnibus hodie circumfertur. Perperam: neque enim O finale in verbis temere invenies correptum, apud ejus aevi ſcriptores; & adhuc durius eſt, ubi ſequens vocabulum a duabus mutis conſonantibus inchoatur. Melius itaque Leidenſis noſter, Reginenſis, Franekeranus, cum Lambini & Pulmanni nonnulliis,

Ignoſcent, ſi quid PECCARO *ſtultus, amici.*

Cicero ad Atticum X, 8. *Ab illis eſt periculum, ſi* peccaro: *ab hoc, ſi recte fecero.* Porro V. 142. pro *privatuſque* codex Leidenſis PRIVATIMQUE; & pro varia lectione Reginenſis. Mutatum videtur, ut evitetur cacophonon illud *Privatus, beatus.* Verum nihil eſt opus: nam in pronunciatione non cadit accentus in medias utriuſque ſyllabas, *privátus, beátus*; ſed efferendus eſt verſus in hunc modum;

Privatúſque magis vivam te rege beátus.

ubi latet plane & fallit τὸ ὁμοτέλευτον: ut etiam in illo Virgilii,

Cornua *velátarum obvertimus antennárum.*

ECLOGA IV.

V. 3. QUOD MALUS AUT FUR] Illud *Aut* ex editionibus antiquis profluxit: nos in uno tantum codice invenimus, eoque infimae notae. Ceteri ſummo conſenſu,

Siquis erat dignus deſcribi, quod malus AC *fur.*

Berſmannus quoque in ſuis idem reperit: nec mihi dubium eſt, quamvis notare praetermiſerint, ceteros quoque interpretes ita in ſuis offendiſſe. *Malus* quidem utique non abſolute hic ponitur; *malus*, aut *fur, aut moechus, aut ſicarius*; quaſi & ii ipſi non ſint *mali:* ſed de eodem homine dicitur, *malus ac fur*, hoc eſt, *vafer, aſtutus, malus*, ac proinde *fur.* Terent. Andria IV, 3.

Myſis, nunc opus eſt tua
Mihi ad hanc rem expromta malitia atque
Noſter Serm. I, 1. V. 75. [aſtutia.
Formidare malos fures, *incendia, ſervos.*

V. 14. CRISPINUS MINIMO ME PROVOCAT] Quid ſit *minimo provocare* jam diu in controverſia eſt. Scholiaſtae veteres: *Senſus ex proverbiali conſuetudine ductus. Solemus enim dicere*, Minimo digito provocat, *cum volumus quem intelligi tantum valere minimo digito, quantum alius totis viribus.* Atque his fere aſtipulantur recentiores interpretes, & in Adagiis Eraſmus. Sed neque ullum exemplum afferunt iſtius locutionis, *Minimo digito provocare:* neque ſermonis Latini indoles, aut vita adeo communis pati poterit, ut *digito* per Ellipſin ſubintelligatur. Qualis enim perturbatio

Digitized by Google

turbatio & confusio, si lingua interpres animi tam ambiguos mutilosque sensus efferret? Vidit hoc, opinor, perspicacissimus N. Heinsius; & iccirco tanquam loco mendoso medicinam ferre conatus est, sic ex conjectura reponens,

Crispinus MIMO *me provocat.*

ubi *mimo*, ni fallor, voluit, cum risu & contemtu & gesticulatione mimica. Sed & hoc parum satisfacit; & sine auctore profertur. Aliud porro suppeditat Acron Fabricii (nam in editionibus priscis & codice scripto verba ea desiderantur) *Minimo provocare dicuntur hi, qui in responsione plus ipsi permittant, quam exigant ab adversario.* Quae corrupta sic restitue, *Qui in* SPONSIONE *plus ipsi* PROMITTANT, *quam exigant ab adversario.* Hoc nimirum voluit annotator, Crispinum cum Horatio sponsionem fecisse, Ni plures versus citius componeret: idque inaequali pignore; ut suo si forte talento, Horatii mina. Quo ostendere voluit Crispinus victoriam sibi non dubiam fore, & prope in manibus haberi, si auderet Noster sponsionem suscipere. Et sententia quidem egregia est: sed nullus video, quibus demum tormentis *minimo provocare*, id quod vult annotator, exprimere & significare possit. Tamen is videtur quasi per transennam, veram poetae sententiam vidisse: certum enim est, ex ipsa loquendi formula, de sponsione (quod nostrates dicunt *a Wager*) hic agi. *Crispinus minimo me* PROVOCAT. Ita Valerius Maximus, II, 8, 2. *Valerius* sponsione Lutatium provocavit, *Ni suo ductu Punica classis esset oppressa.* Petronius Tragurii repertus: *Et coepit subinde* dominum suum sponsione provocare, *Ni prasinus proximis Circensibus primam palmam.* Recte opinor haec procedunt: sed quid faciamus illo *minimo?* Deest siquidem pecuniae summa, quam perderet is, qui sponsione vinceretur. Asconius Pedianus in Verrinam de Praetura Urbana p. 100. *Sponsione ipse provocatur ab adversario*, certae pecuniae aut aestimationis, *quam amittat, Ni sua sit haereditas de qua contendit.* Cicero ipse in Verrem de Frumento, c. 58. *P. Scandilius eandem sponsionem de societate fecit: facta est sponsio Sestertium quinque millibus.* Idem in eundem de Suppliciis c. 54. *Cogere eum coepit, Sestertium duobus millibus sponsionem facere cum lictore suo, Ni furtis quaestum faceret.* Vides opinor certam pecuniae summam in sponsionibus exprimi solere. Quid ergo? Levissima vel plane nulla mutatione (totidem enim sunt literarum ductus) novam lectionem ex conjectura affero; atque adeo ipse quavis sponsione lacessere ausim, Ni vera & indubia sit:

Crispinus NUMMO *me provocat.*

Nihil clarius argutiusve dici potest. Oblique enim Crispinum tangit, quasi egenum & mendicum: qui non majore pignore, quam uno nummo, certare voluerit. Servorum enim & pauperculorum erat, nummo sponsiones facere. Plautus Epidico Act. V. Sc. 2. Loquuntur Herus Periphanes, & Epidicus servus:

P. Qua fiducia ausus primum, quae emta est nudius tertius
Filiam meam dicere esse? E. Libuit: ea fiducia.
P. Ain tu? Libuit? E. Aio: vel da pignus, Ni ea sit filia.
P. Quam negat novisse mater? E. Ni ergo matris filia est,
In meum NUMMUM, *in tuum Talentum, pignus da.*

Ita & supra Crispino egestatem exprobravit, Serm. I, 3. v. 138. [*tum*
Ne longum faciam: dum tu quadrante *lava-*
Rex ibis; neque te quisquam stipator ineptum
Praeter Crispinum *sectabitur.*

Porro *minimo* & *nummo* facile a Librariis confundi ostendet locus Suetonii, in Caes. c. 50. *Amplissima praedia ex auctionibus hastae* minimo *addixit*: ubi plures codices *nummo* exhibent, alii *minimo*. Et Torrentius quidem Casaubonusque posterius sequuntur: ego vero, si a tantis viris dissentire licet, prius praetulerim; ut Noster plane Serm. II, 5. in fine,

Dic ex parte tua, seu fundi, sive domi sit
Emtor, gaudentem nummo *te* addicere.

Valerius Max. V, 2, 10. *Ut exequiarum apparatus* sestertio ipsis addicerentur. Quintilianus Instit. XI, 3. *Et cum bona C. Rabirii* uno sestertio addicit, *O meum miserum acerbumque praeconium.* Ubi pro *uno* itidem legendum est *nummo*. Quippe ex Cicerone haec petita sunt, Pro Rabirio Postumo, c. 17. *Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi* nummo sestertio sibi addici *velit? — tua, Postume*, nummo sestertio a me addicuntur? O *meum* &c. Seneca Epist. XCV. *Divitiae, gratia, potentia*, sestertio nummo *aestimanda sunt.* Gruterus CCCVIII, 9. H. S. N. L. DONATIONIS CAUSA MANCIP.... Quae sic extricanda & supplenda sunt, *Sestertio nummo donationis causa mancipio dedit.* Vitruvius I, 4. *Constituitque moenia, & areas divisit*, nummoque sestertio *singulis municipibus mancipio dedit.* Recte ergo apud Suetonium, *nummo*

Digitized by Google

addixit: nam quod ex Digestis Torrentius objicit, XIX, 2, 46. & XLI, 2, 10. *Conductionem, quae uno nummo fit, nullam esse, quia donationis instar inducit*; id levioris momenti est. Certum est enim, temporibus istis emtiones, quae nummo sestertio fierent, ratas firmasque fuisse. Ceterum si quis obstinate apud Flaccum retinere velit, *minimo me provocat*; is saltem non de *digito* accipiet, sed de *vilissimo pignore*, quale sestertius nummus est. Ita Digest. II, 15, 3. *Debitor, cujus pignus creditor distraxit, cum Maevio, qui se legitimum creditoris haeredem esse jactabat*, minimo *transegit*. Sed aut valde fallor, aut qui vel minimum judicii habet, veram Horatii manum in conjectura nostra agnoscet.

V. 15. ACCIPE, SI VIS, ACCIPIAM TABULAS] Ita Editio Veneta princeps, cum majore parte codicum; quod interpretes plerique amplexi sunt. At altera cum Loscheriana, & membranis etiam non paucis,

accipe, si vis,
ACCIPE JAM *tabulas: detur nobis locus, hora,*
Custodes: videamus, uter plus scribere possit.

Cui cur alteram praetulerint, non possum non demirari. Haec enim lectio μιμητικὴ *charactere provocantem ad scribendum Crispinum* pulchre ostendit. *Accipe, jam accipe tabulas.* Ex repetitione enim conjicias, quam acer sit ad contentionem. *Jam nunc*, ait, accipe: jactat enim extemporalem carminis facultatem; & veretur, ne Horatius certamen effugiat, si in aliud tempus differatur. Neque vero opus est illo *Accipiam*: Crispinus enim, utpote provocator, domo secum tabulas extulisse, & in sinu paratas habuisse censendus est. Porro & plures codices habent DENTUR; quia sequebatur credo nominativus pluralis, *custodes*. Sed retinemus DETUR cum editionibus priscis; idque ex stili Horatiani genio; ut videbis in Notis ad Carm. I, 24. v. 8.

V. 18. RARO ET PERPAUCA LOQUENTIS] Dura & coacta oratio, citra ullam necessitatem:

Di bene fecerunt, inepis me *quodque pusilli*
Finxerunt animi, *raro & perpauca* loquentis.

Quamobrem Lambino facile assentior, qui emendavit, LOQUENTEM. ut Aen. II, 79.

nec si miserum *fortuna Sinonem*
Finxit, vanum *etiam* mendacemque *improba* finget.

Multo enim simplicius hoc, atque ideo & verius. Mutarunt autem Librarii, ut *loquentis* ad proximum Nomen *animi* referretur. Id quod nusquam non faciunt, quotiescumque commode possunt: ut Carm. IV, 1.

Largis muneribus riserit aemuli,

largis interpolarunt pro *largi*, propioris substantivi gratia. & III, 9.

Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis;

pro *infestis* & *luctuosus*. Adde quod in codice Jannoctio Michaelis Bruti, & Faerno Lambini LOQUENTES habebatur; in quo verae lectionis servantur vestigia.

V. 20. DUM FERRUM MOLLIAT IGNIS] Vix a me impetrare possum, ut hoc ipso in loco, quo Lucilianos versus ceu scabros & impolitos taxat Noster, in eandem culpam, quam in illo exagitat, ipsum incidisse credam. Vide enim quam durum exit, & quanto laboriosum conatu,

Usque laborantes, dum ferrum molliat *ignis.*

Quanto autem mollius leniusque fluit, literula interjecta? [*ignis.*

Usque laborantes, dum ferrum EMOLLIAT Plinius Hist. XXVI, 14. *Plantago* igni emollita *melior.* Librarii autem particulas passim ejicere solent; ubi sine metri dispendio fieri potest. Codex Leidensis, *ferrum dum molliat ignis*: quod etiam vulgato asperius & horridius est.

V. 25, QUEMVIS MEDIA ERUE TURBA] Illud *erue* ab Aldo opinor in posteriores editiones propagatum est. Priores cum Acrone Scholiaste ELIGE. Quin & scripti plerique *Elige*; *erue* pauciissimi, ut Pulmanni unus, Leidensis noster, & a manu secunda Reginensis. Jam vero in *Elige* nihil est quod quisquam reprehendat: nisi quod ob ipsam facilitatem suspicantur aliqui ex glossa irrepsisse. *Elige, excerpe, quemvis è media turba: ne unus quidem sine vitio est.* At *erue* (quamvis tam pluribus placeat, & inter ipsos ingeniosissimo N. Heinsio) mihi quidem nullo modo admittendum videtur. Quippe *eruere* est, latentem aliquem, aufugientem, invitum, extrahere & in medium proferre. Cicero Epist. Fam. *Profecto tibi illum reperiam, nisi in Dalmatiam aufugerit; & inde tamen aliquando* eruam. Tacitus Histor. III, 83. *Abditos in tabernis, aut siquam in domum perfugerant, erui regulariique expostulant.* Quid ergo? An Horatius *eruere* jubet quemvis media turba, qui occultantem se aut fugam meditantem? cave dixeris; nam absurdissimum quidem foret. Sine dubio enim alterutrum vult, aut obvium

quemvis

quemvis *prehendere*, aut unum quem libet de multis *eligere*. Facile itaque contenti esse possumus & priscarum editionum & plurium Membranarum lectione. Tamen ut, quod sentio, libere dicam, & *erue* & *elige* ex Librariorum officina esse arbitror. Veterrimi enim apud Cruquium Blandinii, & Pulmannianus unus, ERIPE, habent: ex quo, quia non injuria improbatum erat, alii *erue*, alii *elige* confinxisse videantur. Et profecto *eripere turba* esset, distinguere a turba, & supra vulgus tollere: ut Cicero in Bruto c. 97. *Et te* eripias *ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem*, turba *patronorum*. Quod ab auctoris mente toto caelo hic distat. Veruntamen ex mendosa hac lectione melius quid, ut spero, veriusque excudere licebit; quam quae librarii de suo dederunt. Sic enim Horatium scripsisse autumo:

quemvis media ARRIPE *turba.*

Ac primo, pro more veteri scriptum fuit *Mediarripe*; altero *A* extrito, ut non raro in Pandectis Florentinis, & membranis vetustioribus: postea ex priore *R* effinxerunt *E*. *Quemvis media turba arripe*, hoc est, *comprehende, occupa, interroga, excute; invenies aut avarum aut ambitiosum, aut alio aliquo vitio laborantem.* Cicero de Oratore, I, c. 34. *Effudi vobis omnia, quae sentiebam; quae fortasse, quemcumque patrem familias* ARRIPUISSETIS EX ALIQUO CIRCULO, *eadem vobis percunctantibus respondisset.* Seneca Epist. XXII. *Nemo non ita exit e vita, tamquam modo intraverit.* QUEMCUMQUE VIS, OCCUPA, *adolescentem, senem, medium: invenies aeque timidum mortis, aeque inscium vitae.* Idem de Brevitate vitae c. 3. *Libet itaque ex seniorum* TURBA COMPREHENDERE *aliquem: Pervenisse te ad ultimum aetatis humanae videmus; agedum ad computationem aetatem tuam revoca.* Noster Arte Poët. in fine:

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus:
Quem vero ARRIPUIT, *tenet occiditque legendo.*

hoc est, quem ex turba arripuit, nactus est, comprehendit, occupavit.

v. 26. AUT OB AVARITIAM] Ita quidem libri habent. Sed insigni vir ingenio Janus Douza pater sic olim corrigebat ex conjectura,

Aut AB AVARITIA, *aut misera ambitione laborat.*

Postea idem dedit Theodorus Marcilius, tamquam *ex membranis*. Deinde & Daniel Heinsius idem quasi de suo protulit: & post omnes Tanaquillus Faber, uti novum quid & prius inauditum sibi id adscripsit. Et de auctore quidem emendationis lector videbit: illud indignandum plane, quod editores toties admoniti pus merum & scabiem impune adhuc prodire patiantur. Neque enim Latine dicere possis *laborare ob avaritiam*; aut si maxime possis, tum & *miseram ambitionem* eodem casu dicas necesse est. Recte igitur *ab avaritia*; ut Cicero aliique *laborare ex invidia, ex insscitia* &c. At repugnat vir quidam doctissimus, additque *se semper ab Horatii partibus stare.* Quasi vero qui emendare locum tentant, non ipsum *auctorem*, sed *librarios* errantes & cespitantes corrigere se non existiment. Porro Leidensis Petrensisque nostri cum Torrentianis aliquot, MISER, Sed nihil mutamus. Noster Serm. I, 6. v. 129.

Vita solutorum misera ambitione *gravique.*

v. 33. ODERE POETAS] Quod pace omnium codicum dicere liceat; singulari numero hoc efferendum est.

Omnes hi metuunt versus, odere POETAM:

idque verba sequentia ita clare ostendunt; ut ab interpretibus non visum esse merito mireris:

Foenum habet *in cornu; longe fuge: dummodo risum*
Excutiat *sibi, non hic cuiquam* parcet *amico:*
Et quodcumque semel chartis illeverit, *omnes*
Gestiet *a furno redeuntes scire lacuque.*

Interpolarunt boni Librarii; quia non *certum* quendam poëtam, sed *omnes* his hominibus odio esse intelligebant. Quasi vero non & numero singulari omnes comprehenderentur. Noster Epist. I, 18. v. 89.

Oderunt hilarem *tristes*, tristemque *jocosi*,
Sedatum *celeres*, agilem gnavumque *remissi*:
Potores bibuli media de luce Falerni
Oderunt porrecta negantem *pocula.*

v. 39. DEDERIM QUIBUS ESSE POETAS] Etiam hic invitis licet codicibus repone:

Primo ego me illorum, dederim quibus esse POETIS.

ita infra Serm. I, 6. v. 25. *quo tibi, Tilli,*
Sumere depositum clavum, fierique tribuno:

ubi Acron Scholiastes: *Fieri tribuno, figurate per dativum: ut supra, Dederim quibus esse* POETIS. Quid videtur? Nonne monstri simile est, lectionem hanc tam diu in propatulo fuisse, neque a quoquam interpretum animadversam? Atqui & notissima est bonis scriptoribus locutio, & Nostro perquam familiaris: ut Serm. I, 1. v. 19.

Quid statis? nolint. Atqui licet esse beatis.

& I, 2. v. 50, *quaque modeſte*
Munifico *eſſe licet.*
& Art. Poët. v. 372. mediocribus *eſſe poëtis*
Non homines, non di, non conceſſere columnae.
Neque vero nimium mireris univerſos codices in mendo hic conſentire: nam & *tribunum, munificum* pars eorum major, accuſativos pro dativis, ponunt. Ceterum, poſtquam haec commentatus eſſem, animadverti accuratiſſimum N. Heinſium & in libri ſui ora, & in Notis ad Naſonis Heroid. XIV. v. 64. veram lectionem ante nos prodidiſſe.

v. 41. NEQUE SI QUIS SCRIBAT, UTI NOS] Repone ex codicibus noſtris Leidenſi & Franekerano,
neque SI QUI *ſcribat, uti nos:*
quod dulcius quiddam ſonat. *Si qui* in vetuſtiſſimis exemplaribus paſſim apparet, ubi hodie in editis *ſi quis* circumfertur. Saepius in Horatio ita peccatum eſt, ut ſuis locis indicabimus.

v. 68. ET PURIS VIVAT MANIBUS] Neſcio, unde hoc in Lambinianam & ſequentes editiones venerit, cum vetuſtiores omnes, & codices quos viderim univerſi, alio ordine praeferant, *at bene ſi quis,*
Et VIVAT PURIS *manibus.*
Mutavit aliquis, qui Horatio nitoris & ornatus pluſculum de ſuo largiri voluit; quo tamen Sermones, utpote ſimplices munditiis, facile carere poſſunt, & ſine eo placere.

v. 69. CAELI BYRRHIQUE LATRONUM] Acroni ſunt *Caelius & Byrrius*, Porphyrioni *Caelius & Byrrhus.* Nos cum vetuſtioribus & pluribus membranis edidimus,
Ut ſis tu ſimilis Caeli BIRRIQUE *latronum.*
Ut enim *Caelius* ſive *Coelius*, ita & *Birrius* familiae Romanae nomen apud Gruterum.

v. 70. NON EGO SIM CAPRI] Editiones quidem veteres *Capri:* quod in recentioribus haeſit. At codices noſtri Magdalenenſis, Batcelianus, & a prima manu Reginenſis,
Non ego ſim CAPRII.
Certe *Caprii* melius hic quam *Capri*: quia & ſuperius ſyllabam primam corripit, v. 66.
Ambulat & Caprius.

v. 46. NON RECITO CUIQUAM] Primus, ut opinor, Aldus Manutius *Non recito* dedit; cum ſuperiores editiones habeant *Nec recito*: atque ita codices fere omnes tam aliorum, quam noſtri. Porro amplius Lambini aliquot, *Non recitem:* idque, ut videtur, rectius: ut eodem modo verba continuentur, *ſino, habeat, recitem.* Denique ex noſtris Magdalenenſis *quicquam* habet, non *cuiquam*: unde ſic totum locum refingere oportet:
Nulla taberna meos habeat *neq; pila libellos:*
NEC RECITEM QUICQUAM, *niſi amicis, idque coactus.*
Certe dativus ille *cuiquam* omnino ſupervacuum eſt: quippe *non recito, niſi amicis* tantundem ſignificat, quantum *non recito cuiquam, niſi amicis.* At accuſativus *quicquam* ſententiam auget: *nihil* enim, ne breviſſimum quidem poëmation, ſe vulgo recitare dicit. Sic & alibi accuſativum huic verbo ſubjunxit; ut hic v. 75. *in medio qui*
Scripta *foro* recitent, *ſunt multi, quique lavantes.*
Epiſt. I, 19. *ſpiſſis indigna theatris.*
Scripta *pudet* recitare.
& Arte Poet. 438.
Quintilio ſi quid recitares.

v. 79. LAEDERE GAUDES, INQUIS] Galeanus noſter, cum duobus Torrentii, INQUIT. Ita Serm. II, 2. v. 99.
jure, inquis, *Trauſius iſtis*
Jurgatur verbis:
meliores ibi codices ſimiliter, INQUIT. Rectiſſime. Quippe *Inquit* perpetua formula eſt, ubi aliquid ex adverſo nobis objici & opponi fingimus; ſive id ab uno, ſeu pluribus: ſive ab abſente, ſeu praeſente fiat. Cicero pro Cluentio c. 34. *Hoc* vos *Cluentio judicium* putatis *obeſſe oportere? Quam ob cauſſam? ſi ex lege ſubſortitus non erat Junius, aut ſi in legem aliquando non juraverat, idcirco illius damnationis aliquid de Cluentio judicabatur? Non,* inquit; *ſed ille idcireo his legibus condemnatus eſt, quod contra aliam legem commiſerat.* Hic *inquit* perinde eſt ac ſi *inquitis* dixiſſet. Idem pro Flacco c. 23. *Nunc tantum a* Trallianis *requiro, quam pecuniam a ſe ablatam queruntur, ſuamne dicant, ſibi a civitatibus collatam in uſum ſuum, cupio audire. Non,* inquit, *dicimus. Quid igitur? delatam ad nos, creditam nobis, L. Flacci patris nomine, ad hujus dies feſtos atque ludos. Quid tum? hanc te,* inquit, *capere non licuit.* Hic *inquit* idem eſt ac *inquiunt.* Seneca Controverſia XXVII. *Tyrannum,* inquit, *occidi. At patrem quantulo minus quam* occidiſti? —— *Pater,* inquit, *adeſt. Malo. Non enim tantum patrem, etiam patronum* cecidiſti? — *Pater,* inquit, *juſſit. Ergo frater* tuus *impius fuit, qui patri non paruit.* — *Pater,* inquit, *voluit. Ita* tu *non tyranno tantum, ſed patri dignus parricidio viſus es.* Hic *inquit* tantundem valet, ac *inquit.*

Digitized by Google

quis, Ita centies ſexcentieſque apud Senecas & Quintilianum. Et eodem modo *φησὶ inquit* uſurpat Arrianus in Epicteteis. Vide & Gronovium patrem ad Livium XXXIV, 3.

v. 87. AVET QUAVIS ASPERGERE CUNCTOS] Quid tum, ſi *avea* aſpergere? modo *reapſe* non aſpergat, nihil eſt cur *comis urbanus liberque videatur*. Quanto majus & ſignificantius, quod in vetere Blandinio extat,

Amet aſpergere?
Saepe tribus lectis videas caenare quaternos,
E quibus unus AMET *quavis aſpergere cunctos*
Praeter eum, qui praebet aquam.

amet, id eſt, *ſoleat*; prae quo illud *avet* languidum plane & debile eſt. Serm. II, 3. v. 214.

Siquis lectica nitidam geſtare amet *agnam.*

& I, 10. v. 60. amet *ſcripſiſſe ducentos*
Ante cibum verſus.

Quid quod ipſa conſtructio requirit modum ſubjunctivum? *Videas* quaternos caenare, e quibus unus *amet*. Reponatur igitur praeſtantiſſimi codicis lectio.

v. 92. GORGONIUS] Reginenſis cum Magdalenenſi GARGONIUS. Vide notas ad Serm. I, 2. v. 27.

v. 105. INSUEVIT PATER OPTIMUS HOC ME] Nicolaus Heinſius in codicis ſui margine, *Lege*, inquit, INSEVIT MI *cum Lambino*. Noſtem factum: etſi, quod Lambinus ex conjectura protulit *inſevit*, id a prima manu in Reginenſi extet, & inter lineas in codice Collegii Trinitatis. Non enim hoc ex natura & indole *inſitum* fuit Horatio, ſed ex inſtitutione & doctrina quaeſitum. *Inſuescere* autem & *aſſuescere*, *conſuescere*, *deſuescere* actionem ſaepe notant, perinde ac *conſuefacere*. Nonius Marcellus: *Deſuevi illum, pro deſuefeci illum id eſt, conſuetudinem abſtuli*: *Titinnius Gemina*:

Paraſitos amovi, lenonem aedibus abſterrui;
Deſuevi, *nequo ad caenam iret extra conſi-*
Lucretius VI, 396. *[lium meum.*
An tum brachia conſuescunt, *fixmantque*
lacertos?

Prudentius contra Symmachum I, 541.

Clara tropaea refert ſine ſanguine, remque
Quirini
Adſuefcit *ſupero pollere in ſaecula regno.*

Columella VI, 2. *Nam ubi ploſtro aut aratro* juvencam conſueſcimus. & XI, 1. Conſueſcatque ruſticos, *circa larem domini focumque familiarem ſemper epulari*. Idem VI, 4. *Maxime tamen habetur ſalutaris amurca, ſi tantundem aquae miſceas, & ea* pecus inſuefcas. Virgil. Aen. VI, 833.

Ne pueri, ne tanta animis aſſuefcite bella. Noſter Serm. II, 2. v. 109.

Pluribus aſſuevit mentem *corpuſq; ſuperbum.*

Jam autem, quod praecipue urget Lambinus; utcumque unum accuſativum regat, at geminum tamen regere non poſſe, *inſuevit hoc me*: id levis eſt momenti. Quid enim vetat, quominus geminum poſt ſe trahat, ut cetera verba cognatae ſignificationis, *Docuit me hoc*, *Eruditi me hoc*, *Monuit me hoc*: quae vel pueris notiſſima ſunt? Ne illud addam, fieri poſſe ut alius ſit verborum ordo; *Inſuevit me pater, ut* hoc fugerem, *notando vitiorum quaeque exemplis*. *Hoc fugerem*, hoc ſcilicet, de quo jam locutus ſum, *liveris & aeruginis vitium*. Atque ita plane enarrat Porphyrio: *In eam me conſuetudinem induxit, ut neque cogitarem quid* maligne *neque dicerem*. Atque haec quidem conſtructio ſententiae videtur aptior.

v. 108. QUOD MI IPSE PARASSET] Codex Leidenſis eximiae vetuſtatis, PARASSEM. Sed Priſcianus p. 1034. Atque *poëtice poſtponitur*. *Horatius in I Sermonum*,

Cum me hortaretur, parce, frugaliter atque,
Viverem uti contentus eo, quod mi ipſe paraſſet.

ubi *paraſſet* itidem inveni in tribus codicibus ſcriptis. Ceterum delirat acumen Grammatici; cum *atque* hic poſtponi exiſtimat. Ordo enim eſt, *Uti viverem parce, frugaliter, atque contentus eo quod ipſe mi paraſſet*: ut ſciunt etiam qui non cum aere lavantur.

v. 110. UTQUE BARUS INOPS] *Male vivere* & *inopem eſſe* unum idemque ſignificant: ut *bene vivere*, eſt in re lauta & bene uncta eſſe. Ergo ubi Noſter dicit,

Nonne vides. Albi ut male vivat *filius, utque*
Barus inops? *magnum documentum, ne-*
patriam rem
Perdere quis velit:

brevius utique potuiſſet dicere, *ut Albi filius & Barus male vivant*. Hoc primum. Deinde in ſequentibus unicum cujuſque vitii exemplum ponit; amoris meretricii, *Scetanium*; adulterii, *Trebonium*: ut incongruum ſit, prodigentiae bina exempla dari, *Albi filium & Barum*. Adde huc, quod continuo infert, *magnum documentum*; quod de uno exemplo commode dicitur: de pluribus *documenta* potius dixiſſet. Poſtremo in nomine *Barus* mira membranarum diſcordia eſt, *Barrus*, *Barus*, *Rarus*, *Bartus*, *Varus*, *Baius* exhibentium; ita tamen ut in pluribus *Baius* compareat.

Digitized by Google

Ob haec omnia, vide, annon conjecturae locus sit concedendus hunc in modum:

Nonne vides, Albi ut male vivat filius, UT QUI PANIS *inops? magnum documentum.*

Et quidem *ut qui* clare habet codex noster Galeanus, qui non semel, ceteris aberrantibus, egregio nobis est auxilio. *Male vivit, ut qui inops panis.* Serm. I, 8. v. 32.

Cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae *Jam peritura modis;*

ubi similiter editiones & codices aliquot perperam habent, *utque.* Serm. I, 1. v. 23.

Praeterea ne sic, ut qui *jocularia ridens,*
Percurram. & I, 3. v. 9.
Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
Currebat fugiens hostem; persaepe velut qui
Junonis sacra ferret.

Plinius Ep. IX, 22. *Amat* ut qui *verissime; dolet* ut qui *impatientissime; laudat* ut qui *benignissime; ludit* ut qui *facetissime. Inops panis* autem *mendicus.* Juvenalis X, 277. de Mario:

Et mendicatus *victa Carthagine* panis.

Poteris etiam legere FARRIS *inops.* Furius Bibaculus de Catone poëta,

Quem sex coliculi, selibra farris,
Racemi duo tegula sub una
Ad summam prope nutriunt senectam.

Juvenalis IX, 122. de servis;

Quorum animas & farre suo custodit & aere.

Noster Serm. I, 5. v. 69.

Denique cur unquam fugisset, cui satis una
Farris *libra foret gracili sic tamque pusillo.*

Juvenalis VII, 60. *Maesta paupertas atque aeris inops:* sed adhuc maestior est, quae *panis* vel *farris* est inops; & proinde *magno* est *documento,* ne quis rem paternam luxuria profundat.

v. 112. SECTANI DISSIMILIS SIS] Retentum est hoc nomen ex editionibus priscis: neque in membranis apparet nisi in uno codice Cruquii. Ceteri fere omnes SCETANI. Et neutrum quidem horum alibi legisse memini. Tutius tamen est in incertis plurium exemplarium auctoritatem sequi.

v. 119. INCOLUMEM POSSIM] Et hoc quoque, quia semel editiones priscas occuparat, patienter tulerunt Interpretes: etsi in omnibus fere membranis POSSUM reperiri ultro fateantur. Atqui usus loquendi indicativum modum hic postulat: *satis est mihi, si* possim *vitam & famam tuam tueri incolumem.* Terent. Phorm. V, 6.

Satin' est, si te deliǒutum gaudio reddo.

& I, 4. *Quid? si* adsimulo, *satin est?* & IV, 5. *Non* satis est, *tuum te officium facere, si non id fama* adprobat?

& ita passim ipse aliique.

v. 126. AVIDOS VICINUM FUNUS UT AEGROS] Pro *avidos* Leidensis noster, Bataviensis, Galei, Colbertinus VIDES habent; & sic aliorum aliquot. Quod, etsi quibusdam non displiceat, fortasse non satis commodum, merito tamen receptae lectioni postponimus: Avidos *vicinum funus ut* aegros

Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit:
avidos, hoc est, *intemperantes,* ut recte Scholiastae. Celsus II, 16. *Neque ulla res magis adjuvat laborantem, quam temperativa abstinentia.* Intemperantes *homines apud nos sibi cibi tempora, modum curantibus dant. Rursus alii, tempora medicis pro dono remittunt, sibi ipsis modum vendicant.* Idem in Praefat. Aegrorum *enim qui sine medicis erant, alios propter* aviditatem *primis diebus protinus cibum assumsisse.* Seneca Epist. LXV. *Donec intervenerunt amici, qui mihi vim afferrent, & tamquam* aegrum intemperantem *coërcerent.* & Epist. XCIV. *Quid quod habent* aegri *sanique quaedam communia, de quibus admonendi sunt? tamquam ne* avide *cibos appetant.* Plinius Epist. II, 8. *Quae sic* concupisco, ut aegri *vinum balnea, fontes.* Porro quod sequitur, *Sibi parcere,* est *valetudinem curare.* Noster Epist. I, 7. v. 11.

Ad mare descendet vates tuus, & sibi parcet,
Contractusque leget.

v. 140 & 141. CUI SI CONCEDERE NOLIS] Totus hic locus ad hunc modum constitui debet:

cui si concedere NOLES,
Multa poëtarum VENIET *manus, auxilio*
Sit mihi. [QUAE

At Editio prima Veneta cum codicibus aliquot, *auxilioque:* Veneta altera cum Lescheriana *auxiliumque.* Ubi autem *quae* semel admissum est loco *quae;* restabat ut *veniat* reponeretur, quo aptius conveniret cum *sit. Veniet* tamen recte habetur in Zulichemiano & uno Berssmanni. *Veniet* manus poetarum & *cogemus.* Si *veniat* retines, utique dicendum erit *cogamus.* Joannes Saresberiensis III, 13. *Illico multa adulatorum* veniet *manus, & veluti te Judaei cogent in suam concedere turbam.* Recte autem *veniet quae sit:* ut Seneca loco paullo ante laudato Epist. LXV. Intervenerunt *amici, qui mihi vim* afferrent, *& tamquam aegrum intemperantem* coërcerent. Supereſt igitur, ut pro *nolis* reſcribamus *noles:* nam pro *noles, nolis,* pro *voles, velis* passim substituunt Librarii.

ECLOGA

Digitized by Google

ECLOGA V.

v. 7. PROPTER AQUAM, QUOD ERAT DETERRIMA] Codex Pulmannianorum optimus TETERRIMA: quod placet: etsi & alterum bene se habeat. Ita Propertius & Lucretius, *tetra venena, tetra absinthia.* Idem VI, 21.

Partim quod tetro *quasi conspurcare* sapore. & II, 509.

Namque aliis aliud retro quoque tetrius *esset*
Naribus, auribus, atque oculis, orisq; sapori.

teterrima igitur, quia & malo sapore, & insalubris.

v. 15. ABSENTEM CANTAT AMICAM] Torrentiani codices non pauci *absentem* UT *cantat*, quod quid sit nescire se confitetur. At e sex Pulmanni haud pauciores quinque idem praeferunt. Quin etiam ex nostris Leidensis, Galeanus, Magdalenensis, Franekeranus, & a prima manu Petrensis in eadem lectione conspirant. Neque vero quid sibi velit scire difficile est: continuanda enim sententia est in hunc modum,

absentem UT *cantat amicam*
Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim: tandem fessus dormire viator &c.

hoc est, *Ut*, sive *dum, cantat nauta, & viator amicas; tandem viator somno opprimitur.* Terent. Adelph. III, 3.

Nam ut *numerabatur forte argentum, inter-* [*venit*
Homo de improviso.

Plaut. Menaech. Prol.

Nam rus ut *ibat, forte* ut *multum pluverat,*
Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule,
Rapidus raptori pueri subduxit pedes.

Quanto melius hoc concinniusque sit vulgato, quivis opinor videat. Ceterum extritum est *Ut* a Librariis quibusdam; tum quia (quod Torrentius passus est) quid esset nesciebant; tum quia eo ejecto mensura versûs incolumis adhuc manebat.

v. 20. CUM NIL PROCEDERE LINTREM] Etiam hoc, ut opinor, ab Aldi editione est. Superiores enim omnes, & Membranae Pulmanni, Bersmanni, meaeque alio & meliore ordine verba constituunt,

Jamque dies aderat, NIL CUM *procedere lintrem.*

Neque aliter credo in suis Lambinus, Cruquius, Torrentiusque, quamvis taceant, invenerunt.

v. 24. ORA MANUSQUE TUA LAVIMUS] Praestantissimus N. Heinsius in codicis sui margine; *Forte,* inquit, LAVIMUR. Nihil verisimilius: nam in his & similibus Passiva potius usurpant boni scriptores. Ita Arte Poët. v. 302.

Qui purgor *bilem sub verni temporis horam.*

ubi codices non pauci mendose habent *purgo.* Quintil. Instit. I, 11. *At* lavimur, *& tondemur, & convivimus ex consuetudine.* C. Gracchus apud Gellium X, 3. *Uxor edixit se in balneis virilibus* lavari *velle: datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui* lavabantur. Plinius Epist. II, 14. Lavabatur *Largius Macedo in villa Formiana —— Cum in publico Romae* lavaretur. Ovidius Fast. II, 167.

Hac, ait, in silva, virgo Tegeaea, lavemur.

Epigramma vetus apud Pithoeum p. 3.

Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere: sive bibas, sive lavere, *tace.*

Ita & Graeci Λούομαι usurpant. Apud Eutychen quidem Grammaticum *Lavimus* hodie legitur, p. 2186. *Lavo lavis tertiae conjugationis: ut Horatius II Carm. Villaque flavus quam Iiberis* lavit. *Idem Sermon. lib. I. Ora manusque tua* lavimus *Feronia limpha. Quod & primae conjugationis invenitur: Juvenalis lib. I. Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere* lavantur. Neque tamen inde colligas, ipsum Eutychen sic legisse. Poterat enim passive proferre, ut ex Juvenalis loco constat. Ceterum Terentius & activum & passivum simul adhibuit. Eunuch. III, 5.

Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito, dum lavamur:
Ubi nos laverimus, *si voles,* lavato: *accipio tristis.*

Ubi *lavamur* acceptum referimus Donato, & codicibus Faërni Bembino & Victoriano. Ceteri omnes perperam *Lavamus*; ut hic Horatii codices *lavimus.*

v. 27. MAECENAS OPTIMUS] Melior opinor distinctio erit, si sic interpunges:

Huc venturus erat Maecenas, optimus atque
Cocceius. ut supra v. 4.
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Optimus enim est compellatio paullo familiarior, quam ut Maecenati, regi ejus & patrono, decore tribui possit. Sic Epist. I, 16.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti.

Serm.

Digitized by Google

Serm. I, 6. v. 56. optimus *olim*
Virgilius, *post hunc Varius, dixere quid esſem.*
& I, 10. v. 82.
Valgius & probet haec Octavius, optimus *atq;*
Fuſcus; *& haec utinam Viſcorum laudet uterque.*
ſic & ibi diſtinguendum puto; non, *Octavius optimus.*

v. 52. MESSIQUE CICERRI] Primus, ut puto, Aldus *Cicerri* invexit. Vetuſtiores, duae ſcilicet Venetae & Loſcheriana, CICIRRHI. Sic & Torrentii, Pulmanni, Berſmannique aliquot cum Regio CICIRRI. Revocanda eſt utique lectio antiqua. *Cicirrus* eſt κίκιρρος, *gallus*. Hesychius: Κίκιρρος, ἀλεκτρυών.

v. 60. CUM SIC MUTILUS MINITARIS] Etiam hoc opinor Aldi facinus eſt: antiquiores enim MINITERIS, cum majore parte membranarum. Recte Quid *faceres* ſalvo cornu, cum ſic mutilus *miniteris?* Quidni enim plures codices ſequimur; ubi utrumlibet lectio bene ſe habet? Virgilius Eclog. III, 16.
Quid domini faciant, audent *cum talia fures?*
Terent. Eunuch. III, 5.
Quid ego ejus tibi nunc faciem praedicem *aut* laudem, *Antipho,*
Cum ipſum me noris, *quam elegans formarum ſpectator ſiem?*

v. 67. DETERIUS NIHILO] Ita quidem editi: at membranae omnes, quae paullo vetuſtiores ſunt, tam aliorum quam noſtrae, aliter verba collocant,
NIHILO DETERIUS *dominae jus eſſe.*
Recte; & pronunciandum eſt, quaſi ſcriptum fuerit *Nilo*, ut plane habent duo Berſmanni: Sic Epiſt. II, 2.
Vehemens & liquidus, puroque ſimillimus amni.
ubi codices nonnulli mendoſe, ut hic, *Et vehemens liquidus.* Sic in Epigrammate veteri:
Ad partem veniet ſalax aſellus,
Nihilo deterius *mutoniatus.*
Quin & illud animadverti, quotieſcumque apud Noſtrum occurrit *nihilo*, comparativo ſuo ſemper praeponi: ut Serm. I, 1.
nihilo plus *accipias, quam.*
& II, 3. v. 56. nihilo ſapientius, *ignes.*
& ibidem 52. nihilo *ut* ſapientior *ille.*
& 270 nihilo plus *explicet, ac ſi.*
& Epiſt. I, 22. *cum ſis* nihilo ſapientior.
Ergo ad haec exempla legendum eſt hic quoque, *Nihilo deterius.*

v. 70. CENAM PRODUXIMUS ILLAM] Haeſit hoc ex priſcis editionibus. Meliores enim codices Fabricii, Pulmanni, Torrentii, Berſmannique PRODUCIMUS: quibus conſentiunt ex noſtris optimi Leidenſis, Reginenſis cum pluribus aliis. Rectiſſime. Ita ſupra v. 25.
Millia tum pranſi tria repimus *atque* ſubi-
& 35. [mus.
Fundos libenter linquimus.
& 50.
Hinc nos Cocceii recipit *pleniſſima villa.*
& 71.
Teudimus *hinc recta Beneventum.*
& 86.
Quattuor hinc rapimur *viginti & millia.*
ubi, ut vides, omnia verba praeſenti tempore efferuntur.

v. 72. PENE ARSIT MACROS DUM TURDOS] Hunc verborum ordinem primus ex uno, ut ait, codice induxit Lambinus; quam & ego in uno repeti, ſed eo chartaceo & infimae notae atque aetatis. Ceteri omnes tam aliorum quam noſtri, *Pene macros arſit*, atque ita legerunt Acron & Porphyrion. Scholiaſtes Perſii ad Sat. VI. v. 24. *Turdarum dixit abuſive, cum turdorum debuerat; ut Horatius ponit:*
Pene macros arſit, dum turdos verſat in igni.
ubi notandum illud *igni*; ſic enim & Berſmanni codex, & Regius, & a prima manu Reginenſis. Idque recte: ut Carm. I, 4.
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut aratore [ſor igni.
& I, 34.
Igni *coruſco nubila dividens.*
Ita & alibi *imbri*, & *imbri*, caſu ablativo: ſic & Lucretius, Virgilius, Ovidius aliique aureae aetatis. Ceterum Berſmanni unus & Battelianus noſter, *In ignem.*

v. 92. QUI LOCUS A FORTI DIOMEDE] Locus ab interpretibus multum veratus, quique viciſſim eos multum vexavit. Videamus integrum:
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt
Signis perfacile eſt: venit viliſſima rerum
Hic aqua; ſed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut ſoleat humeris perferre viator:
Nam Canuſi lapidoſus: aquae non ditior urna:
Qui locus a forti Diomede eſt conditus olim.
Elentibus hinc Varius diſcedit maeſtus amicis.
ubi oppiduli nomen, quod verſus hexametrus non recipit, *Equum Tuticum* intelligit, ut recte Scholiaſtae veteres. Doctiſſimus tamen Cluverius p. 1217. ex ſitu locorum conjicit *Arpos*, quae & *Argyrippa* dicitur, ab Horatio

Digitized by Google

ratio hic deſcribi. Vix tamen id perſuadebit, cum utrumvis vocabulum verſus facile admittat; auctore Virgilio Aen. XI, 246.

Ille urbem Argyripā *patriae cognomine gentis.*

& Silio IV, 556.

Allius Argyripa *Dauniq; profectus ab arvis.*

Ab Equo Tutico igitur panem portare ſolent viatores Canuſium uſque, quia ibi panis lapidoſus eſt, *aquae non ditior urna:* hoc eſt, aquae copia non uberior eſt Canuſii, quam Equi Tutici. *Ditior*, abundantior, copioſior; non ut quidam codices perperam hic habent, *dulcior.* Auſonius Epigram. IV. de Danubio:

Et qua dives aquis *Scythico ſolvo oſtia ponto.*

Contra Noſter Carm. III, 30.

Et qua pauper aquae *Daunus agreſtium*
Regnavit populorum.

Ergo oppidum Canuſium & aquae inopia & panis vitio laborabat. Aquae tamen penuriae ſubveniebat poſtea Herodes Sophiſta. Philoſtratus in ejus vita p. 550. Ὡκισε δὲ τὸ ἐν Ἰταλίᾳ Κανύσιον, ἀμυδρώσης ὕδωρ, μάλα τότε δύσποτον: *Canuſium in Italia, inducta aqua, cujus vehementer indigebat, habitabile reddidit.* Ceterum eruditiſſimus Lambinus, & ex eo Dacerius conſtructionem verborum aliam hic inſtituunt, in hunc modum:

aquae non ditior urnâ
Qui locus a forti Diomede eſt conditus olim;

ubi ordo erit, *Qui locus*, Canuſium ſcilicet, (*non ditior urnâ aquae*, quam Equus Tuticus,) *a Diomede olim conditus eſt.* Ego vero multum ab iis diſſentio; cum ob coactam conſtructionem, tum quia ineptum & putidum fuerit conditorem Canuſii hic memorare, more Geographorum; cum obiter tantum ejus oppidi mentionem faciat Noſter. Mihi nulla eſt dubitatio, quin auctor hujus verſiculi *Equum Tuticum* intellexerit, a Diomede itidem conditum: idque ut unum e *ſignis* hic poſuerit, quibus perfacile erat nomen oppidi non expreſſum colligere. Servius ad Virgil. Aeneid. VIII, 9. de Diomede: *Nam & Beneventum & Equum Tuticum ipſe condidit, & Arpos quae & Argiripa dicitur.* Hoc, inquam, cogitavit verſiculi hujus, quicumque fuit, auctor: de ſuo ſcilicet largiri voluit aliud ſignum, quo Equus Tuticus agnoſceretur. Non tameu a me impetrare poſſum, ut Flaccum noſtrum tam illepidi verſus parentem fuiſſe credam. *Locum* quippe *condere*, ne Latinum quidem videtur: certe nuſquam quemquam ſic locutum eſſe memini. Urbes quidem & arces & oppida conduntur: loca ipſa condi neque dicuntur neque poſſunt: Ovid. Faſt. II, 280.

Hic ubi nunc urbs eſt, tum locus urbis *erat.*

Idem Metam. XV, 18.

Atque ita diſcedens, Aevo, dixiſſe, nepotum
Hic locus urbis *erit.* Virg. Aen. VIII, 53.
Delegere locum, *& poſuere in montibus*
urbem.

Adde, quod quocumque haec verba retuleris, ſive ad *Equum Tuticum*, ſive ad *Canuſium*; parum aut nihil profeceris. Si ad prius, vitioſa erit conſtructio: nullo enim jure ad remotius nomen referenda ſunt, propiore neglecto: ſin ad poſterius; nihil, ut dixi, putidius fuerit, quam Canuſinas Origines hic obiter inculcare. Denique ad haec verba nihil quicquam adnotatum eſt, neque ab Acrone, nec Porphyrione: magnum utique ſignum, in illorum olim exemplaribus ea non comparuiſſe.

V. 93. FLENTIBUS HINC VARIUS DISCEDIT] *Hinc*, quod in libris aliquot extat, pleraſque jam editiones occupavit. At principes illae, binae ſcilicet Venetae & Loſcheriana, HIC; quibus accedunt codex noſter Reginenſis cum duobus aliis, duo Berſmanni, & Torrentii ſex. Atque haec lectio mihi etiam poſt Torrentium magis arridet.

V. 97. DEHINC GNATIA LYMPHIS] Franekeranus cum tribus Pulmanni DEIN; quod ideo praetulimus; ut evitetur aſperrimus ille concurſus quattuor conſonantium.

ECLOGA VI.

V. 4. LEGIONIBUS IMPERITARINT] Ita Venetae & Loſcheriana, unde in ſequentes editiones derivatum eſt. Favent autem huic lectioni Magdalenenſis codex & Battelianus. At multo plures tam aliorum, quam noſtri, in quibus veterrimi duo Leidenſis & Reginenſis, IMPERITARENT. Eſt & tertia lectio, quae in uno Berſmanni alteroque Pulmanni extat, IMPERITARUNT. Lego:

Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus IMPERITARENT.

Nempe in hac & ſimili locutione *Fuit qui*, *Fuerunt qui*, uterque quidem modus tam indicativus, quam ſubjunctivus admittitur; tempus vero imperfectum in utroque, ut apud bonos Scriptores paſſim obſervabis. Salluſt. Cat.

Digitized by Google

XXIII. Fuere *ea tempeſtate*, qui dicerent *Catilinam*, &c. Noſter Epiſt. II, 2. v. 128.

Fuit *haud ignobilis Argis*,
Qui *ſe* credebat *miros audire tragoedos*;
Cetera qui *vitae* ſervaret *munia recto*
More; *bonus ſane vicinus, amabilis hoſpes*,
Comis in uxorem, poſſet qui *ignoſcere ſervis*.

v. 13. TARQUINIUS REGNO PULSUS FUIT] Ita libri & olim editi & nuperi. Enimvero indignor tot eruditos Interpretes lectionem veram in codicibus ſuis inventam tam imperite ſpreviſſe. Ea ſic habet;

Contra, Laevinum, Valeri genus, unde ſuperbus [*aſſis*, &c.

Tarquinius regno PULSUS FUGIT, *unius* Hanc in quattuor optimis Blandiniis Cruquius, in ſuis aliquot Lambinus Berſmannuſque repererunt: noſque itidem in veterrimo Leidenſi, & aliis duobus, & pro varia lectione in Magdalenenſi. Quanto hoc, niſi plane deſipimus, elegantius pleniuſque illo altero, quod hactenus editiones occupavit? Id ſolum, credo, ad corrumpendum locum Librarios impulit; quod *fugit*, praeterito tempore & priore ſyllaba producta, vi ſententiae hic requiri arbitrarentur: atqui illud minime metuendum erat. Auctor de obitu Maecenatis:

Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo;
Quae bene praecinctos poſtmodo pulſa fugit.

Virgil. Aen. III, 121.

Fama volat pulſum *regnis* ceſſiſſe *paternis*
Idomenea ducem. Idem, in Catalectis:
Cujus & obraptum pulſi liquere *penates*
Tarquinii patrios filius atque pater.

Aen. XI, 366.

Pone animos, & pulſus abi.

Lactantius I, 13. *Nimirum ſenex* (Saturnus) *a juvene facile victus eſt, ac ſpoliatus imperio*. Fugit *igitur* expulſus, *& in Italiam navigio venit*. Et mox: *Cenſetne aliquis deum eſſe, qui* pulſus eſt, *qui* fugit, *qui latuit?* Ovid. Metam. VII, 290.

Pulſa fugit *macies: abeunt pallorque ſituſque*.

Haec quidem nitida ſunt, culta ſunt, & auctoribus ſuis digna: at vulgatum illud *pulſus fuit*, quam iners & languidum?

v. 15. NOTANTE, JUDICE, QUEM NOSTI, POPULO] Ita nunc paſſim editum reperies; cum tamen & vetuſtae Editiones, & quicquid uſquam eſt codicum manu ſcriptorum, ſic clare exhibeant,

Judice, QUO *noſti, populo, qui ſtultus honores*, &c.

Hoc certe de omnibus ſuis praedicant Cruquius, Pulmannus, Berſmannus, Torrentiuſque; hoc in meis univerſis reperi. Et Torrentius quidem Cruquiuſque libenter hanc lectionem reciperent; ſi per interrogationem efficeretur, *Judice: quo? noſti: populo:* vel hoc modo: *Judice: quo, noſti? populo:* metuebant ſcilicet, ne parum Latine dictum eſſet, niſi diſtinctionibus illis ſublevaretur. Ponite vero, ô boni, iſtos metus: elegantiſſima enim locutio eſt, a fonte Graeco hauſta, *Judice, quo noſti, populo:* ubi Pronomen eodem caſu ponitur, quo Nomen antecedens. Terentius Heaut. I, 1.

Seire hoc vis? Hac quidem cauſſa, qua dixi *tibi*.

Cicer. Epiſt. Fam. V, 14. *Cum ſcribas, & aliquid agas eorum*, quorum conſueſti, *gaudeo*. Ovidius Triſt. V, 6. [*borum*,

Elige noſtrorum minimum minimumque Illo, quo reris, *grandius illud erit*.

Gellius I, 3. *Theophraſtus autem, in eo*, quo dixi, *libro diſſerit*. Et I, 25. *Iccirco ex his*, quibus dixi, *vocibus nomen induciarum connexum eſt*. Et II, 26. *Sed id iis tamen coloribus*, quibus modo dixiſti, *denominandis*. Ceterum Graeca exempla paſſim feruntur. Vide Nos ad Ciceronis Tuſculanas, V, 14.

v. 18. QUID OPORTET NOS FACERE A VULGO LONGE LATEQUE REMOTOS? Id primo hic animadvertendum, male ex vetuſtis Editionibus retentum eſſe LONGE LATEQUE; cum omnes fere omnium codices habuerint, LONGE LONGEQUE. Primus ex ſuis Cruquius, veram lectionem repoſuit, Ciceronis loco fretus De Finibus II, 21. *Plurimum ſe, & longe longeque plurimum, tribuere honeſtati*. Cui tamen bene monenti nemo, quod ſciam, obtemperavit, praeter Baxterum noſtratem in nupera ſua editione: adeo difficile eſt homines diuturno errore palantes in viam rectam reducere. Poſthac tamen, ut ſpero, veritati manus dabunt, & corrigi ſe patientur. Ovid. Met. IV, 325.

Sed longe *cunctis* longeque *potentior illis*.

Gellius XIII, 27. *Ego quidem ſic exiſtimo*, longe longeque *eſſe amplius, prolixius, fuſius, multos mortales, quam multos homines dixiſſe*. Idem IV, 1. *Ac multo etiam antequam naſcerentur, & ſupra* longe atque longe *per infinitum*. Digeſt. IV, 4. 39. *Vendentibus curatoribus minoris fundum, emptor extitit Lucius Titius, & ſex fere annis poſſedit, & longe* longeque *rem meliorem fecit*. Mamertinus in Genethliaco Maximiani p. 308. *Eterum quod*

Digitized by Google

ait ille Romani criminis primus auctor (lege, *carminis*, nam Ennium intelligit) *A sole exoriente aduſque Maeotidas paludes, id nunc* longius longiuſque *protendere licet.* Germanam Latini Sermonis indolem haec ſpirant: ita paſſim, *Magis magiſque*, *Minus minuſque*, *Etiam etiamque*, *Iterum iterumque*, *Nimium nimiumque*, *Minimum minimumque*, *Candidior candidiorque*, & alia ſimilia. Atque hae, opinor, ſatis juſtae ſunt cauſſae, cur lectionem hanc, quam codices fere ad unum omnes agnoſcunt, in ſedes avitas denuo revocemus. Eſt tamen adhuc majus, & in quo magis etiam deſidero judicium Interpretum. Fatemur quidem *Longe lateque* frequentiſſime apud Scriptores occurrere; *Longe lateque patere, ſpargi, diffundi* &c. nempe ubi res ipſae, de quibus ſermo eſt, tam in latum diffunduntur, quam protenduntur in longum. Idem tamen pernegamus, *Longe lateque removeri*, aut dictum eſſe a quoquam veterum, aut ſine dici potuiſſe. Quippe vox *Remotus* longitudinem ſolam denotat, latitudinis ſenſum plane reſpuit. Et quod *longe* vel *longiſſime* a re quapiam *remotum* eſt; idem ex omni parte & quaque verſus ab eadem re remotum ſit neceſſe eſt. Ut ineptum plane fuerit *late remotum* dicere quid; ubi ſemel dixeris *longe*.

v. 24. QUO TIBI, TULLI] Quod editiones hactenus poſſedit, TULLI, ex verſu nono videtur irrepſiſſe. At ibi de Servio Tullio rege ſermo eſt: hic de homine alio neſcio quo. Quidni igitur revocamus plurium codicum lectionem, TILLI? ut de ſuis teſtantur Berſmannus, Pulmannus, Torrentiuſque: in noſtris hic quidem duobus duntaxat apparet. Regio & Petrenſi: at infra verſu 107, in Leidenſi, Zulich. Magd. & Batteliano exeat. Cicero Philip. II. cap. 11. *Tillius Cimber.* Idem Ep. Fam. VI, 12. Seneca de Ira, III, 12. & Epiſt. LXXXIII. Suetonius Jul. c. 85. *Cimber Tillius*: quibus omnibus in locis eadem ac hic variatio eſt in ſcriptis codicibus. Gruterus in Inſcript. AFER TILIUS. &, Q. TILLIUS, &, M. TILLIUS, M.L. PHANIAS. TILLIA M.L. LUCCEIA.

v. 29. QUIS HOMO HIC EST? QUO PATRE NATUS?] Ita libri aliquot: alii, *Quis homo hic? Et quo patre natus?* Editiones vetuſtae, *Quis homo hic? Aut quo*: ut etiam codex Regius, & optimus Regiomontanus.

v. 30. ET CUPIAT FORMOSUS] Ita Cruquius Torrentiuſque ex ſuis, quos poſteriores fere ſecuti ſunt: At Venetae editiones & Loſcheri, una cum pluribus Lambini Codicibus, & veterrimo noſtro Leidenſi aliiſque tribus,

Ut ſi qui aegrotet, quo morbo Barrus, haberi
UT *capiat formoſus.*

Atque hanc lectionem alteri illi praeferimus. *Morbus* enim ſive vitium Barri erat, quod formoſus haberi cuperet; morbus utique mentis, non corporis. Sed ſi ET legeris; de morbo etiam corporis ſuſpicari poſſis; quaſi is ſcabie vel polypo fortaſſe laboraret, *& tamen* formoſus haberi magnopere vellet: quod ab Horatii mente alienum eſſe exiſtimo.

v. 38. DIONYSI FILIUS] Scribe hic *Dionyſi*, (non ut pleraeque editiones *Dionyſi*) a recto *Dionyſius*. *Syrus*, *Dama*, & *Dionyſius* nomina ſervilia. Cicero Ep. Fam. XIII, 77. *Dionyſius ſervus meus aufugit.* Sic alibi itidem, & Ep. ad Atticum ſaepius. Suetonius vita Horatii: *Pertulit ad me* Dionyſius *libellum tuum.* Plin. Ep. X, 105. *C. Valerius Dionyſius.* Gruterus, 1036, 2. PUBLICIO DIONYSIO. 845, 7. M. AYP. ΔΙΟΝΥΣΙΟΝ. Marm. Fenſin. p. 425. M. ULPIUS DIONYSIUS. M. JULIUS DIONYSIUS.

v. 47. NUNC QUIA, MAECENAS, TIBI SIM CONVICTOR] Editio prima Veneta alium verborum ordinem ſtatuit;

Nunc, quia ſum tibi, Maecenas, convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.

quem etiam agnoſcunt caeterae editiones priſcae, & noſtri codices praeter unum recentem omnes; praeterquam quod plures ex iis SIM habeant, non SUM. Idem de ſuis perhibent Pulmannus Berſmannuſque; ne de caeterorum libris, etſi ipſi taceant, dubites. Quis primus contra veterum exemplarium fidem mutaverit, neſcio: ſed id, ut opinor, auſus eſt, quo verſus numerоſior evaderet. Nos vero, tam faſtidioſis auribus valere juſſis, ipſa ſimplicitate compoſitionis capimur. Neque vero numeri viliores hic ſunt, quam ſaepe alias in his Sermonibus.

v. 53. FELICEM DICERE NON HOC ME POSSUM] De interpunctionis loco jam, opinor, hic convenit inter interpretes; non *felicem hoc caſu* diſtinguendum eſſe; ſed *hoc* ſive hac re *felicem, quod caſu ſortitus.* Quin & Danielis Heinſii non felix conjectura, qui *hic* pro *hoc* ſubſtituere voluit, jam ab omnibus exploſa eſt. Sic ergo locum conſtituunt,

felicem dicere non hoc
Me poſſum, caſu quod te ſortitus amicum:
Nulla etenim tibi me fors obtulit.

Digitized by Google

Et *possum* quidem, sive quod in pluribus est *possim*, omnes quos viderim libri exhibent, & veteres editiones. Tamen, si verum dicendum est, arrogantiae quid prae se ferre videtur illud, *Non* POSSUM *eo me felicem dicere, quod nactus sim te amicum.* Itane vero? Non cognosco tuum, O Flacce, tam superbum. Ut enim hoc vere dici posset; tu tamen non idoneus qui id diceres. Neque vero, si bene te novimus, dicere unquam voluisti. Ecce enim, quam Commentator vetus memoriae tradidit, saniorem lectionem:

felicem dicere non hoc

Me POSSUNT, *casu quod te fortitus amicum. hoc est*, ut verba sunt Scholiastae Cruquiani, *non iccirco me felicem nominare* DEBENT, *quod casu aliquo aut fortunae beneficio tibi sim factus amicus; cum nulla fors me tibi obtulerit, sed amicorum & virorum bonorum commendatio, qui me noverant.* Agnoscis opinor, hunc, quisquis erat, enarratorem non *possum*, ut nunc habetur, sed *possunt* in suis olim exemplaribus reperisse. Quinam autem illi, qui hoc non possunt vere dicere? invidi nempe & obtrectatores, qui quotidie *rodunt me libertino patre natum*; qui felicitate me quadam, & nullo meo merito, ad amicitiam tuam perveniisse mentiuntur. Sic enim Garrulus ille, Serm. IX, 45. de hac ipsa re,

Nemo dexterius fortuna *est usus.*

& VI. lib. II, vers. 49.

Fortunae filius, *omnes* secum mussitabant.

Certe si ex illorum persona *possunt* legeris, verecunde dictum est; sin ex Horatii *possum*, insolenter & gloriose.

v. 54. NULLA ETENIM MIHI TE FORS OBTULIT] Disquirunt hic Interpretes, utrumne *Fors* an *fors* legendum sit; quorum illud in principe Veneta, hoc in Loscheri editione comparet. Certe in vetustioribus nostris codicibus clare exhibetur FORS; ne hac de causa Lambini fidem labefactet semper erga illum iniquior Torrentius. Tacitus Annal. XIV, 5. *Contis, & remis, & quae* fors obtulerat, *navalibus telis conficitur.* Ibidem II, 42. *Struxitque cassas, aut* forte oblatas *arripuit.* At Hist. IV, 1. *Passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat*: ubi tamen, ut antea, *fors* reponendum est. Sed, dum leviculum hoc sollicitos eos habet, illud interim, quod longe gravius est, impune hic grassari patiuntur.

Nulla etenim mihi te *fors obtulit.*

Ita omnes ubique dederunt editores: neque sentiunt illud *mihi te* quam insicite & stolide hic dictum sit, ut nihil magis. Quid enim? An patrono & rege suo Maecenate, cui vitam, opes, omnia debuit, majorem hic se gerit coactoris Graeculi filius? *Tibi* vero, ô noster, *Maecenatem* fors obtulerit? quod sodes ex te verbum audio? Immo *te Maecenati*: nisi omnium quotcumque fuerunt, sunt, eruntve, Suffenorum primus es. Certe sic alibi solebas, ut Serm. I, 3. v. 64.

simplicior quis & est? qualem me *saepe libenter*

Obtulerim tibi, Maecenas.

Recte hoc quidem, & verecunde: & bene factum, quod tam turpem maculam effugiti. Sic enim & hoc in loco nullus dubitabam, quin sic a principio fuerit;

Nulla etenim TIBI ME *fors obtulit.*

Atque sic postea latentem hanc lectionem deprendi in Scholiaste Cruquiano, loco paulo ante laudato: *Cum nulla fors*, inquit, ME TIBI *obtulerit, sed amicorum commendatio.* Denique ita clare extare vidi in codice manuscripto, quem nuper adeo Bibliothecae Collegii nostri donavit vir integri eruditione & humanitate Thomas Rud.

v. 68. NEQUE SORDES, NEC MALA LUSTRA] Editiones veteres; & codices quos viderim omnes AC MALA habent: Perabsurdum tamen videtur, *sordes ac lustra* una inter se jungere; cum vitia prorsus contraria sint, neque in unum hominem eodem tempore possint recidere. Lamb. quidem ita loqui debuisse Nostrum putat;

Si neque avaritiam, neque sordes, nec *mala lustra.*

Postea autem Cruquius, non ut ille ex conjectura, sed ex vetustissimo suo Blandinio NEC illud protulit. Sane vir probus videtur fuisse Cruquius; neque temere fides ei detrahenda est: sed vereor, ne non fuerit a prima scriptoris manu τὸ NEC, sed a correctore interpolatum: qua in re, quae maximi quidem momenti est, subinde annotanda nimium ille securus & indiligens erat. Equidem haud dubito, quin sic scripserit ipse auctor,

Si neque avaritiam, neque sordes, AUT *mala lustra.*

Aut enim & *Ac* passim a Librariis alterum pro altero substituuntur: & solet alias Noster post duas particulas negativas *Aut* tertio loco subjungere: ut Carm. III, 12. [neque *dulci*

Miserarum est, neque *amori dare ludum*,
Mala vino lavere, aut *exanimari metuentes.*

III, 23.

Digitized by Google

III, 23. Nec *peſtilentem ſentiet Africum*
Fecunda vitis, nec *ſterilem ſeges*
Robiginem, aut *dulces alumni*
Pomifero grave tempus anno.

Serm. II, 2. 22. neque *oſtrea*,
Nec *ſcarus*, aut *poterit peregrina juvare*
lagois.

I, 9, 31. nec *hoſticus auferet enſis*,
Nec *laterum dolor*, aut *tuſſis*, nec *tarda*
podagra.

II, 1, 15. neque *enim quivis horrentia pilis*
Agmina, nec *fracta pereuntes cuſpide Gallos*,
Aut *Lubentis equo deſcribat vulnera Parthi.*

Virgil. Aen. IV, 339.
neque *ego hanc abſcondere furto*
Speravi, *ne finge*, *fugam*; *nec conjugis*
umquam
Praetendi taedas, aut *haec in foedera veni.*

Sed quid multis opus? cum AUT clare habeat Scholiaſtes Acron, cum in Bibliotheca Societatis Regiae manuſcriptus, tum Venetiis olim editus anno MCCCCXC: recentiores enim locum contaminarunt.

v. 79. IN MAGNO UT POPULO SIQUIS VIDISSET] Quia a vetuſtis editionibus demiſſum erat SIQUIS, veriti ſunt id ejicere recentiores interpretes: atqui fatentur in Blandiniis aliiſque melioris notae codicibus SIQUI haberi; ut & ego reperi in veterrimis meis Leidenſi & Reginenſi. Apage ergo ſtultam clementiam: & ſibilantem illam literam exſecemus. Lenius certe eo pacto ſuaviuſque procedit verſus; neque aliter ſcribit Noſter Verſu hic 30.

Ut ſi qui aegrotet, quo morbo Barrus:

Ceterum quod Lambinus ait, neſcio quos verborum ordinem turbare; quem ipſe ſic conſtituit, *Ut ſiquis magno in populo vidiſſet*; in ea re multum fallitur, & plerique omnes, qui eum ſequuntur. Sic enim diſtinguenda ſunt verba; *Siqui, ut in magno populo, veſtem vidiſſet.* Ovid. Pont. IV, 5.

Siquis, ut in populo, *qui ſitis, & unde*
Idem Triſt. I, 1. [*requiret.*

Siquis, ut in populo, *noſtri non immemor illic.*
Sulp. Severus I, 84. *Ninive, alens virorum millia* C *&* XX. *atque*, ut in magno populo, *abundans vitiis.*

v. 87. OB HOC NUNC LAUS ILLI DEBETUR] Ita editiones veteres, & ex Manuſcriptis recentiores aliquot. At priſci codices uno fere conſenſu AD HOC vel AD HAEC. Acron Scholiaſtes: *Ad hoc nunc*) *Alii* AD HAEC *legunt, ut ſit, Ad haec quae praeſtitit: alii* AD HOC, *ſcilicet ne me poeniteret, quia patrem habui operarium & libertum, qui bonus vir fuit.* Prius magis arridet; *ad haec* ſcilicet; quippe multa praeſtitit in educatione filii; non ſumtus ſolum, ſed ſtudium pene ſupra facultates plane ſingulare. *Ad* ſaepe idem fere valet, quod *ob* vel *propter*: ut Epod. 9.

Ad hoc *frementes verterunt bis mille equos.*
Epiſt. 9. ad haec *ego naribus uti Formido.*

v. 107. QUAS TIBI, TULLI] Scribe potius TILLI, ut ſupra docui ad verſum 24.

v. 126. FUGIO RABIOSI TEMPORA SIGNI] Omnium, quotquot ſuperiore ſaeculo extitiſſe novimus, vetuſtiſſimum optimumque codicem ex Bibliotheca Blandinia Gandavi nactus eſt Cruquius: quod exemplar utinam adhuc ſalvum eſſet (periiſſe enim opinor) & in manus noſtras incidiſſet; multa, ni fallor, & praeclara inde erueremus, quae illius aut oculos aut captum effugerunt. Eſt tamen utcumque quod gaudeamus, non pauca ab ipſo Cruquio depromta eſſe ex eo libro; quae, abſque illo fuiſſet, fruſtra in ceteris omnibus quaereremus. Cujuſmodi hoc eſt, quantivis ſane pretii, quod his verbis memorat: *Codex*, ait, *Blandinius antiquiſſimus habet*, FUGIO CAMPUM LUSUMQUE TRIGONEM: *ſed ſuppoſita ſunt puncta, vulgataque lectio eſt adnotata, Fugio rabioſi tempora ſigni.* Haec tantum Cruquius: neque verbum praeterea addit: &, quod magis mirum eſt, nemo omnium Interpretum, qui tot tantique poſt illum manus Horatio admoverunt, vel mentione dignum judicarunt variantem hanc lectionem. Bene vero factum, quod interpolator ille punctis ſubnotatis (ut Librariis, qui ſcripta ſua lituris turpari nolebant, facere ſollemne erat) delenda ea verba ſignificaverit; ac non ipſe ſcalpello ſuo penitus eraſerit. Aut enim egregie fallor, aut ea ſola ſincera lectio eſt, & Venuſina lucerna digna. Videamus locum integrum.

Ad quartam jaceo: poſt hanc vagor aut ego lecto, [*gor olivo,*
Aut ſcripto, quod me tacitum juvet: un-
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis,
Aſt ubi me feſſum ſol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio CAMPUM LUSUMQUE TRIGONEM.
Pranſus non avide — domeſticus otior.

Haec jam ſingula examinanda ſunt. *Ad quartam jaceo:* quod cave accipias pro *dormio*, ut vulgo faciunt Interpretes: quippe

Digitized by Google

non nisi otiosi hominis erat, vel ad horam usque primam somno indulgere: ut Epist. I, 17.

Si te grata quies & primam somnus in horam
Delectat. & Epist. I, 18.
Dormiet in lucem, *scorto postponet honestum*
Officium, nummos alienos pascet.

Ergo ad quartam stertere, desidiosi plane fuerit, & Nomentani nepotis, potius quam Flacci. Quid ergo? *Jacere* hic perinde est ac *studere*, in *lectulo* scilicet lectioni aut scriptioni vacare: qui mos erat antiquorum, jam notissimus. Noster supra, Sat. I, 4. v. 133.

neque enim cum lectulus *aut me*
Porticus excepit, desum mihi.

Seneca Epist LXXII. *Quaedam sunt, quae possis & in cisio scribere: quaedam lectum & otium & secretum desiderant.* Plinius Epist. V, 5. *Visus est sibi C. Fannius per nocturnam quietem* JACERE IN LECTULO *suo compositus in habitum* studentis, *habere ante se* scrinium, *ita ut solebat.* Atque haec quidem interpretatio ex sequentibus verbis magis adhuc constabit;

post hanc vagor aut ego lecto,
Aut scripto, quod me tacitum juvet.

ubi ordo est, *Post hanc,* horam scilicet quartam, quae nobis nunc decima est antemeridiana, *ego vagor*; *aut lecto, aut scripto, quod me tacitum juvet.* Ubi sine dubio *lecto* & *scripto*, sunt ablativi participiorum *lectus* & *scriptus.* Cujusmodi jam passim observata est a Grammaticis constructio. Tacitus Annal. II, 7. *Caesar,* audito *castellum Luppiae obsideri, sex legiones eo duxit.* IV, 36. *Fonteius Capito absolvitur,* comperto *ficta in eum crimina per Vibium Serenum:* & alibi passim. Hoc quidem recte olim Janus Dousa: adeo ut me illorum misereat, qui *lecto* hic & *scripto* Verba esse volunt, pro *lectito* & *scriptito*; verba utique inaudita, & in ultimam Barbariam relegenda. Decepit, credo, eos pronomen *Ego*, cum id extra locum suum hic positum videatur: quod tamen minime mirari debent, qui aut hunc Nostrum aut Terentium umquam versarunt. Noster loco jam citato:

Neque enim cum lectulus aut me *Porticus excepit.*

Nihil usitatius: atque adeo elegantiam quandam prae se fert. Ergo hoc dicit Horatius, *Post horam quartam vagor; cum jam tunc aut legerim aut scripserim quid, quod me tacitum juvet.* Sine dubio itaque non *ad quartam dormivit*, qui ante eam horam *scripsit aliquid aut legit.* Sed pergamus porro: & investigemus *quo vagari* sit solitus: atque id quidem scire dabitur, ex iis quae sequuntur,

ungor olivo:
Post ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio campum lusumque trigonem:

Nimirum in Campum Martium, ubi homines beatiores aut spatiari & alios ludentes visere, aut ipsi ludere & exercere se solebant. Describit hic scilicet quotidianae suae vitae consuetudinem, quo pacto diem integrum transigere solerer. ‘ *Vespere,* inquit, Circum & ‘ Forum pererro; inde ad cenam domum re- ‘ deo: tandem eo dormitum; & mane ex- ‘ perrectus, usque ad quartam studiis vaco; ‘ inde in Campum me confero, & olivo un- ‘ ctus (non rancido quidem foetidoque, ut ‘ Natta) pila ludo, & ludentes alios specto. ‘ Demum, ubi Solis aestus molestior est, re- ‘ linquo Campum ac Trigonem, & lavatum ‘ eo: postque prandium, tenue id quidem & ‘ parcum, domi otior usque ad *vesperam.* Jam autem exercitia campestria prius oleo perunctos obiisse, res pervulgata est, neque hic adeo probanda. Unde noster de Sybari Carm. I, 8. *Cur* olivum *sanguine viperino cautius vitat; saepe dico, saepe trans finem* jaculo *nobilis expedito?* Ovid. Metam. X, 176.

Corpora veste levant, & succo pinguis olivi
Splendescunt, latique ineunt certamina disci.

Porro in Campo pila lusitare solitum esse Nostrum, atque una interdum cum Maecenate, testis ipse de se est optimus, Serm. II, 6. v. 49. *ludos spectaverit una,*

Luserit in campo: *Fortunae filius, omnes.* Quod erudite sic enarrat Scholiastes Cruquianus: *Siquis me una cum Maecenate in Campo videbat, statim dicebat me esse fortunae filium. Solebant autem Romani in Campo Martio ludere* PILA TRIGONALI. Quibus, opinor, verbis jam, si minus antea, persentiscere incipis, quid sibi illa velint,

fugio CAMPUM LUSUMQUE TRIGONEM.

Trigonis enim *lusus* pilae ludum significabit, ideo, ut creditur, sic dictus, quod lusores paribus inter se spatiis ad Trigoni sive trianguli formam distabant. Martialis in Apophoretis, XIV, 44. PILA TRIGONALIS.

Si me mobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

Idem IV, 19.

Seu lentum ceroma teris, tepidumve TRIGONA,
Sive harpasta manu pulverulenta trahis.

& XII, 81.

Captabit tepidum dextra laevaque TRIGONEM,
Imputet exceptas ut tibi saepe pilas.

&

Digitized by Google

& VII, 72. *Sic palmam tibi de* TRIGONE nudo
Unctae *det favor arbiter* coronae:
Nec laudet Polybi magis sinistras.

Quo postremo loco inductus, equidem libenter apud Nostrum pro illo *Lusum* vel *Ludum* repoiuerim NUDUM,

fugio CAMPUM NUDUMQUE TRIGONEM;

Uncti enim, & proinde *nudi*, *pila* & *disco* alii*sque* id genus ludis certabant, ut jam vidimus. Atque haec omnia magis magi*sque* confirmantur ex eo, quod Noster continuo addit, se tum *lavatum ire* solitum. Quippe a Pilae lusu statim balnea adibant, aut, si serius ludum inciderant Thermis jam clausis, in Tiberi vel Aqua Virgine lavabantur; ut iterum Martialis, XIV, 161.

TINTINNABULUM.

Redde pilam: sonat aes Thermarum. ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Vides jam, opinor, ut apte inter se cohaerearant omnia: quae cum minime intelligeret interpolator ille; spongia, ut erat audacia, emendare voluit. At enimvero, quam egregia atque illis, ut par erat, meliora de suo nobis largitus sit, operae pretium erit cognoscere:

Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.

Nempe *aestuosos dies caniculares* intelligit, ut recte enarrant Scholiastae veteres; veteres, inquam, nam diu est, quod haec macula fere omnes codices inquinavit. Ego vero *aestus Caniculae*, *rabiem*, *calores* sub umbra *vitari* posse probe noveram; ut noster Carm. I, 17.

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus:

ipsi Caniculae *tempora* quo pacto effugerit noster, equidem nescio; nisi forte sub umbras illas se subduxerit,

unde negant redire quemquam,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.

Sed ut hoc ei condonemus; quippe & Tibullus haud multo minus impropriie locutus est; Eleg. I, 1.

Sed canis *aestivos* ortus vitare *sub umbra*
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae;

& sanus utique locus est, & non *ictus* potius quam *ortus* erit legendum: illud potius consideremus, quam concinne atque apte cum orationis serie & auctoris instituto congruat hoc, quod dedit, Emblema. *Ab hora quarta*, *inquit*, *foras prodeambulo*; *tum ungor*: *& ubi appetente fere meridie Solis ardor ingravescit*, *fugio tempora Caniculae*. Quid, malum, Caniculam nobis narras? Describit utique poëta, quid quotidie facere soleat, communibus anni temporibus, Romae, ubi *Forum* & *Circus*: non quid diebus tantum Canicularibus, quorum intemperiem rurі plerumque in silva Sabina abditus fallere & solari consueverat. Jamne sentis, quam indignis modis impostor ille nobis illuserit? Quasi vero sub caelo Italo sol meridianus, non nisi ardente Sirio, molestus esset sub divo morantibus? Et profecto ineptum esse hoc absurdumque quasi per caliginem vidisse ii videntur; qui *rabiosi tempora signi*, non *anni* tempus, sed *diei* interpretantur. Unde vero petitum, tam pulchrum commentum nobis propinant? Ex Persio nempe, cujus illud est, Sat. III.

siccas insana Canicula messes
Jam dudum coquit, & patula pecus omne sub umbra est:

ubi *Canicula*, ut putant, improprie pro quovis die aestuoso ponitur. Bene sane: & est quod Persius gratiam iis habeat. At non videre interea, *siccas* illas *messes*, tam bellam interpretationem prorsus evertere? Sed mittamus hos; quos merito sane castigat celeberrimus Dacerius: ipse interim majoris culpae reus, cum ex contaminato hoc Flacci loco illud nobis ut observatione dignum excudit, Veteres scilicet, nisi diebus Canicularibus, balneis non usos esse. Vestram fidem, Quirites! Satius profecto fuerat, non veteribus adeo omnibus, sed poëtis solis (& in eis Flacco) illuviem illam exprobrasse, quorum, ut ipse ait, *bona pars non ungues ponere curat*,
Non barbam, *secreta petit loca*, balnea vitat.

Rides: sed tamen recte id colligas, quantumvis falsum sit & inhonestum, si vulgatam hic lectionem semel admiseris. Vel furcis itaque expellenda est, quae tam lepidas enarrationes nobis procudit. Certe quocumque te verteris, sive *diei* tempus, sive *anni* tibi finxeris; laterem profecto laveris, ex ipso lavacro sordes colligentem.

v. 131. PATRUUSQUE FUISSENT] Per saeculum, credo, & amplius editionibus omnibus insedit illud *Fuissent*: Et Interpretes omnes quasi compacto silentium agunt. At Venetae illae antiquae cum Loscheriana;

suavius, ac si
Quaestor avus, pater atque meus, patruusque FUISSET:

Neque aliter codices ex nostris, Battelianus, Regius,

Digitized by Google

Regius, Galeanus cum aliis duobus. Enimvero bis peccavit, quicumque ex libris ſuis pluralem hic numerum primus repoſuit. Quippe primo ignarus erat ſtili Horatiani; Noſter enim pluribus licet Nominativis, modo ultimus ſit numero ſingulari, etiam Verbum eodem numero ſemper ſubnectit; ut multis oſtendi ad Carm. I, 24. Deinde, quod multo gravius eſt, etiam Latinitatis ignarus erat; ut videbis, ſi ſic verba ſolvas, *Ac ſi avus meus & pater patruuſque* FUISSENT QUAESTOR. Quid jam videtur? Utique, ſi *fuiſſent* legeris, dicendum fuerit *Quaeſtores*. Vah, quam multa prava & abſurda nos effugiunt; dum quae pueri admirari ſolebamus, poſtea ſecure & ſupine grandiores natu percurrimus.

ECLOGA VII.

V. 3. OMNIBUS ET LIPPIS NOTUM ET TONSORIBUS ESSE] Tanaquillus Faber acutiſſimo vir ingenio, *Si res*, inquit, *& omnibus lippis & tonſoribus nota eſt, quid igitur attinet illam narrare? Ridiculus foret Horatius. Lego itaque,*

Omnibus HAUD *lippis notum & tonſoribus eſſe.*

Ubi non dico, invitis omnibus libris repoſuiſſe hoc Fabrum; idem enim & nos non ſemel fecimus & poſthac faciemus, ſed melioribus, ni valde fallimur, argumentis freti. Quorſum enim *ridiculus?* adeone oblitus eſt Faber, quod in Ovidio olim legerat, Arte I, 681.

Fabula nota quidem, ſed non indigna relatu?

Celebris quidem tum vulgo erat Perſii jocus: ſed Horatius, qui Rupilium male oderat, omnibus eum ſaeculis traductum & laceratum voluit. Ergo literis mandat perennaturis; quod alioqui, licet per ora hominum volitaret, cito tamen intercideret. Neque vero *Haud notum lippis* melius huc aptiuſve convenit. Quomodo enim tam arcanum & paucis notum eſſe potuit; quod publice in Praetorio actum eſt, & populo & milite audiente? Quare optimum eſt, ut receptam lectionem tutemur: illud duntaxat quaeſturi, quo conſilio Noſter *Lippis* hoc & tonſoribus notum eſſe dixerit. De *Tonſoribus* quidem res clara eſt: cum in tonſtrinis homines otioſi & rumigeruli deſidere & tempus terere ſolerent; ut recte ex Plutarcho aliiſque Lambinus poſt Eraſmum obſervavit. At quamobrem quaeſo *Lippis?* Unde illis datum, ut magis aliis quibuſvis rumores conſectentur? Lippi, aiunt, loqua es & curioſi eſſe ſolent; quia prae oculorum vitio nihil aliud, quod agant, habent: unde & proverbium eſſe natum de re pervulgata, *Lippis omnibus & tonſoribus notum.* Haec quidem recentiores: at quanto melius Vetus Scholiaſtes locum enarrat! *Adeo ait divulgatum eſſe, quibus modis infectatus ſit Perſius Rupilium, ut & in* Tonſtrinis *haec & in* Medicinis *narrata ſint. Fere autem in his officinis otioſi ſolent conſidere, ac res rumoribus frequentatas fabulis celebrare.* Recte quidem & erudite. *Medicinis* autem hic poſuit pro officinis medicorum; ubi non minor, quam in *Tonſtrinis*, hominum erat frequentia: unde illa Plauti in Amphit. IV, 1.

Nam omnis plateas perreptavi, gymnaſia & myropolia:
Apud emporium, atque in macello, in palaeſtra atque in foro:
In medicinis, *in* tonſtrinis, *apud omnis aedis ſacras:*
Sum defeſſus quaeritando; uſquam invenio Naucratem.

Sine dubio haec Flacci ſententia eſt: & rectum quidem erat, ut ſic potius verſum conſtitueret,

Omnibus & medicis notum & tonſoribus eſſe.

Ut enim *tonſores*, ita & *medici* quorum plerique tum liberti erant & in vilibus tabernis degebant, omnia illa audire poterant, quae adventores ibi garriebant. Hallucinantur itaque, qui adagium hinc nobis extundunt, *Lippis & Tonſoribus:* quod certe, ſi ullum eſt, ſic omnino efferri debet, *Medicis & Tonſoribus.* Quorſum itaque hic *Lippis* ab Horatio poſitum? Urbane quidem id ab eo factum: ut, cum inimicum ſuum Rupilium inſectari hic & proſcindere voluit, a ſe primo incipere, & quod haberet vitii ridens agnoſceret: idque Vatinii illius noto exemplo; quem (verba ſunt Senecae de Conſtantia cap. XVII.) *ſcurram fuiſſe venuſtum & dicacem memoriae proditum eſt. In pedes ſuos* (ob podagram) *ipſe plurima dicebat, & in fauces conciſas:* (ob ſtrumam) *ſic inimicorum, quos plures habebat quam morbos, & in primis Ciceronis urbanitatem effugit.* Pari itaque conſilio, non *medicos* hic Noſter cum tonſoribus junxit, ſed *Lippas*, qui inter alios curationis cauſſa ad Medicinas

Digitized by Google

cinas confluebant; atque, ibi, ut fit, dum mora trahitur, & audiebant fabulas & narrabant.

v. 4. NEGOTIA DIVES HABEBAT CLAZOMENIS] Servius ad Aen. IV, 345. pro *habebat* citat hic AGEBAT. Quamquam autem & *Negotium agere* & *Litem agere* recte dicitur: nihil tamen hic mutandum, adverſus omnium Codicum fidem. Cicero Epiſt. Fam. I, 3. *Aulo Trebonio, qui in tua provincia* magna negotia *& ampla & expedita* habet. XIII, 30. *Sed quum* habet *praeterea* negotia *vetera in Sicilia ſua.* XIII, 57. *Ut ſuum* negotium, *quod* habet *cum populo Sardiano conficiat.* Et alibi ſaepe

v. 7. CONFIDENS TUMIDUSQUE] Ita Editiones antiquae, & manu ſcriptorum pars longe maxima. Quid itaque attinet QUE ejicere? quamnam lucrabimur elegantiam?

v. 11. INTER HECTORA PRIAMIDEN] Vitioſum ſane loquendi genus & ἰδιωτικόν; quodque magni emerim numquam ab Horatio prolatum: inter

Hectora Priamiden, animoſum atque inter
Ira fuit capitalis. [*Achillem*

ut alibi Epiſt. I, 2. *Neſtor componere lites*

Inter *Peliden feſtinat,* & inter *Atriden.*

Quivis alius ſcriptor τὸ *Inter* ſemel tantum poſuerit; ut Terent. Andr. III, 3.

Irae ſunt inter Glycerium & gnatum.

ut & Graeci, Μεταξὺ κύλικος καὶ χείλους ἄκρου. Μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος. Et ſic alii ubique omnes. Neque vero magis ab uſu, quam a ratione receſſit Noſter. Quomodo enim ſodes *inter Peliden?* cum praepoſitio illa duos hinc & hinc terminos vi ſua & notione deſignet. Non ergo *inter Hectorem* fuit ira, atque iterum *inter Achillem*: ſed ſemel & ſimul *inter utrumque.* Hebraiſmus quidem eſt; quem Septuaginta expreſſerunt, Ἀνὰ μέσον καὶ φωτὸς καὶ ἀνὰ μέσον καὶ σκότους: at Latinus interpres noluit dicere, *Inter lucem & inter tenebras,* utpote ſermone Latino alienum.

v. 15. DUO SI DISCORDIA VEXET INERTES] Lambinus in ſuis nonnullis VERSET invenit: quod rectius puto. Sic alibi Serm. II, 3. 249.

Si quem deleclet barbatum; amentia verſet.

ubi ſimiliter codices nonnulli *vexet.* Paſſim haec verba inter ſe commutantur a Librariis.

v. 20. COMPOSITUS MELIUS CUM BITHO BACCHIUS] Hic, ut fere ſemper in nominibus propriis, variant codices: *Bitho, Bito, Bico,* & *Bacchius, Bachius,* &c. Sed bene habent receptae lectiones: Gruterus 702, 12. BITHUS CRESCENS. Marm. Felſinea p. 21. CN. POMPEIUS BITHUS. Gruterus iterum: L. BACCHIUS. & 961, 1. A. APPULEIUS A. L. BITUS. Ceterum quod editiones omnes praeferunt,

Rupili & Perſi par pugnat, uti non
COMPOSITUS *melius cum Bitho Bacchius:*

dimidia fere pars codicum ſic exhibent,

COMPOSITUM *melius cum Bitho Bacchius.*

Et utrumque quidem ſat bene habet, quantum ad conſtructionem attinet: illud defenditur ex Seneca Praefat. ad IV. Nat. Quaeſt. *Quamvis ſtaturam habeas Threcis cum Threce compoſiti:* hoc ſic conſtituitur, *Par* ita *compoſitum,* uti non melius Bacchius cum Bitho. Cicero Acad. Quaeſt. II, 46. *Unum igitur par, quod depugnet, reliquum eſt, Voluptas cum Honeſtate* Sed omnium, ni fallor, optime codex Magdalenenſis;

COMPOSITI *melius cum Bitho Bacchius.*

Ea vetus & vera lectio eſt; quam cum non caperent Librarii, partim *compoſitum,* partim *compoſitus* nobis dederunt. At elegantiſſima eſt illa Syllepſis, *Bithus cum Bacchio compoſiti:* ut Ovid. Faſt. IV, 54.

Ilia cum Lauſo de Numitore ſati.

& V, 330. *Conſul cum conſule ludos*
Poſtumio Laenas perſolüere *mihi.*

& Metam. II. 257.

Fors eadem Iſmarios *Hebrum cum Strymone ſiccat.*

& ita alii ſaepe. Certe hoc pacto evitabis ſibilum illum auribus ingratum, *Compoſitus melius.*

v. 28. SALSO MULTUMQUE FLUENTI] Ita editiones, & major pars codicum. Torrentiani tamen aliquot melioris, ut ait, notae, MULTOQUE: quibus accedunt Berſmanni duo, & ex noſtris Petrenſis, Galei, & Franekeranus, & Scholiaſtes quoque Porphyrion. Agnoſco veram Horatii manum:

Tum Praeneſtinus ſalſo MULTOQUE *fluenti*
Expreſſa arbuſto regerit convitia, durus
Vindemiator, &c.

ubi ordo eſt: *Tum Praeneſtinus* Rupilius, *durus vindemiator, expreſſa arbuſto convitia regerit* Perſio *ſalſo multoque fluenti;* qui ſcilicet, hiberno flumini modo comparatus, ſalſus multuſque contra Rupilium fluebat. *Multo fluenti,* πολλῷ ῥεύσῃ, ut ait Demoſthenes, cujus profecto locum in animo habuit Noſter, ex Oratione de Corona: Τότε μὲν ἐγὼ τῷ Πύθωνι θεασυνομήσῃ καὶ ΠΟΛΛΩ ΡΕΟΝΤΙ κατ' ἐμοῦ

Digitized by Google

ἐγὼ ἐπεχώρησα: *Tunc quidem ego Pythoni rhetori, ferocienti &* MULTO FLUENTI *adversus vos, minime cessi.* Ita Graeci alibi, Λαβρὸς ῥέων, Λαβρὸς ἐπιῤῥέων: & adjectivum hic omnino elegantius est adverbio. Virgil. Georg. III, 23. [entem

Atque hic undantem bello, magnumque fluNilum, *ac navali surgentis aere columnas.*

i. e. μέγαν ῥέοντα, non genere neutro *magnum* pro *magnè*; ut male vulgo accipiunt. Porro & illud notandum, *falso* cum *fluenti* connectendum esse, itidem ut *multo: ἁλμυρῷ ῥέοντι καὶ πολλῷ*: multo enim venustius hoc, quam si *falso* separatum efferas. Quid jam clarius & apertius toto hoc loco? Quam inepta jam tibi videbitur Dan. Heinsii conjectura? quae tamen ipsi ne dubitanda quidem visa est, & magnos sibi fautores repperit;

falso MUSTOQUE *fluenti*
Expressa arbusto.

Scilicet in eodem errore versatus est Heinsius, quo ceteri ante eum interpretes & veteres & novi: quibus id unum densissimam hic caliginem offudit, quod *falso* & *fluenti* non ad *Persium*, verum ad *arbustum* referrent. Atqui ea constructio nullo modo procedere potest: & laudandus utique est Dacierius, qui (ut nunc video, postquam haec commentatus sum) primus ista ad Persium spectare animadvertit, eo duntaxat infelix, quod partem aliquam veri attigit, integrum non potuit adsequi.

v. 34. QUI REGES CONSUERIS TOLLERE] Editio Veneta cum Acronis & Porphyrionis Scholiis MCCCCXC, tam in versu ipso, quam in utriusque Enarratione CONSUESTI habet; atque ita sine ulla litura codex noster Galeanus. Zulichemianus vero, *Consueras.* Illud placet: modus enim Indicativus aptius hic convenit; & *Consuesti* potius dicere solebant, quam *consueviſti.* Cicero Ep. Fam. XV, 7. *Tu velim, ut* consuesti, *nos absentes diligas & defendas.* Ad Attic. XII, 37. *Etsi tu meam stultitiam* consuesti *ferre.*

ECLOGA. VIII.

v. 15. QUO MODO TRISTES] Lege, invitis licet codicibus;

Aggere in aprico spatiari; QUA *modo tristes*
Albis informem spectabant ossibus agrum.

Quo enim neque ut adverbium, nec ut pronomen huc quadrat: tum autem ambigue & neglegenter cum *modo* conjungitur: *Quo modo* enim aliud prorsus plerumque significat. More autem sollemni corruperunt locum Librarii, ut pro eruditione sua syntaxi consulerent, *Aggere in aprico, quo.*

v. 32. SERVILIBUS UTQUE JAM PERITURA MODIS] Lege ex duobus Torrentii, Pulmanni tribus, Gifanii uno, quem laudat in Indice Lucretiano v. *Commune sepulcrum*; & nostris denique Galeano & Magdalenensi:

Cerea suppliciter stabat, servilibus UT QUAE
Jam peritura modis.

suppliciter stabat, ut quae peritura: hoc est, *utpote quae* peritura esset. Sed insurgit hic doctissimus Lambinus: *Errant,* inquit, *vehementer, atque adeo plane caecutiunt, qui legi volunt,* UT QUAE. *Nam si ita esset, deesset verbum* erat *seu* esset. Atque haec quidem tam acerba in re levi Gifanii, ut videtur, caussa protulit, quem cane & angue pejus oderat propter editum ab illo Lucretium: at eadem opera ceteros, opinor, a lectione illa deterruit. Ne saevi vero tantopere, o bone. Quasi enim quicquam facilius aut familiarius, quam ut *esset* subintelligatur? Noster Serm. I, 1, 23.

Praeterea ne sic, ut qui *jocularia* ridens,
Percurram. & I, 3. 9.
Nil aequale homini fuit illi: saepe, velut qui,
Currebat, fugiens *hostem.*

ubi nunc, sodes, error ille & caecitas, quae exprobrasti? Enimvero *ut quae* longe hic elegantius est, quam *utque:* Terent. Andr. I, 1.

Ita tum discedo ab illo, ut qui *se filiam*
Neget daturum.

Vide nos ad Serm. I, 4. v. 110.

v. 38. VENIANT MICTUM ATQUE CACATUM] Jam bis terque, opinor, Horatii morem indicavimus: scilicet is, etsi post plures Nominativos, singulari tamen numero Verbum amat efferre. Recte itaque hic olim dederunt Editiones Venetae & Loscheri,

atque in me VENIAT *mictum atque cacatum*
Julius, & fragilis Pediatia, furque Verannus.

Et differte hoc exhibent, praeter sex Pulmannianos, nostri etiam codices. Leidensis, Reginensis cum aliis quattuor. Cruq ius Torrentiusque tacent. Videat itaque Lambinus, qui VENIANT hic repposuit, idque ait habere omnes

Digitized by Google

nes fere libros veteres. Utinam meliore fide in his rebus ageretur: jam non hic ceteros poſt ſe omnes in errorem induxiſſet. Priſcianus quidem pag. 875, ubi locum hunc adduxit, *veniant* habet hodie: at correctorum id facinus eſt, qui loca ex auctoribus illic citata ad vulgatas eorum editiones refingunt. Tria enim Priſciani ſcripta vidi exemplaria; quorum duo *veniat* ibi praeferunt, tertium *veniet*. Revocetur itaque vetus lectio numero Singulari; & vide nos ad Carm. I, 24. & alibi.

v. 41. RESONARENT TRISTE ET ACUTUM] Videamus totum locum:

Singula quid memorem? quo pacta alterna loquentes
Umbrae cum Sagana reſonarent *triſte & acutum?*
Utque lupi barbam variae cum dente colubrae
Abdiderint *furtim terris, & imagine cerea*
Largior arſerit *ignis? & ut non teſtis inultus*
Horruerim *voces furiarum & facta duarum?*

Quis jam illud non videat, reclamantibus quantumvis codicibus, RESONARINT hic reponendum eſſe; ut cum ſequentibus congruat; *Abdiderint, Arſerit, Horruerim?* Hoc ab Horatio fuiſſe mea fide & periculo auſim contendere; illud a correctoribus, qui ex analogia opinati ſunt non *reſonarint*, ſed *reſonuerint* dici oportere. Atqui & alibi Noſter *ſono ſonavi* protulit, Serm. I, 4. v. 44.

Magna ſonaturum: *des nominis hujus honorem*:

& ſimiliter *tono tonavi*: Epod. II.

Si quos Eois intonata *fluctibus.*

Manilius lib. V.

Aura per extremas reſonavit *flebile rupes.*

Prudentius in fine Cathemerinôn.

Juvabit ore perſonaſſe *Chriſtum.*

Sane illud *reſonarent* ne Latinum quidem hic eſt: quippe tempus perfectum neceſſario requiritur, *Quid memorem, ut abdiderint, ut arſerit, ut horruerim, quo pacto reſonarint.* Virgil. Eclog. VI. [*Gallum*

Tum canit, errantem Permeſſi ad flumina Aonas in montes ut duxerit *una ſororum*;

Utque *viro Phoebi chorus* adſurrexerit *omnis*,

Ita alii ſemper in locis ſimilibus.

ECLOGA IX.

v. 1. IBAM FORTE VIA SACRA] Etiam hic venia mihi impetranda eſt a lectore nimis religioſo; quod ſine ullius codicis auctoritate particulam UT verſui ingeſſerim. Diſplicebant enim iſta conciſa, & diſſoluta, & hiantia, *Ibam via ſacra. Accurrit mihi quidam.* Quae & vinculo melius continentur, & nitorem quoque lucrantur, ſi ſic refinxeris:

Ibam UT *forte via ſacra, ſicut meus eſt mos,*
Neſcio quid meditans nugarum, totus in illis:
Accurrit quidam notus mihi.

hoc eſt, *Ut ibam, dum ibam, accurrit mihi quidam.* Sic Terentius Phorm. IV, 3.

Ut *abii abs te, fit forte* obviam *mihi Phormio.*

& Eunuch. II, 3.

Is, dum *hanc ſequor, fit mihi* obviam.

Ita ſupra Serm. V. v. 15. ex codicibus reſtituimus, *abſentem* UT *cantat amicam.* ubi vide quae adnotavimus.

v. 11. O TE, BOLLANE, CEREBRI FELICEM] Neſcio cur editiones *Bollane* jam nobis obtrudant; cum vetuſtae & codices fere omnes BOLANE cum unica L habeant. Ita Ciceroni Ep. Fam. XIII, 77. M. *Bolanus*, Statio Silv. V, 2. ter quaterque *Bolanus*; Tacito ſaepius *Vettius Bolanus*; Grutero 128, 5. M. VETTIO BOLANO COS. & 163, 7. M. VETTII BOLANI COS.

v. 16. PERSEQUAR. HINC QUO NUNC ITER EST TIBI?] Hoc quidem in omnibus editis viſitur: at quanto melius eſt, quod in pluribus codicibus comparet?

PROSEQUAR *hinc, quo nunc iter eſt tibi:*

Ita duo Blandinii apud Cruquium, tres Berſmanni, ex noſtris Leidenſis, Reginenſis, Galeanus, Petrenſis, Battelianus, cum aliis duobus. Sententia eſt, *Proſequar & comitabor te hinc, ad locum quo nunc tibi eſt iter; proſequar te honoris cauſſa.* Paſſim eo ſenſu occurrit vox *Proſequor* apud Ciceronem, Livium, Tacitum, alioſque. Martialis XI, 25.

Dum te proſequor, *& domum reduco.*

Propertius III, 7.

Proſequar *& currus utroq; ab littore ovantes.*

Ovid. Amor. I, 4.

Qua licet, ad ſaevas proſequar *uſque fores.*

ubi pariter codices deteriores *Perſequar*. Ceterum *comitandi* hic ſenſum poſtulant ea, quae ſequuntur, *mil opus eſt te*

Circumagi: quendam volo viſere non tibi notum:

hoc eſt, *Non opus eſt, ut una mecum eas; viſo*

Digitized by Google

quendam tibi ignotum, & perlonga eſt via. Perſequar autem aliud quid notat, a ſententia poëtae alienum.

v. 30. DIVINA MOTA ANUS URNA] Ambigua ſane oratio, ut adnotavit Scholiaſtes Acron;

namque inſtat fatum mihi triſte, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:

Neſcias enim, utrum caſu recto *mota anus*, an caſu ablativo *mota urna divina*, dicatur. Mihi quidem neutrum placet. Etſi enim *urna divina* facile in poëta placere poſſit; ut in Silio Italico *flammae divinae*, lib. III.

Fibrarum, & pennae, divinarumque *ſagacem*
Flammarum *miſit dives Gallaecia pubem*:

tamen ſi tertium illud addis, *divinâ urnâ motâ*; adeo ſcabrum atque horridum exit, ut ne proletario quidem vate, nedum Horatio, dignum ſit. Vel illud alterum tolerabilius eſt, *mota anus*, hoc eſt, *commota, agitata, furore percita:* qualis Manto apud Naſonem Metam. VI, 158.

Per medias fuerat, divino concita motu,
Vaticinata vias.

Sed vel hoc pacto haeret ſordetque tota oratio: quid enim illis facias, motâ *anus urnâ divinâ?* an illa ab urna in furorem acta eſt? Vel illud vis potius, mota anus *cecinit urnâ divinâ*, ſive *ex urna*? an illa in urnam repſerat? adde, quod ſine praepoſitione ipſa dictio eſt ubique vitioſa. Quare nihil, opinor, melius eſt veriuſve, quam ut duo vocabula locum inter ſe permutent, hunc in modum:

namque inſtat fatum mihi triſte, Sabella
Quod puero cecinit MOTA DIVINA *anus urna:*

hoc eſt, *fatum, quod Sabella anus, divina ſive ſortilega, mihi puero cecinit, poſtquam urnam moverat.* Urna enim mota, ſortes ejiciebantur; unde Seneca Troad. v. 974.

Verſata *dominos* urna *captivis dedit.*

Virgil. Aen. VI, 432.

Quaeſitor Minos urnam movet.

Claud. II. Rapt. Proſerp. 332.

Urna *nec incertas* verſat *Minoïa ſortes.*

Noſter Carm. III. 1.

Omne capax movet urna *nomen.*

Sane hac parvula mutatione omnia expedita fiunt, &, ſiquid ego judico, multo meliora. Neque vero duplex epitheton timeas *Sabella anus divina:* facile enim hoc admittitur, cum alterutrum nomen eſt proprium: ut Noſter Carm. I, 4.

Et domus exilis Plutonia,

& Virgil. Aen. X, 408.

Horrida per latos acies Vulcania *campos.*

Ceterum & divinare licet, cur hanc lectionem, ſic, ut jam dedimus, ab Horatio profectam, immutaverit Librarius: quanquam haud dedita fortaſſis opera, ſed forte fortuna, & aliud agens, mutare aliquis potuit. Is igitur, quicumque erat, *divina* hic non pro *hariola & conjectrice*, ſed notiore ſenſu pro *caeleſti* acceptiſſe videatur: ut proinde non delirae aniculae, ſed *urnae* potius convenire crediderit. Atque haec quidem mihi olim in mentem venerant; poſtea apud bonum Cruquium eandem conjecturam reperi. Is ergo, quando haec ei rara avis eſt & fere unica, gloriam hanc me volente obtineat. Mihi ſatis erit, ſi, cum nemo hactenus monenti ei obtemperaverit, poſthac me adjutore magis morigerus habuerit.

v. 33. GARRULUS HUNC QUANDO CONSUMET CUMQUE] Ecquid erit pretii, ſi ſpinam hinc eximam, quae interpretes noſtros diu male habuit? [*ret euſſi,*

Hunc neque dira venena, nec hoſticus auſus
Nec laterum dolor, aut tuſſis, nec tarda podagra:

Garrulus hunc quando *conſumet* cumque. Quorum verborum haec ſententia ſit neceſſe eſt: *Neque venenum, nec gladius, nec morbus hunc occidet; ſed garrulus aliquando hunc enecabit.* De ſententia, inquam, conſtat: de verbis non itidem liquet. Negant enim Lambinus Torrentiuſque (at qui viri?) *rò quandocumque* uſquam alibi inveniri in ſignificatione *& aliquando:* neque ſane quiſquam hactenus exemplum aliud protulit. Ergo hanc viam inſiſtunt, ut *quando* hic (ut ſaepe alias) valeat *quoniam, quandoquidem, ſiquidem*: & illud *cumque* abſolute accipiatur pro *quovis tempore*; ut Carm. I, 32.

mihi cumque *ſalve Rite vocanti.*

unde haec oritur conſtructio, *Non venenum, neque morbus hunc interimet: quoniam garrulus hunc quovis tempore conſumet.* At quorſum, obſecro, illud *quovis tempore?* cum ſemel duntaxat emori quis poſſit. Si *quovis tempore* hic admittunt; tum neceſſe eſt, ut *conſumet* perinde ſit ac *conſumere poterit.* Atqui eo pacto ipſam ſententiam labefactant: falſum enim erit illud effatum, *Non venenum hunc tollet; quoniam garrulus quovis cum tempore poterit conſumere.* Neque enim ideo a veneno tutus eſt, quod alteri etiam morti obnoxius & expoſitus eſt. Quare haeret etiamnum

Digitized by Google

num aqua: ſed bono animo eſtote; dabimus auctorem optimum, quo ſpondente *quandocumque* idem erit atque *aliquando*. Ovid. Metam. VI, 544. [*vim*

Si tamen haec ſuperi cernunt; ſi numina Di-
Sunt aliquid; ſi non perierunt omnia mecum;
Quandocumque *mihi poenas dabis.*

hoc eſt, ut res ipſa indicat, *olim, tandem aliquando, aliquo tempore.* Idem Triſt. III, 1. verſ. 57. [*venti,*

Quandocumque, *precor, noſtro placata pa-*
Iſdem ſub dominis aſpiciare domus.

Ergo ad haec exempla, quae tamen rariſſima eſſe fateor, ſic locum hunc interpretor: *Quandocumque hunc garrulus conſumet*; hunc *olim* conſumet garrulus; *erit tempus, cum* hunc conſumet garrulus.

V. 36. ET CASU TUNC RESPONDERE VADATO DEBEBAT] *Vadato*, quod omnes libri agnoſcunt ſcripti editique, active hic ſumendum erit, *homini qui ipſum vadatus erat ſive vadimonio obſtrinxeras.* Quippe *vador* verbum commune eſt, notante Diomede p. 445, & nunc active, nunc paſſive accipitur. Livius III, 13. *Tot vadibus accuſator* vadatus *eſt reum*: & ſic alii ſaepe. Atque ſic latis commode, ut arbitrantur, rem enarrant interpretes. Ego vero nullus dubito, quin ſic dederit Horatius;

& caſu tunc reſpondere VADATUS
Debebat, quod ni feciſſet, perdere litem.

hoc eſt, *ipſe vadimonio obſtrictus debebat reſpondere. Reſpondeo* enim in hac formula abſolute poni ſolet. Digeſt. IV, 1. 7. *Itaque ſi citatus non* reſpondit, *& ob hoc more pronuntiatum eſt.* Cicero in Verrem I, 1. *C. Verrem altera actione* reſponſurum non eſſe, *neque ad judicium aſſuturum.* Et mox: *Praeſto eſt*, reſpondet, *defenditur.* & II. 40. *Citat reum*, non reſpondet, *citat accuſatorem — citatus accuſator, neſcio quo caſu, non* reſpondit, *non affuit.* Livius XXXIX, 17. *Diem certam ſiſturos, ad quam niſi citatus* reſpondiſſet, *abſens damnaretur.* Aſconius in fine Comment. ad Milon. *Multi praeterea, & praeſentes, & cum citati non* reſpondiſſent, *damnati ſunt.* Phaedrus IV, 17.

Profecti ſunt legati non celeri pede:
Citati non reſpondent.

Ubi illud toties iteratum animadverte, CITATUS *reſpondit*: ſimilis enim & hic conſtructio eſt, VADATUS *reſpondere debuit. Vadatus* ſcilicet, quod jam oſtendendum eſt, paſſivam qvoque ſignificationem obtinuit. Plautus in Bacchid. II, 2.

Ita me vadatum *amore vinctumque attines.*

Lucilius Sat. XI. apud Nonium in *Tricae*:

Nec mihi amatore hoc opus, nec tricone
vadato.

Fulgentius Planciades: VADATUS, *obſtrictus, vel ſub fidejuſſione ambulans, ſicut Feneſtella ait: Apud quem* vadatus *amicitiae nodulo tenebatur.* Latinus Pacatus in Panegyr. *Pythiam etiam dicat & Damona: quorum alter in amici morte ſe vadem obtulit, alter ad diem* vadatae *mortis occurrit.* Apuleius Metam. IX. *Memineris mihi reliqua vitae tuae curricula aduſque terminos ultimi ſpiritus* vadata. Symmachus Epiſt. I, 31. *Sic* vadatum *me honorabili more tenuiſti.* II, 45. *Frater meus,* vadatus *optimo teſtimonii tui munere.* IV, 35. Vadatum *me tibi hoc munere velim credas.* V, 45. *Neque hac tantum gratia* vadatum *me eſſe ſentio.* VIII, 65. *Cujus rei homine* vadari *me tibi in majoris gratiae modum fateor.* IX, 12. *Ego tamen fateor ita me* vadatum *gratia, ut ſi ſperata perfeceris.* Atque haec eo fuſius deduximus; quia perſuaſiſſimum habemus ideo hoc a Librariis eſſe corruptum; cum quod *reſpondere* dativum poſt ſe exigere, tum quod *vadatus* non niſi active ſumi poſſe, pro doctrina ſua arbitrati ſint.

V. 42. UT CONTENDERE DURUM EST CUM VICTORE] Meliores codices, tam alieni, quam noſtri, in quibus Leidenſis & Reginenſis non agnoſcunt EST; quod elegantius omittitur. Terent. Phorm. II, 1.

Etiamne id lex coëgit? Illud durum. *Ego*
expediam: ſine.

V. 48. NON ISTO VIVIMUS ILLIC QUO TU RERE MODO] Eodem ſenſu, ſed paullo venuſtius, Zulichemianus, Galeanus, & codex Collegii Trinitatis,

non iſto VIVITUR *illic*:

Ita noſter Carm. II, 16.

Vivitur *parvo bene, cui paternum*
Splendet in menſa tenui ſalinum.

Terent. Heaut. I, 1.

hoc fit, ubi non vere vivitur.

Perſius Sat. IV.

Vivitur *hoc pacto; ſic novimus.*

Vulgata lectio eſt hujus interpretamentum. Claudianus IV. Conſ. Honorii v. 266.

tum durius irae
Conſulitur, *cum poena patet;*

Sic ex melioribus libris edidit Nic. Heinſius; cum antea vulgo ibi ferretur, *Conſulimus.*

V. 50. NIL MI OFFICIT UNQUAM] Haeret etiamnum hoc ex editionibus priſcis;

Digitized by Google

cum tamen omnes fateantur in melioribus codicibus sic haberi,

nil mi officit, INQUAM,
Ditior hic, aut est quia doctior.

Ita certe ex nostris Leidensis, Reginensis cum aliis septem. Revocetur itaque vetus lectio, quae & verior est & elegantior.

v. 55. ET EST QUI VINCI POSSIT] Primus hanc lectionem, quae in libris omnibus compâret, sollicitavit Janus Dousa, vir & nobilitate & eruditione insignis:

Expugnabis: & est qui vinci POSSIT, *eoque*
Difficiles aditus primos habet.

Apage, inquit, POSSIT *istud: Quis enim dixerit, eo facilius expugnabilem videri Maecenatem, quod asper & exoratu difficilis sit in principio? Quare omnino opus est, ut* POSCIT *emendemus; hoc est, postulat se pertinaci ac indefessa sollicitatione vinci; eoque primos aditus se prensantibus solet occludere.* Haec fere Dousa; non cogitans se sententiam poëtae prorsus invertere. Non enim id voluit Noster, *Maecenatem ideo vinci posse, quia difficiles primos aditus habet*; hoc enim ineptum & absurdum esset; sed contra, *Ideo difficiles habere primos aditus, quia scit se vinci posse.* Rectissime. Conscius scilicet suae facilitatis Maecenas, se vel invitum expugnari posse ab improbis flagitatoribus, aditum adversus tales intercludit; janitori, nomenclatori, cubiculario, duris & morosis servulis, mandando, nequem nisi ex intima amicitia ad se intromittant. Haec sine dubio mens Flacci est; quam firmant & declarant ea quae statim sequuntur:

haud mihi deero:
Muneribus servos *corrumpam; non, hodie si*
Exclusus *fuero, desistam; tempora quaeram.*

Recta igitur & sana est recepta lectio: at illa Dousae quot secum fert incommoda? *Maecenas,* ait, *poscit vinci,* Quo ore de Maecenate Noster hoc dixerit? *Poscere* enim *se vinci,* & per lenta obsequia tardasque moras expugnari denique, hominis est vani & stolide superbi. Adde huc, quod, vel ex Dousae conjectura, non utique *Poscit* dicendum fuerit; sed quod longius a libris recedit, *Poscat. Est qui vinci poscat*; ut Cic. ad Att. VII, 5. *Nam ego is sum,* qui *illi concedi* putem *utilius esse quod postulat, quam signa conferri.* X, 10. *Sed ego is non sum,* qui *statuere* debeam. Ep. ad Brutum XV. *Ego vero is sum,* qui *non modo non* suppliciter, *sed etiam* coerceam *postulantes ut sibi supplicetur.*

v. 68. SED MELIORI TEMPORE DICAM] Loscheri editio & Veneta MCCCCXC habent MELIORE; quo modo Pulmanni codices quattuor, & unus alterque ex nostris. Idque recte, ut opinor; sic enim solet Noster: *Concines* majore *Pœta plectro. Digne puer* meliore *flamma.* Meliore *ductos alite muros. Quicquid vita* meliore *parasti. Ut studio* majore *petant. Et centum* potiore *signis Carmine donat.* Cicero ad Atticum X, 7. *Quod ut* meliore tempore *possimus, facit Dolabella.*

v. 69. VIN TU CURTIS JUDAEIS OPPEDERE?] Lege hic, VIS TU; vide quae dicemus ad Serm. II, 6. v. 92.

Vis tu *homines urbemque feris praeponere silvis?*

v. 76. QUO TU, TURPISSIME? MAGNA EXCLAMAT VOCE] Sic editiones: neque quidquam ex libris suis proferunt Interpretes, excepto Bersmanno, is vero in duobus se testatur invenisse. *quo tu, turpissime? magna* INCLAMAT *voce.*

Et sic plane codices nostri, Galeanus, Regius, Societatis Regiae, & Collegii Trinitatis, & pro varia lectione Reginensis. Rectius sine dubio: *Inclamat & increpat hominem his verbis, Quo tu, turpissime?* Lucret. III, 967.

Non merito inclamet *magis, & voce increpet acri,*
Aufer ab hinc lacrimas, barathro, & compesce querelas.

Vide Plautum, Ciceronem, Livium, alios.

ECLOGA X.

v. 21. QUINE PUTETIS DIFFICILE ET MIRUM] Manuscripti quidam, tam aliorum, quam nostri PUTATIS: sed plures & meliores PUTETIS; & sic editiones quoque priscae, & Priscianus p. 1032, ubi tria quae vidi exemplaria lectionem confirmant. Recte igitur habet.

o seri studiorum, quine putetis
Difficile & mirum, Rhodio quod Pithocleonti
Contigit? Terent. Adelph. II, 3.
Quid est? Quid sit? illius opera, Syre,
nunc vivo: festivum caput,
Quin' *omnia sibi* postputarit *esse prae meo*
commodo?

Ita ibi legendum, ex Donato, & codicibus Faerni, & duobus Britannicis notae optimae: &

Digitized by Google

& hic quidem locus Horatiano geminus plane & germanus est. Ovid. Fast. II, 45.

Ah nimium faciles, qui tristia crimina caedis
Fluminea tolli posse putetis aqua.

ubi codices non pauci, ut hic apud Nostrum, PUTATIS. Atque hic etiam locus germanissimus est; unde illud quoque discere licet, τὸ NE apud Terentium & Nostrum aut παρέλκον esse, ut ibi censet Donatus, aut, ut mihi potius videtur, interrogativum; certe non, ut Priciano, confirmativum. Ceterum in Rhodii illius nomine variant codices: alii *Phitoleunti*, alii *Pitoleonti*, alii denique, ut nunc editum, atque hoc rectum, *Pitholeon*, Πειθολέων. Scholiastes Acron: *Dicitur Pitholeon Epigrammata ridicule scripsisse, in quibus Graeca verba mixta erant cum Latinis.* Is ipse est, ni fallor, qui Julium Caesarem famosis carminibus laceravit; ut narrat Suetonius cap. LXXV. *Auli*, ait, *Caecinae criminosissimo libro & PITHOLAI carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam civili animo tulit. Pitholaus* enim iste, quia in Hexametrum versum non veniret, *Pitholeon* dictus est Nostro: quod nomen unum idemque ac illud alterum: Πειθόλαος, Πειθόλεως, Πειθολέων; ut Τιμόλαος, Τιμολέων; Μενέλαος, Μενέλεως; Αγησίλαος, Αγησίλας, Αγησίλεως. Dictum ejus non inficetum memorat Macrobius, Saturn. II, 2. *Marcus*, inquit, *Otacilius* Pitholaus, *cum Caninius Rebilus uno tantum die Consul fuisset, dixit, Ante Flamines, nunc Consules diales fiunt.* Pitholaus ergo iste, sive Pitholeon, natione Rhodius, sub domino Otacilio Romae serviebat; a quo demum manumissus, pro recepto more libertorum, nomine herili & cognomine servili, Marcus Otacilius Pitholaus est dictus.

v. 27. OBLITUS PATRIAEQUE PATRISQUE, LATINE] Multum hic locus negotii interpretibus facessit; *an & cum*

Dura tibi peragenda rei sit caussa Petilli?
Scilicet oblitus patriaeque patrisque, LATINE
Cum Pedius caussas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris mallis, Canusini more bilinguis?

Ita primus repositit Lambinus, ex duobus, ut ait, codicibus; quem secuti Cruquius Torrentiusque plerique omnes sua auctoritate in hanc partem traxerunt. Male vero ab iis factum & prave: quippe, si verum libere dicendum est, χάλκεα hic ἀντὶ χρυσέων nobis dederunt. Quale enim illud, *oblitus patriae patrisque?* quorsum adeo *patris?* cur non & *avorum majorumque* omnium? Qualia etiam illa, *Cum Pedius & Corvinus Latine caussas agunt?* Quasi vero alias solerent Graece agere? Jam vero non dicit *caussas agere*; sed, qua Satiram decet metaphora, *caussas exsudare.* At vero quicquid verbo proprio convenit, non idem quoque verbo translato. *Latine caussas orare* recte dicitur; *Latine exsudare*, portentum plane est; & in ignotas terras deportandum, ubi incolae Latine vomunt & Latine ventrem exonerant. Haeccine tam eruditis viris tantopere placuisse? Pudet profecto taedetque: & revocemus illico lectionem veterem, quam indigne adeo Lambinus amovit, quamque omnes aliorum codices, nostri certe universi, uno consensu exhibent,

Scilicet oblitus patriaeque patrisque LATINI. *Latinus* autem *pater*, is est socer Aeneae, poniturque hic tamquam vetustissimus Latini nominis. Virgil. Aen. VII, 61.

Quam pater *inventam, primas cum conderet arces,*
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus.

92.

Hic & tum pater *ipse petens responsa* Latinus. XI, 469. [tinus.

Concilium ipse pater *& magna incepta* Latinus. Vel *pater Latinus* adjective sumi potest, ut *pater Romanus*, Virgil. Aen. XI, 448.

Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus *habebit.*

Utrovis modo acceperis, perinde est: sed prior magis arridet. Elegantissime vero dictum; quasi quis Attico alicui dixisset, *Tune, oblitus Athenarum & Cecropis, ex Graeculo Tuscus factus es?* Quemadmodum autem hic in ipso scirpo nodum invenerunt interpretes; ita mox in ipsa nuce nihil duri repererunt. Sic enim sequentia constituunt & enarrant: *An cum Petillii caussa tibi peragenda est, tu patrii sermonis oblitus Latinis Graeca intermiscere vis, cum Pedius & Corvinus contra Petillium caussas exsudent?* Quot, obsecro, *caussas?* siquidem unicam litem habuit Petillius, furti scilicet reus, quod ex Capitolio coronam abstulerit. Id quod satis indicat versus praecedens,

Dura tibi peragenda rei sit caussa *Petilli.*

Quare & hic *caussam exsudent* dicendum fuerit; si de actione contra Petillium in his verbis agitur. At *caussam* hic reponi vel metri ratio prohibet. Quid multa? Mihi quidem totus locus levi mutatione sic videtur refingendus:

Cum

Digitized by Google

Cum versus facias: te ipsum percenseor, an & cum
Dura tibi peragenda rei sit caussa Petilli?
Scilicet OBLITOS *patriaeque patrisque* LATINI,
Cum Pedius caussas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis?

Vel, ut Reginensis & Petrensis habent, EXSUDAT.

Quorum verborum hic ordo, haec sententia est: *Probas verba Graeca Latinis misceri: nempe in versibus faciendis. Rogo, an & in caussis agendis? Scilicet, cum Pedius & Corvinus, clari oratores, caussas orant, malis eos oblitos patrii sermonis verba foris petita orationibus suis inserere?* Hoc certe pacto evitantur omnia incommoda; quae utrinque hunc locum premunt, seu *Latini*, sive *Latine* legeris. Nam *Latine* quidem hic legi, non Latinitas, non ratio, non codices concessere. Quod si *Latini* legeris; nisi tamen *oblitos* pro *oblitus* substitueris; nescias sane quid hic faciant aut quorsum pertineant Pedius & Corvinus cum *caussis* suis.

v. 32. VETUIT ME TALI VOCE QUIRINUS] Codex Collegii Trinitatis commodius verba haec collocat,

Versiculos: vetuit TALI ME *voce Quirinus.*

Porro in versu praecedente ATQUI cum Cruquio & Lambino dedimus, eundem codicem & vetustissimum Leidensem secuti. Alii habent *Atque.*

v. 37. DEFINGIT RHENI LUTEUM CAPUT] *Defingit* hic habent cum editiones veteres, tum codicum pars melior. Quin & libri, qui *diffingit* exhibent, id ex vitiosa scribendi ratione facere censendi sunt: ut nobis observatum ad Carm. I, 35. v. 39. Perperam itaque agunt, qui DIFFINGUNT hic in suis editionibus reponunt. Hoc enim non *male fingere*, ut quidem putant, sed *fictum corrumpere* notat; ut Carm. III, 29.

Diffinget, infectumque reddet.

Recte itaque *defingit*; hoc est, versibus describit luteum caput Rheni fluminis. Sunt etiam codices, qui DEPINGIT hic habeant: sed perperam. Caput enim *luteum* formare, Fictoris est sive Plastae, non Pictoris. Sed pessime omnium exemplaria illa, quae DEFIGIT hic repraesentant: quod nollem (referente Nic. Heinsio in libri sui margine) nostro Graevio placuisset, *ut ad defixiones magicas referatur.* Quid enim negotii aut Poëtae aut Rheno cum defixionibus magicis esse posset, equidem nullus video. Ceterum quinam fuerit iste *turgidus Alpinus*, docere nos voluit Scholiastes Acron: *Vivalium quendam*, inquit, *poëtam Gallum tangit.* Ubi vero gentium quaeramus istum *Vivalium?* Cruquius ex conjectura edidit, *Rivalem quendam*: & ea occasione data mirificum somnium venditat. Tu vero pro *Vivalium* repone *Vivaculum.* Sic enim Librarii solent scribere apud Macrobium, Plinium, alios: quem fideliores codices *Bibaculum* vocant. Eundem alibi fugillat Noster Serm. II, 5. v. 41.

seu pingui tentus omaso

Furius *hibernas cava nive conspuit Alpes.*

ubi optime idem Acron: *Furius Bibaculus in pragmatia belli Gallici,*

Jupiter hibernas cana nive conspuit Alpes.

De eo vide Catullum, Suetonium, Tacitum, Quintilianum. Plinius Praefat. Hist. Natur. *Nostri crassiores, Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque* (libros inscripserunt:) *facetissimi, Lucubrationum, ut qui* Bibaculus *erat & vocabatur.* Ita recte dederunt Harduinus, & ad Catullum Is. Vossius: scripti ibi codices *Vivaculus.* Ergo Furius ille *Bibaculi* cognomen lucratus est, quia bibax erat: idem erat *pingui tentus omaso*: utpote non minus cibi appetens, quam vini. Atque ex his omnibus facile equidem ab Acrone persuaderi me patior, non alium quam Bibaculum hic ab Horatio perstringi. *Turgidus* enim ille, quia pingui omaso tentus: *Alpinus* autem, *vel* quia *Gallus*, vel quia *Bellum Gallicum* versibus scripsit, vel (quod ego potius existimo) ob male natum istum versiculum, CONSPUIT ALPES; quo risus jocosque dedit illius aevi poëtis, ipse alias & ingenio & fama non incelebris.

v. 38. QUAE NEC IN AEDE SONANT] Pro NEC repone NEQUE ex Leidensi, Reginensi & multis aliis: de quo jam supra dixisse meminimus.

v. 49. MULTA CUM LAUDE CORONAM] Ita Editio Loscheri, & Veneta MCCCCXC: at altera his prior, anno nempe MCCCCLXXVIII, alio verborum ordine,

Haerentem capiti CUM MULTA *laude coronam:*

quem & ipse in plus decem codicibus vidi. Amat Noster quotidiani sermonis inornatam simplicitatem. Sic Serm. I, 8, 50.

Vincula cum magno *risuque jocoque videres.*

II, 3, 11.

Digitized by Google

II, 3. 112. *Porrectus vigilet* cum longo *fuste.* II, 7, 35.

cum magno *blateras clamore, fugisque.*
Art. Poet. 260. [*sus.*

In scenam missus cum magno pondere *ver-*
Plinius Epist. VII, 9. *Multos videmus ejusmodi certamina sibi* cum multa laude *sumsisse.*

V. 59. MOLLIUS AC SIQUIS] Veneta princeps AC *siquis*: altera cum Lofcheriana & Scholiaste Acrone, AT *siquis*: unde nunc in hanc, nunc in illam partem trahuntur Interpretes. Dacerius vero neutram secutus, ex conjectura emendat, AN *siquis.* In qua, ut neque in altera AT, nullum orationis exitum invenias. *At siquis*, vel *An siquis, contentus modo Hexametros facere, ducentos versus ante cenam, & totidem a cena scribere soleat?* Quid tum? quid sequitur? Nihil enim. Tu vero lege cum pluribus & melioris notae codicibus, & sic distingue: [*garit*

Quaerere, num illius num rerum dura ne-
Versiculos natura magis factos & euntes
Mollius, AC si quis, pedibus quid claudere [*centos*
senis
(Hoc tantum) contentus, amet scripsisse duAnte cibum versus, totidem cenatus?

Mollius, ac si, hoc est, *mollius, quam si*; ut passim apud Scriptores, ita Serm. I, 6, 130.

victurum suavius, ac si
Quaestor avus, pater atque meus, patruusque fuisset.

Sententia autem clara & luculenta: Quid vetat & nos quaerere, num Lucilii ingenium, num argumentum ipsum negaverit versus politiores & molliores, quam siquis sine cura & lima extemporales hexametros fundat? Scilicet Lucilius ipse, si majorem diligentiam adhibuisset, etiam in Satiris (argumento licet duro & ornari fere negante) cultiores utique versus dare potuisset, quam quales nunc dedit ipse & Cassius Parmensis, extemporales, impolitos, scabros & incomptos. Haec profecto mens Horatii est; quam nunc video & Theodorum Marcilium ex parte assecutum esse.

V. 77. EXPLOSA ARBUSCULA DIXIT] Codex vetustus Reginensis ARBUSTULA, quasi ab *Arbusto.* Batteliamus AURICULA. Sed recte habet recepta Lectio: quam & firmat Servius ad Virgil. Eclog. m. X. Cicero ad Attic. IV, 15. *Quaeris nunc de* Arbuscula. *Valde placuit. Ludi magnifici & grati.* Ea ipsa est, quam hic memorat Horatius, Marmor Praenestinum apud Fabricium p. 89. SEX. NAEVIUS SEX. L. PHILEMO. NAEVIA SEX. LIBERTA. ARBUSCULA. Unde tamen male colligit vir ille doctissimus huic mimae nomen fuisse *Naeviam*; atque adeo hoc ejus monumentum esse. Plures enim liberrae erant eo cognomine. Reinesius XIX, 28. GRANIA P. L. ARBUSCULA. Gruterus 593, 2. VOLUSIAE ARBUSCULAE. 1041, 5. FLAVIAE ARBUSCULAE CONIUGI. Ceterum servile nomen eae sunt nactae ab *arbuscula* sive *parva arbore.* Valer. Max. IX, 1. *Si decem* arbusculas *inde succidero*: & mox, *Decem* arbuscularum *umbram.* Plin. Epist. I, 24. *Omnesque viticulas suas nosse & numerare* arbusculas *possint.* II, 11. *Quid* arbusculae *tuae, quid vineae, quid segetes agunt?* Quintil. Declam. XIII. *consitas manibus meis* arbusculas.

V. 78. MEN' MOVEAT CIMEX PANTILIUS, AUT CRUCIET] In nullo, opinor, codice invenias CRUCIET; quippe omnes cum vetustis editionibus CRUCIET clare exhibent. Mutatum est ab aliquo, qui constructionis hic modum ignoraret; quae sic instituenda: [CIET *quod*

Men' moveat, cimex Pantilius, aut CRU-
Vellicet absentem Demetrius?

ubi ordo est, *Men' moveat, quod cimex Pantilius; aut men' cruciet, quod Demetrius absentem vellicet? Men' moveat* absolute hic ponitur, non ad *Pantilius* refertur. Sic Persius, qui hunc ipsum locum in animo habuit, Sat. I, 88. *doctus posuisse figuras*

Laudatur: bellum hoc. hoc bellum? an
Romule ceves?
Men' moveat? *quippe &, cantet si nau-*
Protulerim? [*fragus, assem*

Lucanus VII, 281.

Armenios ne movet, *Romana potentia cujus*
Sit ducis?

Digest. XIII, 1, 17. *Nec* me movet, *praesens homo fuerit, necne.* XXXIX, 2, 32. *Et hoc plerisque placet: sed* movet me, *quod ipse meas aedes reficere possim.* Ceterum illud hic advertendum; prius *Quod* hic omissum esse: plena enim oratio est, *Quod cimex Pantilius, quod Demetrius vellicent absentem.* Idque more plane Horatiano, ut Serm. II, 8. V. 15.

Hic herus; Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat, habemus utrumque.

pro, *sive Albanum, sive Falernum*: & hac ipsa Ecloga V. 90.

Digitized by Google

Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras,
pro, *Te, Demetri, teque, Tigelli.* Severus in Aetna:
Minos, tuaque, Aeace, in umbris
Jura canunt.
pro, *Tua, Minos, tuaque, Aeace.* Equidem his fretus rationibus vulgatam lectionem esse sanam, & minime sollicitandam existimo.

v. 86. VOS, BIBULI ET SERVI] Ergo plures hic alloquitur *Bibulos & Servios*, ut supra *Viscos* duos? Sed illud repugnat, quod *Servii* in vocativo plurali contractionem non admittit. Atqui illud extra dubitationem est, *Servi* hic a recto *Servius* fluere, non a *Servus*. Quare & elegantissima & certissima est Nicolai Heinsii emendatio,
Vos, BIBULE & SERVI; simul his te,
candide Furni.

v. 88. QUIBUS HAEC, SINT QUALIACUMQUE] Olim in vetustis editionibus dederunt,
quibus haec, SUNT qualiacumque:
nunc a saeculo & amplius ubique obtinuit, SINT. Codices quoque alii hoc habent, alii illud. In re levicula quid potius sequemur? Suetonius Aug. c. LXXXVII. *Et cum hortatus ferenda esse praesentia*, qualiacumque sint; *contenti simus hoc Catone.* Cicero De Oratore XXXVII. *Quae*, qualiacumque *in me* sunt, *me ipsum poenitet quanta sint.* Sed haec & similia ex dubia librariorum fide pendent: in Poëtis vel ex metri necessitate certius quid explorabimus. Ovid. Pont. IV, 13.
Qualis *enim* cumque est, *non latet esse meum.*
Amor. III, 15.
Quantulacumque estis, *vos ego magna voco.*
Martialis Epigr. I, 70.
Sic licet excuses: quia, qualiacumque leguntur
Ista, salutator scribere non potuit.
Quid ergo opus erat, Venetarum editionum & Loscherianae lectionem loco movere?

NOTAE AD SERMONUM

LIB. II. 1.

v. 1. SUNT QUIBUS IN SATIRA VIDEAR] Dimidia fere codicum pars VIDEOR, altera VIDEAR. Utrumque probum: ut Carm. I, 7.
Sunt quibus *unum opus* est *intactae Pallados* I, 1. [*dis urbem.*
Sunt quos *curriculo pulverem Olympicum*
Collegisse juvat. Serm. I, 4, 24.
Quod sunt quos *genus hoc minime* juvat.
Serm. II, 4, 47.
Sunt quorum *ingenium nova tantum crustula* promit. Persius Sat. I.
Sunt quos *Pacuvius & verrucosa* moretur
Antiopa.
& Sat. VI. *Solis natalibus est qui*
Tingat *olus.*
Seneca Controv. XVI. *Sunt qui castra timeant, sunt qui cicatricibus gaudeant.* Et alii passim. Quare VIDEAR, quod hactenus editiones occuparit, possessione sua depellere & iniquum foret & inutile.

v. 2. ET ULTRA LEGEM TENDERE OPUS] Praestantissimus Nic. Heinsius mavult, *& ultra*
Legem INTENDERE *opus:*
quod & in libris quibusdam extare prodidit Lambinus. In nostris omnibus est *Tendere.* Sane *in* a praecedente litera *m* abiorptum videri potest; *Intendere* enim pro augere, provehere, promovere passim occurrit; *tendere* in eo sensu legisse non memini.

v. 10. SI TANTUS AMOR SCRIBENDI TE RAPIT] Mira hic pertinacia lectionem malam propugnant codices: solus Colbertinus recte dedit,
Aut, si tantus amor scribendi te CAPIT.
Amor te capit, odium capit, ubique se legentibus ingerunt; ut ineptum sit exempla hic adducere. *Amor te rapit* nimium plane & affectatum esset, &, quod me movet maxime, Trebatii personae incongruens. Extat quidem hodie apud Nasonem Fast. II, 762.
Interea juvenis fumatos regius ignes
Concipit, & caeco raptus amore *ruit.*
Quod etsi in Ovidio praetulerim, quia praecedit *concipit*, decem tamen codices, referente ibi Heinsio,

Digitized by Google

Heinsio, habent *captus amore*: ut Virgil.

Singula dum capti *circumvectamur* amore:

& alibi: *Siquis tamen haec quoque, siquis*
Captus amore *leget.*

Verum utcumque de Ovidii loco decernas, in Horatiano certe CAPIT longe aptius & familiarius est.

v. 15. DESCRIBAT VULNERA PARTHI] Haesit hoc ex editionibus vetustis. Plures enim codices, in quibus Blandinii veteres, DESCRIBET vel DESCRIBIT. Placet posterius, quod agnoscunt ex nostris Reginensis, Regiae Societatis, Battelianus, Magdalenensis cum Petrensi. Sic Noster Arte Poët. 263. [*dex.*

Non quivis videt *immodulata poëmata ju-* Martialis VIII. 48.

Non quicumq; capit *saturatas murice vestes:*
Nec nisi deliciis convenit iste color.

v. 20. CUI MALE SI PALPERE, RECALCITRAT UNDIQUE TUTUS] Vel lege cum codice Petrensi,

Cui male si PALPARE, *recalcitrat undi-* vel potius cum Batteliano, *que tutus:*
Cui male si palpere, RECALCITRET *undique tutus.*

Melius enim est, ut utrumque Verbum eodem Modo efferatur. Sic Serm. II, 3, 214.

Si quis *lectica nitidam gestare* amet *agnam,*
interdicto huic omne adimat *jus*
Praetor, & ad fanos abeat *tutela propinquos.*

& 249.

Si quem delectet *barbatum, amentia* versat.

& 259.

Sume, catelle; negat: si non des, optet.

Cum autem translatio hic sit ab equo calcitroso, & de Caesare sit sermo; mollior sane honestiorque est Subjunctivus modus, *Recalcitret sive recalcitrare velit,* quam *Recalcitrat*; quod de Caesare nimis familiariter dictum foret, & pene contumelioše. Digest. IX, 1, 1. *Ideoque si equus dolore concitatus, calce petierit, cessare actionem:* —— *at si, cum equum permulsisset quis, vel* palpatus est, [*&*] *calce eum percusserit, erit actioni locus,* Ubi pro *palpatus est &*, sine dubio corrigendum, *palpatus esset.*

v. 22. NOMENTANUMQUE NEPOTEM] Rectius codex Reginensis, Colbertinus, Regiae Societatis, Petrensis, Collegii Trinitatis, cum duobus Berfmanni;

Pantolabum Scurram, NOMENTANUMVE *nepotem.*

v. 24. SALTAT MILONIUS] Codex Regius, MILLONIUS. Gruterus 54, 1. M. MILLONIUS M. L. AUCTUS.

v. 31. NEQUE SI MALE GESSERAT USQUAM] *Gesserat* quidem omnes quos vidi codices uno consensu exhibent; ut & Torrentii, Cruquii, & aliorum:

Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris; neque si male gesserat, *usquam*
Decurrens alio, neque si bene.

Quod, cum ne Latinum quidem esse recte viderat eruditissimus Lambinus; (deesse enim *rem; si male rem gesserat*) lectionem in quibusdam editis inventam reposuit, CESSERAT. Hic vero reclamare illico Torrentius Cruquiusque; violari omnium codicum fidem: etiam *Gerere* interdum absolute poni, ut *A spe bene gerendi abesse* dixit Cicero lib. v. de Finibus. Quorum auctoritate factum est, ut, spreto jam Lambino, illud *Gesserat* in nuperis editionibus denuo compareat. Operae autem pretium est cognoscere, quali testimonio freti τὸ *Gerere* absolute poni praedicent. Locus integer Ciceronis sic se habet De Finibus V, 19. *Quid, quod homines infima fortuna, nulla spe* rerum gerendarum, *opifices denique, delectentur historia? maximeque eos videre possumus* res gestas *audire & legere velle, qui a spe* gerendi *absunt confecti senectute.* Quid jam videtur? quis non videat *Gerendi* non absolute hic poni; sed *Res* e commate praecedente repeti hic & subintelligi? Quale cum nihil in hoc Flacci loco contingat; bene Latine hoc dictum esse, *si male gesserat,* fidenter negamus. Reviviscet itaque, credo, altera lectio, ex conjectura fortasse nata: quam sane tuetur sagacissimus Nic. Heinsius, tam hic in libri sui margine, quam ad Fastos Nasonis, II, 380. notissimam scilicet locutionem, & ex germana Latinitate. Ovid. Met. X, 80. *omnemque refugerat Orpheus*
Femineam Venerem; seu quod male cesse- [rat *illi,*
Sive fidem dederat.

& Heroid. X, 141.

Non te per meritum, quoniam male cessit, *adoro.*

Plinius Paneg. c. 44. *Pauci adeo ingenio valent, ut non turpe honestumque prout,* bene ac (lege *aut*) secus *cesserit, expetant fugiantve.* Vegetius III, 10. *Illa autem ante tentanda sunt, quae* si male cesserint, *minus noceant; si bene, plurimum prosint.* Seneca De Benef. I, 1. *Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit, cum daret.* —— *At* male cessit. *Et lixeri, & conjuges spem fefellerunt.* Ibidem IV, 33. *Exspecta, ut nisi* bene cessura *non facias, & nisi comperta veritate nihil moveris.* Agnoscis,

Digitized by Google

opinor, phrasin cum primis legitimam: disquiramus porro, an loco serviat, & orationis filo apte conveniat:

Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris, neq; si male cesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene.

hoc est, ut aiunt, *sive quid ei male evenerat, sive prospere, chartis suis commitebat.* Nempe hoc pacto eadem redit sententia, quam Cruquius Torrentiusque volunt, cum sic legunt, *Seu male* (rem) *gesserat, sive bene.* Atqui aut nihil hic videmus, aut aliud prorsus hic cogitavit Horatius. Quid enim? Nimirne aliud in Satiris agebat Lucilius, quam ut de rebus propriis, seu adversis, sive prosperis loqueretur? Extant hodie reliquiae earum satis luculentae, quas Franciscus Dousa collegit & digessit: ubi plerumque nihil minus quam res suas narrat Lucilius. Quin & Noster mox v. 34. se *Lucilium sequi* & in argumentis Satirarum imitari profitetur: at vero in his Sermonibus quotusquisque est, qui de Horatii rebus agit? qui non locum aliquem moralem & communem tractat? Quid multis opus? Equidem nova via insistens tam verba, quam sententiam, extra omnem reprehensionis aleam sic constituo:

neque si male CESSERAT, *usquam*
Decurrens alio, neque si bene:

hoc est, *Nusquam alio praeterquam ad libros decurrens, seu bene ei cesserat* in scribendo, *seu male.* Scilicet quovis ille die scribere amabat, sive aptus tum ad studium, seu, ut saepe usu venit, ineptior; seu Musis faventibus, sive aversis. Suetonius in Vita Terentii: *Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, potuisse ab ea, ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium, dixisse, Non saepe* in scribendo magis successisse sibi: *deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus, qui sunt in Heautontimorumeno,*

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Seneca Praef. ad Controv. lib. II. *Nec est quod insidias putes tibi fieri, quasi id agam, ut te* bene cedentis studii *labor teneat.* Idem Controv. XXVIII. *Nam & Ovidius nescit, quod* bene cessit, *relinquere.* Ovid. Pont. IV, 2.

At tu, cui bibitur felicius Aonius fons,
Utiliter studium *quod tibi* cedit, *ama.*

Idem Trist. V, 12. [*suades*

An quia cesserunt *primo* bene carmina,
Scribere, successus ut sequar ipse meos?

v. 37. QUO NE PER VACUUM ROMANO] Frustra Lambini aliquot codices, QUA NE. *Quo ne* idem est ac *ut ne.* Dig. II, 21, 1, 17. *si celandi causa,* quo ne *ad dominum reverteretur, fugisset; fugitivum esse.*

Missus ad hoc, pulsis (vetus est ut fama) Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,
Sive quod Appula gens, seu quod Lucanus
Incuteret violenta. [*bellum*

Romano autem, non *populo,* ut vulgo hic Interpretes; sed *agro*: *Ne hostis incurreret Romano*; hoc est, *ne incursionem faceret in agrum Romanum*; ut verba sunt Livii I, 32. *Romano* absolute, *agro* si laudito: ut Cicero, *In Volaterrano, Ex Leontino*; Caesar, *In Thurinum*; & similia passim. Porro illud *Quod* ut pronomen sit, non conjunctio, necesse est: *bellum quod, bellum aliquod.* Sententia enim est, quam Acron Scholiastes recte olim accepit: *Missus ad hoc,* ne cum Appuli aut Lucani bellum forte inferrent, per locum illum praesidio vacuum facile in agrum Romanum incursionem facerent. Fortasse tamen sic scripsit Horatius, & diserte magis, & minus ambigue:

Sive QUID *Appula gens, seu* QUID *Lucanus*
Incuteret violenta. [*causa* BELLI

ut mox infra v. 80.

Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid *sanctarum inscitia legum.*

Quin, si codicis alicujus auctoritas accederet, etiam amplius libens reponerem,

Sive quid Appula gens, seu quid LUCANA DUELLI.

Gens *Appula,* aut gens *Lucana. Duellum* autem amavit noster, ut qui maxime: saepius enim is unus vocabulum illud usurpavit, quam ceteri omnes scriptores, qui nunc quidem extant. Ceterum penitme hic totus locus tractatur a recentioribus interpretibus.

v. 45. QUI ME COMMORIT] Elegantissimus Rutgersius, *Non inepte quis,* ait, COMMORDIT *legendum suspicari possit: verum nihil equidem muto.* Hoc sic timiditatule vir ingeniosus: sed opinor, constantior paullo fuisset, si resciviſſet codicem Regium clare & a prima manu COMMORDIT hic exhibere; quod ipse oculatus testis vere affirmare possum. Nihil tamen hoc est: & recepta lectio omnino retinenda. Priscianus p. 885. *Invenio,* ait, *Horatium auctoritate fecisse in quibusdam consecutionem, quamvis positio Verbi habeat V consonantem, Moveo movi movisti; ex quo* Commorit

Digitized by Google

morit *pro* Commoverit *ponit in* II *Serm. at ille Qui me commorit, melius non tangere, clamo.* Idem fere iterum habet Priscianus p. 1037. Recte Scholiastes Acron; *Commorit) commoverit, lacessierit, provocarit.* Illud alterum & verbo ipso & sententia minus placet.

v. 49. GRANDE MALUM TURIUS] Cruquius & Marcilius, ex Asconio Pediano, qui de *L. Furio Praetore* eandem fere historiam habet, quam hic de *Turio* memorant veteres Scholiastae, sic versiculum hunc refingunt,

Grande malum Furius, *si quis se judice certet:*

obliti scilicet nomen *Furius* primam syllabam productam habere. Noster Serm II, 5. v. 4.

Furius *hibernas cana nive conspuit Alpes.*

Catullus Epigr. IX.

Furi & *Aureli comites Catulli,*
Sive in extremos penetrarit Indos.

Naso in Epigrammate,

Cur ego non dicam, Furia, *te furiam?*

Rejiciatur itaque *Furius*; etsi id agnoscat codex Regiae Societatis. *Turius* autem occurrit apud Gellium XIV, 2. *L. Turius* apud Ciceronem in Bruto c. 67. *Q. Turius* Epist. Fam. XII, 26. Ceterum in editionibus priscis, utraque Veneta & Lascheriana, habetur, SI QUID *se judice certet*: etiam in Reginensi codice *siquid* pro varia lectione ponitur. Vestigium sane hoc est verae lectionis. Scribe enim, ut clare exhibent Galeanus noster & Battelianus, & olim a prima manu Magdalenensis,

Grande malum Turius, SI QUID *se judice* CERTES.

hoc est, *si quam rem certes, siquam litem habeas.* Noster Serm. II, 5. v. 27.

Magna minorve foro si res certabitur *olim.*

Vulcatius Sedigitus apud Gellium XV, 23.

Multos incertos certare hanc rem *vidimus,*
Palmam poëtae comico cui deferant.

Noli de hac lectione dubitare; quam paullatim corruperunt Librarii, primo *certes*, deinde *siquis* substituentes: quod crederent *certare* non posse regere casum accusativum. Extabat quidem apud Martialem XIII, 89. in vilioribus scilicet editionibus,

Inter aves Turdus. siquis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

At ex vetustis codicibus sic postea edidit diligentissimus Gruterus,

Inter aves Turdus, siquid me judice certum est,
Inter quadrupedes mactea prima Lepus.

Adeo ut nihil ex hoc Martialis loco petere possis, quo receptam Flacci lectionem jure defendas.

v. 55. UT NEQUE CALCE LUPUS QUEMQUAM] Sic locum hunc exhibent codices plerique & editiones omnes:

Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem; nil faciet sceleris pia dextera:
mirum:
Ut neque calce lupus quemquam, neque
dente petit bos:
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

Ubi *mirum* ad superiora refert Scholiastes Acron: *Miraris; quia dixi, non utitur dextera sua ad occidendum matrem: noli mirari, nam eam occidit veneno.* Atque eodem modo recentiores. Quid autem? Adeone *mirum* est, matrem a filio suo non occidi? dii meliora. Certe melius sententiae consulas, si *mirum* ad sequentia referas,

mirum,
Ut neque calce lupus quemquam, neque
dente petit bos.

quasi dicas παραπλῆσιον, *Mirandum vero est, quod lupus calce non petit, neque bos dente.* Ad quam interpretationem clarius nos ducunt veterrimus Codex Leidensis, & Regius, & Regiae Societatis; in quibus sic habetur,

mirum,
Ut neque calce lupus quemquam; neque
dente PETAT *bos.*

Mirum, ut petat: Sic Carm. III, 4.

mirum *quod foret omnibus,*
Ut *tuto ab atris corpore viperis*
Dormirem & *ursis,* ut premerer *sacra Lauro.*

Tacitus Hist. I 79. Mirum *dictu,* ut sit *omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos.* Atque hanc lectionem equidem alteri praetulerim. Potest tamen altius latere mendum: ut fortasse sic scripserit Horatius,

nil sceleris faciet pia dextera: mirum
Ni *neque calce lupus quemquam, neque*
dente petit bos:

vel, quod in hac locutione aeque locum habet, *petat. Mirum ni* perinde est ac *nimirum. Pia,* inquit, *dextra nil sceleris faciet. Nimirum neque lupus dente, neque bos petit calce; Nempe neque lupus* &c. Ita Plautus & Terentius passim. Eunuch. II, 3. [*dono.*

Mirum ni *hanc dicit modo huic quae data est* Andria III, 4. [*domi est.*

Age igitur, ubi nunc est ipsus? Mirum ni Amphit. I, 1. [*esse cogitat.*

Mirum ni *hic me quasi muraenam jam ex-*

Sulpicius Lupercus in Catalectis Pithoei p. 23.

Mirum ni *pulchras artes Romana juventus*
Discat, & egregio sudet in eloquio.

Ovid. Trist. III, 12.

Digitized by Google

Ille quidem mirum ni *de regione propinqua*
Non niſi vicinas tutus ararit aquas.

ubi illud obiter adnotandum, male ab optimo Nic. Heinſio *cautus* hic ex unico codice reponi; cum caeteri omnes *tutus* agnoſcant. *Tutus* enim ſaepe idem eſt qui *cautus*, qui tutus eſſe cupit & laborat. Noſter in Arte:

Serpit humi tutus nimium, timiduſque procellae.

v. 65. NITIDUS QUA QUISQUE PER ORA CEDERET] Nicolaus Heinſius in libri ſui ora, *Lege, ait,*

nitidus qua quiſque per ora INCEDERET, *introrſum turpis.*

Sane *incederet* vocabulum eſt hoc ſenſu maxime proprium. Ita Salluſtius Jugurth. XXXI. *Sed* INCEDUNT PER ORA *veſtra magnifici, ſacerdotia & conſulatus, pars triumphos ſuos oſtentantes.* Virgil. Aen. I, 50.

Aſt ego, quae Divûm incedo *regina.*

& alii paſſim. Tamen cum *cedere* hic poni pro *incedere* diſerte notent Scholiaſtae; & repetitio ejuſdem Syllabae *incedere*, *introrſum* ingrata ſit auribus; melius fuerit lectionem receptam non movere. Siquidem ex Plauto locum adducunt Lambinus Torrentiuſque, ubi *cedere* itidem eſt pro *incedere*. Pſeud. IV, 1.

Non prorſus, verum ex transverſo cedit,
quaſi cancer ſolet.

Poſſent quoque & aptiorem citaſſe ex Caſina II, 8.

At candidatus cedit *hic maſtigia.*

Candidatus cedit, plane ut hic Noſter, *nitidus cederet*. Porro in poſteriore loco Plautino nulla mendi ſuſpicio eſt; quia *incedit* ibi rationi carminis repugnat.

v. 65. NUM LAELIUS AUT QUI] Scribe ex vetuſtis editionibus, & melioribus libris, noſtris certe Reginenſi, Magdalenenſi & Colbertino, *num Laelius* ET *qui*

Duxit ab oppreſſa meritum Carthagine nomen
Ingenio offenſi, aut laeſo doluere Metello?

Num Laelius ET *Scipio Africanus offenſi doluere?* AUT enim, quod editiones jam obſident, ex pejoris notae codicibus male petitum, ne Latinum quidem eſt: quippe tum verba ſingulari numero ponenda forent, *Num Laelius* AUT *Scipio offenſus doluit?*

v. 79. EQUIDEM NIHIL HIC DIFFINDERE POSSUM] Miris modis in hoc vocabulo indulſerunt ſibi Librarii, *Diffingere*, *Defringere*, *Diffindere*, *Diffidere*. Cuinam ex his lectionibus palmam dabis? Jam a ſaeculo & quod excurrit DIFFINDERE hic maluerunt Interpretes, Acronem Scholiaſten ſecuti, qui hic adnotat *Juris verbo uſum eſſe Trebatium. Praetor enim dicere ſolebat, Hic dies diffiſſus eſto.* Praeterea ex Feſto in voce *Reus*, ex Ulpiano Digeſt. II, 11, 2. ex Livio IX, 38. ex Gellio XIV, 2. oſtendunt, *Diem diffindere* perinde eſſe ac *diem proferre, prolatare:* quod in judiciis fieri ſolebat, quoties aut judex aut actor aut reus ob cauſſam ſonticam adeſſe non poterat; aut quoties de re controverſa judici nondum liquebat. Eſto ſane hoc: at quam deinde ſententiam ex Flacci loco ſic conſtituto poſſunt excudere?

equidem nihil hic DIFFINDERE *poſſum:*
Sed tamen ut monitus caveas &c.

hoc ſcilicet reſpondet Trebatius: *Equidem nihil hic poſſum ampliare: non poſſum in aliud tempus rejicere.* Quid ergo? cur non ſententiam ferís? quid Horatium fruſtraris? At inquiunt; eo ipſo ſe oſtendit pro Horatio *pronunciare*, quo ſe fatetur *ampliare* non poſſe. Itane vero? an quotieſcunque judex non *ampliat*; continuo tibi compertum eſt, pro *reo*, & non pro actore, ſententiam eum laturum eſſe? Duras ſane actorum partes praedicas. Quinam autem hic *diffiſſioni* locus? Solius enim praetoris ſive judicis erat diem diffindere. At neque Trebatius tamquam judex hic introducitur, neque Horatius tamquam reus: ſed ille ut juris peritus, hic ut conſultor. Quod ſi ille quantumvis perſonam judicis ſuſtineret; ineptus tamen foret, & putidus, qui *diceret, ſe non diffindere:* hoc enim ſatis innoteſceret ex ipſa ſententiae latione. Illud vero quale eſt, *Non poſſum* diffindere? Dicere utique debuit, *Nolo*; utpote non vi & neceſſitate compulſus, ſed opinione permotus. Poſtremo illud omnium obſcuriſſimum eſt, ſe *nihil* poſſe diffindere. *Dies* enim duntaxat, non *res ipſa ſive lis, diffindi* dicebatur; quantum hodie compertum habere poſſumus. Sic Feſtus, *Dies diffiſſus eſto*; Ulpianus, *Jubet diem eſſe diffiſſum*; Livius, *Triſte omen diem diffidit*; Gellius, *Juſſi igitur diem diffindi.* Haec ſola jam extant loca, in quibus haec formula comparet. Quae ad exempla etiam hic dictum oportuit, *Equidem diem hic diffindere non poſſum.* Ille vero ſe *nihil diffindere* ait; quaſi non *dies* tantummodo, ſed cauſae ipſae & earum partes diffindi dicerentur. Legimus quidem hodie apud Gellium, capite jam citato, *Atque in* RERUM *quidem* DIFFISSIONIBUS *comperendinationibuſque & aliis quibuſdam*

Digitized by Google

busdam legitimis ritibus. Verum hic locus lubricus sane est: neque temere ad partes vocandus. Certe adeo insolens olim visa est haec locutio, *In rerum diffissionibus*; ut codex omnium qui nunc extant veterrimus & optimus DIFFINITIONIBUS hic dederit. Offensus scilicet aliquis insolita phrasi, in exemplari quo usus est Librarius, sic ex conjectura correxerat: in eo tamen falsus, quod vocem in mendo cubantem praeteriit, alteram, quae recta & sana erat, corrigendo depravavit. Sic enim verba illa refingere debuit; *Atque in* DIERUM *quidem diffissionibus:* cui quidem emendationi non dubie etiam favent ista quae sequuntur, *Comperendinationes, & ritus legitimi.* Ne multis morer; neque sententia, neque verba ipsa apud Flaccum procedent, si DIFFINDERE hic legeris. Ut mirer equidem enarrationem tot vitiis scatentem tot interpretibus placuisse. Solus ex his Dacerius verbum hoc Juris non habere hic locum vidit; quod ipse melius sequeretur, non vidit. Nempe hoc modo, distinctione sublata, defungi se posse credit, *Nisi quid tu, docte Trebati,*

Dissentis, equidem nihil hic diffindere possum.

Quod totum ex Horatii persona sic interpretatur: *Nisi tu, Trebati, dissentis; ego quidem nihil hic dividere, sive resecare, auferre possum.* Sed ut ne dicam, *diffindere* in eo sensu nusquam reperiri, atque adeo vel prima fronte pravum & ineptum videri: illud certe adhuc pejus est, quod totum hoc Horatio tribuit: cum tamen & hoc ipsum & ea quae sequuntur necessario flagitent, ut Trebatii responsio ab illo *Equidem* inchoetur. Quam ob rem, cum hac via minime succesisit, jam tempus est, ut aliam instituamus. Et quidem illud in promptu est, quod nobis offerunt tam editiones vetustae omnes, quam codicum major pars; *nisi quid tu, docte Trebati,*

Dissentis. Equidem nihil HINC DIFFINGERE *possum:*

Sed tamen est monitus caveas &c.

HINC, inquam, habent, non HIC, codices meliores. Clara utique sententia, nisi nodum in scirpo quaerere cupimus. *Equidem*, inquit Trebatius, *nihil ex his, quae dixisti, diffingere*, hoc est, *cassare, infirmare, refellere, refutare, convellere, labefactare possum. Poteris igitur in Satiris scribendis pergere; neque vereri, ne in magnorum amicorum offensionem incurras. Nam & Lucilii exemplum bono animo te esse jubet. Illud tamen vide, ut intra jus & leges licentiam Satirarum coerceas; siquis enim malum carmen & famosum in aliquem scribat, lege agere contra eum licebit.* Quis tam morosus & difficilis, ut haec carpere audeat? *Diffingere* & verbum Horatianum est, & sententiae huic aptissimum. Carm. III, 29.

non tamen irritum
Quodcumque retro est, efficiet; neque
Diffinget *infectumque reddet,*
Quod fugiens semel hora vexit.

ubi *diffinget*, plane ut hic, est *cassabit, labefactabit*, & in Serm. I, 10. v. 37.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Diffingit *Rheni luteum caput*:

si cui ea lectio placuerit, necesse est ut intellegat, *corrumpit, labefactat.* Quare in hac scriptura & interpretatione licet acquiescamus. Neque tamen illud spreverim, certe receptae lectioni *diffindere* longe praetulerim, quod Codex Cruquii Tonsanus exhibet;

Equidem nihil hinc DEFRINGERE *possum:*

quod ad illa, quae proxime antecedunt, referam, *& fragili quaerens illidere dentem,*
Offendet solido.

Es vero, inquit Trebatius, *solidus, & firmior, quam ut dentem tibi imprimere quis possit. Ego quidem, quantum ad me attinet, nihil hinc possum defringere.* Sic auctor ad Herennium IV, 55. *Subsellii pedem defringit*: Suetonius Claudio XLI. *Defractis compluribus subselliis.* Virgil. Aen. XI, 747.

tum summa ipsius ab hasta
Defringit *ferrum.*

Apuleius metaphorice, ut hic, in Floridis: *Sed ut integrum & intemeratum vestrum esset beneficium, si nihil ex gratia ejus petitio mea defregisset.* Sic & alii poëtae & Noster de Leonis morsu *Frangere* usurpant: Carm. I, 23.

Atqui non ego te, Tigris ut aspera,
Gaetulusve leo, frangere persequor.

Quin & illud denique, quod codices aliquot praeferunt, & pro varia lectione Porphyrion appposuit, sic satis commode explices; praesertim si pro *Hinc* vel *Hic* substituas *His:*

Equidem nihil HIS DIFFIDERE *possum:*

hoc est: *nequeo a dictis tuis dissentire; non possum non fidem iis habere; accedo, ut in Satiris scribendis fidenter pergas.* Lucretius I, 267.

Ne qua forte tamen ceptes diffidere dictis,
Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni;
Accipe praeterea &c. & v. 233.
Nec sinet errantem dubitare & quaerere semper
De summa rerum, & nostris diffidere dictis.

ubi

ubi ſane *diffidere* eſt *prae dubitatione & metu diſſentire*: quod appoſite quidem huic Flacci loco convenit. Dixerat enim Trebatius;

O puer, ut ſis
Vitalis, metuo; *& majorum ne quis amicus*
Frigore te feriat:

jam vero ex Horatii reſponſo confirmatior factus & fiducia plenior, *Equidem*, inquit, *nihil his, quae dicis, diffidere poſſum.* Vides jam opinor, quamvis ex variis lectionibus potiorem eſſe illa, quam Interpretes arripuerunt: Si tamen me audies, illam unicam amplexaberis, DIFFINGERE, quam editiones olim Venetae & Loſcheriana exhibuerunt, priuſquam altera illa ex Juriſconſultorum decreto in ejus ſedem intruderetur.

v. 84. SED BONA SIQUIS JUDICE CONDIDERIT LAUDATUR CAESARE] Ita quidem editiones; ſed reſcribe ex quattuor Cruquii Codicibus, Pulmanni uno, Berſmanni altero, & noſtro a prima manu Magdalenenſi; *eſto; ſi quis mala: ſed bona ſiquis Judice condiderit* LAUDATUS *Caeſare?* *Eſto*, inquit; *lege agere liceat adverſus eum, qui* MALA *carmina condiderit: ſed ſiquis* BONA *condiderit, laudatus Caeſare judice? ſi ipſe integer hominem nequam perſtrinxerit? quid tum? Ille quidem*, ait Trebatius, *impune abibit.* Illud recte tam a veteribus, quam novis Interpretibus obſervatum eſt, ludere Noſtrum in varia acceptione verbi. Trebatius *mala carmina* accepit pro *criminoſis, famoſis*; Noſter pro *vitioſis, male factis, ineptis. Siquis ergo*, inquit, *ut ego, bona carmina fecerit, a Caeſare probata?* Vides jam, opinor, lectionem hanc *Laudatus* multis rebus recepta meliorem eſſe. Primo enim, non quicumque bona carmina fecerit, *laudabatur* judice Caeſare: non enim omnibus datum erat tam felicibus eſſe, ut Caeſarem lectorem & judicem nanciſcerentur: Id Virgilio & Noſtro cum paucis aliis conceſſum. Deinde in hac Synchyſis eſt, quae venia ſane indiget: in illa nitida ſunt omnia, & per planum ſine obice fluentia. Poſtremo in hac lectione turbata ſententia eſt; neque habes, quo referas Trebatii illud reſponſum;

Solventur riſu tabulae, tu miſſus abibis:

adeo ut hinc decepti interpretes aliquot totum hoc Horatio perperam aſcripſerint. Contra in illa noſtra lectione continuatur pulchre oratio, ſic per interrogationem efferenda,

Eſto: ſi quis mala Sed bona ſi quis
Judice condiderit laudatus Caeſare? ſi quis
Opprobriis dignum laceraverit, integer ipſe?

Quid tum fiet, Trebati? an etiam, ſi ſic ſit, dabitur injuriarum actio? Immo enim, reſpondet Trebatius, alia jam cauſſa eſt, & diſſimilis ratio;

Solventur riſu tabulae: tu miſſus abibis:

ſi nebulo iſte ſale nigro perfrictus in jus te vocaverit; ſubvenient tibi cum riſu judices, & te impunitum dimittent.

v. 85. SI QUIS OPPROBRIIS DIGNUM LATRAVERIT, INTEGER IPSE] Jam dia eſt, cum Lambinus in ſuis aliquot codicibus invenit, LACERAVERIT: alterum tamen illud LATRAVERIT omnes ubique editores ut melius elegantiuſque amplexi ſunt: mihi vero, quod bona eorum venia dictum ſit, aliud plane videtur. *Latraverit*, inquiunt, poſitum eſt pro *allatraverit.* Eſto ſane hoc: nam & alibi noſter active uſurpavit, Epod. V. *Senem adulterum latrant.* Epiſt. I, 2. *Cervinam pellem latravit:* de conſtructione non litigabimus. Verum illud negamus vel *latrare* vel *allatrare* vel ulla hujus verbi compoſita ſententiae huic & loco convenire: *ſi quis Opprobriis dignum latraverit, integer ipſe.* ubi hoc dici manifeſtum eſt, *ſi quis vitae integer, puris moribus, latraverit alium quendam, hominem infamem & impurum.* Jam primum aio metaphoram hanc a canibus ignavis traductam, qui *latrant* ſcilicet, non mordent, nullo pacto hic locum habere. Recte quidem dixeris, *ſi homo malus & nequam latraverit virum integrum:* minime vero vice verſa, *ſi vir integer latraverit hominem nequam.* Idque tum ratio ipſa, tum bonorum ſcriptorum auctoritas ſatis te docebit. Nuſquam enim quemquam hac metaphora uſum reperies; niſi ubi ſignificet, homines invidos vel ignavos obtrectare aliis ſese melioribus. Livius XXXVIII, 34. *Morte Africani crevere inimicorum animi: quorum princeps fuit M. Porcius Cato, vivo quoque eo aliatrare ejus magnitudinem ſolitus:* ad quem locum reſpexit Quintilianus Inſtit. VIII, 6. ubi de Tropis agens, *Et ut Livius*, ait, *Scipionem a Catone adlatrari ſolitum refert.* Columella in Praefat. *Sed ne carinum quidem, ſicut dixere veteres, fluvium praeſtantius, locupletiſſimum quemque adlatrandi & contra innocentes pro nocentibus latrocinium.* Martialis Epigr. V, 62.

Alii tres *licet uſque nos & uſque,*
Et gannitibus improbis laceſſas.

Suetonius in Vespaſ. c. 12. *Demetrium Cynicum in itinere obvium ſibi poſt damnationem,*

ac

ac neque assurgentem, neque salutare se dignantem, oblatrantem *etiam nescio quid, satis habuit Canem appellare.* Seneca de Vita beata XVII. *Siquis ex istis, qui Philosophiam* conlatrant, *quod solent, dixerit.* Vides jam, opinor, *allatrare, oblatrare, collatrare*, contumeliae loco ubique poni; adeo ut turpissime peccaverit Horatius, si partes homini *integro* dederit, quae sunt *invidi* aut *ignavi.* Ergo & ipse *allatrasti* Pantolabum scurram, & Pantilium cimicem? Nempe tu homo nihili tunc obtrectabas civi optimo,

Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.

Quis autem tibi fidem habeat, de te tam male & absurde loquenti? Equidem a me impetrare hoc numquam potero: neque dubito, quin sic olim a te profectum fuerit,

siquis
Opprobriis dignum LACERAVERIT, *integer ipse*:

quod vocabulum unice huic loco aptum & appositum est. Suetonius de Illust. Grammat. c. XV. *Lenaeus tanto amore erga Pompeii memoriam exstitit, ut Sallustium Historicum, quod eum oris probi, animo inverecundo scripsisset, acerbissima* SATIRA LACERAVERIT. Idem in Julio C. LXXVI. CARMINIBUS *maledicentissimis* LACERATAM *existimationem suam civili animo tulit.* Tiberio C. LXVI. *Artabani Parthorum regis* laceratus est *literis, parricidia & caedes & ignaviam & luxuriam objicientis.* Domitiano XXIII. *Contra Senatus adeo laetatus est, ut repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere* laceraret. Livius XXXI, 6. *Aegre eam rem passi Patres*; laceratusque probris *in senatu tribunus plebis.* XXXII, 22. *Hoc tractus vinculo quum rediisset, ingenti cum invidia in Senatum venit: ibi quum* laceratus jurgiis *multorum esset.* XLIII, 4. *Lucretium tribuni plebis absentem* concionibus *assiduis* lacerabant. Tacitus Annal. IV, 42. *Audivit Tiberius* probra, *quibus per occultum* lacerabatur. Attilius Fortunatianus p. 2692. *Iambica maledica carmina appellant, quod hoc metro olim* lacerare *& laedere solebant.* Sed haec satis superque: plena enim exemplorum sunt omnia. Illud, credo, in his jam animadvertis, *Lacerare concionibus, literis, jurgiis, probris, Carminibus, Iambis, Satira*, plane apud illos dici, ut apud Nostrum *lacerare opprobriis.* Cave enim, *opprobriis* cum vulgo ad *dignum* retuleris. Ordo enim est, *siquis, ipse integer, opprobriis laceraverit dignum.* Multo utique elegantius hoc est, ut *dignum* absolute sine adjuncto ponatur. Sic Noster alibi, Serm. II, 2. v. 103.

Cur eget indignus *quisquam, te divite?*

Cicero apud Servium ad Aen. VI, 611. Diguis *igitur largiendum est.* Incertus apud Scholiastem Juvenalis Sat. V.

Digna dignis: *sic Sarmentus habeat crassas compedes.*

Plautus Curcul. IV, 2. v. 27. [*duco*:

Indignis *si male dicitur, maledictum id esse*
Verum si dignis *dicitur, benedictum est meo quidem animo.*

Si male dicitur, inquit, *dignis*: prorsus ut apud Nostrum construenda sunt verba; *si opprobriis laceraverit dignum.* Atque hinc etiam recte colligas, spurium esse & interpolatum illud *Latraverit.* Quippe *latrare opprobriis* ne fando quidem auditum est; ut vel Interpretibus nostris absonum & absurdum videatur. Itaque eo confugiant necesse est, ut *opprobriis* ad *dignum* referant; quo tamen insignis, ut dixi, hujus loci elegantia perditur. Denique haec legas velim S. Hieronymi in Epitaphio Nepotiani: *Cave, ne committas, quod aut qui reprehendere volunt,* DIGNE LACERASSE *videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere.* Equidem nullus dubito, quin cum haec scriberet Patrum doctissimus, hunc ipsum Flacci locum in mente habuerit, DIGNUM LACERAVERIT.

ECLOGA II.

V. 2. SED QUEM PRAECEPIT OFELLUS] Tres codices Torrentii;

Nec meus hic sermo est: sed QUAE *praecepit Ofellus.*

Quod & elegantius est, & castigatius. Sic alibi Noster Epist. I, 10.

HAEC *tibi* dictavi *post fanum putre Vacunae.*

& Serm. II, 7.

Dum QUAE *Crispini* docuit *me janitor, edo.*

Terent. Heaut. III, 3.

Clitipho, haec *ego* praecipio *tibi?*

Adelph. III, 3.

Ubi siquid *bene* praecipias, *nemo obtemperat.*

& V, 9. [*potui, omnia.*

Docui, monui, bene praecepi *semper*, quae

Digitized by Google

Equidem, *praecepit ſermonem*, quod vulgata lectio exhibet, nollem dicere. Ceterum pro OFELLUS legendum eſſe videatur OFELLA; ut & v. 53. *Ofella*, pro *Ofello*; & v. 112. *Ofellam* pro *Ofellum*. Quippe *Ofella* cognomen erat Romanis notum, ut Lucretium. Velleius Paterculus II. 27. *Ofella Lucretius*. Aurelius Victor in C. Mario: *Lucretius Ofella*. Livii Epitome lib. LXXXVIII. *C. Marius Praeneſte obſeſſus ab Lucretio Ofella*, & LXXXIX. *Q. Lucretium Ofellam, contra voluntatem ſuam conſulatum petere auſum, juſſit* (Sylla) *interimi in foro*. At *Ofellus* nuſquam legiſſe memini. *Ofellius* quidem & *Oſillius* habes apud Gruterum & Reineſium: ſic Plin. Hiſt. VII, 49. *Claudia Oſilii*; & ibidem 54. *M. Oſilius Hilarus*; Appianus de Bello Civili lib. V. Ο χιλίαρχος Οφίλλιος. Johannes tamen Sareſberienſis a vulgata lectione ſtat, Policrat. II, 1. *Ruſticanum & forte* Ofelli *proverbium eſt, Qui ſomniis & auguriis credit, numquam fore ſecurum*. Quamobrem ſine codicis ſcripti auctoritate nihil mutabimus.

v. 3. ABNORMIS SAPIENS, CRASSAQUE MINERVA] Nullus eſt interpretum, qui non prodiderit in ſuis aliquot ABNORMI haberi: in quibus ſunt tres Blandinii apud Cruquium omnium veterrimi. Idem nos invenimus in Leidenſi, Batteliano, & tribus aliis: Quaeritur jam, utrum ſit praeferendum, *Abnormi & craſſa Minerva*, an *Abnormis ſapiens*. Mihi quidem poſterius magis placet. *Sapiens* hic idem eſt, ac *Philoſophus*. Quemadmodum autem *Stoicus ſapiens*, *Academicus ſapiens*, pro ſectae ratione dicitur: ita Ofellus erat *abnormis ſapiens*, hoc eſt, ſapiens nullius normae, nullius ſectae & diſciplinae, αὐτοδίδακτος, natura & moribus, non doctrina & diſciplina ſapiens. Cicero in Laelio c. 5. a Lambino hic olim citatus: *Numquam ego dicam C. Fabricium, M. Curium, T. Coruncanium, quos Sapientes noſtri majores judicabant, ad iſtorum* (Graecorum) NORMAM *fuiſſe* SAPIENTES. Ergo *abnormis ſapiens* recte dicitur & eleganter: *abnormis* vero *Minerva* non ita concinne, meo quidem judicio.

v. 14. CUM LABOR EXTUDERIT FASTIDIA] *Extuderit*, inquit Acron Scholiaſtes, *id eſt, excuſſerit, delicias tibi ejecerit*. Recte quidem hoc ad mentem Horatii, *excuſſerit faſtidia*: ut Seneca Ep. CXIX. *Inter reliqua hoc nobis natura praeſtitit praecipuum, quod neceſſitati faſtidium excuſſit*. Sed illud valde dubito, an *extuderit faſtidia* poſſit idem eſſe ac *excuſſerit & ejecerit*: immo alterum ab altero immane quantum diſcrepare contendo. *Extundere* enim *aliquid*, non eſt excutere, ut *ejicias & expellas*, ſed ut *invenias & obtineas*. Virgil. Georg I, 133.

Ut varias uſus meditando extunderet *artes*:

hoc eſt, ut recte Servius exponit, *ſtudioſe reperiret & coleret*. Ibidem IV, 315.

Quis deus hanc, Muſae, quis nobis extudit *artem?*

id eſt, ut iterum Servius, *ſtudioſe reperit*: & v. 326.

En etiam hunc ipſum vitae mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum & pecudum cuſtodia ſollers
Omnia tentanti extuderat, *te matre, relinquo.*

id eſt, *invenerat & acquiſiverat*. Plautus Moſtell. I, 3. v. 64.

Atque olim, priuſquam id extudi, *quam illi ſubblandiebar:*

id eſt, *obtinui, impetravi, extorſi*. Et eodem plane ſenſu Suetonius Veſpaſ. cap. 11. *Nec compelli niſi a matre potuit: ea demum* extudit, *magis convicio quam precibus vel auctoritate*: & Valerius Max. I, 4 4 *Vixque* extuderunt, *ut domum rediret*. Gellius XVII, 20. *Exiſtimans eloquentiae unius* extundendae *gratia Athenas veniſſe*: hoc eſt, *quaerendae, comparandae*. Auctor dialogi De cauſſis corruptae eloquentiae c. 9. *Ut cum toto anno unum librum* extudit *& elucubravit*. Ne multa; id polliceri tibi auſim, ubicumque *hoc* vocabulum occurrit, eodem quo in his *locis* ſenſu inveniendi, acquirendi, impetrandi, extorquendi venire. Jam ergo ſi ad haec exempla locum Flacci examines; *Extundere faſtidia alicui*, erit homini cuidam, nimium ſimplici & circa victum indifferenti, & ne immunda quidem aſpernanti, tandem aliquando debitum faſtidium creare & excitare. Quod quam alienum ſit & quidem contrarium menti poëtae, nihil opus eſt dicere. Quid nunc agimus? Ceteri quidem interpretes tacent: ſolus hic Torrentius ingenue lectorem monet, ſuos codices pene omnes habere EXTULERIT, non EXTUDERIT; *quod*, inquit, *alii affirmanti vix crediderim*. Quid ita vero, vir optime? quaſi incredibile aut mirum ſit veſtigia ſanae lectionis in ullis codicibus extare? Quin & noſtri, Reginenſis, Galenus, Petrenſis, clare itidem habent *extulerit*; & a prima manu Magdalenenſis. Unde minima mutatione mihi facile fuit ſic locum reconcinnare,

Cum labor EXPULERIT *faſtidia.*

Idque

Digitized by Google

Idque postea Excerpta Bodleiana, annis opinor abhinc cccc scripta, sine litura mihi exhibuerunt. *Fastidium expellere*, plane ut Plinius, *fastidium abigere*; Seneca, *fastidium excutere*. Nolter Epist. Ik. a. v. 137.

Expulit *helleboro morbum bilemque meraco.*

Sane & ipsum *extuleris* satis commode ferri potest, id est, *abstulerit*, *deduxerit*, ut alii sunt locuti.

v. 21. NEC OSTREA, NEC SCARUS] Lege ex scriptis & olim editis, NEQUE *ostrea*. Semel antea de his monui, quod satis est.

v. 28. COCTO NUM ADEST HONOR IDEM] Vocula *num* non eliditur hic in scansione, sed pronunciatur; ut frequenter apud Comicos, etiam vocali sequente. Sic Terentius. Dum *erit commodum*: Cŭm *ego possim in hac re medicari mihi*: Quăm *ego argentum effecero*. Id duntaxat observandum, numquam hoc fieri in ultima pedis syllaba, cujus rei rationem soli Musici intelligent. Lucretius III, 1096. [*videtur.*

Sed cŭm abest quod avemus, id exsuperare

Nihil ergo opus est sagacissimi Nic. Heinsii conjectura, qui ad Claudiani II Cons. Stil. v. 167. fortassis ait legendum, *Coctóne adest honor idem*; sine vocalis elisione. Hoc enim multo adhuc durius est & horridius: quippe vocalis brevis nusquam hiatum facit, sed semper eliditur, ut docui ad Carm. III, 14. v. 11. Equidem, liquid mutatum vellem sic potius legerem, Coctóne etiam est *honor idem*? Etiamne cocto honor idem est? Sane codex Battelianus, *Cocto num est honor*: Galeanus vero & alter, *Cocto nec adest*.

v. 29. CARNE TAMEN QUAMVIS] Quam sudent hic & omnia moliantur interpretes, quo verborum constructionem explicent & evolvant, vide, si vacat aut copia est, apud ipsos. Nos sic in vulgata lectione, quam omnes fere exhibent scripti editique libri, simplicissime verba ordinamus:

Carne tamen quamvis distat nihil, hac magis illa;
Imparibus formis deceptum te patet. Esto.
Unde datum sentis, lupus hic, Tiberinus
Captus hiet? [*an alto*

Quamvis, ait, nihil distat, nihil excellit carne hac pavonis, magis illa, gallinae; tamen patet te, deceptum imparibus formis avium, hanc carnem illi praeponere. *Esto hoc*: concedo, permitto tibi, do veniam tuae stultitiae, ut forma hic decipiaris. *At unde* sodes dignoscis & discernis, hic lupus piscis utrumne in Tiberi an in alto mari captus sit? Certe eadem utrobique est forma: neque idem in lupo, quod in pavone, poteris praetendere. *Hac magis illa* quod perinde est atque *hac magis quam illa*: ut Serm. II, 8. v. 17.

Albanum Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat.

Lucret. V. 729.

Aut minus hoc illo *sit cur amplectier ausis.*

Jam, opinor, in hac expositione transitio ad sequentia plana est & a proximo petita: tuta & tota sententia serieisque orationis clare elucescit. Nihil ergo opus est Xylandri hariolatione, sic locum refingentis; quam & Chabotius non improbat: [*magis illa.*

Carne tamen, quam vis, *distat nihil hac* ubi praeter alia jure culpanda vocabulum *hac* prorsus redundabit. Multo minus opus illa Marcilii correctione, cariosa sane & rancida:

Carni' tamen (quamvis distat nihil hac magis illa)
Imparibus formis deceptum te patet.

Neque enim indigna illa veterum licentia Noster usquam abutus est, ut S in fine vocis elideret: neque vero *carnis*, sed *plumarum* forma deceptus est iste ganeo. Denique etiam libenter carere possumus Torrentii opera, qui ex nescio quibus in uno & altero codice variis lectionibus sic locum constituit,

Carne tamen quamvis distat nihil; hac magis illam
Imparibus formis deceptum te petere esto.

ubi potius scribendum fuerit, *hanc magis illa.* Quippe si *hac magis illam* legeris; sic fiet, ut caro gallinae pavonis carni praeferatur, prorsus contra poetae mentem. Sed quod hanc emendationem funditus evertit, illud est; quod *Esto*, vox concedentis, semper orationem inchoet; numquam, ut hic, claudat.

v. 31. UNDE DATUM SENTIS] Hoc est, *Unde tibi datum, quod sentis; Unde tibi concessum, ut sentias.* Doctissimus tamen Nic. Heinsius in ora sui codicis, *Forte*, ait, *legendum.*

Unde RATUM *sentis, lupus hic, Tiberinus an*
Captus hiet? [*alto*

Nollem factum: vulgata enim lectio, quam omnes ubique libri firmant, facile se tuetur loco illo Ovidii, Fast. VI, 102.

Prima dies tibi, Carna, datur: Dea cardinis haec est.
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.
UNDE DATAS *habeat vires, obscurior aevo*
Fama; sed e nostro carmine certus eris.

Digitized by Google

Sed & hic quoque vir idem praestantissimus emendat RATAS; quamvis fatetur omnes ibi codices a recepta lectione stare. Scire equidem vellem, quid vitio vertat: ipse enim tacet. Atqui, aut plane nihil video, aut uterque locus, tam Horatii, quam Nasonis, firmo talo postea stabit, utpote a Persio fultus, cujus hoc est in Sat. V. v. 124.

Liber ego. UNDE DATUM *hoc sumis, tot subdite rebus?*

Neque enim dubites, quin perpetuus Nostri imitator hunc ipsum locum in animo habuerit; praesertim ubi scias in codice scripto Galeano, quem ipse olim versavi, sic clare haberi;

Liber ego. Unde datum *hoc* SENTIS, *tot subdite rebus?*

Datum igitur hic valet *concessum:* Unde concessum tibi, ut discernas, Lupus hic marinus sit, an fluviatilis? natura & gustu, an prava opinione? Sic Martialis Epigr. I, 42.

Non cuicumque datum *est habere nasum.*

Terentius Eunucho III, 1. *est illuc* datum

Profecto, ut grata mihi sint, quae facio omnia.

Lucret. II, 302. *& crescent, inque valebunt,*

Quantum cuique datum *est per foedera naturai.*

v. 40. VELLEM, AIT HARPYIIS GULA DIGNA RAPACIBUS.] Nic. Heinsius, *Lege*, inquit, AIS. Sed recte habet persona tertia. AIT; etiamsi aliquem ex adverso respondentem fingimus; ut docui ad Serm. I, 4. v. 79.

v. 48. AEQUOR ALEBAT] Plurali haec efferunt numero Editiones Venetae, & Loscheriana,

quid? tum rhombos minus AEQUORA ALEBANT?

quibus accedunt bona pars codicum, ut inter nostros Reginensis, Battelianus, Petrensis, Lambethanus, & a prima manu Magdalenensis. Quo igitur pertinebat, receptam in vetustis editionibus lectionem e loco suo ejicere? Certe, siquid interest, hanc potius praetulerim. Neque enim unum aequor, sed *plura alebant* rhombos: & *minus aequor* in fronte gerit nescio quid ambigui, quod in altera lectione penitus evitatur.

v. 53. SORDIDUS A TENUI VICTU DISTABIT. OFELLO JUDICE] Sic extat in editionibus priscis: at meliores Cruquii, Pulmanni, Bersmannique, & ex nostris optimi Leidensis, Reginensis cum quattuor aliis, DISTABAT: quod fortasse nihilo deterius. Haec enim jam olim ab Ofello praecepta. Si *distabat* hic legis, tum Horatii verba sunt, de Ofello hoc narrantis: sin *distabit*, ipse Ofellus haec loquitur: & *Ofello judice* perinde est ac *me judice.* Sic Phaedra apud Nasonem Heroid. IV. v. 74. [*trucemque.*

Quemque vocant aliae vultum rigidumque
Pro rigido. Phaedra judice, *fortis erat.*

Porro alius poëta sic potius scripsisset,

Sordidus a tenui VICTUS *distabit.*

Sed sic alibi noster Epod. I.

Reges, tuum labore *quid juvem meo?*

& Art. Poët. v. 273.

Scimus inurbanum *lepido seponere* dicto.

v. 55. SI TE ALIO PRAVUM DETORSERIS] Elegantissima certissimaque est Bersmanni codicis lectio: nostri enim omnes a vulgata stant:

Si te alio PRAVUS *detorseris.*

qualis adjectivorum constructio sollemnis est Nostro, ut studiosus lector passim notabit. Ita Serm. II, 7. v. 71. *quae bellua ruptis,*

Cum semel effugit, reddit se prava catenis?

& Serm. I, 4. v. 79. *Laedere gaudes,*

Inquit, & hoc studio pravus *facis.*

ubi, si ita visum foret, *studio pravo* dicere potuisset; ut Livius XLII, 63. *Non ob aliam causam, quam* pravo studio; *quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur, deteriori atque infirmiori favendo.* Ceterum hoc in loco non constructio solum figuratior, sed & ipsa sententia melior efficitur:

nam frustra vitium vitaveris illud;
Si te alio pravus *detorseris:*

ideo scilicet pravus, *quod* te alio detorqueas. Atqui si *pravum* legeris; *jam tum fuisse* pravum criminaberis, *priusquam* ad aliud vitium se detorserit: quod falsum est.

v. 56. CUI CANIS EX VERO DUCTUM COGNOMEN ADHAERET] Editiones veteres dederunt, *Ex vero dictum*; & sic codices multo plures, nostri certe ad unum omnes: sic Graeci: Ἐπωνομολογέμενον, quod ad verbum reddas, *ex vero dictum.* Livius I, 1. *Stirps virilis, cui Ascanium parentes* dixere nomen. Noster Epist. I, 7. v. 92.

pol me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi dicere nomen:

ut ibi habent tum editi antiqui, tum veterrimi aliquot codices, Graevianus, Leidensis, & alii. Sallustius Jugurth. c. 78. *Ceterum situm inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum*
——*Syrtes a tractu nominatae.* Ovid. Fast. II, 859.

Ex vero positum *permansit Equiria nomen.*

Sane *ex re inditum, ex vero positum* propius accedunt ad *dictum*, quam ad *dictum.* Tolerabilis

Digitized by Google

nabilis itaque ea lectio est; ut mirum adeo non sit, si adhuc nonnullis placeat. DUCTUM tamen hic jure reposuerunt ex vetustissimo codice Blandinio. Sic Naso Fast. I, 467.

Ipse mone, quae nomen habes a carmine & Fast. III, 387. [ductum.

Jam dederat Saliis: a saltu nomina ducunt: ubi vide Heinsium. Idem ibidem v. 733.

Nomine ab auctoris ducunt *Libamina nomen.*

Noster Serm. II, 1. v. 65.

num Laelius & qui

Duxit *ab oppressa meritum Carthagine nomen.* Cicero De Nat. Deor. II, 27. *Nec longe absunt ab hac vi dii Penates, sive a penu nomine* ducto &c. Et ibidem III, 24. *Nullum est nomen, quod non possis una litera explicare, unde* ductum *sit.*

v. 59. CUJUS ODOREM OLEI] Vide modo locum:

Cujus odorem olei nequeas perferre (licebit
Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat.

Quid? anne *instillat odorem olei?* immo *oleum* ipsum. Ergo tres Torrentii codices cum nostro Colbertino lectionem eam praeferunt:

Cujus odorem OLEUM *nequeas perferre.*

Quid agimus? sane utra harum potior sit, dictu difficile est. Quippe si *oleum* legis, Synchysis illa Horatio est familiaris: Sin *olei*, figurata est locutio, haud minus Nostro usitata. *Cujus olei odorem perferre nequeas, instillat.* Hoc est, *Oleum, cujus odorem.* Casum scilicet Nominis ad pronomen retulit, non ad verbum: ut in illis Terentii;

Populo ut placerent, quas *fecisset* fabulas.

Quas *credis esse* has, *non sunt verae nuptiae.*

Sententia igitur utrobique eadem redit: & dabimus id tot editionibus, ut *olei* retineamus. Ceterum codex vetustus Pulmanni,

Cui canis ex vero dictum cognomen ADHAESIT:

Sic Serenus Sammonicus c. LXV. ubi hunc locum imitatus est,

Interdum exsilit turpi verruca papilla;
Hinc quondam Fabio verum cognomen adhaesit.

Sed in Flacco recte habet *Adhaeret.* Hic enim de Avidieno vivo, Sammonicus de Verrucoso mortuo locutus est.

v. 65. MUNDUS ERIT, QUI NON OFFENDET SORDIBUS] Locus hic & interpretes male habuit, & ab illis vicissim male habitus est:

Quali igitur victu sapiens uteretur, & horum
Utrum imitabitur? hac urget lupus, hac canis, aiunt.
Mundus erit, qui non offendet sordibus, atque
In neutram partem cultus miser.

ubi in diversas partes trahuntur; alii ex praecedentibus *victus* huc repetunt; *Mundus victus erit,* qui non offendet sordibus: alii ex sequentibus *cultus* huc retrahunt, *Mundus cultus erit,* qui non offendet sordibus, atque miser in neutram partem: plures denique *Homo* subintelligunt, *Mundus homo is erit,* qui non offendet *&c.* Perperam omnes: neque enim Ofellus hic definit aut statuit, Quinam *homo,* vel quinam *cultus victusve* sit mundus: id in vita communi notum erat omnibus. Quid igitur restat? Nimirum & in editionibus priscis & codicibus prope omnibus habetur OFFENDAT. Hoc recte: deinde in Blandiniis Cruquii & Scholiaste Acrone QUA, non QUI. Lege ergo,

Mundus erit, QUA *non* OFFENDAT *sordibus.*

Nempe supra quaesiverat, *Quali victu sapiens uteretur*: nunc autem respondet; *Mundus erit,* hoc est, *Sapiens mundus erit, qua non offendat sordibus.* Qua hic absolute est positum, pro *Eatenus qua.* ut passim apud bonos auctores. *Eatenus mundus erit, qua non offendat sordibus;* qua non sordibus offensam & fastidium moveat: non affectabit cultum justo mundiorem: *in neutram partem cultus miser erit;* neque inclinans in nimiam & supervacuam munditiem, neque in victum immundum & fordidum. Noster Serm. I, 2. v. 123. [*neque longa,*

Candida rectaque sit, munda hactenus, *ut*
Nec magis alba velit, quam det natura videri.

Seneca Controv. XV. *Matrona prodeat in tantum ornata, ne immunda sit.* Varro apud Gellium XIII, 11. *Dominum autem convivii esse oportet non tam lautum, quam sine sordibus.*

v. 79. ATQUE AFFIGIT HUMO DIVINAE PARTICULAM AURAE] *Affigit* & veteres editiones habent, & omnes omnium codices; praeterquam quibus usus est Lambinus, quorum duodecim, si fides est, ADFLIGIT praeferebant. Nos sane in nullo id vidimus. Neque vero id multum refert, utrum ulli qui nunc quidem extant, ita habeant necne: cum satis constet tam ex alio Flacci loco Serm. I, 1. v. 81. quam ex multis aliorum auctorum, voces *Affigere* & *Affligere* passim a Librariis confundi solere. Hoc igitur hic aga-

Digitized by Google

mus; non utra lectio plures codices ſponſores habeat, ſed utra melior, loco aptior, & ad ſententiam convenientior. Et de hoc quidem litigant Interpretes; neque ullus litigandi finis erit, niſi ſi auctor ab umbris excitatus controverſiam ipſe dirimat. Quippe utraque lectio proba eſt; ut neceſſe ſit hanc illi, illam alteri pro vario hominum guſtu magis placere. Ceterum *affigere humo* quid ſit, norunt omnes; *affligere humo* eſt cum vi & impetu terrae illidere. Ovidius XII, 139.

Quem ſuper impulſum reſupino pectore Cygnum
Vi multa vertit, terraeque adflixit *Achilles.*

& XIV, 206. *quo vidi bina meorum*
Ter quater affligi *ſociorum corpora* terrae.

Auctor Octaviae v. 685.

AFFLIGAT HUMO *violenta manus*
Similes nimium vultus dominae.

Florus IV, 12. *Mulieres, deficientibus telis, infantes ipſos* AFFLICTOS HUMO *in ora militum adverſa miſere.* Valerius Max. IX, 2. 4. *Infanteſque alios in conſpectu parentum* HUMO INFLIGI *juſſit.* Tacitus Hiſt. I, 41. *Dereptam Galbae imaginem* ſolo afflixit. Sueton. Domit. c. XXIII. *Clypeos & imagines ejus coram detrahi, & ibidem* ſolo affligi *juberet.* Silius Italicus lib. VII.

trepideque levantem
Membra afflicta ſolo, *preſſa violentius haſta*
Implicuit terrae. Lucanus, II, 31.
Hae lacrimis ſparſere deos, hae pectora duro
Adflixere ſolo.

Ubi tamen acutiſſimus Jo. Frid. Gronovius, Obſerv. IV, 8. ex Manuſcriptis ſuis reponit *Adfixere:* neque enim, ait, impetu ſe humi proſternebant, ſed procumbebant duntaxat. Nollem hoc a viro ſagaciſſimae naris profectum. Recte enim ibi habet, *Adfixere*; idque vel epitheton *duro* ſatis oſtendit. Id enim rem exaggerat, quod etiam *duro* & marmoreo templorum ſolo pectora adfixerint. Frigebit autem epitheton, ſi placide & lente procubuerint: nihil enim tum intererit, *durone* dixeris an *molli.* Quid quod in magno luctu ſollemne erat humo corpora affligere, & capite & pectoribus ſolum tundere, ut pluribus probare facile foret, ſi id nunc ageremus. Sic de ſene Amphitryone Seneca in Herc. Fur. v. 1317.

Vivamus: artus alleva afflictos *ſolo,*
Theſeu, parentis:

& de ſene Gordiano Capitolinus in Maximinis c. XIV. *Gordianum, reclamantem & ſe* terrae affligentem, *apertum purpura imperare coëgerunt.* Unde & in illo Silii de legatis Saguntinis; lib. I. ſub finem,

Tandem ut finitae voces; (miſerabile viſu)
Affigunt *proni ſqualleniia corpora* terrae.

non dubitem reponere *Affliguni,* repugnante licet Dauſqueio, & eo multo majore Gronovio. Atque ſatis jam, opinor, ſuperque Lambino tulimus ſuppetias, qui copioſe hunc locum enarrans eo maxime ad incitas redactus eſt, quod *affigere ad terram* compluribus exemplis, *affigere terrae* vel *humo* ne uno quidem confirmare potuit. Jam autem, ſi locutio tam bene ſe tuetur, haud minus, puto, & ſententia ipſa ſe commendabit. *Corpus,* inquit, *heſterna crapula onuſtum, animum quoque divinae aurae particulam una ſecum praegravat, & humo affigit.* Certe nihil hic reprehendas; niſi illud forte, quod *humo affigere,* ſive in ſolum dejicere, non ſatis morae denoter, qua animus, etſi ſua natura caeleſtis, vitiis tamen praegravatus humi teneatur. Quod enim *humo affictum* eſt, cito forte ſe erigere & ſublevare poteſt; quod *humo* ſemel *affixum,* vix aut ſero poteſt reſurgere. Recte quidem: ſed contra reponent, Non requiri hic diuturnam moram, quae per totam vitam perduret; agi hic de *heſternis* tantum *vitiis,* de *caena dubia,* de una adeo crapula, quae proinde animum ad terram *deprimat,* ſed minime *defigat:* qua ſcilicet vel labore vel abſtinentia vel denique ſomno diſcuſſa, animus ſe ſtatim recuperet, & humo tollat. Recta igitur, ni fallor, & extra omnem reprehenſionem poſita eſt lectio illa Lambini. Neque tamen hilo minus ubi arrideat illa altera, quam aliorum codices tanto conſenſu ſubminiſtrant,

Atque ADFIGIT *humo divinae particulam aurae.*

Sic enim Seneca Epiſt. LVIII. *Quaedam animantia impetum habent, incedunt, tranſeunt: quaedam* ſolo affixa *radicibus aluntur & creſcunt.* Livius VIII, 7. *Quem Manlius ab jugulo, ita ut per coſtas ferrum emineret,* terrae affixit. & XXIX, 2. *Poſtquam ii, qui circa regem, ſeminecem reſtantem, deinde pilo* terrae affixum, *pugnabant.* Ergo *adfigere humo animum* perinde erit, ac clavo vel fibula vel alio quodam vinculo, terrae adnectere. Id quod in re fere eadem Plato habet in Phaedone, Ἐκείνη ἡδονὴ καὶ λύπη, ὥσπερ ἧλον ἔχουσα, σφοδρὰ προσηλοῖ τὴν ψυχὴν πρὸς τὸ σῶμα καὶ προσπερονᾷ: *Omnis voluptas ac dolor animum corpori, quaſi clavo & fibula, affigit.* Quo alludit Plutarchus Sympoſiacis VIII, 2. Ὁ δὲ ἡδονῆς καὶ ἀλγη-

δόνος

δὸν ἢ λῦ, ὡς πρὸς τὸ σῶμα τὴν ψυχὴν πρηγηλοῦ, μέγιστον κακὸν ἔχειν ἔοικε: *Doloris enim & voluptatis clavus, qui corpori animum adfigit, magnum malum esse videtur.* Itaque hoc dicit Horatius, *Corpus cibi vinique onere gravatum una animum deprimere,* & quasi clavo *terrae affigere,* ὡς σπιρουμένην καὶ πρηγηλοῦν τὴν ψυχὴν τῇ γῇ. Quo in primis pertinent illa Sancti Hieronymi contra Jovinianum Libro II. *Porro* ciborum *aviditas, quod animum quasi quibusdam compedibus* degravatum in terra teneat, *quis ignorat?* Sane ut Horatius fortasse ad illum Platonis locum, ita ad hunc Horatii Hieronymus probabiliter admodum respexisse videatur.

v. 85. ACCEDENT ANNI, ET TRACTARI] In omnibus Pulmanni & Berlmanni Codicibus, & in pluribus Torrentii desideratur particula ET; adeo ut locus sic constituatur,

Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus: ubique
Accedent anni, tractari mollius aetas
Imbecilla volet.

Abest etiam ET ab editionibus vetustis, & a Libris meis praeter Reginensem omnibus. Si tollis τὸ ET; tum clauditur oratio post illa *tenuatum corpus*; & reliqua sententiose proferuntur; *Ubi autem senectus ingravescet, ea aetas imbecilla lautius & delicatius tractari postulabit.* Atque haec quidem lectio sic satis commoda est, & libris plerisque omnibus fundata. Nequaquam tamen ambigo, quin altera illa, quam clare habet Codex Reginensis, sola vera & sincera sit; dummodo pro QUE ex conjectura reponas VE:

Sive *diem festum rediens advexerit annus:*
Seu *recreare volet tenuatum corpus; ubi* VE
Accedent anni, ET *tractari mollius aetas*
Imbecilla volet.

Quo pacto orationis cursus sic continuabitur; Hic poterit ad melius transcurrere, *sive* dies festus sit; *seu* libere exhaustus recreare se volet; *ubive,* vel *sive ubi* senescere se sentit. *Ve* enim particula disjunctiva cum *seu* & *sive* tertium locum obtinere solet. Sic Noster Carm. IV, 2.

Seu *per audaces nova dithyrambos.*
Seu *deos regesve canit deorum.*
Sive *quos Elea domum reducit.*
Flebili sponsae juvenemve raptum.

Et Arte Poët. v. 63. Sive *receptus terra Neptunus — sterilis* VE *diu palus — seu cursum mutavit.* & Carm. III, 4.

Seu *voce nunc mavis acuta.*
Seu *fidibus citharae* ve *Phoebi.*

& I, 2. Sive *per Syrtes iter aestuosas,*
Sive *facturus per inhospitalem*
Caucasum, vel *quae loca.*

Recte igitur hic habet *Ubive*: atque hoc modo evitabitur ambiguitas vocabuli *Ubique*, quae legentem continuo offendit.

v. 95. AUREM OCCUPAT HUMANAM] Plures vetustioresque codices OCCUPET; & sic nostri Reginensis, Leidensis cum aliis quinque; atque hoc Lambino & Cruquio Torrentioque placuit;

Das aliquid famae, quae carmine gratior
Occupet *humanam?* [*aurem*

Fama est vox τῶν μίσων, nunc *bonam* nunc *malam* significans: itaque haec erit constructio; *Das aliquid famae, quae bona & jucundissima sit?* Verum hoc pacto non *aurem humanam,* sed *aurem tuam* rectius dixisset. Quare malim hic sequi alios codices, licet numero & antiquitate inferiores, in quibus sunt Magdalenensis & Collegii Trinitatis cum editionibus priscis;

Das aliquid famae? quae carmine gratior
OCCUPAT *humanam:* [*aurem*

Ubi *famae* absolute positum est pro *bonae famae.* Sic Seneca de Clementia lib. I, 15. *Quilibet nostrum debuisset adversus opiniones malignas satis fiduciae habere in bona conscientia: principes multa debent etiam* FAMAE DARE. Tacitus Annal. I, 7. DABAT & FAMAE; *ut vocatus electusque potius a Rep. videretur.* Jam autem *bona fama,* existimatio, laus, *humanas aures* jucundissime afficit. Plinius Epist. VII, 32. *Est enim, ut Xenophon ait,* ἡδὺσμα ἔπαινος. Locus extat in Hieronymo, ubi Simonides loquitur; Τῷ μὲν ἡδίστῳ ἀκροάματι ἔπαινος ἔστι σπανίζειν· ἢ δ' οὐ χαλεπωτάτη, λοιδορίας ἀνήκοον εἶναι. Cicero pro Archia c. 9. *Themistoclem dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, Quod* acroama *aut cujus vocem libentissime audiret: Ejus, a quo sua virtus optime praedicaretur.* Eleganter hic Porphyrio: *Hoc Antisthenes dixisse traditur: Is enim cum vidisset adolescentem luxuriosum Acroamatibus deditum, ait, Miserum te, adolescens, qui nunquam audisti summum acroama, laudem tuam.* Ergo *occupat* elegantius hic & verius quam *occupet.*

v. 99. AS LAQUEI PRETIUM] Editiones quidem veteres, & codicum major pars AES, i. e. ut Petrensis inter lineas enarrat, *Obolus.* Lucianus in Timone: Ἐμοὶ δὲ καὶ πολλοὺς ἀν-

ἀν πιστεῖν ἔχωμί σοι, χθὲς ῥᾳδίως ἀδὲ ὀβολὸν ἄξια πρίασθαι βρόχου ἐχόντες, ἄφνω ὃ τάμιστον πλουσίους: hoc est. *Ego vero multos tibi memorare possum, hodie repente divites, qui heri ne* Obolum quidem, quo laqueum emerent, *habuerint.* Placet tamen potius AS ex Blandiniis & nostris aliquot, ut unum nummulum indicet; quam ARS, quod summae incertae est. Lucianus itaque *obolum*, Noster *assem*, Plautus *drachmam*, certum omnes nummulum, pro laquei pretio nominarunt. Pseud. I, 1. v. 83.

CA. *Actum hodie de me est. Sed potes nunc mutuam*
Drachmam *dare mi unam, quam cras reddibo tibi?*
PS. *Vix hercle opinor, si me opponam pignori*
Sed quid de drachma facere vis? CA. Restim *volo*
Mihi emere. PS. *Quamobrem?* CA. *Qui me faciam* pensilem:
Certum est mihi ante tenebras tenebras persequi.

Ita ille Plauti locus est legendus.

Ibid. JURE, INQUIS, TRASIUS ISTIS JURGATUR VERBIS] Primo INQUIT hic legendum cum editionibus vetustis & codicibus melioris notae, ut Leidensi & Reginensi cum aliis. Vide nos ad Serm. I, 4. v. 79. Deinde in nomine illo mire variant, ut solent, exemplaria; *Trasius, Trausius, Rausius, Traxius, Tosius, Tralius, Traulius, Trallius, Travius.* Nos TRAUSIUS, sive TROSIUS quod idem est, ut *Claudius Clodius, Plaustrum plostrum* &c. ex Blandiniis Cruquii, & nostris quibusdam, & editione prima Veneta praeferimus. Gruterus 744, 3. C. TRAUSIO LUCRIONI. TRAUSIUS FARIS. TRAUSIA AUGE LIB. & 64, 2. IN HONOREM M. TROSII DAPHNI ET M. TROSII CISSI M. TROSIUS MODESTUS. & 170, 3. C. AVILIUS LICINIUS TROSIUS. Reinesius XVI, 40. P. TROSIUS P. F. PORTIO. TROSIA C. F. TERTIA. Apud eosdem & TRAVIUS habes; uti hic apud Flaccum exhibent Leidensis & Reginensis. Capitolinus in Marco c. 11. *Usus est Grammaticis Latinis, Trosio Apro, &c.*

V. 106. UNI NIMIRUM RECTE TIBI SEMPER ERUNT RES] Alio ordine Codices nostri, Leidensis, Zulichemianus, Galeanus, & Reg. Societatis, TIBI RECTE; nisi quod nonnulli male praeferant RECTAE. *Uni nimirum tibi*; id est, *Soli tibi*: ita haec melius conjunguntur. Deinde pro *erunt* legendum ex ingeniosa Nic. Heinsii conjectura *erunt*:

Uni nimirum tibi recte semper RUNT *res.*

Ita Cicero ad Atticum XIV, 15. *Incipis* res melius ire, *quam putaram.* & XIV, 20. *Delabellae & prima illa actio, & haec contra Antonium concio mihi profecisse permulsum videtur: prorsus* ibat res. Tacitus Annal. XII, 68. *Crebroque vulgabat,* Ire in melius *valetudinem principis.* Ita *res procedere, bene cedere, pessum ire, retro ire, redire* dicuntur. Ceterum facilis erat Librariorum lapsus ab RUNT ad IRUNT. Sic Serm. II, 7, 59. *Auctoratus eas*; duo Cruquiani & Reginensis noster *Eras.* Porro hic versus non, ut vulgo, per interrogationem efferendus est: sed affirmative & ἀμυγκῶς. Qui in bonis scriptoribus versati sunt, id ex ipso verbo *Nimirum* verum esse intelegent.

V. 113. INTEGRIS OPIBUS NOVI NON LATIUS USUM] Scripti omnes editique *Latius*: at Henricus Stephanus ex conjectura, plaudente Cruquio, *Lautius*: acutissimus Nic. Heinsius in libri sui margine, *Laetius.* Dolet dictum hoc a viro praestantissimo. Siquidem melior longe est Stephani correctio. Ulpianus Digest. V, 3, 25. *Si quis re sua* lautius *uius sit contemplatione delatae sibi hereditatis.* & mox ibidem, *Si quid* lautius *contemplatione hereditatis impendit.* & iterum, *Utique enim, esi non tam* laute *erogasset, aliquid tamen ad victum cottidianum erogasset.* Sed nihil in Nostro mutandum: accederem potius ad Duareni sententiam, qui in Ulpiano *Latius* substituit. Juvenalis Sat. XIV, 234.

Nemo satis credit tantũ delinquere, quantum
Permittas: adeo indulgent hoc latius *ipsi.*

Recte igitur *Latius uti*; ut contra *Anguste uti.* Caesar de Bello Civili III, 16. *Rem frumentariam expediendam, qua* anguste utebatur. Sic *res angusta, res arcta.* Eodem redeunt *largius uti, laxius uti.* Sallustius Catil. XVI. *Plerique Sullani milites,* largius suo usi, *rapinarum & victoriae veteris memores, civile bellum exoptabant.* Seneca de Brevitate Vitae c. VIII. *Nemo aestimat tempus*: utuntur illo laxius, *quasi gratuito.*

V. 118. AC MIHI, CUM LONGUM] Miror, unde malum huc pedem intulerit illud CUM, cum omnes codices & editiones vetustae habeant SEU. *Seu hospes, sive convivia.* Quid manifestius?

V. 123. POST HOC LUDUS ERAT CULPA POTARE MAGISTRA] Locus omnium difficillimus, quique Interpretibus summam molestiam

Digitized by Google

moleſtiam creavit. Nobis quoque, pro penſi noſtri ratione jam eadem adeunda eſt alea: quae ſi poſt tot & tantos viros melius forte aut ſaltem non deterius ceſſerit, erit quod ab aequo lectore vel gratiam vel veniam impetremus. Jam primum id ab omnibus teſtatum eſt, univerſos qui adhuc viſi ſunt codices uno conſenſu habere, CULPA MAGISTRA. Id quid ſibi velit, & an huic ſententiae poſſit adaptari, jam diſquirendum erit. Cato in Diris:

Iſtius atque utinam facti mea CULPA MAGISTRA

Prima foret: letum vita mihi dulcius eſſet. ubi *magiſtra iſtius facti*, ſive Veneris furtivae, eſt *dux, inventrix, auctor.* Eodem ſenſu Curtius III, 5. *Adhuc illa diſciplina* paupertate magiſtra *ſtetit.* Cicero, *Natura ipſa magiſtra ac duce.* Virgilius ſemel atque iterum, *Arte magiſtra.* Silius Italicus IV.

Exclamat Ligur; huic ſuperos ſentire monentes
Ars fuit, ac penna *monſtrare futura* magiſtra.

Quid ergo? an *culpa* hic erit *magiſtra*, dux, & inventrix *potandi?* Atqui ex hac ſignificatione nullus hujus loci ſenſus elici poteſt, qui ſit paullo tolerabilis. Sed praeter hanc laxiorem ſignificationem alia propria eſt ad compotationes pertinens; ut proinde illam ab Horatio hic innui ſit veri ſimillimum. Quippe in conviviis moris erat vel jactu talorum vel coronae impoſitione Magiſtrum aliquem bibendi arbitrum conſtituere, qui poculorum modum & numerum omnibus praeſcriberet. Perſaepe autem femina ad id munus delecta, ſi forte ſcorta in convivio aderant. Catullus Epigr. XXVII.

Minifter vetuli puer Falerni
Inger mi calices amariores,
Ut lex Poſtumiae *jubet* magiſtrae.

Plautus Perſa IV. 1.

Do hanc tibi florentem florenti, tu hic eris dictatrix *nobis.*

Atque ad hunc morem ſine dubio reſpicit Horatius; ſi modo tam felix eſſe poterit quiſpiam, ut latentem hic ſententiam extundat:

Poſt hoc ludus erat culpa *potare* magiſtra.

Sunt qui, duce Turnebo, ſic exponant; ludum ſcilicet hunc fuiſſe, ut ſiquis convivarum in aliqua re culpam admiſerat, is calicem vice poenae exhaurire juberetur: atque ideo *culpam* hic vocari bibendi *magiſtram.* Unde vero tam bellum ludum nobis comminiſcuntur? nimirum ex Plautino illo. Stich. V, 4.

Agedum, Stiche, uter demutaſſit, poculo multabitur:

hoc eſt, ut ajunt, *poculum unum ebibet extra ordinem.* Atqui contrarium plane ibi eſt *poculo multari*: id enim *privari* denotat; ut *multari agris, pecunia, dote, fortunis, regno*, paſſim apud auctores: id quod ex verſu ſequente clare apparet;

Age ergo obſerva: ſi peccaſſis, multam hic retinebo illico.

Ergo ad hoc exemplum, id potius voluerit Oſellus; Ut ſiquis quid peccaverit, is culpa ſua magiſtra cyatho plecteretur, neque prius biberet, quam rurſum ad ſe cyathus per menſam rediiſſet. Sed utrovis modo acceperis, dura ſane & coacta haec expoſitio eſt; ut pleraeque magni illius Turnebi, dum falſis lectionibus ſupra modum adhaeret. Quale enim illud convivium; ubi ſingula verba captanda & torquenda erant, ſiquam *culpam* faterentur? cenſura utique foret, non *ludus:* citiuſque rixae inde & jurgia, quam joci & hilaritas naſcerentur. Quod ſi optime & ſuaviſſime haec ceſſerint; putidum tamen & κακόζηλον eſſet, ideo *culpam* nominare *magiſtram*, ut alii *Poſtumiam* aut *Lydiam.* Equidem quidvis potius quam hoc ab Horatio profectum crediderim. Et recte ſane Lambinus, qui ſtribligine hac non contentus melius quiddam ex conjectura indagandum ſibi putavit. Is igitur leviſſima mutatione ſic defungi ſe poſſe credidit,

Poſt hoc ludus erat CUPPA *potare magiſtra:* id eſt, ut ipſe explicat, nullo alio bibendi magiſtro adhibito, niſi ipſa cuppa; ſuo ſcilicet arbitratu quiſque potabat, ſeu grandia mallet pocula, ſive modica. *Cuppam* itaque pro poculo, calice, cyatho accepit Lambinus. Atqui illud virum eximium fefellit, Cuppam, non poculum eſſe, ſed ingens vas vinarium inſtar ſeriae, vel dolii. Ita tribus locis uſurpat Varro apud Nonium Marcellum. Inde ad frumentum conſervandum & ad pontium fabricam adhiberi ſolita. Lucanus IV, 420.

Namque ratem vacuae ſuſtentant undique cuppae.

Vegetius III, 7. *Navigeri amnes, colligatis inanibus* cuppis *additiſque trabibus, tranſitum praebent.* Capitolinus in Maximinis c. XXIV. *Ponte itaque* cuppis *facto, Maximinus fluvium tranſivit.* Frontinus Strateg. III. 14. *Hircius Coſ. ſalem* cuppis *conditum per amnem intromiſit.* Caeſar Bel. Civ. II, 11. Cupas *taeda ac pice refertas incendunt, eaſque de muro in muſculum devolvunt.* De iiſdem vide Catonem & Palladium de Re Ruſtica, Gloſſaria

Labbaei, Ulpianum Digeſt. VII, 1, 15. XXXIII, 6, 3. XXXIII, 7, 8. & 12. Scaevolam XXXII, 1, 93. Alfenum XIV, 2, 31. Auguſtinus Confeſſ. lib. IX. c. 8 *Nam cum de more puella juberetur a parentibus*, de cuppa vinum *depromere ſubmiſſo poculo*. Ex his, opinor, abunde conſtat *Cuppam* ſive *Cupam*, grande vas eſſe; cujus quidem *aedificandae* rationem docet Cato cap. XXI. Quod autem viri eruditi tradunt, cuppam etiam poculum notare, ut in linguis hodiernis *Cup*, & apud Heſychium Κύββα, ποτήριον; id ſane gratis dicunt & ſine ullo auctore. Ipſum enim Heſychii Κύββα mendoſum eſt pro Κύμβα. Athenaeus XI, 9. Κύμβα ποτήριον· Ἀπολλόδωρος δ' Παφίους. Hoc ipſum voluit Heſychius; ſed deceptus eſt, ut ſaepe alias, ſimilitudine literarum μ & π: ſic enim τὸ β ante aliquot ſaecula ſcribere ſolebant. Tum autem, quod ex Naevio citant, *Qui duas cuppas mero plenas exhauſit*, id ſpurium eſt, & ex turbidis Huguitionis lacunis petitum. Et, ſi maxime genuinum foret, nihil tamen colligas ex hoc fragmento, quo minus cupa hic, ut alibi, ſit dolii ſpecies, non poculi. Denique quod ex Epigrammate laudat Turnebus, *Sunt cupae, calices, cyathi*; id quidem olim ferebatur in Virgilii Copa:

Sunt cupae, calices, *cyathi*, *roſa*, *tibia*, *chordae*,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus:

ſed in ſcriptis codicibus alia longe eſt lectio.

Sunt topia & calybae, *cyathi* &c.

quam ſolam veram eſſe jam diu eſt quod oſtenderunt viri maximi Joſ. Scaliger ad locum, & Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam. Quid ergo? Jam plane concidit Lambini enarratio: neque enim *cuppa* bibebant, tamquam calice, ut ejus modulus pro magiſtro inſervire poſſet: ut ne dicam, eandem hic inepriam & κακοζηλίαν redire, quam in Turnebi expoſitione jam antea faſtidivimus. Ut enim *cuppa* notaverit calicem; quis tamen illud tulerit, calicem bibendi magiſtrum & modimperatorem dici? In eodem luto haerent Danielis Heinſii, & Theodori Marcilii interpretationes; quas proinde non eſt operae pretium hic ventilare. Erit etiam fortaſſe, qui *cupam* hic pro cado vel dolio accipiat, & ideo *cupam magiſtram* dici velit; quaſi ea bibendi lex & conditio eſſet, ut tota cupa exhauriretur: quemadmodum apud Noſtrum *Pholoen decebant* Carm III, 15.

Epoti vetula fuece tenus cadi;

& Serm. II, 8. *Vitidius Balatroque vinaria tota inverterebant*. Hoc ſane, quantum ad dictionem attinet, ſpecioſius illis prioribus eſſe videatur: ſed in re ipſa & decoratione peccat. Non enim convenit, adeo damnoſe bibere Sapientem noſtrum ruſticum, ut integram cupam una caena invertat & capite ſiſtat. Hoc non eſt parci illius & ſobrii Oſelli, ſed Trauſii & Nomentani nepotum. Vir ſummus Nic. Heinſius in libri ſui ora, *Forte*, ait, PULPA. *Pulpa* autem proprie eſt caro ſine oſſibus; at apud Perſium per tranſlationem uſurpatur, Sat. II, 63.

Quid juvat hos templis noſtros immittere mores?

Et bona diis ex hac ſcelerata ducere pulpa?

Sed nequeo equidem divinare, quo ſenſu vir ingenioſus hoc verbum huc intruſerit: neque enim caelum nec terram tangere videtur. Dicis, opinor, cauſſa & aliud agens hoc adnotabat; magis ut de eo poſtea deliberaret, quam quod tum ſerio probaret. Me quod attinet, (his enim repudiatis mea jam proferenda ſunt) duplex mihi huc illuc mentem verſanti conjectura incidit. Primo haud ita magna mutatione *nulla* ſubſtituebam pro *culpa*;

Poſt hoc ludus erat NULLA *potare magiſtra*:

hoc eſt, nullis ἀναιδοποσίας legibus obſtrictos, ſuo quemque, non bibacis alicujus magiſtrae arbitrio, potare. Hoc ipſum eſt, quod in rure ſuo Sabino beatum praedicat Noſter Serm. II, 6. v. 67. *prout cuique libido eſt*,

Siccat inaequales calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis: *ſeu quis capit ampla ſertis*
Pocula, ſeu modicis uveſcit laetius.

Nulla autem *magiſtra*; ut Ovidius Triſt. I, 5. licet nihil ibi de convivio,

Sive tibi hoc debes, nulla *pia facta* magiſtra.

& in Arte amandi, II, 479.

Quid facerent, ipſi nullo *didicere* magiſtro.

Prudentius Hamartigenia v. 204.

qui ſe corrumpere primum,
Mox hominem didicit, nullo *informante* magiſtro.

Quis hoc autem reprehendere, ſi codex aliquis aſtipularetur? Sed & aliud mihi in mentem veniebat, & vulgatae lectioni propius, & adhuc, ni fallor, ad ſententiam convenientius;

Poſt hoc ludus erat CUPA *potare magiſtra.*

Ubi *Cupa* eadem erit, quae *Copa*, *Caupona*, Καπηλὶς mulier quae vinum etiam venditat. Vox *Cupa* eo ſenſu occurrit apud Ciceronem, & Virgilium Quippe poëmation illud Virgilio inſcriptum, quod *Copa* hodie dicitur, olim *Cupa* vocabatur. Sompaſer Charibus

Digitized by Google

rifius p. 49. *Communia*, Cupo cuponis, *Fullo fullonis*; *quamvis Virgilius librum ſuum* Cupam *inſcripſerit*. Caupo, copo, cupo; & copa, cupa: ſic plauſtrum, ploſtrum, claudo cludo, & ſimilia. Lege igitur apud Virgilium,

CUPA *Syriſca, caput Graia redimita mitella.*

Copa tamen eſt apud Suetonium in Nerone c. 27. *Inſignes ganeae, & matronarum inſtitoria* copas *imitantium atque hinc inde hortantium, ut appelleret.* Porro illud hinc intellegas, Oſellum noſtrum non domi e cella ſua, ſed foris e taberna venale vinum petiiſſe. Id enim apud veteres ſollemne erat hominibus modico cenſu. Unde Noſter Epiſt. I, 14. ideo angulum illum ruris Sabini diſplicere villico ſuo memorat, quia, ait,

Non vicina ſubeſt, vinum praebere taberna
Quae poſſit tibi: nec meretrix tibicina, cujus
Ad ſtrepitum ſaltas, terrae gravis.

Quippe vini expers & prorſus abſtemius ibi Villicus degebat: nulla enim domi cella, nulla foris taberna. Qui tenui, inquam, cenſu erant, de cupa vinum emebant: nam ditiores domi de ſuo habebant. Unde illud in Claudio tamquam extremi ſtuporis arguit Suetonius; quod jam imperator, in ipſa Curia, faſſus eſt ſe olim e tabernis vinum ſibi paraviſſe; cap. XL. *Cum de lanis*, ait, *ac vinariis ageretur, Exclamavit in curia, Rogo vos, quis poteſt ſine offula vivere? deſcripſitque abundantiam veterum* tabernarum, *unde ſolitus eſſet* vinum *olim & ipſe petere.* Et L. Piſoni Cicero inelegantem luxuriam & ſordidam gulam exprobrat, Orat. c. 27. quod *piſtor ei domi nullus, nulla cella; panis & vinum a propola, atque de* CUPA. Itaque Oſellus noſter, quo hoſpitem ſuum lautius & prolixius acciperet, vinum de taberna petiit; & menſis demum remotis ipſam *Cupam*, τὴν καπηλίδα, ut Horatius ſuam Lyden aut Phyllidem, accerſivit, qua & *potandi magiſtra*, & ſaltatrice, & crotaliſtria, & ſiquid amplius vellent, convivae uterentur. Omnia enim illa praeſtitit Cupa Virgilii,

Criſpum ſub crotalo *docta movere latus.*
Candida formoſae decerpes ora *puellae:*
Ah pereat, cui ſunt priſca ſupercilia.
Pone merum & talos: pereat qui craſtina curat:
Mors aurem vellens, Vivite, ait, venio.

Habes jam meam conjecturam; quae, ſi omne punctum tulerit, gratus accipies: ſin minus; ipſe, me plaudente, meliorem excogitabis. Certe idem error in Pandectis Florentinis haeſit, XIX, 2, 31. *Quod ſi ſeparatim tabulis aut hominibus aut in alia* culpa *cluſum uniuſcujuſque vitiosum fuiſſet.* Ubi pro *culpa* reponendum eſſe *cupa* jam pridem viderunt juris periti. Palma in medio poſita eſt; detur optimo conjectori.

V. 124. AC VENERATA CERES, UT CULMO SURGERET ALTO] *Ut* jam in editionibus fere obtinet, ſed ſine codicum auctoritate. Cruquius & Lambinus ſic dederunt,

Ac venerata Ceres, uti *culmo ſurgeret alto.*

& nuper vir eruditus,

Ac venerata Ceres, ita *culmo* uti *ſurgeret alto:*

obliti ſcilicet vocabulum *uti* poſteriorem ſyllabam ſemper producere. Editiones priſcae & membranae, opinor, omnes, certe noſtrae exhibent,

Ac venerata Ceres, ITA *culmo ſurgeret alto.*

Rectiſſime: *ut* enim hic abeſſe, tralatitium eſt. *Ita ſurgeret*; ita ſcilicet, ut jam nunc ſurgit. Nempe *per imbrem* convivium hoc actum eſt; caelo autem pluvio, & Ceres creſcit, & ruſtici oriantur ac bibunt. Ariſtophanes in Pace; p. 477. Edit Baſ.

Οὐ γάρ ἐσθ' ὅπλον, ἢ τυχεῖν μὲ δεῖ πάλη 'σπαρμένα,
Τὸν θεὸν δ' ἱκετεύσαν καὶ τὴν κόπτην αἰτεῖν γάνος.
Εἶτ' ἐμοὶ, τί ποιεῖτε δρᾶμεν, ὦ Κωμαρχίδη;
Ἐμπεσεῖν ἐμοί γ' ἄρειον, ἢ θεὸν δρῶντας καλῶς.

V. 132. POSTREMO EXPELLET] Neſcio, quare poſt Lambinum & Cruquium jam omnes fere editiones POSTREMO hic praeferant; Venetae enim & Loſcheriana, & membranae omnes notae melioris POSTREMUM.

V. 134. ERIT NULLI PROPRIUS, SED CEDET IN USUM] Ita omnes & olim & nuper editi: neque quidquam ex libris ſuis afferunt magni Interpretes. Solus Berſmannus in duobus ERAT, in uno CEDIT reperiſſe ſe teſtatus eſt. Lege ergo, & diſtingue;

Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Oſelli
Dictus ERAT: *nulli proprius; ſed* CEDIT *in uſum*
Nunc mihi, nunc alii.

Et *cedit* quidem Battelianus noſter; *erat* cum ille, tum Galeanus, Magdalenenſis, Societatis Regiae, & Collegii Trinitatis habent. Quae ſine dubio vulgatae lectione meliora ſunt. Si *cedit* hic admittas, perpetui temporis erit; & *cedit mihi* etiam praeteritum tempus includet, cum Oſellus agri dominus erat. At ſi *cedet* legis, tum non recte addideris *mihi Oſello*, utpote jam poſſeſſione depulſo. Dicendum utique fuerit, *Nunc huic, nunc alii*; huic ſcilicet Umbreno. Quare recte habent *erat* & *cedit*,

cedit. Ceterum & alio modo ordinare verba & conſtruere potes;

Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Oſelli,
Dictus erat nulli proprius; ſed cedit &c.

ubi *dictus erat proprius* perinde erit ac *datus, donatus, dicatus, conſtitutus.* Virgil. Aen. I, 77.

Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.

ubi notat Servius, tam a dico dicas, *dicatus,* quam a dico dicis *dictus* eodem ſenſu uſurpari; ut in illo Aen. VI, 138.

Aureus & foliis & lento vimine ramus
Junoni infernae dictus ſacer.

dictus, inquit, *dicatus.* Sic agrum, pecuniam, vel aliud quid doti *dicere,* eſt conſtituere. Ergo, ait, hic ager nunc ſub Umbreni, nuper ſub Oſelli nomine, nulli proprius, & perpetuus a natura dicatus, conſtitutus erat.

ECLOGA III.

V. 1. SIC RARO SCRIBIS] Permanſit hoc ex editionibus priſcis. Tres Blandinii & alter apud Cruquium, SI *raro ſcribis:* duo Pulmanni, SI raro SCRIBES; *ſcribes* etiam tertius habet. Repone igitur,

SI *raro* SCRIBES, *ut toto non quater anno*
Membranam poſcas, ſcriptorum quaeque retexens,
Iratus tibi, quod vini ſomnique benignus
Nil dignum ſermone canas: quid fiet?

Atque hoc eſt quod voluit Acron Scholiaſtes; *Quid fiet? Hyperbaton,* inquit, *a ſuperioribus, ſi raro ſcribis —— quid fiet?* Ita Terentius Phorm. IV, 4.

cedo nunc porro, Phormio
Dotem ſi accipiet, uxor ducenda eſt domum;
Quid fiet?

Raro ſcribes, ut non quater poſcas membranam; hoc eſt, *adeo ut;* ut ſaepe Noſter alibi: Serm. I, 7. V. 13.

Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors.

Quod cum non intelligerent boni Librarii, SIC ſubſtituerunt, quia deeſſe videbatur particula comparandi. Quod ſi SIC retinere velis, tum per interrogationem efferas cenſeo.

Sic raro ſcribes, ut toto non quater &c.
Nil dignum ſermone canas? quid fiet?

V. 4. AB IPSIS SATURNALIBUS HUC FUGISTI] Neglegenter ſane hic verſati ſunt interpretes; ut nuſquam magis: Cruquius in vetuſtiſſimo Blandinio AT *ipſis* invenerat; ſed fortuna ſua uti neſcivit. Idem & nos reperimus in optimo Leidenſi, & a prima manu in Reginenſi. Agnoſco veram Horatii manum:

Quid fiet? AT ipſis
Saturnalibus huc fugiſti.

Saturnalibus abſolute poſitum, ut paſſim apud alios: Catull. XV.

Miſti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum.

Martialis VI, 24.

Nil laſcivius eſt Chariſiano;
Saturnalibus ambulat togatus.

At in vulgata lectione ne ſententia quidem conſiſtit: Quomodo enim *ab Saturnalibus* fugere potuit? quid, malum, annon tam rure, quam in urbe, dies Saturnalium erant? an ad villam abeundo, triduum de mente decembri ſuſtulit? Mirum vero, tot enarratoribus tam ſpiſſum & abſurdum mendum placere potuiſſe. Neque vero in ſequentibus felicius rem geſſerunt,

Sobrius ergo
Dic aliquid dignum promiſſis.

Quid hoc eſt, obſecro, niſi palam inſimulare, Noſtrum plerumque fuiſſe ebrium? Quanto melior ea diſtinctio eſt, quae in pluribus membranis apparet?

at ipſis
Saturnalibus huc fugiſti ſobrius. Ergo
Dic aliquid dignum promiſſis.

Tu, inquit, ſobrius in villam te abdidiſti, dum alii teſtos dies Romae luxurioſe celebrant. Seneca Epiſt. XVIII. de *Saturnalibus* loquens: *Hoc multo fortius eſt, eorio ac vomitante populo, ſiccum ac ſobrium eſſe.* Juvenalis Sat. VII, 96.

Tunc par ingenio pretium, tunc utile multis
Pallere, & vinum toto neſcire decembri.

De poëtis loquitur, qui ipſis Saturnalibus, ut Noſter, turba & epulis abſtinebant, & carminibus ſcribendis operam dabant. Ceterum in uno Cruquii Blandinio pro ERGO erat ESTO: ut ſane haec a Librariis confundi ſolere non ſemel animadverti. Venuſta ſane lectio:

Quid fiet? AT ipſis
Saturnalibus huc fugiſti ſobrius. ESTO:
Dic aliquid dignum promiſſis.

Caſtigaverat Noſtrum Damaſippus ut deſidioſum: *Si toto,* inquit, *anno vix quater ſcriptioni vacabis; quid fiet?* Moxilla ſubjungit, tanquam occupante & reſpondente Horatio: *At dices,* ait, *Ipſis Saturnalibus huc fugi ſobrius.* Agnoſco hoc: *eſto. dic igitur aliquid dignum hoc ſeceſſu atque otio.* Sane utrumvis, tam

eſſe

Digitized by Google

esto quam ergo, tuto poteris admittere: sed illud *At* prorsus necessarium est.

v. 10. CEPISSET VILLULA TECTO] Nihil quidem hic muto, quandoquidem omnia exemplaria in hac lectione consentiunt. Sic alibi Serm, I, 5. v. 45.

Proxima Campano ponti quae villula tectum *Praebuit.*

Nolo tamen hic dissimulare, quod in conjecturam mihi venerat: ne quis forte posthac in eandem incidens me tardiusculum fuisse criminetur, qui illam non viderim. Quid si igitur legas?

Si vacuum tepido cepisset villula LECTO:

lecto scilicet lucubratorio: ut Serm. I, 4. v. 133.

neque enim cum lectulus *aut me Porticus excepit, desum mihi.*

Seneca Epist. LXXII. *Quaedam sunt, quae possis & in cisio scribere: quaedam* lectum, *& otium, & secretum desiderant,* Catullus XXXII.

O quid beatis est solutius curis?
Cum mens onus reponit; ac peregrino
Labore fessi venimus larem *ad nostrum,*
Desideratoque acquiescimus lecto.

v. 12. EUPOLIN, ARCHILOCHUM, COMITES] Venusta lectio est in codice Reginensi, etsi a manu secunda:

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin ARCHILOCHO? *comites educere tantos?*

Certe iratis Musis natus sit oportet, qui vulgata elegantiorem hanc esse non persentiscat. *Tantos* autem, *tam grandes*, tot ac tantis voluminibus: ut recte Acron; *Tantos, ad codices retulit.* Sed fortasse altius hic mendum latet: vetus enim Persii Scholiastes ad Sat. III. sic locum hunc profert, *Quin tu invidiam placare paras:* quam eandem scripturam inveni etiam in alio quo tam Persii enarratore MSto, qui habetur in Bibliotheca Regia. Unde ex doctissimi Rutgersii conjectura totus hic locus sic concinnari poterit:

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere? QUID, TU
Invidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere miser.

ut illud Terentii Eun II, 2.

Quid, tu *his rebus credis fieri? tota erras via.*

Sane apte satis hoc & commode exire, nemo potest inficiari: contenti tamen erimus lectione illa, quam hodie suppeditant Flacci exemplaria. Ceterum quam secundo loco conjecturam protulit idem Rutgersius, QUINCTE; ut Horatium hic praenomine compellet blandiens Damasippus; eam, etsi auctori mirifice placuit, multo deteriorem esse judico.

v. 27. ET MORBI MIROR PURGATUM TE ILLIUS] Miror equidem, unde hoc malo pede se in omnes superiore saeculo editiones intulerit. Alium enim verborum ordinem servant, & antiquitus excusi libri, & scripti credo universi, nostri certe ad unum omnes,

Et MIROR MORBI *purgatum te illius.*

Quod & soni suavitate, & compositionis simplicitate, altero praestat.

v. 29. LATERIS MISERI CAPITISQUE DOLORE] Etiam hic per interpretum neglegentiam impune grassata est sciolorum hominum audacia. Cum enim Venetae & Loscheriana editio recte habuissent VE;

ut solet in cor
Trajecto lateris miseri capitisve dolore:

nescio quomodo jam per saeculum & amplius illud QUE in excusis omnibus locum obtinuit. Atqui non illud vult Horatius, eundem hominem & latere & capite dolere, atque utrumque dolorem in cor una trajici. Nam ex comparatione, *Et miror morbi purgatum te illius*, de uno hic morbo, non de pluribus agi manifestum est. Ergo VE huc restituendum; in alio scilicet *capitis* dolor, in alio *lateris*, in *cor* trajici solet. *Ve* etiam habet Battelianus & Regius, cum uno Bersmanni: quin & Scholiastes Acron clare agnoscit; ubi sic locum enarrat; *Qui lateris* AUT *capitis dolore correpti sunt.*

v. 39. PUDOR, INQUIT, TE MALUS URGET] Reducenda est Blandiniorum codicum lectio, ANGIT, quam Torrentius, Bersmannus, Pulmannus in compluribus suis invenerunt. Ex nostris solus habet Battelianus. Similis librariorum lapsus alibi occurrit: ut in Virg. Aen. IX, 89.

nunc sollicitam timor anxius urget.

In melioribus membranis *angit* reperit Pierius, & sic in sua editione dedit Nic. Heinsius. Ceterum *urget* paullo ante habuimus v. 30; ut inconcinne hic repetatur.

v. 60. QUAM FUSIUS EBRIUS OLIM] Melius Torrentii codices quinque, Pulmannique unus, FUFIUS. Et sic a prima manu noster Reginensis. *Fusios* saepe habes apud Gruterum & Reinesium, sed nullos *Fusios*. *Fusii* etiam apud Ciceronem, Caesarem, Tacitum, alios occurrunt: sed deteriores libri passim ibi *Fusios* obtrudunt.

Digitized by Google

v. 62. HUIC EGO VULGUM] Repone VULGUS ex duobus Pulmanni & Galeano noſtro. Nuſquam alibi *vulgus* maſculino genere uſurpat Horatius; ſemper neutro. Adde, quod *vulgum ſimilem cunctum* ingratam *nauſeoſus* habent.

b. 74. SI MALE REM GERERE INSANI EST, CONTRA BENE SANI] Duo ex noſtris, Galeanus & Regiae Societatis,

Si male rem gerere inſani, contra bene ſani EST.

Et ſic credo in pluribus aliorum, etſi ipſi taceant. Res quidem parvula eſt: ex duabus tamen lectionibus hanc praetulerim; quia hoc pacto clare magis oratio ad ſequentia continuatur.

v. 76. QUOD TU NUMQUAM RESCRIBERE POSSIS] Praeſtantiſſimus Nic. Heinſius in libri ſui margine, *Forte*, ait, *legendum*, QUOI. Perperam, ut opinor. *Reſcribere* enim eſt, *reddere, ſolvere*; & accuſativum poſt ſe trahit. Terentius Phorm. V, 7.

Sed tranſi ſodes ad forum, atque illud mihi
Argentum *rurſum jube* reſcribi, *Phormio.*

Quodnec ego perſcripſi porro illis quibus debui? ubi Donatus: *Quoniam ad numerationem pecuniae antecedit ſcriptura*, reſcribere *dicebant pro* renumerare. Servius ad Virgilii Aen. VII, 422. *Scribi eſt dari, Reſcribi reddi*; Horatius:

Dicantis, quod *tu numquam reſcribere poſſis.*

Vide nos ad Epiſt. II, 1. v. 105. ubi illud etiam ad examen revocabimus, *Scribe decem a Nerio.*

v. 86. ARBITRIO ARRI, FRUMENTI QUANTUM] Lego,

atque epulum arbitrio Arrî, ET
Frumenti quantum metit Africa

Centum paria, atque epulum, & frumentum. Id Librariis perpetuum eſt, ut voculam vel ſyllabam, ſiqua ultra ſenos verſiculi pedes excurrit, penitus omittant. *Et* vero omnium facillime intercipi ſolebat, quia non literis, ſed punctis duntaxat, olim notabatur.

v. 92. UNO QUADRANTE PERIRET] Ita editiones priſcae, & pleraeque ex recentioribus. Sed codices Blandinii, & ex noſtris vetuſtiores Leidenſis, Reginenſis, PERISSET. *ut, ſi*

Forte minus locuples uno quadrante periſſet,
Ipſe videretur *ſibi nequior.*

Subſtituebant, credo, *periret*; quia utrumque verbum, & *periret* & *videretur*, eodem Tempore efferendum eſſe autumabant. Atqui hoc minime neceſſe eſt. Terent. Phorm. I, 1.

Non, ſi rediſſet, *ei pater veniam* daret? Adelph. II, 2.

Si attigiſſes, ferres *infortunium.* Noſter Serm. I, 6. v. 79.

In magno ut populo ſi qui vidiſſet, *avita*
Ex re praeberi jumentis mihi crederet *illos.*

v. 96. DIVITIIS PARENT, QUAS QUI CONSTRUXERIT] Sic priſcae editiones dederunt, unde in ceteras derivatum eſt. Bona tamen pars codicum, in quibus noſtri Leidenſis, Reginenſis cum quatuor aliis, CONTRAXERIT. neque aliter Scholiaſtes Fabricii. Quod nuper adeo a docto Editore in Textum receptum eſt, altero rejecto. Sane ſic uſurpat Apuleius Metam. IX. *Ad iſtum modum, divinationis aſtu captioſo, non parvas* contraxerunt *pecunias.* Verius tamen elegantiusque eſt CONSTRUXERIT: ut Noſter alibi Serm. I, 1. v. 44. [*acervus?*

At ni id ſit, quid habet pulchri conſtructus
Carm II, 3. & exſtructis *in altum*
Divitiis *potiatur heres.*

Cicero I. contra Rullum: *Videtis omnibus rebus & modis* conſtructum *& coacervatum tecum amicum decemviralem.* Philip. II, 38. *Itaque tanti acervi nummorum apud iſtum* conſtruuntur. Perſius Sat II, 44.

Rem fructe *exoptas, caeſo bove.*

Nihil igitur hic immutandum.

v. 108. QUID DISCREPAT ISTIS?] Miror pleraque editiones QUID hic obtrudere: cum Venetae antiquae & Lodberiana QUI recte dediſſent: quibus adſipulantur quicquid uſquam fere eſt codicum ſcriptorum. *Qui*, i. e. *quomodo*: ut Acron Scholiaſtes. Ita infra v. 260. *Amator excluſus qui diſtat?*

v. 112. PORRECTUS VIGILET CUM LONGO FUSTE] Jam antea, Carm. ſcilicet III, 10. & Epod. XI. pro *porrectus*, quod omnes ibi codices quaſi de compacto perperam exhibebant, ſuoſtituimus *projectus.* Atque hic quoque vox eadem reponenda erit, quantumvis reclamantibus librariis, quorum paucis datum erat habere natum.

Si quis ad ingentem frumenti ſemper acervum
PROJECTUS *vigilet cum longo fuſte.*

Quid enim hic facit *porrectus?* An tu credis avarum hunc, ſordidum & tripilum, in molli lectulo & culcitra plumea ad acervum frumenti decubuiſſe? atque adeo prae deliciis membra ſibi exporrexiſſe? Certe id denotat *porrectus*, ut Serm. II, 6. v. 106.

Ergo ubi purpureo porrectum *in veſte locavit.*

& ibidem v. 88.

Cum

Digitized by Google

Cum pater ipse domus palea porrectus in horna:

molliter enim tum & delicate recubuit mus ille ruſticus, cui recens palea pro cubili erat. Prudentius H. martig. v. 856.

Illic purpureo latus exporrecta cubili
Floribus aeternis ſpirantes libat odores.

Immo vero nudo, opinor, ſolo vel vili ſtramine *projectus* vigilabat ille, Euclionum omnium miſerrimus. Silius Italicus lib. XV.

Stramine projectus *duro patiere ſub aſtris*
Inſomnes noctes. Statius Theb. V, 587.
viridi nam ceſpite terrae
Projectum *temere, & patulo caelum ore trahentem.*

Vide plura ad Carm. III. 10. v. 3. Ceterum *porrectus* & *projectus* paſſim a Librariis confundi teſtantur, qui Catullum, Ovidium, alios ad ſcriptorum codicum fidem ediderunt.

v. 127. SI QUIDVIS SATIS EST] Codex Petrenſis, QUODVIS: Excerpta Bodleiana, QUOD HS cum virgula ſuperne poſita; id eſt, *Si quod habes ſatis eſt.* Ex compendioſa ſcribendi ratione orta eſt variatio. Ceterum, etſi illud *quod habes* arridere cuipiam poſſit, tamen recte habet QUIDVIS, ut editiones dederunt. Plautus Mil. III, 1. v. 155.

Commodulum obſcna, ne magno ſumtu:
mihi quidvis tat eſt.

Turpilius Lindia, apud Priſcianum de Metris Comicis:

Profecto ut qui'que minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam vixit maxime,
Ut philoſophi aiunt, iſti quibus quidvis ſat eſt.

v. 129 SERVOSVE TUOS, QUOS AERE PARARIS] Recte quidem *aere paráris*, ut Salluſtius Jugurth. c. XXXI: *Servi*, aere parati, *inuſta imperia dominorum non perferunt.* Sed illud inconcinne admodum,

ſervoſve *tuos*, quos aere pararis.

Si enim ſemel *tuos* dixeris, nihil attinet illa adjicere, *quos aere pararis:* ut ne addam *ſervos tuos quos* κακοφωνίαν ſua aures offendere & vulnerare. Equidem auſim quavis ſponſione contendere nunquam hoc ab Horatio profectum eſſe. Quid multa? leviſſima tunc mutatione locum integrum olim praeſtiti; quod poſtea vidi ab elegantis ingenii viro Tanaquillo Fabro occupatum, & a celeberrimo Dacerio comprobatum:

Servos ve, TUO *quos aere pararis,*

Nihil vel e tripode verius dici potuit. Terent. Phorm. III, 2. v. 26.

Vendidit. Quam indignum facinus, ancillam aere *emtam tuo.*

Noſter Epiſt. II, 2. v. 12.

meo *ſum pauper in* aere.

Sic *aere de ſuo monumentum poſuit.* Gruter. pag. 549, 10. C. LANIVS C. L. EROS AERE DE SVO.

v. 132. QUID ENIM? NEQUE TU HOC RACIS ARGIS] Locus ſane difficilis & interpretibus moleſtus: [*veneno,*

Cum laqueo uxorem interimis matremque
Incolumi capite es? quid enim? neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, ut demens genetricem occidit Oreſtes.

Ubi *quid enim* matricidae verba eſſe volunt, negantis ſe ideo inſanire. Atqui *quid enim* non negantis eſt oratio, ſed confirmantis. Ita Serm. I, 1. [*horae*

Militia eſt potior. quid enim? *concurritur:*
Momento aut cita mors venit, aut victoria laeta.

Probat hic, ut vides, colligitque, militiam eſſe potiorem. Atque ita paſſim uſurpant boni auctores. Sine dubio igitur ſunt verba haec Stoici, in argumentatione pergentis. Atque adeo priora illa ſine interrogatione per Ironiam proferenda ſunt, *Incolumi capite es. Quid enim?* Sic enim recte procedet oratio, & *Quid enim* hoc pacto confirmantis erit, quod poſt interrogationem eſt negantis. Quae autem ſequuntur, *Neque tu hoc facis Argis.* Stoicus quidem loquitur, ſed ex matricidae perſona: & perinde eſt ac ſi diceret, *Dices, Neque hoc Argis facio, neque ferro matrem occido: cur itaque, ut Oreſtes, inſanus vocer? Quid?* reſpondet Stoicus, *An tu Argis demum, occiſa ibi matre, tum primum inſaniſſe Oreſtem putas? Quin multo ante, dum peregre fuit, inſanivit, priuſquam matrem occidiſſet. Nihil itaque attinet, quo loco, aut quo modo id ſcelus perpetres: ſiquidem matrem interimis, certe inſanus haberi debes.* Nullam aliam, ni ſapis, in recepta lectione ſententiam quaeres. Sane quattuor apud Pulmannum codices pro *quid enim* QUID NI exhibent. Quippe *enim* in ſcriptis exemplaribus hoc fere modo (*n.*) compendioſe notatur; unde prochvis erat librariis lapſus a *quid ni* ad *quid enim*, & viciſſim. Porro & *tu* in illis quae ſequuntur, *Neque tu hoc facis Argis*, facile pro *n* ſive *enim* decipere potuit; quin & a codice Reginenſi omnino abeſt. Levi igitur brachio ſic verſum concinnare poteris,

Incolumi capite es? QUID NI? *neque* ENIM *hoc facis Argis.*

quorum alterum a ſcriptis codicibus venit, alterum

terum ab eruditissimi Lambini conjectura. *Quidni incolumi?* ait Stoicus, urbane & εἰρωνικῶς: *neque enim aut Argis aut ferro matrem jugulas; ut pro Oreste habendus sis.* Eadem facetia, Noster alibi Art. Poët. 382.

Qui nescit; versus tamen audet fingere.
quid ni?
Liber & ingenuus, praesertim census equestrē
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.

Equidem, ut vulgatam lectionem, demta interrogatione, non improbo: ita hanc fortiorem & elegantiorem esse plures, opinor, censebunt.

v. 133. UT DEMENS GENETRICEM OCCIDIT ORESTES] Ita sane: quia in proximo erat nominativus *Orestes*, tertiam in verbo *occidit* personam nobis dederunt, ut supra Epod. x. *Juverit* substituerunt pro *Juveris*; nempe quia *praeda* id flagitare videbatur. At quanto melius Pulmanni codices duo, Bersmanni unus, ex nostris Regius & Magdalenensis & Lambethanus & a prima manu optimus Reginensis, *neque tu hoc facis Argis,*
Nec ferro, ut demens, genetricem OCCIDIS, *Orestes.*
Sententia quidem eadem utrobique est: at orationem hoc modo nitidiorem venustioremque fieri, haud plane in poëtis sit, qui non ultro agnoscat.

v. 137. MALE TUTAE MENTIS ORESTES] Non placuit hoc summo viro Nic. Heinsio: *Forte*, ait, *male* MOTAE, *ut infra* v. 278. *commotae crimine mentis.* Scilicet haud meminerat medicorum verbum esse *Tutus*, perinde fere ac *sanus, incolumis.* Celsus II, 3. *Haec valetudo, ut spatium aliquod habebit, sic* tuta *erit.* II, 8. *Alvus in hac valetudine ea* tuta *est, quae quotidie coacta, eaque convenientia his quae assumuntur reddit.* & ibidem: *In quo omnia haec sunt, is ex toto* tutus *est.* Ergo eleganter dictum est, *male tutae mentis*, ut *male sanae*: neque quidquam hic immutandum.

v. 139. AUSUSVE SORORĒM ELECTRAM] Pulmanni liber optimus cum Regio addunt *est*: *aususve sororem* EST *Electram.* Recte. Librarii pro more suo omiserunt; quia Hexameter citra id integer est.

v. 151. AVIDUS JAM HAEC AUFERET HERES] Nic. Heinsius ex conjectura emendat:

Ni tua custodis, avidus jam JAM *auferet heres.*
Satis quidem probabiliter: neque tamen recepta lectio temere ejicienda.

v. 154. INGENS ACCEDAT STOMACHO] Vide modo hos duos versiculos:

Deficient inopem venae te, ni cibus atque
Ingens accedat stomacho fultura ruenti.

Ubi primo ACCEDIT reponendum est, fide codicum multo plurium, novem scilicet ex nostris, quinque ex sex Pulmannianis, trium ex Bersmannianis quattuor. Ceteri interpretes, editiones veteres patienter secuti, variantem hic lectionem dissimulant. *Ni accedit*; ut paullo ante v. 151. *Ni tua custodis.* Serm. I, 2. 95. *Ni Catia est.* II, 7. v. 118. *Ocius hinc te Ni rapis*, Illud deinde mecum consideres, *Ni cibus atque ingens fultura accedit stomacho ruenti.* Quid sodes sibi illa volunt *cibus atque ingens fultura?* Sane *cibus* stomachi fultura est; ut Lucret. II.

Et fulcire cibis *atque omnia sustentare.*
IV, 865.

Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus. Columella VI. 24. *Quae vacca, cum partum edidit, nisi* cibis fulta est, *quamvis bona nutrix, labore fatigata nato subtrahit alimentum.* Vinum quoque potentissime reficit & *fulcit venas deficientes.* Seneca Epist. XCV. *Antiqui medici nesciebant dare* cibum *saepius, &* VINO fulcire venas cadentes. Idem De Beneficiis III, 9. *Quid assedisse aegro, & cum valetudo ejus ac salus momentis constaret, excepisse idoneā* cibo *tempora, &* cadentes venas VINO retexisse, *& medicum adduxisse morienti?* Naso in Pont. I, 3.

Et jam deficiens *sic ad tua verba revixi,*
Ut solet infuso vena redire MERO.

Recte ergo & eleganter hic habet *fultura*: locum tamen integrum & sanum esse nondum ausim praestare. Quippe illud *ingens* fultura, ut quovis loco non optimum foret epitheton, ita hic pessimum esse videtur. Non enim ideo deficiunt venae, si non *ingenti* fultura sustinentur: modica utique & quantulacumque fultura praecaveri id malum potest. *Deficient*, inquit, *venae, nisi ingens fultura accedit*: quod perinde est ac si diceret, *Morieris; nisi ex toto incolumis es:* cui enim ingens fultura suppetit, is ex toto tutus est. Quare facile inducor, ut illud *ingens* in mendo cubare existimem. Quid si sic corrigamus?

Deficient inopem venae te; ni cibus, atque
PRAESENS *accedit stomacho fultura ruenti.*

Ni fultura praesens accedit: unde aegrotus, maturandum esse auxilium ratus, continuo infert, *Tu cessas?* Sic *praesens auxilium, praesens remedium, praesens medicina* passim apud auctores. Certe *praesens* vel simile quid necessarium videtur sententiae. Non enim de moribunde

Digitized by Google

bundo duntaxat, sed de quovis etiam famisimo id verum erit, *Deficient te venae, nisi cibus accedit*: fame enim tandem morietur. Sed illud interest, quod alteri *praesenti* auxilio opus est; alter sine periculo differre potest aliquantisper. Qui melius quid conjecerit, cum ego vatem optimum libens perhibebo.

v. 156. QUANTI ERGO? OCTO ASSIBUS] Lambini hoc facinus est; qui explosa vetere lectione OCTUSSIBUS, primus hanc quae nunc passim circumfertur in ejus sedem intrusit: *ineptam* scilicet alteram & *corruptam* clamitans, quippe *octusse* numero singulari, non *octussibus* numero multitudinis dictum oportuisse. Hunc sequuntur Cruquius Torrentiusque, etsi inviti quodammodo & repugnantes. Ita demum evenit, ut quod germanissimae Latinitatis & nativae elegantiae est, indignis modis quasi furca hinc ejiceretur. Nos pro more & penso nostro pergemus de Horatio bene mereri; & veram lectionem, neglegentia interpretum proditam, postliminio revocabimus:

Quanti emtae? parvo. quanti ergo? OCTUSSIBUS.

Utrumvis quidem recte dixeris, *Ptisanarium oryzae vênit octusse*, vel *vênit octussibus*: magis tamen amabant veteres in hac locutione numerum pluralem. Cicero De Officiis II, 17. *Ne Marco quidem Seio vitio datum est, quod in caritate* ASSE *modium populo dedit.* Vides hic numerum singularem: sed Livius, Plinius aliique pluralem maluerunt. Livius IV, 16. *L. Minucius bove aurato donatus est, ne plebe quidem invita, quia frumentum Maelianum* ASSIBUS *in modios aestimatum plebi divisit.* Plinius Hist. XVIII, 3. *Manius Marcius aedilis plebis primum* (lege *primus*) *frumentum populo in modios* ASSIBUS *donavit.* Et mox, *Trebius in aedilitate* ASSIBUS *populo frumentum praestitit.* Et iterum, *M. Varro auctor est, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos,* ASSIBUS *singulis* (lege *singulos*) *farris modios fuisse.* Festus in voce Peculatus: *Postquam aere signato uti caepit populus R. Tarpeia lege cautum est, ut bos* CENTUSSIBUS, *ovis* DECUSSIBUS *aestimaretur.* Animadvertis, opinor, non modo *assibus modios* gemino plurali dici; sed & *assibus frumentum, bovem centussibus, ovem decussibus* altero singulari: plane ut apud Nostrum, *ptisanarium octussibus.* Quod perinde est, ac si diceret, *singula id genus ptisanaria de meditorum officinis octussibus emi solere.* Sic itaque loquebantur; *Hoc quidem, quod in manibus fero, ptisanarium* octusse *sive octonis assibus emtum est: hoc genus ptisanarium* octussibus *emitur.* Posteriorem autem phrasin hic usurpavit medicus; quia non unico ptisanario ingesto sanari potuit Opimius; sed pluribus quotidie opus habuit, donec paullatim integre convalesceret. Itaque uno responso & pretium ptisanarii indicavit Medicus; & illud insuper significavit, plura id genus sumi oportere. Quo damno exanimatus ille avarus, continuo exclamat, *Eheu, quid refert, morbone an medendi sumptibus peream.* Rectius igitur OCTUSSIBUS hic legemus; quod & editiones veteres & omnes omnium codices exhibuerunt. Nam quod Lambinus suspicatur, olim hic extitisse *oct' assibus*: quia *U* litera in libris aliquot litura non vacabat; in ea re, credo, fallitur: & potius est, ut *octossibus* fuerit; quod in codice Regio habetur, litera *U* superne adscripta. Tum autem quod Cruquius memorat, in vetustissimo Blandinio esse *oct. assibus*, id quidem a manu secunda interpolatum fuisse veri simillimum est: nam in ea re subinde annotanda nimium is indiligens erat. Sic in Magdalenensi nostro nunc quidem *octoassibus* praefertur; at a principio erat *octussibus*, ut rasura & literae vestigia manifeste indicant.

v. 157. AN FURTIS PEREAMQUE RAPINIS] Ita olim dederunt editiones priscae: mox exorta est interpolatorum natio, qui NE pro *que* passim ediderunt;

Quid refert morbo, an furtis, pereamne rapinis?

Quod ne Latinum quidem est: *ne* enim in hac locutione semper antecedit *τὸ an*, numquam subsequitur; ut Carm. II, 3.

Diveśne prisco natus ab Inacho
Nil interest, an *pauper.*

Hoc igitur, ut sane meritum erat, repudiato, veterem lectionem QUE in sedes pristinas restituerunt Lambinus & Cruquius. Sed cum codices ex nostris aliquot, Regius scilicet, Galeanus, & Magdalenensis clare habeant VE; idque ipsum voluisse videantur, qui NE hic exhibeant; nulla mihi dubitatio est, quin ea sola vera sit Horatii scriptura,

Quid refert morbo, an furtis pereamve rapinis?

Quid refert, *morbo* peream, *an furtis* medici, *rapinisve* heredis? Ceterum *ve* & *octussibus* probavit etiam doctissimus Baxterus. Si NE admittis, tum tollendum erit *an*:

Quid refert, morbo, furtis, pereamne rapinis?

Digitized by Google

v. 158. QUISNAM IGITUR SANUS? QUI NON STULTUS] Non animadvertunt Interpretes elegantiam hujus loci; cum ſic verba illa accipiunt, *Qui non eſt ſtultus.* Tu vero ſic potius interpretare, *Qui eſt non ſtultus.* Haec autem quam non prorſus eadem ſint, aut jam, opinor, ſentis, aut mox perſentiſces. Cicero pro Fonteio cap. VI. *Quid opus eſt* ſapiente *judice? quid oratore* non ſtulto? Idem in Oratore c. 7. *Ut ea qui utantur,* non ſtulti *homines haberi poſſint, etiam plerumque* prudentes. Seneca Controv. XXI. *Servus* non ſtultus *tergum & caput ſuum deliciis praeſentibus praetulit.* Controv. XXXII. *Ego* ſanitatis *meae, ſi potuero, argumenta colligam. Dicam in Senatu* non ſtulte *ſententiam.* Plautus Moſtell. I, 3.

Equidem pol miror te non ſtultam *ſtulte fa-* [*cere.*
Terent. Heaut. II, 3.

Tuum eſſe in potiundo periclum non vis:
haud ſtulte *ſapis.*

Reſtituenda ea lectio Naſoni, perſpicaciſſimo Nic. Heinſio non intellecta, Triſt. lib. V. Eleg. 5. ubi poëta inter Getas uxoris natalem celebrans & rem divinam faciens, miratur fumos e ture aſcendentes Italiam verſus ferri:

Aſpice, ut aura tamen fumos e ture coortos
In partes Italas & loca dextra ferat.

Igitur prope eſt, ut ſenſu eos praeditos eſſe credat; quales olim in funere Eteoclis & Polynicis in duas partes ſe ſcidiſſe, tamquam odiis ardentium fratrum ipſi eſſent animati, Callimachus tradidit:

Senſus ineſt igitur nebulis, quas exigit ignis.

Et ſe quidem antea pro fabula habuiſſe illud Callimachi; nunc tamen fidem ei habere, cum huic ipſi fumo ſenſum ineſſe videat:

Hoc memini quondam fieri non poſſe loquebar:
Et me Battiades judice falſus erat.

Omnia nunc credo: cum tu CONSULTUS
ab Arcto
Terga, Vapor, dederis, Auſoniamque petas.

Ita ex conjectura edidit Heinſius, & *conſultus* ad *καπνομαντειαν* refert. Perperam profecto; neque pro ſolita ſua ſagacitate: nulla enim hinc omina aut praeſagia captabat Ovidius: ne unicum verbum eſt, quod illo trahi poſſit. Enimvero reponenda eſt elegantiſſima ſcriptorum codicum lectio, quam *nihili eſſe* vir ſummus pronuntiat, ipſe mirum in modum deceptus & falſus animi:

Omnia nunc credo: cum tu NON STULTUS *ab Arcto*
Terga, Vapor, dederis, Auſoniamque petas.

Non ſenſu modo praeditus erat ille fumus, ſed *non ſtulte* ſapuit, Naſone judice; cum relictis regionibus Geticis Italiam verſus volaret, ab horrido illo caelo ad beatiores tractus migraturus: ipſo ſcilicet poëta idem facturo, ſi copia daretur. Quid, rogo te, hac lectione verius? quid venuſtius? Sic idem alibi in Arte Am. III, 253. [*poſcis;*

Aut Helene; quam non ſtulte, *Menelae, re-*
Tu quoque non ſtulte, *Troice raptor, habes.*

& ibidem 357.

Cautaque non ſtulte *Latronum praelia ludat.*

Propertius III, 21.

Et quaecumq; volens reperit non ſtulta *puella.*

Iterum Cicero De Oratore II, 68. *Ut vel* non ſtultus *quaſi ſtulte cum ſale dicat aliquid.*

v. 163. MORBO TENTENTUR ACUTO] Venetae priſcae & Loſcheriana, TENTANTUR, atque ita major pars codicum; ex noſtris octo: neque aliter citat Priſcianus p. 691, ubi & tres manuſcriptos in eadem lectione conſentire vidi, [TUR *acuta.*

Quod latus aut renes morbo TENTAN- *Quod* indicativum modum hic recipit, ut ſupra v. 120. *eo* quod

Maxima pars hominum morbo jactatur *eodem.*

Revocetur itaque antiqua ſcriptura, nullo ſuo merito de avitis ſedibus depulſa. Ceterum imitatus eſt Serenus Sammonicus cap. III.

Portio ſi capitis morbo tentetur acuto.

& XXIII.

Si latus immeritum morbo tentatur acuto.

v. 166. BARATHRONE DONES QUICQUID HABES] Jam olim, ut ex Scholiaſtis diſcere licet, locus hic ambiguae erat lectionis. Plures quidem codices, & editiones omnes habent, *Barathrone dones:* quod erit, in ventrem & in gluviem profundere: ut Epiſt. I, 15. Macnius ille helluo *macelli barathrum* dicitur. Atque hanc enarrationem ſecuti ſunt Treſviri Interpretes. Quam tamen ſi admittis; vide annon elegantius reponere poſſis *damnes* pro *dones*:

quid enim differt, barathrone
DAMNES *quicquid habes, an numquam no-*
utare paratis?

ut Sidonius Apollinaris Carm. V. verſ. 325.

poſt quina Viſcelli
Millia, famoſi ventris damnata barathro.

Illud tamen lectionem hanc penitus evertit, quod nondum *helluones & nepotes* perſtringit noſter (quos verſu demum 224 inſectatur) ſed *ambitioſos & audaces* hic ſigillat, ut recte vidit

Digitized by Google

vidit vir egregius Dan. Heinsius. Considerandа itaque est alia, quam suppeditant codices nostri Reginensis & Galeanus, & Scholiastae quoque agnoscunt;

quid enim differt, BALATRO NE
Dones quicquid habes, an numquam utare paratis?

hoc est, *dones ne & profundas quicquid habes, ut balatro.* Balatro autem est homo nihili, decoctor, qui sua stulte prodigit. Glossae Labbaei: Ἄσωτος, *ganearius, luxuriosus, prodigus, profusus, sumtuosus, balatro.* Varro de Re Rust. II, 5. *Videbo jam vos, inquit,* balatrones, *& huc afferam meum corium & flagra.* Lucretius III, 968. [*querelas.*

Aufer abhinc lacrimas, balatro, *& compesce*

Ita verissime emendavit Nic. Heinsius ad Ovidii Amor. III, 3. cum scripti codices ibi *barathro* habeant, ut hic apud Flaccum. Profecto sua se facilitate & bonitate satis commendat haec lectio. *Balatróne*: atque illud haud levem ei gratiam conciliat, quod Nic. Heinsio placuerit: adhuc tamen restat altera, in duobus codicibus a Bersmanno reperta, quae fortassis omnibus palmam praeripere suo jure mereatur. *quid enim differt,* BALATRONI
Dones quicquid habes, an numquam utare paratis?

Certe particula disjunctiva *Ne* tuto hinc abesse potest; ut Epist. II, 2. v. 166.

Quid refert, vivas numerato nuper, an olim?

& Serm. II, 7. v. 58.

Quid refert, uri virgis ferroque necari
Auctoratus eas, an *turpi clausus in arca?*

Jam autem sententia erit, Quid differt, utrum-ne avarus numquam rebus partis utare, an ambitiosus & *audax* sive turbulentus, seditiosus, bona omnia profundas in aucupanda plebis gratia & suffragiis venandis? *Dones balatroni,* ut Serm. I, 2. v. 56.

Qui patrium mimae donat *fundumque laremque.*

Balatrones autem & ejusmodi nebulones nullius bonae frugis sectari & comedere solebant ambitiosos, qui muneribus ludisque exhibendis, & pauperibus sportula deliniendis, aliisque id genus sumtibus, largos se benignosque esse & haberi studebant. Unde illud initio Sermonis I, 2.

Mendici, mimae, balatrones, *hoc genus omne*
Moestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli;

Quippe benignus *erat.* [*gelli;*

Favent quoque huic lectioni appositissima loca Vopisci in Carino c. 20. & 21. ubi Junium quendam Messallam, plane *ambitiosum* hunc Horatianum, culpat; quod popularis aurae gratia patrimonium omne in balatrones & histriones prodegerat. *Legat,* inquit, *hunc locum Junius Messalla, quem ego libere culpare audeo: ille enim patrimonium suum* Scenicis dedit, *heredibus abnegavit; matris tunicam dedit* mimae, *lacernam patris* mimo, &c. *Et haec quidem idcirco in literas retuli, quo futuros editores* (munerum) *pudor tangeret, ne patrimonia sua, proscriptis legitimis haeredibus,* MIMIS ET BALATRONIBUS DEPUTARENT. Sane Vopiscus hunc ipsum Flacci locum respexisse videatur. Et res enim & verba utrobique sunt eadem. Nam inter alia de impensis *munerum & ludorum* hic agi, vel ex versu 182 constiterit,

In cisere atque faba bona tu perdasq; lupinis?

Donare autem *balatroni* id ipsum est quod *deputare balatronibus:* singularem enim hic numerum vim pluralis habere, vulgatum est & tralatitium. Ceterum debita laude fraudandus non est Heinsius pater; qui hoc ipsum ex conjectura, ut videtur, feliciter protulit; in eo tantum se frustratus, quod *balatronem* de uno quodam parasito, non de tota nebulonum & scurrarum turba interpretatus est.

v. 170. ET HAEC MORIENS] Editiones vetustae, & manuscripti fere omnes, *Hoc moriens pueris dixisse.* Quod altero rectius: sic infra v. 190. Dicere *quod* sentit; non ut vulgo, *Quae.*

v. 172. DONARE ET LUDERE VIDI] Sic quidem Librarii quasi conjurati in omnibus codicibus tradiderunt: quaero, an ipse Auctor? Equidem eras fortassis id credere possim, hodie certe nihil. Expendamus paullisper locum integrum:

postquam te talos, Aule, nuceſque
Ferre sinu laxo, donare & ludere vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis absconderetristem.

Donare, inquit Scholiastes, *ad Nuces refertur, ludere ad Talos.* Nihil potuit ineptius: *Ludere* enim tam ad nuces, quam talos refertur; & *donare* etiam ad utrumque. Suetonius Augusto c. 83. *Animi laxandi causſa modo piscabatur hamo, modo* talis *aut ocellatis* nucibusque ludebat *cum pueris minutis.* Ergo vitio hic dat pater Aulo filiolo, quod *talis nucibusque* LUDERET. Nimium profecto iracunde, atque, ut illud addam, stulte. Quorsum enim datos esse talos aut nuces, nisi ut iis *luderetur?* Hoccine ut in puerulo quis criminetur? Quin & alter ille Tiberius, qui jam tum avaritiae

Digitized by Google

ritiae semina ostendebat, *ludebat* sine dubio cum fraterculo. Illud etiam vide, quam praepostere ista socientur, *Donare & ludere*: qui enim semel talos *donaverit*, quomodo sodes *ludere* iis postea potuerit? Haec sane absurditatem omnem superant. Quid ergo hic reprehendit pater Oppidius? Non utique quod talis *luderet* filius; sed quod *sinu laxo* & neglegenter eos ferret, ut saepe exciderent & *perderentur*; temere etiam cuivis eos *donaret*; finito lusu, sic projectos relinqueret, neque in posterum servandos reponeret; atque adeo negligentis & prodigi olim hominis specimen exhiberet. In fratre vero contraria indoles elucebat, avaritiae scilicet & sordium; cum statim a lusu studiose talos *numeraret*, quin & in cavis anguliſque *absconderet*, metuens & sollicitus ne a quoquam surriperentur. *Sinu laxo*, ut eleganter Seneca de Beneficiis IV, 24. *Non recipit* sordidum *Virtus amatorem*, soluto *ad illam* sinu *veniendum est*. Quid ergo? Equidem, vel centum Librariis obnitentibus, aio & contendo sic Horatium dedisse;

Ferre sinu laxo, donare & PERDERE vidi.

Sententiam, opinor, jam vidisti: verba ipsa sic inter se conveniunt, ut nequeant sine injuria divelli. Martialis IV, 40. [*norum*,

Jam donare *potes*, *jam* perdere; *plenus ho-*
Largus opum. Expecto. Postume, quid
facias. VI, 30.

Sex sestertia si statim dedisses,
Cum dixti mihi, Sume, tolle, dono:
Deberem tibi, Paete, pro ducentis.
At nunc cum dederis *diu moratus,*
Sex sestertia, Paete, perdidisti.

Seneca de Benef. VI, 4. *Si cum daret, suspiravit, vultum adduxit,* perdere *se credit, non* donare. VII, 32. *Non est magni animi* dare & perdere: *hoc est magni animi* perdere & dare. De Vita Beata XXIV. *Quid tu, inquit, recepturus* donas? *immo, non* perditurus. Tacitus Hist. I, 30. *Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit:* perdere *iste sciet, non* donare. Ceterum *perdere talos* non solum extra lusum, sed in ipso etiam lusu potuit Aulus; cum frater scilicet Tiberius, ludo lucroque attentior, omnes illius talos victor auferret. Elegantissimus locus est apud Apollonium Rhodium, ubi Cupidinem & Ganymedem inducit talis aureis ludentes; quorum ille astutus & nequam simplici Ganymedi manum adierit, & os subleverit; hic omnes talos, duobus exceptis, mox & istos quoque moerens *perdiderit*. Digni sane sunt versus, qui & hic legantur; lib. III. v. 117.

ἀμφ' ἀστραγάλοισι· ὃ τὸν γὰρ
Χρυσείοις ἄπτι κύβοι ὁμήθιες ἐψιόωντο·
Καὶ ῥ' ὁ μὲν ἤδη πάμπαν ἐοὶ πλέον ἐξ ὑπὸ μαζῷ
Μάρψας ἔρως λαιῇς ὑπεί χανε χερσὶν ἀγρευ-
Ὀρθὸς ἰφθιμοῖς· γλυκερὸν δέ οἱ ἀμφὶ παρειὰς
Χροιῇ ἠλάλητο ἐρεύθος. ὁ δ' ἐσγύθην ὀκλαδὸν ἧστο
Σίγα κατηφιόων, δολιοὶ δ' ἔχεν, ἄλλοτε δ' αὖτις
Ἄλλῳ ἐπιστρωφᾶτο· κεχόλωτο δ' ἀλιγκιάων.
Καὶ μὲν τὸς γε παρᾶσσον ἐπὶ στοτέρουσιν Θ-
ΑΕΣΣΑΣ
Βῆ κενεοῖς σὺν χερσὶν ἀμοίχανθ-.

Quare omnino reponendum est *perdere*; seu in lusu id factum esse malis, seu extra lusum: certe de Horatii corio & fama ludebant, qui primi hic substituebant *ludere*.

v. 174. AGERET VESANIA DISCORS] Nic. Heinsius in libri sui margine, *Forte*, inquit, *legendum, Vesanis* DISSORS. De quo vocabulo consule ipsum, si vacat, ad Epistolam Sabini primam, vers. 35. & nos ad Carm. III, 29. v. 28. Ceterum hic potius retineo vulgatam lectionem: Avaritia quippe & Luxuria dissident inter se & discordant.

v. 183. LATUS UT IN CIRCO SPATIARE, AUT AENEUS UT STES] Editiones Venetae & Loscheriana, & aliae credo omnes ante Lambinum LAETUS. Quod & scriptis codicibus repugnat, & manifeste vitiosum est. Heinsius filius ex conjectura, *Forte*, inquit, LENTUS; quod & mihi in mentem venerat. Sane *lentus & spatiari* aptissime junguntur, ut apud Ovidium Art. I, 67.

Tu modo Pompeia lentus spatiare *sub umbra.*

Metam. II, 572, *nam dum per litora* lentis

Passibus, ut soleo, summa spatiarer *arena.*

Sed illud huic emendationi incommode accidit, quod non *Aedilis* & *Praetoris* duntaxat, sed cujusvis hominis otiosi erat, *lente in circo spatiari*; quid enim vetuit? Noster, cum a negotiis vacuus *Fallacem* Circum *vesperumque pererrabat Saepe forum*, lento, opinor, & tardo gradu incedebat, non quasi hostem fugiens currebat. Quare satius erit, ut lectionem omnium codicum auctoritate nixam, LATUS, retineamus. Ut enim *sublimis incedere*, pro fastuose & magnifice, saepius occurrit: Auctor Octaviae v. 704.

Sublimis *inter civium laeta omina* Incessit: ita eodem sensu, & pari metaphora, *latus incedere* vel *spatiari* dictum esse videatur. Cicero certe & *erigi* & *latiorem fieri* eadem translatione pro *animos tollere* posuit; Acad. II, 41. *Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatio-*

Digitized by Google

templatioque naturae: erigimur, latiores *fieri videmur, humana deſpicimus.* Et ut Graeci ἄκροις ποσὶ βαίνειν, ἐπ' ἄκρων ὀνύχων βαδίζειν, *ſummis pedibus ingredi*, de homine ſublimiter & ſuperbe incedente uſurpant: ita qui alis ſubnixis & cubitis anſatis faſtuoſe ambulant, neſcio cur non *lati incedere* recte dicantur. Plautus Perſa II, 5. [glorioſe.

Subnixis alis *me inferam, atque amicibor*
Sed quis hic anſatus *ambulat?* Magnifice
conſcreabor.

Seneca Epiſt. LXXVI. de Hiſtrionibus: *Cum praeſente populo* elati inceſſerunt *& cothurnati; ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt*, ubi MSti omnes LATI, teſte Grutero. Iterum de iiſdem Epiſt. LXXX. *Hle qui in ſcena* elatus incedit, *& haec reſupinus dicit, En impero Argis.* Etiam hic plerique apud Gruterum codices LATUS vel LATIUS. Et iterum de divitibus & nobilibus Epiſt. CXV. *Omnium iſtorum, quos* incedere altos *vides, bracteata felicitas eſt.* Silet hic Gruterus: tu perpende, annon hic olim fuerit LATOS. Ovid. Heroid. IX, 127.

Ingreditur late *lato ſpectabilis auro.*

Verum hic potius τὸ *late* referendum erit ad *ſpectabilis*; ut Noſter Carm.

Late conſpicuum *tollere verticem.*

Ceterum, pro *aut aeneus*, repono ex veterrimo Leidenſi & Colbertino,

Latus ut in circo ſpatiere, ET AENEUS *ut ſies*:

ut non alteruter tantum honos, ſed uterque ei obtingat. Neceſſaria eſt ſane haec emendatio: nuſquam enim *aneus* triſyllabon apud veteres poëtas invenias (niſi forte ubi prave ediderunt pro *areus*) ſed ubique aut *aëneus* aut *aënus.*

v. 187. ATRIDA, VETAS CUR] Ita recte Editiones: at perperam codices aliquot notae deterioris, ATRIDE: hoc enim ultimam producit, ut Ἀτρείδη. Sane inſignis injuria facta eſt optimo Priſciano; cum vel in celebri illa Putſchii editione ſic ejus verba exhibentur p. 731. *Latina vero proportio in E correptam vult Vocativum primae declinationis terminari, etiam in Graecis; unde Horatius in* II *Sermonum*; [*tas cur?*

Nequis humaſſe velit Ajacem, Atride, *ve-*

Quattuor enim manuſcripti, quibus uſus ſum, clare ibi habent, *in A correptam*, & poſtea, *Atrida.* Servius ad Aen. III, 475. *Anchiſa Vocativus Graecus: ſic Atrides, Atrida facit*, ut Horatius;

Nequis humaſſe velit Ajacem, Atrida, *ve-*
tas cur?

v. 188. NIL ULTRA QUAERO PLEBEIUS] *Quaero* & in editionibus & in pleriſque omnibus ſcriptis habetur; tam aliorum, quam noſtris: niſi quod in uno Collegii Trinitatis, QUAERAM. Agnoſcit quoque eam lectionem Acron Scholiaſtes. At vetuſtiſſimus Cruquii Blandinius a prima manu habuit QUAERE; quomodo, vel contra omnium exemplarium fidem, ex conjectura legendum cenſuit Gul. Canterus Novar. Lect. IV, 12. Quid hic agimus? Certe ſubtili hic, ſi uſquam alias, judicio opus eſt; quo Bonum a Meliore diſcernamus, exiguo ſane fine ſeparatum. Utraque quidem lectio ſatis commoda; ſed utraque vera & genuina eſſe nequit. Prior illa, quam pluribus placuiſſe video,

Rex ſum. Nil ultra quaero *plebeius. Et ae-*
Rem imperito, &c. [*quam*

verba haec vult eſſe ejus, qui ſupra ex Agamemnone quaeſiverat, *Cur Ajacem ſepeliri vetuiſſet.* Si hoc, inquit, tamquam rex, & pro imperio duntaxat jubes; ego unus de plebe nihil amplius quaero. Similis fere locus eſt Juvenalis Sat. X, 72. de nece Sejani:

ſed quo cecidit ſub crimine? quiſnam
Delator? quibus indicibus, quo teſte probavit?
Nil horum: verboſa & grandis epiſtola venit
A Capreis. Bene habet: nil plus interrogo.

Poſterior autem lectio totam hanc orationem Agamemnoni tribuit; [*quam*

Rex ſum: nil ultra QUAERE *plebeius: & ae-*
Rem imperito: ac ſi cui videor, non juſtus;
Dicere, quod ſentit, permitto. [*inulto*

Rex, inquit, ſum; hoc ſatis eſt tibi plebeio, cujus non eſt in regem tuum, quid aut quare faciat, curioſius inquirere: & praeterea etiam aequum bonumque eſt, quod jubeo: ac ſi tibi vel alii cuicumque injuſtum hoc & iniquum videtur, impune contradicere & redarguere licebit. Mihi quidem, pace tot interpretum qui aliter ſentiunt, poſterior haec enarratio melior & concinnior videtur. Quippe in altera id, opinor, jure reprehendas; quod, ut primum Agamemnon dixerat, *Rex ſum*; continuo ille reſpondet, *Nil ultra quaero.* Atqui jam *plus quaeſiverat* in verſu ſuperiore,

Ne quis humaſſe velit Ajacem, Atrida, ve-
tas CUR?

Cur, inquit, *vetas?* quam ob rem, qua de cauſa, quibus rationibus inductus, hoc vetas? Deſerit ergo orationem inceptam; ſi ſtatim, audito illo *Rex ſum*, contentus & mutus abiturus eſt. Siquidem illud *Rex ſum* non omnino ſatisfacit interrogationi *Cur vetas*: immo

Digitized by Google

responsionem potius abnegat. Hoc primum: quod vel solum, nisi fallor, perspicaci lectori sufficerit. Sed & alterum etiam est, quo si non aeque, aliquatenus tamen peccat ea lectio. Quippe vox *plebeius* inclementius paullo ac convitii loco hic dicitur; & Agamemnoni quidem aptissime convenit; qui subiratus & indigne ferens a percontatore interpellari, conditionis eum suae verbo illo admonere voluit: ut Ulixes Iliad. B. v. 200.

Τὸν δ' αὖ ΔΗΜΟΥ τ' ἀϊδρίν τε ἴδεν, βοήσαντ' τ' ἐφέεργε,
Τὸν σκήπτρῳ ἐλάσασκε, ὀνοκλήσασκέ τε μύθῳ,
Δαιμόνι', ἀτρέμας ἧσο, &c.

At contra, percontatoris hoc personae non ita belle aptatur: cur enim ipse se ultro vili pendendum indicaret? Jam autem, quod hic objiciunt viri eruditi, Si Agamemnoni illud tribuas, *Nil ultra quaere plebeius*, pugnaturum esse cum iis quae sequuntur,

ac si cui videor non justus, inulto
Dicere quod sentit permitto:

quomodo enim, aiunt, & vetat quaerere, & permittit? in eo certe valde falluntur, neque totius orationis oeconomiam percipiunt. Primo enim ostendit Agamemnon, se, si regium decus & fastigium tutari vellet, nullum responsum fore daturum: tamen, quod apud omnes gratiosus esse cuperet, & edicti sui aequitati fideret, paratum esse cuicumque rationem ejus reddere. Quid, amabo, aut indecorum hic, aut sibi ipsi repugnans? Quin & eadem prorsus redit, siqua est quam volunt, repugnantia; sive Agamemnoni verba illa tribuas, sive plebeio. Qui enim dicit, *Rex sum*; etiam, cum tacet, praedicat *nihil ultra quaerendum esse* seu plebeio, seu nobili. Ita apud Nasonem ipse Agamemnon, ubi Briseïda sibi arrogat, Remed. Amor. v. 475.

Est, ait Atrides, illi quam proxima forma;
Et, si prima sinat syllaba, nomen idem:
Hanc mihi, si sapiat, per se concedat Achilles:
Si minus; imperium sentiat ille meum.
Quod si quis vestrum factum hoc incusat, Achivi;
Est aliquid, valida sceptra tenere manu.
Nam si REX EGO SUM, *nec mecum dormiet illa,*
In mea Thersites regna licebit eat.

Enimvero Sulmonensis ille ad hunc ipsum Flacci locum respexisse videatur. Unum tantummodo huc addam; quod, qui usu & diligenti scriptorum codicum lectione Librariorum ingenium bene noverit, facile credet illud QUAERE interpolari potuisse ab illis sciolis, ut laboranti versui mederentur; ignaris scilicet & virtute Caesurae & ob duplicem consonantem τὸ *quaere* hic posteriorem syllabam producere: contra, si QUAERO ab Horatii manu fuisset, nusquam quemquam inventum iri, qui τὸ *quaere* vel somnio substitueret.

v. 189. AT SI CUI VIDEOR NON JUSTUS] Ita nuper ediderunt, AT SI, ex codice omnium veterrimo Blandinio. Sed rectius est AC SI, ut alii omnes, scripti editique, summo consensu exhibent.

v. 190. DICERE QUAE SENTIT PERMITTO] Cum Venetae antiquae & Lescheriana QUOD *sentit* olim dedissent, postea exorti sunt nescio qui, qui QUAE *sentit* substituerent. Idque per interpretum negligentiam passim nunc obtinet, contra omnium fere codicum fidem, quorum plurimi *quod* habent, pauci *quid*. Revocetur vetus lectio.

Dicere, QUOD *sentit, permitto.*

Cicero Philip. II, 15. *Ego autem*, dicendum *enim est, Patres conscripti*, quod sentio. Ibidem, V, 2. *Non jam levitatis est, sed ut* quod sentio dicam, *dementiae*. De Oratore, I, 40. *Fremant omnes licet*, dicam quod sentio. Et II, 90. Dicam *enim vere, amicissimi homines*, quod sentio. In Bruto c. 41. *De Servio autem & tu probe dicis, & ego* dicam, quod sentio. Et c. 85. Dicam, *opinor*, quod sentio. Paradox. I. Dicam *tamen*, quod sentio. Seneca Controv. I, 5. Dicam quod sentio, *magis irasceretur, si unam tantum rapuisset*. Quintil. Declam. VI. Dicam *tamen* quod sentio; *excusatius odisset virum, quam filium*. Seneca Epist. LXXV. Quod sentimus, *loquamur*; quod loquimur, *sentiamus*. Ceterum illud *quid* stare non potest, nisi modus Subjunctivus sequatur, *Dicere, quid sentiat*.

v. 191. CLASSEM REDUCERE TROJA] Veneta princeps REDUCERE, altera anni MCCCCXC cum Lescheriana DEDUCERE. Prius, ut video, interpretibus placuit; qui id fatagunt, ut ostendant *reducere* primam syllabam interdum habere productam. Quasi vero illud potissimum hic ageretur; ac non ipsa potius sententia in considerationem veniret. Quam si attendissent; vidissent utique τὸ *deducere*, quod & codex Zulichemianus exhibet, solum esse sincerum & ab Horatio profectum. Quippe in Asia haec dicuntur, ubi in agro Trojano insepultus jacuit Ajax: *deduci* igitur inde debuit classis, ut postea ad Graeciam appelleretur. *Reduci* vero eam rursus in Asiam, qui deos oret; is sane malam pestem & magnum infor-

Digitized by Google

infortunium Agamemnoni precatur. Recte igitur habet,

Di tibi dent capta classem DEDUCERE *Troja.* Virgil. Georg. I, 255.

Conveniat quando armatas deducere classes. Aen. III, 71.

Deducunt *socii* naves, *& litora complent.* & IV, 398. *& litore celsas*

Deducunt *toto* naves: *natat uncta carina.*

V. 194. CUR AJAX PUTRESCIT] Scriptorum codicum bona pars PUTESCIT: Quam scripturam sunt qui alteri praeferant; sunt qui nihil interesse dicant, hanc an illam sequaris. Ego vero neutris accedo: quippe *putescit* nusquam alibi legitur, non magis quam *foetescit.* Tum autem, etsi legeretur alicubi, ambigue tamen hic & prave poneretur; quia *putere & foetere* etiam de hominibus *vivis* dicuntur. *Putrescit* igitur, atque id solum, recipimus: quod est ipsum illud Homeri, πύθῃ. Iliad. Λ. 395.

ὁ δ' ἔτι αἵματι γαῖαν ἐρεύθων

ΠΥΘΕΤΑΙ· οἰωνοὶ δ' ἀμφὶ πόλιν πολιὴν γυναῖκες. & Odyss. Λ. 162.

Ἀνέρος, ὅ δή πω λιὺξ ὀστέα ΠΥΘΕΤΑΙ *ὄμβρῳ.* Seneca de Tranquill. c. XIV. *Nam quod ad sepulturam attinet, o te ineptum, si putas interesse, supra terram an infra* putrescam. Quintilianus Declam. VI. de projecto cadavere: Putrescit *interim corpus, nec totum in sicco jacet.*

V. 208. QUI SPECIES ALIAS VERI SCELERISQUE TUMULTU PERMIXTAS CAPIET] Locus lubricus, quem nullus Interpretum non attigit, nullus dubium adhuc & incertum non reliquit. *Veri* quidem & codices & veteres editiones exhibent; nisi quod unus Cruquianus a prima manu *veris* habuit, alter a secunda *vero.* Sane Lambinus, nondum visa Cruquiani codicis lectione, ex conjectura reposuit *alias veris,* id est, *alienas* & diversas *a veris,* sive falsas: ut Noster alibi, *alius Lysippo, alium sapiente bonoque*: & Phaedrus III, 1.

Quod si accusator alius Sejano *foret.*

Contra hunc insurgunt Xylander Torrentiusque, qui *alias veri* sensu non dispari pro *alias a vero* stare posse existimant; ut *alienus* tam cum genitivo, quam ablativo sociant Latini, *alienum majestate, officio, existimatione; alienum salutis, assensionis, naturae Deorum*: Graeci autem ἄλλο ἐπιστήμης, ἔπεσθαι & κόλακος & alia id genus passim usurpant, ipso Lambino plura exempla suggerente. Equidem ex his duobus prius illud Lambini praetulerim: concinnius enim est, siquid judico, *alias species a veris,* scil. speciebus, quam *alias a vero,* ubi in diversum genus transitur. Sic Curtius IV, 59 *Sive ludibrium oculorum, sive* vera species *fuit.* Sed in neutra, opinor, lectione pede recto procedit oratio; sive legeris,

Qui species alias veris, *sceleriſque tumultu Permixtas capiet*;

sive *alias veri,* quod in hac constructione eandem sententiam parit. Quid enim illo fiet, *sceleriſque tumultu permixtas?* Non cognosco illum *sceleris tumultum.* Certe tumultus est, ubi res diversae & contrariae miscentur inter se & confunduntur; ut Noster Serm. II, 2. v. 75. *at simul* assis

Miscueris elixa, *simul* conchylia turdis,

Dulcia se in bilem vertunt, stomachoque tu-

Lenta ferent pituita. [multum

Quare vide, annon sic potius distinguenda sint verba,

Qui species alias, veri sceleriſque tumultu Permixtas, capiet.

Quae enarratio & olim Scholiastae Acroni, & nuperius Xylandro Torrentioque placuit. Jam enim recte *tumultum* dixeris, ubi verum & scelus permiscentur. *Verum* autem hic erit *rectum, aequum, bonum,* ut saepius apud Nostrum aliosque usurpatur. Quod divos placaverit Agamemnon, ut propitiis eis classem deduceret, hoc *verum* & rectum erat; quod ea de causa filiam immolaverit, illud *scelus.* Itaque scelus & verum tumultu permixta; ut Virgil. Georg. I, 505.

Quippe ubi fas versum atque nefas.

Catullus Epithalamio Pelei prope finem,

Omnia fanda nefanda malo permixta furore.

Alias autem *species* absolute, pro alienis a veritate, aliis ac ipse opinatus est, quidni cum Xylandro accipere possimus? aut levi mutatione, *falsas* vel *vanas* non incommode substituere? quemadmodum initio Art. Poët.

velut aegri somnia vanae *Fingentur* species: & apud Livium III, 5. *Portentaque alia, aut obversata oculis, aut* vanas *exterritis ostentavere* species: & Celsum III, 18. *Aut cum aeger, quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam* vanas imagines accipit. Ubi animadverte etiam illud *accipit.* Recte enim inde colligas, *species* CAPIET, hic legendum; non ut codices quidam habent, CUPIET. Quippe & Seneca Epist. LIV. *Nam qui leviter dormit, & species secundum quietem* capit. Et De Ira, II, 1. *Nam* speciem capere *acceptae injuriae, & ultionem ejus concupiscere.* Et II, 3. *Sed*

ille

Digitized by Google

Ille sequens impetus, qui speciem *injuriae non tantum* accepit, *sed approbavit.* Ceterum satis mihi erit, diversas hic sententias proposuisse, nova aliqua luce perfusas: quaenam autem ex his palmam auferre debeat, id lectoris judicio permittendum censeo.

v. 211. AJAX IMMERITOS DUM OCCIDIT] Derivatum est hoc ab Editionibus priscis; inde in plerisque nunc circumfertur. At solus ex nostris Reginensis DUM; ceteri CUM, ut plerique aliorum, habent; & id versus sequens confirmat, *Cum prudens admittis.* Ceterum aliter verba ordinantur, cum in Cruquianis, tum in nostris, Zulichemiano, Magdalenensi, & Regiae Societatis;

Ajax cum immeritos occidit, desipit, agnos.

Quod altero concinnius cultiusque exire, qui aurem habet, facile sentiet; & merito viris eruditis Cruquio Baxteroque placuisse.

v. 212. CUM PRUDENS SCELUS OB TITULOS ADMITTIS INANES] Pro *admittis* Cruquiani plures, unus Pulmanni, & duo nostri COMMITTIS. Id, opinor, ortum est ex veteri lectione, *cum admittis.* Sic enim lego; [*inanes.*

Tu *prudens scelus ob titulos* CUM *admittis Tu* vim hic & venustatem affert sententiae; ut supra v. 199.

Tu *cum pro vitula statuis dulcem Aulide nato* & Serm. II, 7. v. 40. [*tam.*

Tu *cum sis quod ego & fortassis nequior.* & 53.

Tu *cum projectis insignibus, annulo equestri.* Noli dubitare, quin sic Horatius scripserit.

v. 215. HUIC VESTEM, UT GNATAE, PARET] Eleganter codex Magdalenensis,

Huic vestem, NATAE UT, *paret.*

ut alibi Noster Serm. I, 3. v. 89.

Porrecto jugulo historias, captivus ut, *audit.* Ovid. Amor. III, 11.

Excubui clausam, servus ut, *ante domum.*

v. 216. PUSAM AUT PUSILLAM APPELLET] Exemplum hic ponit cujusdam, qui *imaginibus, non mente, falsus,* ut Celsi verbis utar III, 18. agnam sub humana specie viderit, & filiam esse suam crediderit, vestem illi & ancillas paraverit, nomen muliebre ei indiderit, & marito uxorem destinaverit; Ajaci similem errorem insaniens, qui tres arietes jugulavit, Atridas & Ulixen se credens occidere. Videamus auctoris verba:

Siquis lectica nitidam gestare amet agnam;
Huic vestem, ut natae, paret ancillas, paret aurum;
Pusam aut pusillam appellet, fertique marito
Destinet uxorem:

Ubi Manuscriptorum quantum ubique est, & editiones priscae habent *Rufam aut Pusillam*; nisi quod nonnulli & pro *aut*, & vetustissimus Blandinius *Posillam.* Ceterae quae circumferuntur lectiones, sunt febriculosae conjecturae, quae per vanas imagines auctoribus suis illudebant. *Pusam aut pusillam* Cruquius dedit, *Pupam aut pupillam* Lambinus; *Pusa aut putilla*, Scaliger; *Pupam aut pusinnam* Nic. Heinsius: quae omnia, cum nomina sint appellativa & ὑποκοριστικὰ, minime hic locum habere possunt. Quivis enim sine ulla dementiae suspicione vel *agnam* vel *catellam* vel *dorcada* vel simile aliud delicium istis vocabulis appellare poterit. Prudentius certe illi faciunt, qui *Rufam aut Rufillam* legunt; ipsa nimirum sententia flagitante non blanda verba & ὑποκοριστικὰ, sed vera faeminarum nomina: quale siquis *agnae* imponat, faeminam eam esse credens, proque filia nuptum daturus, is sine dubio ad agnatos & gentiles erit deducendus. Sed quid opus *Rufillam* hic, invitis codicibus, reponere? Vera sola & genuina lectio est, quam ipsi suppeditant,

RUFAM *aut* POSILLAM *appellet.*

Ita, ut dixi, codex veterrimus Blandinius; sed eodem redit, quod in ceteris libris extat, PUSILLAM. Et *Rufa*, & *Posilla* sive *Pusilla*, frequens mulierum cognomen. Gruterus DCCCLIX, 1. AITILIAE. M. F. POSILLAE. & CCCCLXX, 8. MELENSIA SEX. F. POSILLA. & DCCXXXVII, 8. T. POMPEIUS T. F. REGINUS POSILLAE UXORI SUAE. Reinesius XVII, 178. CASTRICIAI POSILLAI. Iterum Gruterus DCLXI, 11. OCTAVIAE C. L. PUSILLAE. CXV, 5. PRO SE ET IVLIA PUSILLA VOTUM SOLVIT. DCI, 6. JULIAE PUSILLAE CON. SUAE. Marmora Felsin. pag. 438. L. JULIUS. ARISTEAS ET AELIA PUSILLA. Porro *Rufae* cognomen passim habes apud Gruterum & Reinesium, in gentibus Apustia, Aurelia, Calpurnia, Eppia, Flavia, Manlia, Maria, &c.

v. 230. QUID TUM? VENERE FREQUENTES] Locus integer ita se habet:

Edicit, piscator uti, pomarius, auceps &c.
Mane domum veniant. Quid tum? venere frequentes.
Verba facit leno. [*venere.*

Ubi recte illud *venere frequentes*: sic enim & Cicero pro Quintio c. VI, *Ipse suos necessarios corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie.* veniunt frequentes.

Tessa-

Digitized by Google

Teſtificatur ille &c. Livius I, 50. *In diem certam ut ad lucum Ferentinae conveniant, indicit: eſſe, quae agere de rebus communibus velit*: conveniunt frequentes *prima luce*. Atqui his, opinor, exemplis animadvertis, illud *Quid tum* ultra perfectum trahi; atque adeo, ſi commode poteſt, recidi debere. Quorſum enim pertinuit, orationem incidere & interturbare, quaſi res inexpectata ſequeretur? Cui perſonae convenit *quid tum?* Damaſippo narranti, an Horatio interloquenti? neutri certe: neque enim mirum erat, ſi turba illa nebulonum de re & commodo ſuo convocati *venirent frequentes*. Torrentii duo codices QUID ENIM hic habent: quod, etſi illi diſplicuit, mihi quidem prae vulgato probatur: & plena oratio erit, *Quid enim* aliud facerent? *venere frequentes*. Sed Codex noſter Battelianus, QUI TUM; quod levi mutatione ſic potes refingere;

Mane domum veniant. QUI CUM *venere*
Verba facit leno. [*frequentes,*

Certe hoc pacto leniter fluit oratio, quae, ut nunc habet, ſcabra eſt & interciſa. *Qui cum*, ut paſſim boni auctores. Terentius:

Qui cum *hunc accuſant, Naevium, Plautum, Ennium* *Accuſant.*

Cicero pro Sextio c. XLVI. Qui cum *auctores ſunt & duces ſuorum ſtudiorum vitiorumque nacti, in rep. fluctus excitantur*. Et XLVII. Qui cum *L. Saturnium cenſor notaſſet, de civitate maluit, quam de ſententia dimoveri*. Et alii paſſim.

v. 234. IN NIVE LUCANA DORMIS] Quis non hic quoque, ut ſupra v. 212. TU deſiderari videat?

TU *nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum*
Caenem ego: tu *piſces hiberno ex aequore verris.*

Praepoſitio IN facile abeſſe poteſt; ut Noſter Epodis, *Projecta curvo litore*. Virgilius: *Facet ingens litore truncus*. Vel legere etiam poteris,

TU *in nive Lucana dormis ocreatus:*

qualis ſynaloepha apud Noſtrum non eſt infrequens: ut infra v. 291.

Mane die quo tu *indicis jejunia nudus.*

Epiſt. I, 14.

Horum tu in *numerum voto ruis.*

v. 235. TU PISCES HIBERNO EX AEQUORE VERRIS] Duplex jam olim hic ferebatur ſcriptura, Scholiaſtae quoque obſervata, VERRIS & VELLIS. Et *vellis* quidem Editiones priſcae exhibent, ac dimidia fere pars codicum: ceteri ab altera lectione ſtant. Si *vellis* hic admittitur, tum ad arundinem piſcatoriam & hamum; ſin *verris*, tum ad rete & everriculum referri debet. Atque hoc placet. Auſonius Moſella, v. 244.

Hic medio procul amne trahens humentia lina,
Nodoſis decepta plagis examina verrit.

& 281.

Ille hamis & rete potens, ſcrutator operti
Nereos, aequoream ſolitus converrere *Tethyn.*

Apuleius Apologia: *Ut faber mihi piſcem* everreret, *ut piſcator mutuo lignum dedolaret*. Silius Italicus XIV, 264.

Tergemino venit numero fecunda Panormus,
Seu ſilvis agitare feras, ſeu retibus aequor
Verrere, *ſeu caelo libeat traxiſſe volucrem.*

Ita legendum puto: *agitare*, non *ſectare*: unde enim *ſecto* pro *ſector* in illius aevi poëta?

v. 238. CURRAT DE NOCTE VOCATA] Editiones antiquae CURRIT, & codices fere omnes. Sed *currat*, quod poſtea per Typographos irrepſerat, & a Lambino intactum permanſerat, nunc paſſim circumfertur. Si *currat*, erit pactum de ſtupro uxoris futuro; ſi *currit*, erit ſtupri jam conſueti pretium: quae probabilior ſententia eſt. Ceterum Torrentii unus, & alter Collegii Trinitatis, SURGIT: etiam eleganter; ut Carm. III, 6.

Sed juſſa coram non ſine conſcio
Surgit *marito.*

Tamen recepta lectio placet: *currere* enim dicit, ut oſtendat, quam officioſa & morigera ſit. Ob eandem rem aliae *venire* dicebantur, haec vero *currere*. Noſter Serm. I, 2. v. 122.

Neque cunctetur, cum eſt juſſa venire.

Martialis I, 71.

Et quia nulla venit, *tu mihi, ſomne, veni.*

Vide plura apud elegantiſſimum Nic. Heinſium ad Naſon. II. Art. v. 11. Porro & CITATA allegat Porphyrion pro *vocata*: ſed hoc rectius, ut Carm. III, 6. *Seu* vocat *inſtitor*.

v. 240. SCILICET UT DECIES SOLIDUM EXSORBERET] Ita quidem editiones veteres; unde, diſſimulantibus Lambino, Cruquio, & Torrentio, jam in omnibus obtinet. At in pluribus ſuis Pulmannus Berſmannuſque ABSORBERET; idemque ego in meorum meliore parte reperi: quo accedunt nonnulli, qui nimis antique *obſorberet* exhibent. Placet illud alterum, ut pote plurium exemplarium ſuffragiis munitum. Macrobius de re ſimili Saturn. II, 13. *Cleopatra unionem demtum ex aure & aceto diſſolutum* abſorbuit.

Digitized by Google

Et Plinius Hist. IX, 35. *Itaque expectante quidnam esset actura* (Cleopatra) *detractum alterum* (ex aure unionem aceto) *mersit, ac liquefactum* absorbuit. Et paullo post, de hac ipsa re, quam hic narrat Horatius: *Prius id fecerat Romae in unionibus magnae taxationis Clodius tragoedi Aesopi filius; ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritae: atque ut mire placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis quoque* absorbendos *dedit.* Unde & illud forte colligi possit, sic olim dedisse Horatium;

CLODIUS *Aesopi detractam ex aure Metellae:*

& illud *filius* ex glossemate & interpretatione fluxisse.

v. 246. QUORSUM ABEANT SANI? CRETA, AN CARBONE NOTANDI?] Principio, distinctione prava jam vulgo laborat hic locus; *Quorsum abeant sani?* si enim *sani* sunt, nulla jam dubitatio est, *quorsum*, hoc est, *quo abeant*: nempe ad partes sanorum. Sic Terentius Eunucho II, 3.

Nescio hercle, neque unde eam, neque quorsum eam.

Interpungendum itaque post *abeant*, *Quorsum abeant?* ut & Acron aliique viderunt. Deinde & codices aliquot tam aliorum, quam nostri, *Sani ut, creta:* quod elegantia non caret, ut alibi Serm. I, 3.

Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.

Vide quae supra diximus ad v. 215. Sed praeterea sunt codices, qui *sani creta* habent; codex Regius *sani an cretâ*, ut & editiones veteres, Veneta utraque & Lescheriana. Inter utrasque has lectiones quae media venit correctio, veri-ssima mihi videtur:

Quorsum abeant? Sanin' creta, an carbone notati?

Sanin' autem ut passim apud Comicos, *Dixin', Nostin'*. Virgilius; *Pyrrhin' connubia servas?*

Mortalin' decuit violari vulnere Divum?

Denique NOTATI habent plures melioresque codices: non quod ex editionibus priscis nunc passim obtinet, *Notandi.* Atque illud, opinor, melius: non enim *abeunt* ablegati ad insanos, *notandi* carbone; sed jam tum *notati* illuc deportantur. Sed mira sane lectio est in codice Colbertino, & a manu secunda in Reginensi, *Samii creta*: quod annotator in margine sic enarrat, *Creta Pythagorae Samii: is enim invenit, ut mala notarentur nigro lapillo, bona albo.* Nugae merae, & indoctorum hominum somnia. Certe, siquid in hac lectione bonae frugis est, sic locum potius distinguendum & interpretandum censuerim:

Quorsum abeant Samii? *creta, an carbone notati?*

ubi *Samii* erunt ἐστιγμένοι, *stigmatibus notati*: ut allusum sit ad celebrem Aristophanis versum, ubi conspiciens quis Babylonios e pistrino prodire notis compunctos, *Samios* eos appellavit, quia Samii captivi ab Athenien-sibus notis inuri in fronte solebant;

Σάμιοι ὁ δῆμος ἐστιν, ὡς πολυγραμματος.

Vide de hoc Suidam, Hesychium, & Plutarchum in Pericle. Sed nihil omnino sani est in hac scriptura; quae, ut facile licet conjicere, a *sanin'* profluxit; ubi enim punctum supra literam *i* abest, ut abesse solet a scriptis vetustis, vix poteris *Sanin* & *Samii* inter se dignoscere. *Sanin'*, ut jam video, etiam Marcilius dedit.

v. 259. SUME, CATELLE, NEGAT: SI NON DES, OPTAT] Editio prima Veneta, *Catelle*; altera cum Lescheriana *Citelle*, quod & codices aliquot agnoscunt. Petrensis, *Catille*: Nic. Heinsius ex conjectura, *Catulle.* Placet, quod & meliores codices & editiones pleraeque exhibent, CATELLE. Est *verbum blandientis*, ut recte accepit Scholiastes; & puer ipse eo ὑποκοριστικῷ compellatur; contra ac nuper sensit interpres eruditus. *Agnellus, hoedillus, vitellus, catellus*, & similia plura, blanditiae erant amantium. Plautus Asin. III, 3. v. 76. [*nicem*;

Dic igitur me passerculum, gallinam, coturnicem, Agnellum, hoedillum me tuum dic esse, vel vitellum. & v. 103.

Dic igitur me anaticulam, columbulam, catellum, [*tillum.*

Hirundinem, monedulam, passerculum, pu-

Hieronymus Epist. ad Eustoch. Torrentio etiam laudatus; *Istius modi mulierculae scortari solent & dicere,* Mi Catelle, *rebus tuis utere, &, Vive dum vivis; &, Numquid filiis tuis servas?* Praeterea, pro OPTET, quod editiones veteres repraesentant, nescio cur in omnibus fere nunc appareat, OPTAT. Quo admisso, legendum insuper fuerit, *si non DAS*: quod tamen in nullo codice visum est hactenus. Vide nos ad Serm. II, 1. v. 20. Revocanda est igitur lectio antiqua,

Sume, Catelle; negat: si non des, OPTET:

atque hanc agnoscit multo melior majorque pars membranarum veterum.

v. 262. NEC NUNC, CUM ME VOCET ULTRO] Inolevit hoc ex editionibus vetustis: Tu rescribe NE NUNC ex codice Leidensi, Zulichemiano, Battelliano, Collegii Trin.

Digitized by Google

Trin. & a manu ſecunda Reginenſi: & praeterea VOCAT pro *vocet*, etiam invitis membranis:

NE *nunc, cum me* VOCAT *ultro,*
Accedam, an potius mediter finire dolores?

Expreſſit ſcilicet Terentium in Eunucho I, 1.

Quid igitur faciam? non eam, NE *nunc qui-*
Cum ADCERSOR *ultro?* [*dem,*

Seneca de Benef. VII, 26. *Semper illum poenitebit, ſi te* ne nunc *quidem poenitet.* Salluſt. Jugurth. 31. *Qui* ne nunc *quidem obnoxiis inimicis exſurgitis.* Cicero Epiſt. ad Quintum fratrem III, 1. *Hippodamus* ne nunc *quidem quid velim rogavit.* Paradox. IV. *Ergo ego ſemper civis: tu* ne nunc *quidem.* Epiſt. ad Fam. III, 6. *Quod* ne nunc *quidem deſpero.* XIV, 9. *Sed multa me impedierunt, quae* ne nunc *quidem expedita ſunt.* Eundem Terentii locum expreſſit etiam Perſius Sat. V, 172.

Quidnam igitur faciam? NE *nunc, cum*
accerſat, & ultro
Supplicet, accedam? ſi totus & integer illinc
Exieras, nec nunc.

Ita ediderunt viri maximi Pithoeus & Caſaubonus: unde quivis colligat VOCET in Horatio legendum; ut hic *accerſat* & *ſupplicet.* Sed & Perſius in mendo cubat, eodem modo corrigendus:

ne nunc, cum accerſor, *& ultro*
Supplicat, *accedam? ſi totus & integer illinc*
Exieris, ne nunc.

Accerſor habent tres manuſcripti, Galeanus, Regius, & Collegii Trinitatis: *ſupplicat*, Galeanus: *ne nunc* Coll. Trin. & veterrimus Pithoei. Porro pro NE paſſim in quibuſvis ſcriptoribus Librarii dederunt NEC: ut Virgil. Georg. I, 124.

Nec ſignare quidem aut partiri limite campum.

Ita habet & caſtigatiſſima Nic. Heinii editio: ſed repone ex veterrimo codice Romano apud Pierium, & ex Lactantio Divin. Inſtit. V, 5.

NE *ſignare quidem.*

Plura hoc genus errata detexerunt viri ſummi Gronovius pater & Graevius ad Sueton. Tiberium c. XV; quos ibi vide.

V. 283. QUID TAM MAGNUM? ADDENS] Cum in editionibus priſcis haberetur *Quiddam magnum*; recte hic viri eruditi ex melioribus codicibus, quibus accedunt Zulichemianus, Colbertinus, Lambethanus, & a prima manu Reginenſis, repoſuerunt *Quid tam magnum? Non magnam*, ait, *rem poſtulo; ut unum ſaltem ex tot millibus morti eripias: vobis certe, o di, hoc factu facillimum eſt.* Poterat quidem eodem plane ſenſu dixiſſe, *Quid tam parvum?* ut Perſius Sat. V. verſ. 120.

Nil tibi conceſſit ratio: digitum exſere, peccas.
Et quid tam PARVUM? *ſed nullo ture litabis,*
Haereat in ſtultis brevis ut ſemuncia recti.

Et appoſite admodum Seneca, Conſol. ad Polyb. XXII. QUANTULUM erat tibi, *O fortuna, immunem ab hac injuria praeſtare eum hominem, in quem videbatur indulgentia tua ratione certa pervenisſe, & non ex tuo more temere incidiſſe?* Sed maluit Noſter, *Quid tam magnum?* quod εἰρωνικῶς dictum eodem recidit. Virgilius Aen. XI, 705.

quid tam egregium, *ſi femina forti*
Fidis equo? Stat. Theb. X, 871.
Et quidnam egregium, proſternere moenia
Structa lyra? [*molli*

Ubi, vel ex ipſo Virgilio, corrigendum, *Et quid tam egregium:* etſi tres codices ſcripti, quorum copia mihi obtigit, vulgatam ibi lectionem tutentur. Perperam itaque fecit Theodorus Marcilius, qui *Quidnam magnum*, apud Noſtrum repoſuit: ſed pejus adhuc nuperrime doctus interpres, qui vulgatum illud, *Quiddam magnum*, inauſpicato revocavit, non magis membranis vetuſtioribus, quam ſententiae ipſi injuriam faciens.

V. 301. QUA ME STULTITIA] Recte, opinor, Cruquius ex codice Martinio, & Lambinus ante eum ex conjectura, dederunt,

QUAM *me* STULTITIAM, *quoniam non*
eſt genus unum,
Inſanire putas?

ut Noſter ſupra v. 63, *huic ego vulgus*
Errori ſimilem *cunctum* inſanire *docebo*,
& Epiſt. I, 1. v. 101.

Inſanire *putas* ſollemnia *me, neque rides.*

Certe plus fidei vel uni codici habendum eſt in ſervando Helleniſmo, quam centum in interpolando.

V. 303. QUID? CAPUT ABSCISSUM DEMENS CUM PORTAT AGAVE] Non hic cum quoquam litigabimus, utrum cum editionibus ABSCISSUM legendum ſit, an cum codicibus pleriſque omnibus ABSCISUM: quorum illud ex *ab* & *ſcindo*, hoc ex *abs* & *caedo* componitur: ut *recido, concido* pariter dicunt, ac *reſcindo, conſcindo.* Vide viros doctiſſimos, Gronovium patrem ad Livium & Senecam Tragicum, Heinſium filium ad Prudentium, & Munckerum ad Scriptores Mythologos. Sane, etſi membranae *abſciſos* plerumque apud quoſvis ſcriptores, non *abſciſſos* exhibent; utrumque tamen in uſu fuiſſe ex

Digitized by Google

praeteritis verborum conſtat. Martialis III, 66.

Par ſcelus admiſit Phariis Antonius armis:
Abcidit *vultus enſis uterque ſacros:*

quod a praeſente *Abſcido* deducitur. Seneca Thyeſte, 1062.

illa lentis ignibus
Stillare juſſi: membra nervoſque abſcidi:

hoc a praeſente *abſcindo*. Verum haec leviora ſunt; illud majoris momenti, quod in vetuſtiſſimo Blandinio invenit Cruquius, in optimo ſuorum Pulmannus, ego denique in Regio & Zulichemiano, & pro varia lectione in codice Regiae Societatis:

Quid? caput abſciſum MANIBUS *cum portat Agave*
Gnati infelicis, ſibi tum furioſa videtur?

Equidem judicium Interpretum hic deſidero; qui quantivis pretii lectionem jam a ſeſquiſaeculo projectam neglectamque reliquerunt. Certe illud *demens* non modo otioſum hic eſt (id enim aliquo modo eſſet ferendum) ſed ſententiam plane onerat & gravat, immo putidam reddit & inficetam. *Ego*, inquit Horatius, *videor mihi pulchre ſanus. Tibi nempe*, regerit Damaſippus: *quid tum poſtea? an, putas, cum Agave filii caput avulſum geſtaret vituli eſſe credens, ſibi tum furioſa eſſe videbatur?* Pone jam in priore orationis membro *demens Agave*; & ſententiae vim diminuis addendo: ut lector emunctae naris facile agnoſcet. Satis enim eſt, ſi in poſteriore membro τὸ *furioſa* compáret; in utroque vitioſe ponitur. At contra, illud MANIBUS PORTAT quod liber omnium optimus ſuppeditat, non iners hic ſtat & aures laſſat, ſed atrocitatem foeditatemque faciuoris mirifice auget: unde & ab aliis poëtis eſt inculcatum. Sic Euripides Bacchis, v. 967; de hac ipſa re,

Φερόμεν' ἄξεις ἐν ΧΕΡΣΙ ΜΗΤΡΟΣ.

& v. 1137.

κρᾶτα δ' ἄθλιον,
Ὅπερ λαβοῦσα τυγχάνεις ΜΗΤΗΡ ΧΕΡΟΙΝ,
Πήξασ' ἐπ' ἄκρου θύρσου. & 1275.
Τίνος προσώπου δῆτ' ἐν ΑΓΚΑΛΑΙΣ ἔχεις;
Ἐα, τί λύσσω; τί φέρομεν τόδ' ἐν ΧΕΡΟΙΝ;

Seneca, ſive alius potius, in Phoeniſſis v. 363.

Felix Agave facinus horrendum manu,
Qua fecerat, geſtavit: *& ſpolium tulit*
Cruenta nati Maenas in partes dati.

& v. 18. ibidem:

qua per obſcurum nemus
Silvamque opacae vallis inſtinctas deo
Egit ſorores mater; & gaudens malo,
Vibrante fixum praetulit thyrſo *caput.*

Ovid. Metam. III, 725.

viſis ululavit Agave.
Collaque jactavit, movitque per aëra crinem,
Avulſumq; caput digitis complexa *cruentis*
Clamat, Io &c.

Afconius Pedianus de re non diſſimili, ad Ciceronis Orationem In toga candida: *M. etiam Marii Gratidiani* caput abſciſſum *per urbem* SUA MANU *Catilina tulerat*: ubi ipſius Ciceronis verba ſunt haec: *Quod caput, etiam tum plenum animae & ſpiritus, ad Sullam uſque ab Janiculo ad aedem Apollinis,* MANIBUS *ipſe ſuis detulit.*

v. 310. TURBONIS IN ARMIS] Codex Zulichemianus TREBONIS; unde, credo, inductus praeſtantiſſimus Nic. Heinſius, *Ferte*, inquit, TUBERONIS. Sed receptam in ſcriptis editiſque lectionem vel ſolus ſatis tuetur Priſcianus p 683. *Turbo turbinis, quando de vi ventorum loquimur: nam ſi ſit proprium, ſervat O in genitivo, hic Turbo, nomen proprium gladiatoris, Turbonis. Sic Horatius in II Sermonum:*

Corpore majorem vides Turbonis *in armis*
Spiritum.

Cui adde Servium ad Virgilii Aen. VII, 378. *Hic turbo, unde turbinis facit: nam ſi turbonis ſit, erit a proprio nomine genitivus, ut Horatius, Turbonis in armis.* Ceterum *Turbo*, cognomen Romanis haud ignotum. *Martius Livianus Turbo* ſaepe laudatur Spartiano in Vita Hadriani: idem Xiphilino Τέρβων vocatur. Gruterus CCCCXXVIII, 1. Q. MARIO TURBONI: ubi aut MARTIO corrigendum; aut apud Spartianum *Marius* reponendum erit: de uno enim eodemque utrobique agi videtur.

v. 313. TANTO DISSIMILEM, ET TANTO CERTARE MINOREM] Turpiſſimum hic mendum inſedit; dum lectionem ex antiquis derivatam ſecure tranſmittunt Interpretes. Atqui Cruquius in Blandinio veterrimo ut & altero bonae notae Tonſano, TANTUM invenit: quod non tam ipſum, quam alios poſtea doctiores neglexiſſe miror & indignor. *Tantum diſſimilis*; non *tanto*, quod ne Latinum quidem eſt: ſic *multum ſimilis* aut *diſſimilis*, non *multo*; Serm. II, 5. v. 92.

Stes capite obſtipo, multum ſimilis *metuenti.*

Epiſt. I, 10. v. 2. *hac in re ſcilicet una*
Multum diſſimiles, *at cetera pene gemelli.*

Ergo *tantum diſſimilem* perinde eſt, ac *tam diſſimilem*; ut mox v. 317. *tantum magna* pro *tam magna*. Sic alibi Serm. II, 5, 80.

Nec tantum Veneris, quantum ſtudioſa culinae;

id

id est, *tam, quam studiosa.* Ceterum pro CERTARE Nic. Heinsius ex conjectura ponit CAPTARE. Vir egregius, ut video, non recte accepit loci hujus constructionem: & nescio sane an alius quisquam: tacent enim omnes quos noverim; solo Cruquio excepto, qui in errore hic versatur.

An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est,
TANTUM *dissimilem, & tanto certare minorem?*

ubi ordo est; *An verum* & par *est, te* facere, *quodcumque Maecenas facit?* te, inquam, *tantum* ei *dissimilem, & tanto minorem certare* cum illo? *Tanto minor certare*, tam impar certamini; Hellenismus Nostro valde amatus; de quo consule nos ad Carm. I, 1. Sic alibi Carm. III, 3. v. 50.

Aurum irrepertum spernere fortior.

& III, 24. Ludere doctior.

Persius Sat. IV, 16.

Desinis, Anticyras melior sorbere *meracas. Minor* autem hic valet *inferior*; ut Epist. I, 10. v. 35.

Equus minor *in certamine longo.*

Eleganter imitatus est hunc locum Silius Italicus lib. V. v. 76.

Heu vani monitus, fruſtraq; morantia Parcas
Prodigia! heu fatis superi certasse minores!

v. 317. NUM TANDEM SE INFLANS, SIC MAGNA FUISSET?] Locus hic in vulgatis editionibus foede interpolatus, jam olim a Cruquio ex melioribus membranis recte constitutus est: cui tamen certissimam facem praeferenti nemo hactenus fidem habuit. Sic autem vulgo exhibent:

illa rogare,
Quantane? num tandem, se inflans, sic
magna fuisset?
Major dimidio. num tanto? *cum magis* &c.

Cruquius vero ex suis sic reposuit:

num TANTUM, SUFFLANS SE, *magna fuisset?*
Major dimidio? num TANTUM?

Ubi primo, *num tantum* praeferunt vetustissimus Blandinius cum Tonsano, & codex Coll. Trinitatis. Agnoscit etiam Porphyrion, si modo verba ejus leviter emendentur: *Num* TANDEM] *Adnotandum* TANDEM *pro* TAM *positum, id est, tam magna.* Quis enim non videt *tandem* hic pro *tantum* ex contextu irrepsisse? *Tantum* pro *tam*; hoc quidem recte habet, & satis frequenter occurrit: at illud *Tandem* pro *tam* quis umquam vel fando inaudivit? Ergo olim hic *num tantum* legebat Porphyrion: & recte quidem. Quorsum enim *tandem*: cum jam *prima vice* rana se inflaverit; postea iterum & tertio, *magis magisque?* Certe *tandem* postremo conatui, non primo convenit. Jam autem, quod sequitur. SUFFLANS SE in pluribus Cruquii & aliorum exstat; in aliis & in priscis editionibus SUFFLANS SI; in nonnullis SUFFLANS SIC; in nullo, quod sciam, *se inflans*, quod a correctore nescio quo prolatum videtur, ex versu sequente, *Cum magis atque* se *magis* inflaret: & ex Phaedro fortasse, Fab. I, 25.

dum vult validius
Inflare sese, *rupto jacuit corpore.*

Atqui vocabulum *sufflans* sententiae non minus aptum est. Plin. Hist. XI, 18. *Verum & rubetae veniunt ultro, adrepentesque foribus per eas* sufflant. Idem VIII, 28. *Alia solertia in metu Melibus*: sufflatae cutis distentu *ictus hominum & morsus canum arcent.* Plautus Bacchid. IV, 2.

Sufflatus *ille huc veniet.* Diruptum *velim.*

& Sticho, V, 4. *age tibicen,*
Suffla *celeriter tibi buccas; quasi proserpens bestia.*

Persius perpetuus Horatii imitator, Sat. IV, 19.

Dinomaches ego sum: suffla: *sum candidus. Esto.*

Ordo autem hic est: *Illa, rogare Quantane? & sufflans se,* rursum rogare, *num tantum magna fuisset? Tantum magna* perinde est ac *tam magna*, ut supra, *tantum dissimilis, tantum studiosa:* Catullus Epigr. 87.

Nulla in tam magno *est corpore mica salis.*

Lucanus III, 83. *gaudet tamen esse timori*
Tam magno *populus.*

ubi *tam magno*, ut etiam hic *tantum magna*, majus quiddam sonat & significat; quam si brevius *tanto* & *tanta* dixissent. Quippe rana etiam suam sufflatae molem admirari intelligitur; cum dicit, *Num tantum magna?* Quod si horum loco posueris, *Num tanta fuisset*; perit praecipua narrationis gratia & venustas, neque intumescentis ranae superbia tam pulchre innotescit. Jam illud deinceps, quod in vulgatis circumfertur,

Major dimidio. num TANTO?

quam non absurditatem intus habet? *Bellua illa*, inquit ranae pullus, *dimidio major erat. Num* TANTO *major?* respondet mater, in ampliorem molem se distendens. Quid, obsecro, sibi vult illud *tanto?* an quanto magis se rana sufflaret, *tanto* ea major erat vitulus? quid stultius dici potest? certe si antea *dimidio* tantum *major* erat; jam post repetitam

Digitized by Google

inflationem *tantillo* major esse debuit. Praeterea totum illud, *Num tanto*, comparationem aliquam instituat, necesse est. Dic ergo, qua cum re comparatum est. *Num tanto me major*, quanto, quid? quanto ego sum toto corpore; quanto ego sum major titivilitio. Nihil enim est praeterquam ipsius ranae corpus, quo cum fiat comparatio. Ergo rana, quae post primam inflationem *dimidio* tolum *minor* erat vitulo, post iteratam inflationem minor jam minorque fit, &, quod portentosum plane est, crescendo minuitur. Haeccine tot interpretes tam patienter tulisse? haeccine nos tamquam pulchra & exacta in scholis admirari? Quin reponatur illico, quod codices Cruquiani exhibent, & ex nostris Leidensis & Collegii Trinitatis liber,

Major dimidio. num TANTUM?

num tantum *magna* scilicet: ut supra se inflans rogaverat, *Num tantum magna fuisset?* Hoc profecto tam recte se habet, quam illud alterum prave & perverse. Atque hactenus quae culpavimus, Librariis merito imputanda sunt: illud quod jam dicturus sum, nescio an auctori ipsi sit vitio vertendum. Qua enim veri specie aut decori ratione, respondet hic ranula, *Major* DIMIDIO? An credibile hoc aut memorabile est, ranam vel prima sufflatione dimidio duntaxat minorem bove visam esse? Certe, ut Noster bene alibi, vel ipsa Fabula non quidvis sibi credi postulet, sed veris proxima & fidem aliquatenus habitura profecrat. Quid, quod si primo conatu dimidium bovem rana exaequaverat; non deerat spes, ut iteratis inflationibus integri magnitudinem tandem assequeretur. Ergo non a vero solum abhorret haec narratio, sed & sibi ipsa disconvenit. Et tamen omnes, credo, ubicumque codices in lectione hac consentiunt. Quid fiet? an ipsum Flaccum hujus culpae damnabis? an ob magnas multasque ejus virtutes quidlibet potius in quemvis impinges, quam ut tantae incogitantiae reus peragatur? Equidem sic potius scripsissem,

Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset?

Major PERNIMIO. *num tantum?*

Lucretius lib. V. v. 565.

Nec nimio major *solis rota, nec minor ardor.*

Terent. Adelph. III, 4. v. 30.

nimium inter vos, Demea, ac
Non quia ades praesens dico hoc, perni-
mium *interest.*

Certe hoc vocabulum & sententiae aptissime congruit; &, si compendiosam scripturam *pnimio* contempleris, haud ita multum abludit a recepta lectione. Quod si ejusmodi est, ut Horatio non tam dari, quam reddi & restitui videatur, equidem ejus causa gaudebo: sin ita est, ut τὸ *dimidio* nullo pacto poterit ab auctore abjudicari; id tamen nostrum omnium interest, ut in veterum scriptis non omnia aeque sine cura discriminis probare videamur.

ECLOGA IV.

V. 2. PRAECEPTIS QUALIA VINCUNT PYTHAGORAN.] Ex membranis aliae *vincunt* habent, aliae *vincent*, aliae denique *vincant*. Primum nunc fere obtinet, ex priscis editionibus ductum: at secundum ei facile praetulerim; *novis* enim praeceptis futurum tempus magis convenit. Sed vera & sincera lectio est, quae tertio loco venit, Lambino etiam & Cruquio probata. Sic Joannes Saresberiensis in Policrat. VIII, 8. *In usus istorum licet & Catio,*

Ponere signa novis praeceptis, qualia VINCANT
Pythagoran, Anytique reum, doctumque
Platona.

Sic ibi & codex MStus Bibliothecae publicae Cantabrigiensis. Noster I, 4. v. 3.

Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula
vincat.

V. 10. SIMUL AN ROMANUS AN HOSPES.] Editiones veteres,

simul ET. *Romanus an hostes.*

Sed statim, ab Aldo opinor inductum, AN passim obtinuit; &, quamvis alterum dederint Lambinus Cruquiusque, in nuperis editionibus iterum regnat. Revocetur vetus scriptura, quam omnes fere omnium codices tuentur. *An* enim vitiose hic bis ponitur: in priore membro aut *ne* poni debet, aut nihil. Sic in Arte Poët. v. 114.

Intererit multum, Divusne loquatur, an *heros*;
Maturusne senex, an *adhuc florente juventa*
Fervidus; &, *matrona potens*, an *sedula*
nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an *Assyrius*; *Thebis nutritus*, an
Argis:

Ubi

Digitized by Google

Ubi mendose vulgo, ut hic, editur *an matres*; contra codicum meliorum fidem, ut ibi docebimus.

v. 13. ET UT MAGIS ALBA ROTUNDIS] Videamus, quo pacto suas hic partes tutati sint Interpretes:

Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut succi melioris & ut magis alba *rotundis,*
Ponere; namque gravem cohibent calloſa vitellum.

Haec illi albo calculo signant; nempe quia nihil hic variant codices. Atqui si ea diligentius paullo excusseris, quantum hic furfuris invenies. *Longa*, inquit, *ova sunt magis* alba *rotundis*. Primo, hoc falsissimum est: alia enim aliis in utroque genere candidiora sunt, nulla figurae ratione habita. Ponatur tamen hoc verum esse: pulchrum sane praeceptum, & Pythagoricis omnibus Socraticisque palmam, ut gloriatur, praeceptorum. Quid, malum? nonne quivis coquus, qui oculis recte utitur, tam facile ovorum colores dignoscet, quam summus Philosophorum? *Ova longa rotundis albiora*: magnum mehercule secretum; cujus addiscendi caussa *remotos fontes adire*, & vel vadimonium deserere, par est. Sed ut hoc quoque condonemus; illud, quod sequitur, vincit omnem omnium stultitiam:

namque *marem cohibent calloſa vitellum.*

Vide sodes illud *namque*: eo enim caussa & ratio praecepti explicatur. *Idcirco*, inquit, longa ova *candidiora* sunt rotundis, *quia* marem foetum, si incubantur, excludunt. Vestram fidem, Interpretes! cui sano credibile est, vel ex aliena Nostrum persona tam stolida effutisse? Deridet sane hic Apitios & gulae philosophos; sed minime eos tam fatuos & plumbeos esse fingit, neque caetera praecepta ad hoc exemplum sensu cassa & absurda sunt. Quid multis opus? scribe levissima mutatione,

Ut succi melioris & ut magis ALMA *rotundis*
Ponere; namque marem cohibent calloſa vitellum.

Alma hic accipio (ab *alo*) *bene alentia, valide nutrientia*, τρόφιμα, εὔτροφα, πολύτροφα. *multum & firmum alimentum praestantia.* Conjunxit hic duo illa, quae in ciborum natura inquiri & considerari solent; quaeque pariter conjunxit Celsus lib. II. cap. 19. & 20. scilicet ut & sint *boni succi*, quae εὔχυμα Graeci vocant; & *firmi robustique alimenti*, quae εὔτροφα. Ergo ova oblonga melioris esse succi & magis alentia dicit, quam rotunda: cur istud? *namque calloſa sunt, & marem vitellum cohibent.* Jam certe recto pede procedit argumentum: quippe secundum medicorum placita, in quovis genere mares valentioris sunt materiae, femellae contra leviorem & imbecilliorem cibum praestant. Tum autem *oblonga ova mares edere*, quantumvis sit falsum & ineptum, gravissimi tamen auctores tradiderunt, Columella VIII, 5. & Plinius Hist. X, 74. cujus verba sunt, *Quae oblonga sunt ova, gratioris saporis putat Horatius Flaccus. Feminam edunt, quae rotundiora gignuntur, reliqua marem.* De colore, ut vides, ne verbum quidem. Fallitur tamen hic scriptor egregius, cum *melioris succi* interpretatur *gratioris saporis*. Alia enim res est: *sapor* ad palatum duntaxat spectat; *succus* ad totum corporis habitum: vide Celsum loco laudato, & alios. Ceterum dices fortassis, vix alibi occurrere *alma* pro *alentibus, nutrientibus.* Ob eam ipsam caussam, inquam ego, Librarii *alba* substituerunt. At ea vocabuli vis & sensus est, ut eleganter huic significationi aptari queat: at alii, quorum scripta perierunt, sic forte usurparunt. *Alma*, inquit Festus, *sancta sive pulchra, vel* ALENS *ab alendo scilicet. Alma proprie tellus est*, ait Servius, *ab eo quod nos* alat. *Lux alma dicta, quod* alat *universa; unde alma Ceres, quod nos* alat. Quin & Acron Scholiastes ita olim locutus esse videatur: cujus verba sic habent in editione prima Veneta & codice MSto Regiae Societatis: *Quia meliora sunt longiora ova, quam rotunda; & albiora aut fortiora.* Equidem scripsisse credo, *Almiora aut fortiora.* Quippe *magis alma* perinde est ac *fortiora, firmiora, robustiora, valentiora*, ad nutriendum scilicet. At qui *albiora* (ut nunc editum est) per *fortiora* enarrat; nae ille dignus est, quem vel pueri sub ferula adhuc militantes albis, quod aiunt, dentibus derideant.

v. 16. IRRIGUO NIHIL EST ELUTIUS HORTO] Ita omnes scripti editique uno consensu:

Caule suburbano, qui siccis crevit in agris,
Dulcior: irriguo nihil est elutius horto.

Summo tamen vir ingenio Daniel Heinsius, *Scripserat*, inquit, *absque dubio poëta, Irrigui nihil est elutius horti*; ut *caule* a superioribus repetatur. Vide, quo provectus sit prurigine corrigendi. Certe, si bene hominem novi, in suis ipse carminibus prius longe praetulisset. Dictum quippe est, ut illud Plinii Hist. XVIII, 5. *Nihil est damnosius deserto agro.* Neque

Digitized by Google

que ullam venerem habet Heinſii lectio, quam non altera majorem in modum poſſideat.

v. 19. DOCTUS ERIS VIVAM MISTO MERSARE FALERNO] Quid, rogo, ſibi vult *miſto Falerno*; cum nihil quicquam hic fit, quo cum miſceatur? Ergo ſubintelligi hic volunt interpretes, *cum aqua*. Unde hoc iis compertum? Cur magis *cum aqua*, quam cum *melle*, *oleo*, vel alio quovis liquore? Oedipus enim aut hariolus ſit oportet; qui, cum auctor nihil dicat, mentem ejus aſſequi conjectando profiteatur. Quod ſi is recte conjecerit; auctor tamen haud minore in culpa eſt, cui, ut ſcias quid velit, conjectore eſt opus. Certe Noſter, ſi Suetonio fides, *obſcuritatis vitio minime tenebatur*: numquam ergo crediderim obſcurum hoc, incertum, mancum ab Horatio profectum eſſe. Chriſtophorus quidem Landinus ante annos ducentos *Mulſo Falerno* hic edidit, ex conjectura, ut opinor. Sed nemo poſtea in ejus ſententiam conceſſit. Nos meliore, niſi fallimur, auſpicio ſic locum refingimus:

Ne Gallina malum reſponſet dura palato,
Doctus eris vivam MUSTO *merſare Falerno*:
Hoc teneram faciet.

Teneritatem, inquit, gallinae conciliabis, ſi vivam ſuffocaveris in muſto Falerno, capite ejus in liquorem demerſo. *Muſtum* autem per totum annum ſervari ſolebat: quod qua ratione fieret, docet Cato de Re Ruſt. cap. CXX. Columella XII, 29. Plinius XIV, 11; & tandem Gallienus imperator, referente Pollione c. XVI, *muſtum quemadmodum toto anno haberetur, edocuit*. Ergo lepide hic ſugillat helluonum divitum περιεργίαν & ineptam diligentiam; quod *vino* gallinam ſuffocarent, non *aqua*; quod non quovis vino, ſed *Falerno*; quod non quovis Falerno, ſed *muſto*. Prudentius contra Symmachum I, 26. de Baccho loquens.

Atque avidus vini multo ſe proluit hauſtu,
Gemmantis paterae ſpumis MUSTOQUE FALERNO
Perfundens bijugum rorantia terga ferarum.

Ceterum Gallinas a coquis ſuffocatione occidi ſolitas vel illud Ciceronis oſtendit pro Muraena cap. 29. *Nec minus delinquere eum; qui* gallum gallinaceum, *cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem* ſuffocaverit.

v. 37. NEC SATIS EST CARA PISCES AVERTERE MENSA] Editiones veteres aliaeque ante Lambinum AVERTERE; atque ita uterque Scholiaſtes. Primus ille ex codicibus ſuis dedit AVERRERE, quem ſecutus eſt Cruquius & ex eo tempore nunc hoc, nunc illud editoribus placuit pro diverſo hominum ſenſu & palato. In eo ſane jactare ſe poteſt lectio prior, quod acutiſſimo Gronovio patri ſe probavit Obſervat. lib. IV. c. 5. ubi *avertere cara menſa piſces* ait eſſe *fraudare menſam alicujus delicati obſonio illo; comparare piſces caros & pretioſos, quibus aliquam nepotinam menſam defraudes*. Haec ibi vir eximius; & eadem fere ante ipſum quidam apud Lambinum, ſic verba enarrantes, *Piſces divitibus deſtinatos praeripere pretio perſoluto, & ita ab eorum menſis averſos in tuam transferri*. Recte quidem; & nos quoque ab ea parte ſtamus; ſi modo *avertere* veram hic lectionem eſſe ſemel admittimus. Sed pace tanti viri, liceat nobis alteri illi lectioni fidem & auctoritatem adjungere,

Nec ſatis eſt cara piſces AVERRERE *menſa*:

quam Cruquiani codices ſuppeditant, praeter unum omnes; & bona etiam pars eorum, quos Lambinus, Torrentius, Pulmannus, Berſmannuſque viderunt; & denique ex noſtris meliores, Leidenſis, Reginenſis, Zulichemianus, & Battelianus. Liceat etiam in veteri lectione novam explicationem promere. Non ut hic *menſam piſcatoriam* in macello cum veteribus noviſque intelligamus; ſed menſam ejus, cui haec praecepta traduntur. Sunt, inquit, qui in cenis praebendis ſe officio ſuo ſatisfeciſſe credant, ſi ingentes ſumtus *in* cibos fecerint; ignari interea, quid *elixum*, *quid* aſſum pro varia ſaporum ratione gratius meliuſque ſit:

Nec ſatis eſt cara piſces averrere *menſa.*
Ignarum, quibus eſt jus aptius, & quibus aſſis
Languidus in cubitum jam ſe convivа reponet:

hoc eſt, Neque ſufficit piſces impenſo pretio coëmtos in menſa ſua exhibere, qui protinus *averrantur*; utpote quos nemo convivarum tangere velit, propterea quod aptum cuique condimentum deſit. Opera potius danda eſt, ut & piſces pretioſi ponantur, & ita ſuaviter condíti, ut vel languido convivae appetitum renovent; adeo ut nihil demum ex iis relíquum ſit, quod a miniſtrantibus pueris *averri* poſſit. Non ſatis eſt piſces intactos *cara menſa averrere*, & ſolo ſumtu te oſtentare: ſi artem cenarum tibi arroges, id potius efficiet, ut prae ſuavitate omnia conſumantur, nihil ſuperſit. Haec, ni fallor, enarratio & ſententiae & verbo appoſite congruit. Cicero

ad

Digitized by Google

ad Cassium Epist. XII, 4. *Vellem idibus Martiis me* ad cenam *invitasses*: reliquiarum *nihil fuisset*. Priscianus p. 900. Verro *secundum Charisium in praeterito* Verri *facit, quod & usus comprobat: Licinius Macer pro Tuscis; Quis oportuit amissa restituere, hisce etiam* RELIQUIAS AVERRERUNT. Seneca Controv. XXV. *Inter temulentas ebriorum* reliquias *humanum* everritur *caput*. Et iterum, *Inter purgamenta & jactus cenantium, & sparsam in convivio scobem, humanus sanguis* everritur. Non deerunt, opinor, qui huic, quam primi nunc proponimus, sententiae accedent. Sed & alterae duae, tam Gronovii, quam veterum, fautores adhuc suos fine dubio habebunt. Quid mirum? ubi quaevis ex tribus, pari probabilitatis specie certans, dubiam duabus ceteris palmam facit.

v. 41. CURVAT APER LANCES] Veteres quidem Editiones cum multo majore parte codicum CURVAT: postea fere obtinuit altera lectio CURVET, quam suppeditant Torrentii libri aliquot, unus Pulmanni, & codex Collegii Trinitatis. Utramvis tuto sequi poteris: si *curvet*, erit vox praecipientis, quid fieri oportet; si *curvat*, erit approbantis, quod recte fit.

v. 44. FECUNDI LEPORIS] Sic editiones priscae cum codicibus plerisque, nostris quidem omnibus: neque aliter nunc extat apud Donatum ad Terentii Eunuchum, III, 1. vers. 36. Scio etiam *leporem* masculino genere dici solere, etiam *fecundum* & *praegnantem*. Varro de Re Rust. III, 12. QUI *lepus dicitur, cum praegnans sit, etiam concipere*. Plinius Hist. VIII, 55. *Lepus* SOLUS *praeter dasypodem superfetant, aliud educans, aliud in utero gerens*. Vulgatam igitur lectionem tantis auctoribus, qui volet, facile tuebitur. Vide virum summum Gerardum Vossium de Analogia lib. I. cap. 16. Mirifice tamen placet, quod in omnium optimo Blandinio, & in altero non contemnendo codice Tonsano Cruquius invenit,

FECUNDAE *leporis sapiens sectabitur armos*. Unde enim hoc Librariis, nisi ab ipso auctore profectum esset? Ignoscendum quidem est iis, qui cum vulgo loquuntur: sed rationi naturaeque magis congruum hic femininum genus esse quis negabit? Sapit etiam, siquid ego judico, morem Horatianum, & ingenium novandi sermonis cupidissimum. Priscianus pag. 658. *hic & haec lepus* prisca auctoritate dici memorat: quod fortassis ex hoc ipso loco petitum habuit; vel si ex alio scriptore nescio quo, at certe vel sic, novo demum tibicine haec lectio fulcitur. Quod si spernis ista, quae Priscianus nullo teste producit; imo vero, si nusquam quemquam *hanc leporem* dixisse concedimus: nihilo tamen minus *fecundae* & doctior & probabilior hic lectio erit, quam *fecundi*. Ita Plautus in Sticho I, 3. v. 14.

audivi saepe hoc vulgo dicier,
Solere elephantum gravidam *perpetuos decem*
Esse annos:

noluit dicere *gravidum*, quamvis nemo alias *hanc elephantum* vel fando audivit. Ita ipse Plinius IX, 13. *Cordylae appellantur* Thynnorum *partus, qui* foetas *redeuntes in mare autumno comitantur*. Et X, 55. *Generatio* murium *lambendo conflare, non coitu, dicitur: ex* una *genitos* CXX *tradiderunt: apud Persas vero, praegnantes & in ventre parentis* repertas. Vides de Thynnis & Muribus feminis *foetas, una, repertas*, dixisse: licet nemo alias Thynnum aut Murem feminino genere extulerit. Demus itaque hoc venerandae antiquitatis codici; ut ex duabus lectionibus, quarum utraque quidem tuta est, altera & erudita, hanc potius sequamur, quam ipse subministrat. Quin & observatione dignum est, eosdem illos codices, Blandinium dico & Tonsanum Cruquii, *anseris albae* exhibere Serm. II, 8. v. 88. ubi ceteri fere omnes, ut hic, masculinum genus supposuerunt.

v. 48. NEQUAQUAM SATIS IN RE UNA] Nimium hic argutatur Dan. Heinsius, cum hoc modo distinguere jubet: [*promit*;

Sunt quorum ingenium nova tantum crustula
Nequaquam satis in re una consumere curam:

& τὸ *satis* explicat non ἄλις, sed ἄλις ὄν. hoc est, *Cum non sit satis*, vel *Quandoquidem nequaquam est satis*. Sed quis, obsecro, sic locutus est? nam profecto exempla, quae ibi profert, nihil ad rem faciunt. Immo enimvero *satis* hic est ἄλις ἐσί: quippe hoc ad sequentes versus potius, quam ad praecedentem refertur. Unde factum, ut τὸ *est* in nonnullis codicibus versui inseratur: in duobus Cruquianis sic,

Nequaquam satis in re una est *conf. curam*, in Regio,

Nequaquam satis in re una conf. curam est. Equidem sic potius constituerim,

Nequaquam EST *satis in re una conf. curam*. vel sic,

Neq. satis EST *in rē unā* INSUMERE *curam*:

Digitized by Google

Nam Lambethanus codex, etsi is recentior est; *Neq. satis* est *in re una* absumere *curam*. Certe, etsi hac locutione noster vehementer delectari & saepissime usus esse deprehenditur, numquam tamen *τὸ satis* nudum & incomitatum posuit sine verbo *est*. ut Carm. III, 1. *Desiderantem quod satis est*. III, 16. *Parca quod satis est manu*. Serm. I, 1. *Nil satis est, inquit*. Et, *Jam satis est, ne me*. I, 2. *An tibi abunde Personam satis est*. Et, *Usque superque. Quam satis est*. I, 4. *Non satis est puris*. &, *Mi satis est, si*. I, 5. *Ohe, jam satis est*. I, 10. *Ergo non satis est*. &, *Non ego, nam satis est*. II, 3. *Scribe decem a Nerio non est satis*. &, *Si quidvis satis est*. II, 4. *Nec satis est cura*. II, 5. *Non satis est Ithacam revehi*. Epist. I, 2. *Quod satis est, cui contingit*. I, 6. *Ultra quam satis est*. I, 7. *Jam satis est*. &, *Ultra quam satis est*. I, 10. *Ubi plura Cogere quam satis est*. I, 18. *Haec satis est orare Jovem*. Art. Poët. *Non satis est pulchra esse poëmata*. &, *Nec satis est dixisse*. Ergo ad haec exempla etiam hunc locum liceat refingere.

v. 51. MASSICA SI CAELO SUPPONAS VINA SERENO] Editiones veteres, duae Venetae & Loscheriana SUPPONES. Postea Typographi Aldum, opinor, ducem secuti SUPPONAS passim dederunt: quod per interpretum indiligentiam etiamnum obtinet. Revocetur lectio antiqua; cui plures Lambini & Bersmanni codices astipulantur: ceteri Editores silentio hoc male transeunt. Equidem in plus decem exemplaribus *suppones* inveni, *supponas* in solo Magdalenensi.

v. 61. FLAGITAT IN MORSUS REFICI] *Refici in morsus*, ait Lambinus, *ita dictum est*, ut Virgil. Aen. XI, 731. *Reficitque in praelia pulsos*. Haud vidi magis. Quisnam, obsecro, hic reficitur in morsus? videamus locum integrum:

Tostis marcentem squillis recreabis & Afra
Potorem cochlea: nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho: perna magis ac magis hillis
Flagitat in morsus refici: quin omnia malit
Quaecumq; immundis fervent allata popinis.

Quis, inquam, hic *flagitat refici? potor*, an *stomachus*? Equidem hic *stomachum* intelligo: is scilicet *flagitat*, is *malit* a popinis allata: ut Serm. II, 2. v. 44. *mala copia quando*
Aegrum sollicitat stomachum: *cum rapula plenus*
Atque acidas mavult *inulas*.

Quod si ita sit, nihil jam hac lectione stultius: qui enim stomachus refici potest in morsus? an stomachus dentes habet? Immo enimvero, licet *potorem* hoc flagitare dixeris, quam tamen malam esse constructionem puto, ineptum hoc nihilominus erit ac putidum. Perna scilicet & hillis *comestis*, reficitur potor *in morsus*: quid magis praeposterum? utique in morsus debet refici, *priusquam* quidquam possit comedere. Nihil certe *in morsus refici* tolerabiliter dici potest, nisi *dentes* hebetati & instabiles, qui jam morsibus inhabiles sunt; non *potor*, non *stomachus*: & ablit, ut cultissimo poëtae tam illepidum dictum affingamus. Neque vero audiendi sunt Cruquius & Chabotius, qui *morsus* hic *minuta frustula* interpretantur; *morsus* enim & *morsellus* pro offa, frusto, non nisi barbarorum est. At editio prisca Loscheri, cui illa Roberti Stephani accedit, IMMORSUS hic exhibet. Neque aliud volunt codices nostri Reginensis, Petrensis, Regius, Galeanus, Magdalenensis, Bateliarus, Collegii Trinitatis; qui uno vocabulo ex prisca scribendi ratione INMORSUS clare praeferunt. Atque haec lectio eruditissimis viris placuit, Bonaventurae Vulcanio, Petro Scriverio, Danieli Heinsio. *Immorsus* autem exponunt ex Glossario Isidori, *jejunus*: & sic etiam codex Regius inter lineas enarrat, *immorsus, jejunus*. *Sane sensu optimo*, ait Heinsius: *ante ostendit, quomodo marcentem reficere; jam vero, quomodo jejunum excipere oporteat*. Ego vero neque sensum orationi, neque verbum sensui convenire dico. De *marcente* enim stomacho, non *jejuno* & famelico, hic agi tam manifestum est, quam quod usquam manifestissimum. Cui autem credibile est, *immorsus* activam significationem habere, *qui non momordit, qui nihil comedit*? Quis auctor, quis sponsor rei tam inauditae? Glossographus nescio quis, semibarbarus; cujus ex turbidis lacunis pudeat quicquam haurire, quod Horatio impertiatur. Passivam significationem huic verbo donat Cyrillus apud Labbaeum, Ἄμορτος, *immorsus*; hoc est, qui non est morsus. Ego vero contra *immorsus* sic accipio, ut *admorsus, demorsus*, pro eo qui morsus est. Statius Theb. II, 628. ubi Chromis quidam

Dum clamat, subit ore cavo Theumessia cornus,
Nec prohibent fauces — transmissa morte per artus
Labitur, immorsaque *cadens obmutuit hasta*.

Ubi, ut hic apud Nostrum, *immorsa* habet vetus codex Collegii Petrensis. Propertius III, 6. v. 2.

Immor-

Digitized by Google

Immorſo *aequales videant mea vulnera collo;*
Me doctat livor mecum habuiſſe meam.

Ita ex conjectura dederunt viri & eruditione & ingenio praeſtantes Nic. Heinſius & Janus Broukhuſius; cum in vulgatis ſit *In morſo*, diviſo, ut hic, vocabulo. Quid ergo hinc extundemus? profecto levi mutatione ſic ſatis commode conſtitui locus poterit;

perna magis ac magis hillis
Flagitat inmorſis *refici.*

perna ac hillis immorſis, hoc eſt, admorſis, commanducatis, deguſtatis: quippe, *mordere*, etſi id rarius, eſt ubi *mandere & comedere* ſignificat. Juvenalis Sat. VI, 301. [mordet.

Grandia quae mediis jam noctibus oſtrea

IV, 142. *Circeis nata forent, an*
Lucrinum ad ſaxum Rutupinove edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu.

Sed quid opus eſt ulla mutatione? ſine dubio ſincera lectio eſt, quam diſerte exhibent manuſcripti, *perna magis ac magis hillis*.

Flagitat INMORSUS *refici.*

Stomachus flagitat refici *immorſus perna & hillis*, aliiſque id genus ſalſis cibis atque acribus, qui *in popinis* ſcilicet vendi ſolent; ut praeter Noſtrum Martialis I, 41.

Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis coquus popinis.

Immorſus hic eſt *vellicatus, excitatus, punctus, pervulſus.* Acria enim & ſalſa *mordere* dicuntur Latinis, ut Graecis *δάκνειν*: inde *mordax acetum* Perſio, *δακνώδης, δηκτικὸν*, Sat. V, 86.

Stoicus hic aurem mordaci *lotus* aceto.

Martialis VII, 24,

Nec cibus ipſe juvat morſu *fraudatus* aceti.

Plinius Hiſt. XII, 25. *Balſami ſemen*, mordens *guſtu, fervenſque in ore.* & ibid. 19. *Caſia lento tepore leniter* mordens. XV, 29. *Folia myrti, leniter* mordaci *pulvere.* XXVII, 13. *Radix ſmyrnii guſtu acri* mordet. XXI, 18. *Odoratus juncus, vinoſae* mordacitatis *ad linguam.* Et ſic alibi ſaepe. Ergo hoc vult Catii magiſter, Marcentem & reſolutum ſtomachum eo pacto optime reſici, ſi cibis acribus *immorſus* & vellicatus fuerit; quales Serm. II, 8. Naſidienus ille in eodem, ut videtur, ludo edoctus appoſuit;

acria circum
Rapula, lactucae, radices, qualia laſſum
Pervellunt ſtomachum, *ſiſer, allec, faecula Coa.*

Ibid. v. 61. QUIN OMNIA MALIT] Rectius codex Galeanus & unus Berſmanni;

Flagitat immorſus refici: quin omnia MAVULT.

Flagitat & *mavult*, eodem modo efferri debent. Ita Serm. I, 4. v. 30.

Hic mutat *merces ſurgente a ſole, ad eum quo*
Veſpertina tepet regio: quin *per mala praeceps*
Fertur, *uti pulvis collectus turbine.*

Carm. II, 13. *& intorti capillis*
Eumenidum recreantur *angues*:
Quin & Prometheus & Pelopis parens
Dulci laborem decipitur *ſono.*

Et alibi paſſim, cum apud hunc, tum apud alios.

v. 62. QUAECUNQUE IMMUNDIS FERVENT ALLATA POPINIS] Cruquii codices, uti affirmat, omnes *in mundis* quibus ipſe aſſentitur. Ita & noſtri unus & alter ex deterioribus: ceteri uno verbo *inmundis*, ex priſca orthographiae ratione, ut paullo ante *immorſus*. *Immunda popina* perpetuo epitheto, ut Martiali *nigra* VII, 60.

Occupat aut totas nigra popina *vias.*

Porro, ait Lambinus, *quidam libri excuſi habent* illata (ita editio Simonis Colinaei) *qua ex ſcriptura ſuſpicatus ſum aliquando legendum* illota. *Sed codices omnes* allata, *quos ſequor.* Unde nuper vir eruditus etiam in contexta dedit *illota*; quippe, ait, *auctore Lambino, alii codices* illata, *alii* illota *habent.* Vide, incuria & feſtinatio quid facit. Conjectura mera, ipſi quoque auctori ſpreta & repudiata, jam pro codicum ſcriptorum lectione venditatur. Quorſum autem *illota*? an *ferventia* tomacula, & jam convivis ponenda, lavari debuerunt poſtea? Nullus quidem ex noſtris codicibus aut *illata* aut *illota*; unus & alter ex vilioribus *ablata*, ceteri cum editionibus ALLATA habent; quod rectiſſimum eſt. *Fervent allata*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, *ferventia afferuntur*, a coquis ſcilicet vel miniſtris. Noſter Serm. II, 8. v. 42.

Affertur *ſquillas inter muraena natantes.*
& v. 86. *diſcerpta* ferentes
Membra gruis.

Martialis, loco jam ante laudato, I, 41.

Quod fumantia *qui tomacla raucus*
Circumfert *tepidis coquus popinis.*

Petronius in Cena Trimalchionis: Adlata *eſt tum guſtatio valde lauta.* & mox, *Guſtantibus adhuc nobis, repoſitorium* adlatum *eſt cum corbe.* Et iterum, *Statim* adlatae *ſunt amphorae vitreae diligenter gypſatae.*

v. 65. QUOD PINGUI MISCERE MERO] Locus intricatus & molteſtus:

Eſt operae pretium duplicis cognoſcere juris
Naturam. Simplex e dulci conſtat olivo:
Quod pingui miſcere mero muriaque decebit,
Non alia, quam qua Byzantia putruit orca.

Digitized by Google

Ubi principio, ſunt qui longe melius, mutatis hinc & hinc partibus, *pingui olivo* & *dulci mero* dictum fore putent; ut aut ſic legendum fuerit, *ſimplex e* pingui *conſtat olivo*:

Quod dulci *miſcere mero muriaque decebit*; aut conſulto poëta ſic prave locutus ſit, quo Catium magis deridendum lectori propinet. Ita ſane *pingue oleum* & *pinguis olivi* Virgilius; *dulci vino* & *dulci mero* Noſter alibi dixit. Haec quidem illi: in quibus, ut plerumque alias, judicium magis quam eruditionem deſideres. Quippe illud hic non vident, *oleum pingue* & *merum dulce* generalia & perpetua epitheta eſſe, & idcirco huic Catii orationi, qua juris compoſitionem tradit, inepta prorſus & aliena. Quid enim attinet *pingue olivum* praeſcribere, cum omne oleum pingue ſit? aut *dulce merum*, cum merum quodcumque eo nomine vocent poëtae, *amara curarum eluere efficax*? Quod ſi merum *dulce*, non cum poëtis, ſed cum medicis & rei ruſticae ſcriptoribus, *auſtero* hic opponas: tamen vel ſic, ambiguum eſſet praeceptum; quot enim & quam diverſa meri dulcis genera ſunt? Satius ergo eſt receptam omnium codicum lectionem ſequi,

ſimplex e dulci conſtat olivo:

hoc eſt, non rancido, non foetido: ut in ſimplici jure munditiem, in compoſito artem & ſapientiam praeceptor hic oſtentet. Iſta vero quae ſequuntur,

Quod pingui miſcere mero muriaque decebit,

crucem ſane figunt interpretibus. Quodnam enim eſt *pingue merum*? Porphyrioni *mulſum* eſt. At quî, quaeſo, fieri poteſt, ut idem & *merum* ſit & *mulſum*; & ἄκρατον & μελίκρατον; & nulla re mixtum, & melle temperatum? Hoc abſurdiſſimum eſt: unde ſunt qui pro mulſo *muſtum* apud Scholiaſtem reponunt: idque jure factum eſſe videatur: muſtum enim *pingue* dicitur. Tibullus I, 1.

Nec ſpes deſtituat, ſed frugum ſemper acervos
Praebeat, & pleno pinguia muſta *lacu.*

Columella libro X, ipſo fine:

Ferveat ut lacus, & multo completa Falerno
Exſudent pingui *ſpumantia dolia* muſto.

Itaque, ſi hoc voluit Noſter, recte utique dixiſſet,

Quod pingui muſto & muria miſcere decebit.

Verum aliud longe eſt *pingue muſtum* dicere, aliud *pingue merum* pro muſto ponere: illud elegans & poëticum; hoc putidum, κακόζηλον, & Horatio prorſus indignum. An *pingue* ergo *merum* cum Lambino & Torrentio interpretabimur *craſſum, non defaecatum, non ſaeco colatum*? An potius *pingue* hic opponetur *tenui*? Celſus I. 6. *Numquam vinum ſalſum bibere expedit, ne* tenue *quidem, aut dulce: ſed auſterum, &* plenius, *neque id ipſum pervetus.* Idem itaque fortaſſis erit *pingue* vinum, quod *plenum*. Iterum Celſus II, 18. *Id vinum, quod paucorum annorum, vel auſterum, vel* pingue *eſt, in media materia eſt.* Ita edidit eruditiſſimus Lindenius: Romſaeus in contextu *Lene* dederat, *pingue* ad marginem ablegaverat. Habemus igitur *merum pingue*: ſed haeret hic nihilominus aqua: quo enim referemus illud *Quod*?

Eſt operae pretium duplicis cognoſcere juris
Naturam. Simplex e dulci conſtat olivo:

Quod *pingui miſcere mero muriaque decebit.*

Quod jus hic accipiemus, an *quod olivum*? Prius placuit Torrentio; qui, ut conſtructio apertior fiat, verba illa (*ſimplex e dulci conſtat olivo*) parentheſi includi velit. Bene ſane: ſed nullis parentheſeos hamis aut uncis (qui in veteribus membranis nuſquam comparent) id clarum aut elegans efficietur; quod vel ſine illis nativam perſpicuitatem nitoremque non habeat. Recentiorum haec inventa ſunt, & utiliter ſane excogitata: ſed non ut quovis in loco cuicumque ulceri ſanando efficaciter adhiberi queunt. Sane illud *quod* nullis machinis aut technis divelli poteſt ab *olivo*: & non leviter peccavit Horatius, ſi, his verbis interjectis, *jus* ſuum jam frigidum & ἴαμβον huc transferre voluit. Ergo alii, *ut* ſane ordo & conſtructio flagitat, *quod olivum* hic intelligunt, atque ad *jus duplex* cendiendum, *oleum* hic mero muriaque miſcendum praeſcribi volunt. Sed illud interea non animadvertunt, non hic, ſed verſu abhinc quarto, *oleum* in hanc mixturam venire;

inſuper addes
Preſſa Venafranae quod bacca remiſit olivae.

Jus quidem hoc mixtum erat *vino, muria, ſectis herbis, croco, & oleo*: ut Naſidieni illud non abſimile, *oleo, garo, vino, pipere, & aceto.* At certe eidem juri bis oleum praeſcribi & ingeri, abſurdiſſimum eſt. Quid ergo? videamus, an codices aliqui ſuppetias nobis adveniant. Liber Collegii Trinitatis CUM PINGUI habet; ſed ille mendis ubique ſcatet, neque is eſt, cui confidere poſſis. Simeo Boſius, vir tam ingenio, quam doctrina praeſtans, in antiquo ſuo invenit, AT PINGUE IMMISCERE: unde ſic locum conſtituit,

Quod pingue immiſcere *mero muriaeque decebit*: &

Digitized by Google

& *pingue* interpretatus est *jus duplex*. Nihil vidi deterius. Profecto ipsa codicis lectio longe potior est emendatione Bosii: tollit enim scrupulum istum *Quod*, qui jam diu nos male habuit. Sed in eo utraque vitiosa est, quod jus illud compositum *pingue* appellat. Qui, malum, *pingue?* cum *simplex* eo longe sit pinguius, utpote ex solo olivo constans: alterum, quod mero & muria miscetur, eo macrius profecto & minus unctum sit. Ne multis morer (jam enim tempus est, ut suspiciones meas proferam) *jus* illud, cui nomen *duplici* male indiderunt Interpretes, *quintuplex* potius dicendum erat; utpote quinque rebus constans, oleo, vino, muria, herbis, & croco. Quorsum enim *duplex?* Equidem *duplicis juris naturam* non sic interpretor, quasi jus aliquod *duplex* hic vocetur; sed *duorum juriurn* naturam, quorum alterum *simplex*, alterum *mixtum* sit. Simplex solo oleo, mixtum variis rebus constet. Ergo sic fortasse reponendum fuerit, vocula ex Bosii codice petita;

simplex e dulci constat olivo.

AT *pingui miscere mero muriaque decebit.* Hoc certe Librarios fefellit, & interpolatoribus ansam dedit, quod nesciebant *miscere* absolute hic positum esse; ut κεράσαι passim apud Graecos. Juvenal. V. v. 65.

nescit tot millibus emptus
Pauperibus miscere *puer.*

Miscere igitur perinde est ac *miscere jus, jus mixtum facere:* ut Serm. II, 8. v. 40.

His mixtum jus *est; oleo, quod prima Venafri* &c.

Atque haec quidem lectio, quae tota in membranis extat, vulgatae longe antecellere videtur. Veruntamen, cum tot & tam vetusti codices in vocabulo *Quod* consentiant, neque de Bosiani libri bonitate quidquam mihi aliunde compertum sit; equidem altius mendum latere suspicor, a literarum similitudine ortum, & pro *quod pingui* Horatium *quinquenni* dedisse:

QUINQUENNI *miscere mero muriaq; decebit:*

ut infra in Nasidieni cena,

His mixtum jus *est; oleo, quod prima Venafri*
Misit cella; garo de succis piscis Iberi;

Vino quinquenni, *verum citra mare nato.* Certe ubi semel Librariis persuasum erat, τὸ *miscere* casum accusativum post se requirere; nihil propius erat, quam ut *quinquenni* in *quod pingui* commutarent. Quamobrem omnes rogatos velim, quibus codicum vetustorum copia est, ut in hoc loco aliisque pariter suspectis videant, annon aliud olim fuerit a primo scriptore, aliud nunc post rasuram vel lituram ab altera manu feratur; idque inventum in commune conferant. Auguror enim, neque id opinor vane, multa post cineres nostros in codicibus repertum iri, quae nos nunc sola, sed non socordi, conjectura indagavimus.

v. 66. QUAM QUA BYZANTIA PUTRUIT ORCA] Illud *putruit* in tribus priscis editionibus habetur, & Lambino patrocinante, adhuc fere in recentioribus obtinet. *Orcam* igitur hic *piscem* interpretatur, & quidem *thynnum*: nihil pejus potuit. *Orcynus* quidem thynni species est; sed *orca* est bellua ingens balaenis fere par, & in pugna superior: (vide Plinium IX, 6.) quae, cum in Oceano se contineat, ac rarissime in mari mediterraneo visatur, unde nobis *Byzantia* dicta? Quis porro ex tali bellua *muriam* fieri memoravit? Sed condonemus ei haec omnia; esto *orca*, quam velit: quis eum docuit, pisces *in muria putrescere?* enimvero ea de causa in muria condiuntur, ne computrescant. Quod si forte ibi putruerint; jam muria nulli usui est, nedum ut Catii magistro tam eleganti homini placere possit. Scio equidem putrescentium piscium pretiosam saniem *muriam* quandoque dici, ut saepius *garum*; atque hoc ipso Flacci loco sic accipi debere: nemo tamen eo sensu sic loqueretur, *Muria, quâ piscis putruit* (quomodo enim in ea putrescat, in quam numquam positus est?) sed potius *quam putruit*, quam computrescens & liquefactus exhibuit. Vides jam, quot & quanta incommoda lectionem hanc sequantur; quamque indigne ferendum sit tam diu eam circumlatam esse: praesertim cum jam olim Cruquius Torrentiusque veram scripturam ex suis dederint, rectèque interpretati sint: *muriaque decebit*

Non alia, quam qua Byzantia PUTUIT *orca.* Ita etiam nostri codices fere omnes. Ubi *orca* notat vas, testam, in qua salsamenta, garum, muria servabantur; ab Ορχη verbo Aeolico, ut pleraque Latinorum nomina ex ea dialecto ducuntur. Suidas & alii, Ορχαι, κεράμινα ἀγγεῖα, ποτήρια πήλινα, *vasa fictilia, quibus salsamenta reconduntur.* Persius Sat. III, 76.

Maenaque *quod prima nondum defecerit* orca.

Haec quidem nota sunt: sed & hic erant attingenda. Orca autem *Byzantia*, est Byzantio advecta; quia Thynni pisces, unde muria confici solebat, ibi optimi erant. Archestratus apud Athenaeum VII, 14. de Thynno;

Digitized by Google

Εστ ὁ θυνιαῖος BYZANTIΩ ἴσπι καρύσσω.
& iterum.

Καὶ θύννης ὠραῖον ἔχειν, ἣν θυννίδα φωνῶ
Τὴν μεγάλην, ἧς μητρόπολις BYZAN-

& Antiphanes ibidem: [TION ἐστι.

Τῆς πελτίσης μεσαῖον θυννίδος BYZANTIAS
Τέμαχος ἐν πύτλῃ λαχιστῇς κρύπτεται σταγάσμασι.

& idem apud eundem, III, 32.

BYZANTIAS ὁ θυννίδος ὀσμαῖσι χαίρει.

Jam autem *muriam* ex Thynnorum ſanie fieri, & in teſtis ſive orcis recondi, res notiſſima eſt. Martialis XIII, 103. MURIA.

Antipolitavi fateor ſum filia Thynni;
Eſſem ſi Scombri, non tibi miſſa forem.

& IV, 89.

Antipolitani nec quae de ſanguine Thynni
Teſta *rubet, nec quae coctana parva geris.*

Quin & non *Thynnis* duntaxat, ſed & *Scombris* etiam nobilitatum erat Byzantium: ibi enim omnium piſcium captura erat, qui in Pontum quotannis intrabant. Plinius IX, 15. *Cum* thynnis *amia & pelamides in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim cum ſuis quaeque ducibus, & primi omnium* SCOMBRI. Heſiodus, vel alius potius apud Athenaeum III, 30.

Θύννων δ' ὠραίων BYZANTION ἔπλεθ' ὅμιλος,
Καὶ ΣΚΟΜΒΡΩΝ βυθίωνπ.

Ut fortaſſe nobilior illa Scombrorum ſanies, non Thynnorum hic intelligatur. Utcumque tamen hoc ſit, iterum vides curioſam gulam praeceptoris Catiani, qui noluit *muriam* de propinquo ex Antipoli petitam, ſed a diſſito loco vel a Byzantio uſque. Jam autem, quod reſtat, garum & muriam graviter olere & *putere* quis neſcit? magiſque adeo vaſa, in quibus ſervantur? Unde Perſius III, 72.

nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu.

Ergo plana jam ſunt omnia; *Muria*, inquit, *utendum eſt, qua orca Byzantia*, ſive teſta a Byzantio per mercatores allata, *putuit*. Ceterum dolco virum eruditum in nupera ſua editione ſic perperam exhibuiſſe,

Non alia, quam quae Byzantiâ putuit orcâ.

Qua enim, non *quae*, habent omnes ſcripti melioris notae. Quid autem in hac lectione boni eſt, quod non in recepta longe melius ſit? Certe *orca putere* multo honeſtius dicitur, quam ipſa *muria* in jus ingerenda. Tum autem diva illa *Synaereſis*, verſui foede claudicanti e machina ſubveniens, in malam rem ire & ſuas ſibi res habere poſſit: neque enim ullum hic ulcus eſt, quod tam deformem medicinam poſtulet.

v. 78. MAGNA MOVENT STOMACHO FASTIDIA] Sic veteres editiones: neque Cruquius Lambinuſve quicquam diverſi ex codicibus ſuis proferunt. At Torrentius in quinque ſuorum MOVET reperit: idque recte vulgatae lectioni praetulit, & poſt eum doctiſſimus Baxterus. Equidem in ſex meis idem inveni, Galeano, Petrenſi, Batteliano, Vigornienſi, Societatis Regiae, & Collegii Trinitatis: quae ſine dubio melior ſcriptura eſt. [*puer* &c.

Magna MOVET *ſtomacho faſtidia, ſeu Movet* hic abſolute & impersonaliter poſitum eſt; vide Nos ad Serm. I, 10. v. 78. Et praeterea, cum *ſeu* & *ſive* disjunctiva ſint; ſingularem utique numerum, non pluralem, hic requirunt.

v. 87. NEQUEUNT CONTINGERE MENSIS] Editiones quidem priſcae, *nequeunt*. Lambinus & Cruquius *nequeams* in contextu dederunt, codices ſuos ſecuti. Ego quoque in optimo Reginenſi & quattuor aliis idem reperi: idque placet. *Nequeant*, ut prius *habeant*.

v. 90. NAM QUAMVIS REFERAS MEMORI MIHI PECTORE CUNCTA] *Itaſine*: quia in primis editionibus ſic ſemel *obtinuit*, nemo omnium de loco ſuo hoc movere vel cogitavit, vel ſuſtinuit. Atqui in omnibus tam Berſmanni, quam noſtris codicibus (adde, ſi vis, & aliorum, qui hic tacent) alio ordine verba collocantur,

Nam quamvis memori referas *mihi pectore cuncta.*

Quin & eodem modo haec citat Priſcianus p. 772. atque ibi ſic exhibent quattuor Priſciani exemplaria manuſcripta, quae conſulendi mihi copia erat. Ceterum, qui hanc lectionem vulgata elegantiorem eſſe non ſtatim perſentiſcit; is, moneo, ut poëtarum ſcripta diligentius legat: hoſpes enim jam in iis ſit neceſſe eſt.

ECLO-

Digitized by Google

ECLOGA V.

V. 3. JAMNE DOLOSO NON SATIS EST ITHACAM REVEHI] Ita editiones; & membranae fere omnes. *Non satis est* tibi *doloso?* Ut Serm. I, 2. v. 59. *An* tibi *abunde personam* satis est *evitare?* & I, 4. v. 16. *Mi satis est.* Ergo hic dativus *doloso* satis commode stare potest. Mirifice tamen placet Danielis Heinsii conjectura: *Scribe*, inquit, Dolose; *ut lepidissime illi alteri respondeat*, *O nulli quicquam mentite.* Recte quidem, siquid judico: & ita clare habet codex Petrensis, *dolose*; alterum autem illud *doloso* pro varia lectione. *jamne*, DOLOSE

Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates

Aspicere? O nulli quicquam mentite, vides &c. Alter alterum, ut vides, vocativo casu compellat. *Non satis est* absolute ponitur, sine dativo sequente; ut saepe alias. Noster Serm. I, 10. v. 97.

Non ego: *nam satis est, equitem mihi plaudere.* Terent. Phorm. V, 6. v. 17.

Satin' est, si te delibutum gaudio reddo?

V. 38. FI COGNITOR IPSE: PERSTA ATQUE OBDURA] Quinam sit *cognitor*, vide hic apud Interpretes, & acutissimum Gronovium patrem de Pecunia veterum. Ceterum pro *Fi* editio Veneta princeps *Si*; altera & Loscheriana *Sis*, unde in sequentes editiones propagatum est. Sed recte Lambinus Cruquiusque ex membranis dederunt, FI *cognitor*: atque ita ex nostris Leidensis, Zuschemianus, Battelianus & Magdalenensis. Sic Livius XXXIX, 5. *Alienarum vero simultatum tribunum plebis* cognitorem fieri, *turpe.* Quintilianus Instit. III, 8. *Non licet tibi agere mecum*; cognitor *enim* fieri *non potuisti.* Cicero pro Q. Roscio Comoedo, c. 18. *Qui per se litem contestatur, sibi soli petit: alteri nemo potest, nisi qui* cognitor *est* factus. —— *Quod si quisquam petere potest alteri, qui* cognitor *non est* factus —— *Tu in eam litem Roscii* cognitor *sis* factus. —— *Quoniam tuus* cognitor *non est* factus. Idem in Verrem II, 43. *Invenire neminem Siculum potuit, qui pro se* cognitor fieret? —— *Cedo, cui Siculo, cum is reus fieret, civis Romanus* cognitor factus *umquam sit.* Porro elegantius, opinor, veriusque sic verba interpunxeris:

Pelliculam curare jube: fi cognitor: ipse
Persta atque obdura.

Illum locupletem reum jube ire domum, & genio indulgere: ipse vero perfer & obdura, nec frigus neque aestum flocci faciens.

V. 40. SEU RUBRA CANICULA FINDET INFANTES STATUAS] Statuas *infantes* tam veteres quam novi Interpretes *mutas, quae fari non possint*, hic intelligunt. Sane ita Noster Epist. II, 2. v. 83. *Statua taciturnius.* & Serm. I, 6. v. 57. [*fari.*

Infans *namque* pudor *prohibebat plura pro-*
Ita Cicero *infans*, pro infacundo, indisserto; *Scipionem accepimus non* infantem *fuisse. Nihil accusatore Lentulo* infantius. *Si nihil dixissem, ne* infantissimus *existimarer.* Haec quidem recte habent: sed quid tum postea? an quia homo stupidus & elinguis *statuâ infantior* vel taciturnior recte dicitur; idcirco & ipsae statuae *infantes* dicentur? credo, quia hae statuae magis mutae erant, quam aliae: & cum ceterae magna voce opem Quiritium implorarent contra aestum caniculae, hae mutae & elingues impune findebantur. Sensit hanc absurditatem celeberrimus Dacerius; & hoc a poëta quodam sumtum comminiscitur, quem Horatius derideat. Sed unde hoc ei compertum? quibus signis & indiciis? Certe illud quod sequitur, *conspuit Alpes*, palam Noster ascribit Furio Bibaculo: hoc, cum adeo recte & occulte nescio cui surripiat, *incipit esse suum.* Quam vellem, non a Poëta sumtum diceretur, sed a poëtria, cui nomen *Canicula*: scilicet ut eodem jure haec *infantes statuas findere* dicatur, quo Furius *Alpes conspuere.* Sed misso joco, equidem Dacerii suspicionem tutari malim, quam frigidum eorum commentum, qui *mutos Caussidicos* perstringi hic existimant. Certe obmutescere multo satius est, quam talia proferre. Quid ergo? Ut homo recens natus *infans* dicitur, ita statuae recentes, novellae, nuper factae, nuper natae, eleganter *infantes* appellantur: eoque magis, quia forma sunt humana:

seu rubra canicula findet
Infantes statuas:

ligneas intellige, quae aestivo calore rimas plerumque agunt & finduntur, praesertim recente & viridi materia. Etsi & *aereas* hic accipere poteris cum Servio, qui ad illa Virgilii Georg. III, 363. *Aeraque dissiliunt vulgo*, haec habet: *Passim crepant; nam tam nimio frigore*,

Digitized by Google

frigore, quam calore aera rumpuntur: Perſius, FINDIT INFANTES STATUAS. Hunc ipſum locum reſpexit, etſi vel memoriae vel Librarii culpa Perſius pro Horatio auctor citetur. *Infans ſtatua*, ut Plinio *infans boletus* lib. XXII. c. 22. *Nec tunicae minor gratia in cibo infantis boleti.* Ovidius Faſt. VI, 145.

Pectoraque exſorbent avidis infantia linguis.

& alibi, *infantia ora, infantia guttura, infantes umbras.* Vide Nic. Heinſium ad Heroid. XI, 86. Ceterum, poſtquam haec ſcripſiſſem, didici etiam ante me virum ſummum Franciſcum Junium, in libro de Pictura veterum p. 284. recte hic *infantes ſtatuas* pro novellis accepiſſe.

V. 59. QUICQUID DICAM, AUT ERIT AUT NON] Torrentii codices, ut ipſe ait, meliores DICO habent: noſtri omnes cum editionibus priſcis, DICAM. Neque aliter hunc locum citat Priſcianus p. 730, etiam in tribus, quos conſului, ſcriptis. Boët. Conſol. V, 3. *Quae haec eſt praeſcientia, quae nihil certum, nihil ſtabile comprehendit? aut quid hoc refert* (lege, *differt*) *vaticinio illo ridiculo Tireſiae, Quicquid* dicam, *aut erit, aut non?* Ceterum, ut hoc obiter dicam, recte hujus loci ſententiam cepit Boëtius: & ipſi ſe deridendos praebent, qui nihil ridiculi his verbis ineſſe volunt. Tamen in his magna nomina habes, Turnebos, Torrentios, Marcilios, alioſque. Neque vero novum hoc eſt recentiorum acumen; ſed & in codicum veterum marginibus haec legimus adſcripta: *Quicquid dicam, aut erit, ſi dixero fore; aut non, ſi dixero non fore. Quicquid dicam futurum, erit; quicquid dicam non futurum, non erit.* Atqui, ô boni, nullis umquam fidiculis hanc ſententiam ex verbis auctoris extorquebitis. Nihil ex iis extundi poteſt, praeterquam hoc: *quicquid dicam, aut eveniet, aut non eveniet.* Itaque deridet Noſter & tollit omnem divinationem, utpote Epicureus. Facetum autem eſt, & Schema, ut Grammatici vocant, παρὰ προσδοκίαν, *praeter expectationem*, tanto apparatu nihil dicere:

O Laërtiade, quicquid dicam, aut erit, aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

Quale illud Plauti, ſed multo minus lepidum, in prologo Captivorum:

Hos quos videtis ſtare hic captivos duos,
Illi qui aſtant, hi ſtant ambo, non ſedent:
Vos vos mihi teſtes eſtis me verum loqui.

Contra, ſi ex illorum ſententia verba enarrantur, nihil frigidius, aut propoſito minus conducens excogitari poteſt. Porro in codice Reginenſi & illo Regiae Societatis, non *magnus mihi* habetur, ſed *mihi magnus*: unde ſuſpicetur quis τὸ *mihi*, cum locum certum non ſit nactus, ſpurium eſſe & ex gloſſa petitum: atque adeo legendum eſſe cum codice Collegii Trinitatis, etſi is notae ſit non optimae,

Divinare etenim magnus DONAVIT *Apollo.*

Certe jam olim divinationis munus permanens & perpetuum ei donaverat vel Phoebus, vel, ut alii, Minerva, vel, ut alii denique, Juppiter: at ſi *donat* admittis, jam tum Phoebi numine afflatum & novo allapſu entheum intelliges.

V. 76. PENELOPEN FACILIS POTIORI TRADE] Editiones quidem veteres *Penelopen*, idque nunc paſſim obtinet. At Lambinus Cruquiuſque, ex codicibus, opinor, dederunt PENELOPAM; in annotationibus tacent. Noſtri ſane Reginenſis & Franckeranus Latina terminatione *Penelopam* exhibent: eaque vera lectio eſt. Nempe in Carminibus, ubi Alcaeum & Sappho imitatur, graeciſſat magis; in Sermonibus, ubi Lucilium ſequitur, Latinus eſt. Vide nos ad Epod. XVII. v. 17. Sic Epiſt. I, 2. v. 23. & 28.

Sirenum voces, & Circae pocula noſti.

Sponſi Penelopae, *nebulones, Alcinoique.*

ut ibi habent codices meliores. Plautus Sticho I, 1.

Credo ego miſeram fuiſſe Penelopam:

Lucilius in VII, apud Priſcianum p. 864.

ad Penelopam *converſus ait ſic;*
Nupturum te nupta negas, quia vivere Ulixen
Speras. Auſonius Epiſt. IX.
Qualem Penelopae *nebulonum menſa procorum.*

Porro & verſu mox 81, *Sic tibi* Penelope *frugi eſt*, & Lambini Cruquiique editiones, & noſtri codices habent, inflexione Graeca. At eodem exemplo *Penelopa* ibi poſuit Horatius, quo antea *Penelopam.* Syllaba autem ſuſtentatur, cum caeſurae virtute, tum ob duas, quae ſtatim eam excipiunt, conſonantes. Quod cum Librarii neſcirent; mirum foret, ni verbum interpolaviſſent. Seneca Epiſt. LXXXVIII. *Quid quaeris, an* Penelopa *impudica fuerit, & verba ſuo ſaeculo dederit?*

V. 79. VENIT ENIM MAGNUM DONANDI PARCA JUVENTUS] Sic ſane habent omnes, quos noverim, ſcripti editique. Et nimium quidem patienter hoc admittunt Interpretes, more ſuo, ubi nihil in codicibus

variae

Digitized by Google

variae lectionis est. Neque posthac opinor deerunt, alii qui excusabunt, alii qui defendent & admirabuntur. Equidem *magnum donandi*, si alio comitatu veniret, libens admitterem: ut Propert. II, 8. [daturus.

Quamvis magna daret, *quamvis* majora & Pers. Sat. V. v. 66. *quid quasi* magnum,

Nempe diem donas?

At illud totum *parca donandi magnum* vix possum a me impetrare, ut a Venusino nostro profectum esse credam. Quippe res contrarias in unam sententiam conglomerat, & κλαῦθί quod aiunt τὰ ἀσύγκλωστα, parsimoniam & prodigentiam. *Parcus donandi magnum* perinde est ac si dixeris, *parcus largitatis, garrulitatis modicus*, aliaque ejusmodi, quae ipsa secum pugnant, & mutuo se tollunt. Mihi quidem non vana, credo, suspicio est τὸ *magnum* in mendo cubare. & *parca donandi* absolute hic poni; ut apud Lampridium in Alexandro cap. XXXVII, *Spectacula frequentavit cum summâ* DONANDI PARSIMONIA. Hoc semel posito fundamento, videamus siquid huc auxilii ex conjectura peti possit. Elegans sane & concinna, ac Tanaquillo Fabro judice *admirabilis* est Simeonis Bosii emendatio, quam cum Lambino is communicavit,

Venit enim MAGNO: *donandi parca juventus:*

Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinae.

Venis magno tua Penelope, hoc est, magno se emi postulat: illi vero parci & sordidi, ac ventri magis quam Veneri studentes: casta est itaque, quia nemo eam pretio suo praestinavit. Certe vel a dissentientibus laudem meretur haec egregii viri conjectura: mihi tamen, ut quod sentio dicam, ingeniosior videtur quam verior. Principio enim, nimium sane & pernimium sali nigro indulsit Noster, si pro Penelopa Thaidem quandam aut Bacchidem nobis depinxit. Non omnia vel ipsi Satirae licent. Hactenus quidem fas erat, Castam eam nunc esse, adeo tamen ut ingentibus muneribus expugnari tandem possit ejus pudicitia: hoc scilicet mulieris est: at illud *venire* &, licet quamplurimo, venalem se habere, meretricis est plane, & quidem procacis. Hoc igitur vult Tiresias, *perduci* demum posse Penelopam, si donis usque & usque cumuletur: at ultro se *venalem* prostituere, atque adeo quaestum meretricium sponte occipere, quis ea calumniantem ferat? Illud quoque in hac conjectura displicet, quod verba ea, *Donandi parca juventus*, absolute jam posita, non procos illos nebulones qui ad Penelopam accesserant, sed omnem omnino juventutem significare debent. Ergo hoc nunc dicit, *Omnes juvenes donandi parcos esse, & culinae quam Veneris studiosiores*: quorum utrumque falsissimum esse Comoedia omnis clamitat. Noster ipse in charactere Juvenis. Art. Poët. v. 164.

Utilium tardus provisor, prodigus aeris,

Sublimis, cupidusque, *& amata relinquere*

Aristoteles Rhetor. II, 12. [pernix.

Οἱ μὲν οὖν νέοι, τὸ ἦθος εἰσὶν ἐπιθυμητικοί· καὶ πρὸς τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν, μάλιστα ἀκολαστητικοί εἰσι περὶ (lege τῇ) περὶ τὰ ἀφροδίσια, καὶ ἀκρατεῖς πρὸς. *Juvenes*, ait, *rebus Veneris maxime sunt dediti, & in iis intemperantes.* Denique & illud *venis*, a *Venio*, aptissimum huic loco vocabulum, non pati possum, ut ad alteram significationem detorqueatur. *Venerunt*, ait, *proci*; ut Terentius, *amans accessit*, Andria I, 1.

Sed postquam amans accessit, *pretiū pollicens.*

Sic *commeare ad mulierem* idem Heaut. III, 1. v. 35.

Primum olim potius quam paterere filium
Commeare *ad mulierculam, quae paullulo*
Tum erat contenta.

ubi versum claudicantem, qui tot viros doctissimos frustra exercitos habuit, sic levi manu obiter sanare, erit parvae opellae pretium: lego enim,

Commétare *ad mulierculam, quae paullulo.*

Commēto est verbum frequentativum a *commeo: commeo, commēito*, ut jacto jactito, dicto dictito & similia, & deinde per crasin *commēto*. Plautus Captivis I, 2. v. 82.

Nam meus scrupōsam vīctus commetat *viam*,

Ita codex vetustissimus Camerarii cum aliis Palatinis apud Paraeum. Vulgo *commeat* (ut hic apud Terentium) perperam: raro enim aut nusquam in sede quinta Jambum pedem usurpant Comici Latini. Nonius Marcellus: COMMETARE, *commeare*: *Afranius Virgine:*

Quo tu commētas? *ubi confixus desides?*

Novius Bubulco eerdone:

Quum ad lupam nostram tam multi crebro
commētant *lupi.*

Sed haec pluribus, si a majoribus negotiis otium erit, ad ipsum Terentium: illud animadvertas velim, loca illa Afranii & Nonii appositе ad Horatium facere: ibi enim *commetant* ad mulierem amatores, plane ut apud Nostrum *veniunt*. Quid ergo? Quamquam periculosa alea est post Bosii emendationem quicquam tentare;

Digitized by Google

vide annon haec noſtra jure non reformidet ſe illi comparari:

Venit enim (INDIGNUM) *donandi parca juventus.*

Nec tantum Veneris, quantum ſtudioſa culinae.

Tireſias ſcilicet male falſus haec loquitur, quaſi & Penelopae & Ulixei vicem indignabundus: Quid tu mihi *frugi & pudicam* narras? quippe *venerunt* ad eam neſcio qui nebulones & ventres meri, culinae magis nidore quam amoris aura concitati, qui neſciunt donare & profundere, ut veri amatores ſolent: facinus hercle *indignum*: nam ſi alii veniſſent, ad largiendum alacres & potentes; jam abſens ex uxoris quaeſtu dives factus eſſes, & rem tuam conſtabiliviſſes; hi contra, tantum abeſt ut donent, ut ipſi aſymboli tua comedant: quid mirum autem, ſi inter tales pudica eſt? Sed bono eſto animo: tu domum redux locupletes & ſcortatores ſenes conquire; quorum unum ineſcatum ſi ſemel uxor emunxerit, numquam poſtea illius praedae oblivifcetur. Haec quidem ſententia totius Sermonis filo videtur aptiſſima: verbum autem ita appoſitum, ut nihil magis. Sic Noſter Epiſt. I, 6. v. 22.

Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus, & (INDIGNUM) qui ſit pejoribus ortus,
Hic tibi ſit potius, quam tu mirabilis illi.

Ovidius Amorum I, 6.

Janitor (INDIGNUM) *dura religate catena,*
Difficilem moto cardine pande forem.

& Metam. V. v. 37.

Pectora rupiſſet: niſi poſt altaria Phineus
Iſſet: & (INDIGNUM) ſcelerato profuit ara.

Jam autem, quam prope abſcedat a vulgata ſcriptura, quid attinet dicere? *in* & *m* in codicibus eandem ſpeciem habent; *di* & *a* non valde diſſimilem. Certe qui emendationem hanc reſpuent, id vel inviti fatebuntur; ſi Horatius, ut nos quidem credimus, *indignum* ſcripſerat, vix tamen in hac ſententia evenire aliter potuiſſe, quam ut Librarii *magnum* ſubſtituerent. Quare aut hoc nobiſcum utantur, aut ipſi aliquid rectius de ſuo impertiant. Nam qui pro recepta lectione contendere & depugnare parati erunt, nihil interea novi in medium proferentes, tales equidem nihil morabor.

v. 90. DIFFICILEM ET MOROSUM OFFENDET GARRULUS ULTRO] Ita omnes ubique, niſi quod Leidenſis habeat *offendit*. Mendoſus tamen eſt locus, & non multo labore ſic reſtituendus: *cautus* adito:

Neu deſis operae, neve immoderatus abundes:
Difficilem & moroſum OFFENDES *garrulus ultro:*

Non etiam ſileas: *Davus ſis comicus.*

Caecus ſit oportet, qui emendationem hanc non agnoſcat: nam ni ita ſit, videbit & advertet omnia haec ſecunda perſona efferri. More autem ſuo tertiam hic ſuppoſuerunt Librarii, quia *garrulus* eam flagitare videbatur. Ita alibi Epod x. *praeda juverit* dederunt, pro *juveris*; & Serm. II, 3. v. 133. *Occidit Oreſtes*, pro *occidis*. Offendes autem *garrulus*, hoc eſt, ſi garrulus fueris; locutione huic Noſtro valde familiari.

v. 100. QUARTAE SIT PARTIS ULIXES] Lege ex noſtris Magdalenenſi & Colbertino, & Lambini quibuſdam:

Et certum vigilans, Quartae ESTO *partis*
Audieris, heres. [*Ulixes,*

Imitatus eſt ſcilicet Teſtamentorum formulam; Seneca Controv. XV. *Sola mihi heres* ESTO. — *Omnis pecuniae meae ſola heres* ESTO. — *Uxor mea heres* ESTO. Juſtin. Inſtit. II, 13, 14, 15, 16. *Titius filius meus exheres* ESTO. — *Quicumque mihi filius genitus fuerit, exheres* ESTO. — *Uſque ad calendas illas heres* ESTO. Digeſt. L. 16. 142. *Titius & Maevius ex parte dimidia heredes* SUNTO. — *Sempronius ex parte dimidia heres* ESTO. Et alibi ſaepe. Porro *certum vigilans* quid ſibi velit, non aliunde melius ſciveris quam ex contraria locutione *incertum vigilans*. Ovidius Epiſt. Ariadnae:

Incertum vigilans, *a ſomno languida, movi*
Theſea prenſuras ſemiſupina manus.

Statius Theb. V. v. 212. [*hoſtem.*

Turbidus, incertumque *oculis* vigilantibus,
Occupat.

v. 104. GAUDIA PRODENTEM VULTUM CELARE] Locus ſane ſcaber & moroſus; etſi Interpretes ſecure illum praetervolent: [*mare. Eſt*

Sparge ſublinde: & ſi paullum potes, illacrimare
Gaudia prodentem vultum celare.

Ita nunc vulgo diſtinguunt, ut *illacrimare* ſit modi imperativi ab *illacrimor*, tum autem *Eſt* valebit *licet*, ἔξεστι, δυνατόν ἐστι. Quidni autem *poſſibile* eſt *vultum celare*? dubiumne id cuiquam eſt? putida quidem ſententia & Horatio indigna. Quare aliae editiones ſic interpungunt, *& ſi paullum potes, illacrimare, eſt*

Gaudia prodentem vultum celare.

ut ordo ſit, Et illacrimare, ſi paullum potes, eſt celare vultum prodentem gaudia. Ita

illa-

Digitized by Google

illacrimo uſurparunt Livius, Virgilius, Valerius Flaccus aliique. Melius profecto hoc quam alterum. Fictis enim lacrimis commodiſſime celantur incluſa mentis gaudia. Lucanus IX. 1040. de Caeſare loquens, Pompeii caput abſciſum ſpectante,

lacrimas non ſponte cadentes
Effudit, gemituſque expreſſit pectore laeto:
Non aliter manifeſta putans abſcondere Gaudia, quam lacrimis. [mentis

Tamen, vel hac ſententia, ſic potius ſcripſerim, nitidius paullo & clarius;

Sparge ſubinde: & SIC paullum potes illacrimare, ET
Gaudia prodentem vultum celare.

Sed quid illud demum eſt, *celare vultum gaudia prodentem?* haec videntur ἀσύνθετα & ſecum pugnantia. Quippe ſi vultus *celatur*, quomodo *prodit?* Vultus quidem ſaepe *prodit* ſecretos animi affectus; ut Seneca Hippol. 362.

& incluſus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu *furor.*

Lucanus III, 356.

cum turbato jam prodita vultu
Ira ducis, tandem teſtata eſt voce dolorem.

Silius Italicus VI, 384.

Servabam vultus *ducis, &* prodentia ſenſum
Lumina, *& obtutu perſtabam intentus eodem.*

Auctor Conſolationis ad Liviam, v. 87.

Vidimus attonitum fraterna morte Neronem
Squallida promiſſa flere per ora coma,
Diſſimilemque ſui vultu profitente dolorem.
Hei mihi, quam toto luctus in ore fuit!

Ubi Heinſius ὁ πάνυ malit *profitente colorem* vel *prodente colorem.* Quid enim eſt *dolor diſſimilis ſui? laetus,* credo. quid poteſt abſurdius? Neq; enim quicquam nos adjuvat vir ingenioſus & celebris, ſub ficto Goralli nomine editionis nuperae auctor; qui, quamvis fatetur *vultum* hic *diſſimilem ſui* dici debuiſſe, non *dolorem*, tamen hoc per *Metatheſin* excuſari poſſe credit. Placetne vero? ergo omnis opera, recenſendis libris impenſa, fruſtra & incaſſum erit. Quidvis enim & quantumvis ineptum ſic poterit defendi: *omnia protinus alba* erunt, & favente modo Figurae alicujus numine,

Scire licet gigni poſſe ex non ſenſibus ſenſus.

Quin nihil hic opus eſt aut hujus excuſatione, aut illius correctione. Quippe *diſſimilem ſui* neque ad *dolorem*, nec ad *colorem* refertur, verum ad Neronem: *vidimus*, inquit, *Neronem attonitum fraterna morte,*

Diſſimilemque ſui; vultu profitente dolorem.

Sic verba diſtingue. Ovidius Metam. XI, 273.

Lucifero genitore ſatus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx; illo qui tempore maeſtus
Diſſimiliſque ſui, *fratrem lugebat ademtum.*

Nimirum alter alterutrum hic compilavit; adeo gemina ſunt loca. Porro *profitente* hic lege, non cum Heinſio *prodente.* Nero enim non *invitus* prodebat dolorem, ſed *volens* profitebatur. Sed, his miſſis, quî fiat, ut jam dixi, ut & vultus *prodat* affectus, & tamen *celetur*, nullus equidem video. Mutila, ut videtur, oratio eſt, & ita ſuppleri debet; *Celare vultum*, alioqui *prodentem gaudia.* Sed quo jure, qua venia, vox ſententiae tam neceſſaria deſiderari & ſubintelligi poteſt? Quin & illud *celare vultum* vix videor intelligere. Non enim jubet pallio vultum obtegere & velare. Vultus itaque non *celatur* niſi alio vultu ſimulato: ſed & ſic, non *celatur*, ſed *mutatur*: ut Noſter Serm. II, 8. v. 84.

Naſidiene, redis mutatae frontis.

& Terentius Hec. III, 3. v. 9.

Sed continuo vultum earum ſenſi immutari *omnium.*

Equidem *vultu celare, tegere, abſcondere* aliquid, ſaepe memini legere; ipſum *vultum celare* hac quidem ſententia numquam. Quare vide, annon melius forte hic quadret illa ſcriptura, quam ὁ χαλκόπης & infinitae vir lectionis Barthius ex veterrimo, ut ait, codice depromit, Adverſ. XXVII, 1. quamque ille tanti facit, ut *prorſus textui inſerendum putet:*

&, ſi paullum potes, illacrimare. eſt
Gaudia PRUDENTUM VULTU *celare.*

Prudentum eſt officium, ut illud Livii, XLII, 62. *Modum imponere ſecundis rebus, nec nimis credere ſerenitati praeſentis fortunae*, prudentis *hominis & meritò felicis eſt.* Vultu *autem* celare, ut Apuleius Metam. VIII. Vultu *tamen* gaudium tegit, *& frontem aſſeverat, & dolorem ſimulat.* Contra, Ovid. Art. Amat. I, 678.

Ut ſimulet vultu gaudia, *triſtis erit.*

Cicero pro Sextio c. 10. *Animus ejus* vultu, *flagitia parietibus* tegebantur. Idem in Verrem I, 8. *Cupiebam animi dolorem* vultu tegere, *& taciturnitate* celare. Lucan. IX, 1106.

abſcondunt gemitus & pectora laetâ
Fronte tegunt. Nemeſianus Ecloga IV.
Quid vultu *mentem* premis, *& ſpem fronte*
Virgil. Aen. VI, 477. [*ſerenas?*
Conſilium vultu tegit, *& ſpem fronte ſerenat.*

Ergo ad hanc faciem, praeclare quidem codex Barthianus, *vultu gaudia celare:* totum tamen illud, *Prudentum eſt celare gaudia vultu,*

Digitized by Google

neſcio qui minus placet. Neque enim convenit, Tireſiam, qui per totam hanc Satiram ſcurrae perſonam ſuſtinet, jam *ſententias loqui*; praeſertim hanc, quae tantum abeſt ut in univerſum vere dicatur, ut plerumque falſa ſit. Raro enim *prudentibus* uſu venit, ut gaudia vultu *celare*; ſaepe contra, ut aperte *profiteri*; ſaepius ut *ſimulare* debeant: utpote quibus plura ſecundis adverſa ſoleant contingere. Aeneas itaque viri *prudentis* officio fungitur, cum [*lorem.*

Spem vultu ſimulat, *premit altum corde do-*

Quid multa? neque haec Barthii lectio, neque illa vulgata placet: alios lioros excutiant, quibus copia eſt, & qui de Horatio bene mereri ſtudent. Simplicius quidem, me judice, clariuſque ſic ſcribere potuiſſet,

Sparge ſubinde: & ſic paullum potes illacrimare, et

Gaudia prudenter vultu *celare.*

v. 106. FUNUS EGREGIE FACTUM LAUDET VICINIA] Ita omnes, quos noverim, codices: ſed Nic. Heinſius in margine ſui libri, *Lege*, ait, LAUDENT. Nempe quia *vicinia* eſt nomen collectivum, ideo numero ſingulari verbum hic plurale ſubjungi voluit. Amavit ſane vir ſummus hanc figuram, quam Syntheſin vel Syllepſin vocant; eamque fere omnibus in locis inculcat, qua jure, qua injuria. Vide ipſum ad Ovidii Faſt. III, 189. Metamorph. II, 688. Remed. Amor. 164. At Noſter ſingularem numerum praetulit, tam hic, quam alibi: Epiſt. I, 17. v. 62.

Quaere peregrinum, vicinia rauca reclamat.

& Epiſt. I, 16. v. 44.

Sed videt *hunc omnis domus & vicinia tota.*

ubi non codices tantum, ſed & metri ratio lectionem certam facit. Perſius IV, 45.

egregium cum me vicinia dicat.

Ita praeter editos habent tria ſcripta, quibus uſus ſum, exemplaria. Idem Heinſius poſt duos nominativos, quorum propior eſt ſingularis, verbum tamen plurale ubique ingerit, contra plurium & meliorum codicum fidem; ut Faſt. IV, 104. & 156.

Quem toti ſaltus, quem nemus omne tremunt.

Et forma, & mores, & bona fama manent.

Sic ille ex unico dedit codice, eoque non adeo vetuſto: cum ceteri magno numero *tremit* & *manet* habeant, idque meis auribus gratius. Certe aliter in Virgilio ſuo reperit, Aen. V, 343. [*corus.*

Tutatur *favor Euryalum, lacrimaeque* &c. Horatius vero nuſquam plurali uſus eſt *in ſimili locutione*, ſed ſemper ſingulari, ut docui ad Carm. I, 24. v. 8. & alibi.

ECLOGA VI.

V. 4. NIHIL AMPLIUS ORO] Scribe ex plus decem noſtris codicibus, NIL *amplius oro*: & ſic quinque Pulmanni.

v. 10. O SI URNAM ARGENTI FORS QUA MIHI MONSTRET] Ita libri poſt Aldum excuſi; QUA, id eſt, *ſiquo pacto, ſiqua ratione*: unde dormitantibus hic interpretibus, etiamnum circumfertur. At priſcae editiones tres, & Pulmanni Berſmannique plures, omnes denique a nobis viſi codices;

O ſi urnam argenti fors QUAE *mihi monſtret*:

praeterquam quod Regius habet QUAM: *O ſi quam urnam argenti fors mihi monſtret.* Sed placet *Quae*, quod plurium auctoritate fulcitur. *O ſiquae fors urnam argenti mihi monſtret. Siquae fors*, ut alibi *ſiquis caſus.* Serm, II, 5. v. 49.

ſiquis caſus *puerum egerit orco.*

Terentius Hecyra III, 3. v. 26.

Quaeque fors *fortuna eſt, inquit, nobis quae te hodie obtulit.*

Virgilius Aen. II, 94.

& me, fors ſiqua *tuliſſet,*
Promiſi ultorem. & VII, 559.
Cede locis. ego, ſiqua *ſuper* fortuna *laborum eſt.*

IX, 41. ſiqua *interea* fortuna *fuiſſet.*
& 214. ſiqua *id* fortuna *vetabit.*
XI, 128.

Et te ſiqua *viam dederit fortuna.*

ad quae exempla, forte & illud I, 458.

Ire prior Pallas; ſi quâ *fors adjuvet auſum*
Viribus imparibus;

ſic refingendum erit,

ſiquae fors *adjuvet auſum:*

ut Terentius Prologo Heautont.

Siquae *laborioſa eſt, ad me curritur.*

Nam & hic, praeter vetuſtiſſimum Bembinum, ceteri omnes codices *ſiqua* habent, licet verſu ipſo repugnante. Sic & apud Ciceronem multis locis *ſiquae*, *nequae* in membranis veteribus extant, ubi hodie *ſiqua* & *nequa* circumferuntur. Vide Franciſcum Fabritium ad Cic. Offic. II, 21.

v. 28.

Digitized by Google

v. 28. LUCTANDUM IN TURBA; FACIENDA] Scribe ex Berſmanni Pulmannique codicibus, noſtriſque ad unum omnibus, & tribus editionibus vetuſtis;

Luctandum in turba, ET *facienda injuria tardis.*

Piget ſane tam minuta memorare: ſed quid facies? Jam penſi ſemel ſuſcepti ratio exigit, ut vel parva menda cum magnis ſimili falce recidantur.

v. 28. QUID VIS INSANE, ET QUAS RES AGIS] In noſtris omnibus membranis, (adde ſi vis, & aliorum, etſi ipſi taceant) verſus hic ſic ultra menſuram excurrit:

Quid TIBI *vis inſane, & quas res agis? improbus urget:*

Unde pro vario correctorum captu variis modis interpolatus eſt. Tres priſcae editiones ſic dederunt, *nil agis* ejecto,

Quid tibi vis, inſane, & quas res? improbus urget.

At editi poſt Aldum retinuerunt *tò agis*, & *tibi* potius excluſerunt,

Quid vis, inſane, & quas res agis? improbus urget.

eaque jam lectio per interpretum patientiam impune circumfertur. Tu vero, ſi me audies, ſic poſthac locum refinges:

Quid TIBI *vis, inſane,* & QUAM REM *agis? improbus urget.*

Quid tibi vis paſſim apud Comicos occurrit: & *tò tibi* nullo pacto hinc poteſt abeſſe; praeſertim ubi *inſane* ei adhaeret. Cicero de Oratore, II, 67. *Quid* tibi vis, *inquit, inſane? tanta eſt malorum multitudo civium, ut paucis annis ad maximas pecunias ſis venturus.* Propertius, I, 5. v. 3:

Quid tibi vis inſane? *meos ſentire furores?*

Perſius V. v. 143.

quo deinde, inſane, *ruis? quo?*

Quid tibi vis?

Illud vero *quam rem agis,* noli dubitare, quin ab Horatii manu fuerit: quod corruperunt, credo, illi, quibus durior eſſe viſa eſt ſyllabae eliſio. Atqui eodem modo eliditur Sermone II, 8. v. 67.

Committes rem *omnem & vitam, & cum corpore famam.*

Neque aliter Poëtae Comici; ut Terentius Adelph. III, 2. v. 45.

Non faciam. Quid agis? Proferam. Hem, mea Soſtrata, vide quam rem agas.

Heautont. I, 1. v. 37. *raſtros interea tamen Appone; ne labora. Minime.* Quam rem agis? & IV, 4. v. 18.

Eo traducenda eſt. Quam rem agis, *ſcelus? Egon'? argentum cudo.*

& V, 1. v. 69. [rem agis?

Me mea omnia bona doti dixiſſe illi. Quam Plautus Menaech. I, 2. v. 6. [*gotigeram.*

Quo ego eam; quam rem agam, *quid ne?* Plura ſunt in promtu exempla; ſed haec ſatis: unde de tribus Torrentii codicibus judicium ferre poſſis; qui ſic habebant:

Quid tibi vis? quas res agis, inſane? improbus urget:

Profecto, ſi haec eorum lectio erat, & non ipſius potius hominis emendatio; multo omnium peſſimi erant & contaminatiſſimi.

v. 30. IMPROBUS URGET IRATIS PRECIBUS] Daniel Heinſius, *Omnino,* ait, *ſcribendum eſt, Improbus urget,* Iratus, *precibus:* infeliciter ſane, neque pro cetera ingenii & eruditionis fama. Nihil ejus correctione deterius, nihil recepta lectione elegantius. Sic Tacitus; *preces contumaces.* Annal. II, 57: *Reſponſum a Piſone* precibus contumacibus; *diſceſſerumque apertis odiis. Iratis* autem figurate dictum; ut Martialis *Iracundis unguibus,* Juvenalis *irato ſiſtro,* Propertius *irata manu, iratam ſitim*; & alii alia.

v. 32. HOC JUVAT, ET MELLI EST; NON MENTIAR] Magdalenenſis, Colbertinus, Lambethanus, cum uno Berſmanni, NON MENTIOR. Sic Appuleius in Apologia: *Reliquit Rufino huic* (non mentior) HS XXX *devorandum.* Plautus Menaech. V, 7. v. 37.

Me herü tuü non eſſe. Non taces? Non mentior: Sed codex Petrenſis paullo rectius, NE *mentiar.* Cicero Epiſt. ad Famil. III, 4. *Quod ſcribis, tibi manendi cauſſam eam fuiſſe, ut me convenires; id mihi,* ne mentiar, *gratum eſt.* Plautus Prologo Caſinae:

Eſt ſervus eii quidam, qui in morbo cubat;
Immo hercle vero in lecto, ne quid mentiar.

Terent. Adelph. III, 3.

Quid agatur? voſtram nequeo mirari ſatis
Rationem. Eſt hercle inepta, ne dicam dolo.

Placet tamen recepta lectio, NON MENTIAR. Plautus Menaech. II, 1.

Nulla eſt voluptas navitis, Meſſenio,
Major, meo animo; quam quom ex alto procul
Terram conſpiciunt. Major, non dicam dolo,
Si adveniens terram videas, quae fuerit tua.

v. 48. NOSTER LUDOS SPECTAVERAT UNA, LUSERAT] Locum hactenus male acceptum ſic lego & diſtinguo: [*horam*

Per totum hoc tempus ſubjectior in diem &
Invidiae noſter. ludos SPECTAVERIT *una:*

Digitized by Google

LUSERIT *in campo: Fortunae filius, omnes.* Ubi primo, *ſubjectior invidiae*, ut Juvenalis, x, 56.

Quoſdam praecipitat ſubjecta *potentia* Invidiae. [*magnae*

Deinde *noſter* ad *ſubjectior* referendum; alioquin ambiguum foret, utrum ſe an (quod ineptum eſt) Maecenatem dicat invidiae obnoxium. Eleganter autem *noſter* cum verbo tertiae perſonae perinde eſt ac *ego. Ego*, inquit, *per totum hoc tempus ſubjectior ſum invidiae: ſi ludos una cum Maecenate ſpectavero, ſi in Campo Martio una luſero; omnes illico qui adſtant, Fortunae filius, ſecum aiunt taciti.* Plautus Rudente IV, 7. v. 19. [*ſciam,*

Egone ut quod ad me adlatum eſſe alienum Celem? minime iſtuc faciet noſter Daemones.

At ibi Daemones ipſe loquitur, ut hic ipſe Horatius: ergo *noſter faciet* eſt idem plane quod *ego faciam.* Idem Epidico I, 2. v. 44.

Facile tu iſtuc, ſine periclo & cura, corde libero, Fabulare: novi ego noſtros: *mihi dolet, cum ego vapulo.*

ubi *noſtros* recte, opinor, interpretantur *nos*: niſi potius emendandum ſit, *Novi ego noſtrum*, id eſt, *me*; ut in ſimili fere periculo Antipho ait apud Terent. Phorm. I, 4. *Egomet me novi & peccatum meum.* Ceterum pro *ſpectaverat, luſerat*, quae in vulgatis hactenus obtinuerunt, repoſuimus ex Galeano noſtro, Lambethano, & Collegii Trinitatis codice, SPECTAVERIT; & ex poſtremo eorum, LUSERIT. *Ludos ſpectaverit una*, hoc eſt, *Si ſpectaverit*; ut ſupra v. 39. *Dixeris, experiar*, pro *ſi dixeris*: & Serm. ſequente, v. 32. *Juſſerit ad ſe Maecenas*, pro *Si juſſerit.* I, 3. v. 55. *Decies centena dediſſes Huic parco*, pro *Si dediſſes.* Perſius Sat. V. in fine:

Dixeris *haec inter varicoſos centuriones.*

Virgil. Aen. VI. v. 31. *tu quoque magnam Partem opere in tanto, ſineret dolor, Icare, haberes.*

Omnia, opinor, jam plana ſunt & extra aleam conſtituta. Aliorum hic explicationes in tenebris ceſpitantium parco exagitare: tute jam facile per te videris, ut omnes in nervum denique erumpant.

v. 57. MIRANTUR UT UNUM SCILICET] Praeceſſerat, *Quicumque obvius eſt, me convenit*: nunc ſequitur numero mutato, *Mirantur*: quod etſi multis aliorum exemplis defendi poteſt, placet tamen magis Batteliani codicis lectio, MIRATUR. Quippe *convenit* ſupra dixerat; non, ut potuit, *convenient.* Et neſcio quomodo ſingulari numero delectatur Horatius, ut ſaepe diximus, & praeſertim ad Carm. I, 24. v. 8.

v. 64. UNCTA SATIS PINGUI LARDO] *Pingue lardum* dixit Plinius, & *pinguia larda* Ovidius. Sed non ſatis placet illud *ſatis* pingui: quod ignavum hic & verſui duntaxat ſuſtentando natum videtur. An legendum *Focis? Faba & oluſcula & lardum ponentur* focis. Juvenalis XI, 79.

Curius, parvo quae legerat horto, Ipſe focis *brevibus* ponebat oluſcula.

Alioqui *ponentur* hic de *menſa* accipe; ut Martial. V, 80.

Ponetur *digitis tenendus unctis Nigra coliculus virens patella.*—— *Et pallens* faba *cum rubente* lardo.

Ceterum Noſtri imitatione, ut ſolet, Serenus Sammonicus c. XL. de Faba loquens;

Pythagoreae cognata *fuit condita cumino Proderit, & madiam fermentum pellite turgens.*

v. 67. PROUT CUIQUE LIBIDO EST] Illud *Prout* ſententiae quidem ſatis convenit; ſed durioris eſt ſoni, cum in unam ſyllabam coaleſcit; ut vel lubetes, credo, aures offendat. Certe in nullo poeta, ne in Comico quidem, hoc verbum legiſſe memini. Quamobrem liberius hic accipio Colbertini codicis lectionem, [*do eſt.*

Paſco libatis dapibus: CUM, *ut cuique libido Siccat inaequales calices conviva.*

Quin & in optimo Reginenſi PRO eſt a manu ſecunda, poſt manifeſtam raſuram: quod vero eraſum nunc eſt, CUM fuiſſe videtur. Continuatur autem orationis filum, *O cenae deum*; CUM *conviva, ut cuique libido eſt, ſiccat calices.*

v. 78. NAM SI QUIS LAUDAT ARELLI] Sic editiones priſcae: unde diſſimulata ab Interpretibus lectionis varietate, perpetuum obtinuit. At enim, quod in ſuis invenit Berſmannus, ego etiam reperi in Leidenſi, Reginenſi, Batteliano, Petrenſi, Magdalenenſi, Regio, Regiae Societatis, aliiſque. SIQUIS NAM LAUDAT: duo ſoli eique omnium recentiſſimi habent *Nam ſi quis.* Egregii ſcilicet correctores conjunctionem illam non niſi primo loco ſtare poſſe crediderunt. Atqui & ſecundum interdum locum ſortita eſt, ut Sat. II, 3. v. 20. *Olim nam quaerere amabam.* v. 41. *Primum nam inquiram.* v. 302. *Ego nam videor mihi ſanus.* Epiſt. II, 1. v. 186.

Digitized by Google

v. 186. *His nam plebecula gaudet.* & alibi. Ergo & hic in ſecunda ſede eſt collocanda; ſic enim lenior fluit verſus; & numquam tam rarum hoc dediſſent Librarii, niſi de manu auctoris accepiſſent.

v. 83. NEQUE ILLI SEPOSITI CICERIS] Lectio haec Lambino debetur, quam poſteriores nimis temere ſecuti ſunt. At veteres Editiones, plures Pulmanni & Torrentii Berſmannique codices, noſtri autem, quot manibus propriis verſare licuit, duodecim, ILLE habent, non *illi*. Rectius ſane, ſiquid judico;

Aſper & attentus quaeſitus, ut tamen artum
Solveret hoſpitiis animum. quid multa? neque ILLE
Sepoſiti ciceris, nec longae invidit avenae.

Ille ruſticus ſcilicet, cujus ingenium jam narraverat. Sic Serm. II, 3. v. 204.

quid enim Ajax
Fecit, cum ſtravit ferro pecus? abſtinuit vim
Uxore & gnato, mala multa precatus Atridis?
Non ille *aut Teucrum, aut ipſum violavit*
Ulixem.

& Carm. IV, 9.

qui deorum
Muneribus ſapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejuſque leto flagitium timet:
Non ille *pro caris amicis*
Aut patria timidus perire.

Peculiarem haec elegantiam habent; qualem tamen aſſequi & intelligere paucis conceſſum eſt. Ergo ſiquis adhuc a Lambini partibus ſtabit, ſuo judicio per me fruatur. Fruſtra de ſaporibus diſputatio eſt, ubi alteruter aut nullum palatum habet aut diverſum.

v. 92. VIN' TU HOMINES URBEMQUE] *Sic habent*, inquit Lambinus, *ſex codices, quos ſecutus ſum: vulgati,* VIS TU, *minus concinne.* Hinc adeo eſt, quod *vin' tu* in pleriſque editionibus hodie comparet. At de codicibus ipſe viderit: nos in omnibus noſtris, ut & Cruquius, Pulmannus, Berſmannuſque in ſuis, VIS TU reperimus: neque aliter habent Venetae & Loſcheriana. Utra autem lectio *minus concinna* ſit, jam poteris judicare. Siquidem *Vis tu* elegantiſſimus Idiotiſmus eſt, acutiſſimo Gronovio patri obſervatus & copioſe enarratus ad Senecam De Ira III, 38. & Epiſt. LVIII, & Praefat. ad IV. Natur. Quaeſt. Martialis X, 83.

Raros colligis hinc & hinc capillos ——
Vis tu *ſimplicius ſenem fateri?*

Juvenalis V. v. 74.

Vis tu *conſuetis, audax conviva, caniſtris*
Impleri, paniſque tui noviſſe colorem?

Seneca de Conſtantia XV. Vis tu *fortius loqui, & illam Fortunam ex toto ſubmovere?* De Brevitate Vitae XIX. Vis tu, *relicto ſolo, mente adiſta caeleſtia reſpicere?* Vide multo plura apud Gronovium. In illis omnibus τὸ VIS non interrogantis modo eſt ut VIN; ſed orantis, hortantis, flagitantis, jubentis. *Vis tu homines urbemque feris praeponere ſilvis?* hoc eſt, *an dubitas praeponere? non pudet non praeponere? praepone, amabo, ſi ſapis.* Et ad haec exempla, etiam invitis codicibus, repoſuimus Serm. I, 9. v. 69. VIS *tu curtis Judaeis oppedere?* hoc eſt, *Non tu vis oppedere? an tu metuis oppedere?* Quare valeat Lambinus, cumque ſuis *codicibus*, cumque ſua *concinnitate*.

v. 108. NEC NON VERNALITER IPSIS] Ita quidem editiones, & major pars codicum. Sed Blandinii quattuor apud Cruquium omnium veterrimi, & Pulmanniani tres VERNILITER: quod Nicolao Heinſio hic placet. Nonius Marcellus, *Verniliter, adulatorie. Caecilius Venatore: Credo, nimis tandem hoc fit verniliter.* Seneca de Beneficiis II, 11. *Velle me ſcio omnia illi praeſtare; & haec ipſa non verniliter.* Idem alibi & Quintilianus *Vernilitatem*; Tacitus *vernile dictum* & *verniles blanditias* habent. Utraque tamen lectio ſatis commode admitti poteſt. Nam & in laudato Senecae loco Manuſcripti quidam *Venaliter* habent, teſte Grutero; quod interpolatum eſſe credo a *Vernaliter*: & Onomaſticon vetus Labbaei: *Vernalis, οἰκογενής. Vernilis, πολιτικὸς. οἰκιλικός.* Quin & in veteriſtis membranis Virgilii, Pierio teſtante, *juvenali in corpore* ſemel iterumque ſcribitur, non ut vulgo *juvenili*: & ſic habet caſtigatiſſima Nic. Heinſii editio.

v. 109. PRAELAMBENS OMNE QUOD AFFERT] Vide mihi locum integrum:

nec non verniliter ipſis.
Fungitur officiis, praelambens omne quod affert.

Sic quidem libri; neque quidquam hic Interpretes offendit. Atqui hoc parum *officioſe* & *verniliter* facit; ſi *praelambit* quodcumque affert. Quippe colapho vel ſcutica caſtigandus fuerit verna, qui id facere auſus ſit. Notum illud Juvenalis IX, 5.

Nos colaphum incutimus lambenti *cruſtula* ſervo.

Quo trahendum videtur Lucilii fragmentum apud Priscianum p. 884.

*Jocunda*ſq; *puer qui* lamberat *ore placentas.*

Non

Non igitur, quod Scholiastes voluit, *praelambere* perinde est ac *praegustare*: posterius aperte & per officium fieri solitum; prius clam & domino ignaro, ac, si resciverit, punituro. Adde quod *praelambere* nusquam, opinor, alibi occurrit, nisi cum de fluvio dicitur alveum lambente & radente. Prudentius Hamart. v. 357.

Sed dum liventes liquor incorruptus arenas
Praelambit. & Cathem. V. v. 120.
Spirant & folium, fonte quod abdito
Praelambens *fluvius portat in exitum.*

Avienus in Descript. Orbis:

Per quos flaventes Tybris pater explicat undas,
Romanosque lares lapsu praelambit *alumno:*

& mox:

& glauci praelambitur *aequoris undâ.*

Quid ergo? quantivis sane pretii lectio est, quam subministrat codex Regius, & alter Magdalenensis, ab eodem, ut videtur, Librario scriptus: [*affert.*

Fungitur officiis, PRAELIBANS *omne quod*

Non potuit melius: siquidem *praelibare* id ipsum est, quod Scholiastes frustra in altero quaesivit, *praegustare.* Ovidius Amor. I, 4. v. 34.

Si tibi forte dabit, quos praegustaverit *ipse,*
Rejice libatos *illius ore cibos.*

Noster paullo ante v. 67. *vernasque procaces*
Pasco libatis *dapibus.* Et Virgil. Aen. V, 92.
Libavitque dapes. Statius Silv. III, 4. v. 60.

Care puer, superis qui praelibare *verendum*
Nectar, & ingentem toties contingere dextram
Electus.

& figurate Achill. II, v. 88.

Tum vero intentus vultus ac pectora Ulixes
Praelibat *visu.*

Ceterum facilis & proclivis erat Librariorum lapsus: similis enim occurrit apud eundem Statium Silv. II, 1. v. 171.

Tu modo fusus humi lucem aversaris iniquam;
Nunc torvus pariter vestes & pectora rumpis;
Dilectosque premis visus, & frigida lambis
Oscula.

Apage illud *lambis:* foedum enim & inhonestum. Sine dubio legendum,

& frigida LIBAS *Oscula.*

quod illud Virgilii Aen. I, 260. *Oscula libavit natae,* vel solum satis ostendit.

ECLOGA VII.

V. 1. JAMDUDUM AUSCULTO] Hunc versum & sequentes mire exagitant Interpretes, quorum hic tot fere sententiae, quot capita: [*servus*

Jamdudum auscultо, & cupiens tibi dicere
Pauca reformido. Davusne? Ita Davus, amicum
Mancipium domino, & frugi, quod sit satis,
Ut vitale putes. [*hoc est,*

Abrupta, aiunt, oratio more Comicorum. Bene sane: sed quale illud principium est, quod Davus hic dedit, *Jamdudum auscultо?* Quid, obsecro, auscultavit, cum herus nihil adhuc dixerit? At, inquiunt, intelligitur is vehementius paullo servos inclamasse; quorum unus se jamdudum auscultare dicit. At enimvero, si ita esset, non utique *auscultо* diceret Davus, sed *audio*: ut qui Latine sciunt, statim agnoscent. At, ait alius, longum sermonem habuerat Flaccus, in quo mala multa ingesserat servis: quorum Davus ceteris argutior, par pari referre, & vernilibus herum salibus defricare gestit. Atqui & hoc nihilo felicius: nam ipsis Saturnalibus, dierum optimo, servis tantopere irasci incivile prorsus & importunum erat. Sed condonemus haec: fuerit servis locutus, quicquid hi somniare possunt: putidum tamen & ineptum esset ab illis initium sumere, quae qualiacumque fuerint nullo modo ad Sermonem sequentem pertinent. Neque vero illud huic simile est, Serm. II, 5.

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata, petenti
Responde:

illa enim *narrata*, quae ibi tacentur, quivis ex Homero rescire possit: & duobus illis verbulis, *praeter narrata*, tempus, locus, & scena sequentis dramatis pulcherrime lectori indicantur. Contra, quae hic servulis suis locutus est Horatius, neque lectori possunt innotescere, neque quicquam ad rem faciunt, quae postea agitur. Quorsum igitur *auscultо?* Melius profecto sic sermonem inchoasset Davus;

Jamdudum hic adsto, *& cupiens tibi dicere*
Pauca, reformido. [*servus*

Sensit, opinor, absurditatem ingeniosissimus Rutgersius; & ut illam evitaret, non Davo, ut vulgo solet, sed Horatio haec verba tribuit; deinde autem Davi verba leviter immutat & corrigit, hunc in modum:

H. *Jam-*

Digitized by Google

H. *Jamdudum auſculto.* D. At *cupiens tibi dicere ſervus.*

Pauca reformido. H. *Davuſne?* D. *Ita Davus.*

Sed quamvis haec meliora ſunt fortaſſis, quam quae vulgo afferuntur; peccant tamen & ipſa, neque inter ſe cohaerent. Qui enim *jamdudum auſcultavit*, ſine dubio interpellandi ſui poteſtatem jam antea fecerat: at hic quinto demum poſt verſu *narrandi* dat veniam. Mitto alia brevitatis ſtudio, quae merito hic reprehendi poſſent. Rem ipſam potius dicam; qua ſemel conſpecta, caeterae omnium opiniones, quaſi majore luce obrutae, ſtatim evaneſcent. *Jamdudum auſculto*, ait Davus; *tibi nempe Sermonem ſuperiorem tecum recitanti: ſi pace tua liceat, pauca habeo quae contra reponam. Id modo dixiſti tibi in votis eſſe, ut rure procul a turbis & negotiis degas, tibique & Muſis vacans, quieto illic otio & modicis opibus ſuaviter fruaris. Recte quidem; ſi modo naviter pertendere, & in eodem voto conſtanter ac perpetuo manere poſſis. Tu vero, incertus animi & propoſiti, alternis quaſi fluctibus huc illuc agitaris. Jam cum in Urbe es, ſic quotidie tute tecum, O rus, quando ego te aſpiciam? quando licebit nunc libris incumbere, nunc ſomno & ludo jucunde tempus fallere? quando oleribus & lardo ſobriiſque poculis, antiquo more, cenas inſtruere? His quotidie votis deorum aures obtundis: tamen*

Siquis ad illa deus ſubito te agat, uſque recuſes:

Romae enim rus optas; at abſentem ruſticus urbem tollis ad aſtra levis: Si nuſquam ad cenam vocatus es, tum Laudas ſecurum domi olus: at ſi Maecenas te vocaverit; tum, ſpreto domicenio, tota domus abiturientis clamore completur.

Haec & ſimilia Davus; ex quibus jam clare, opinor, vides, Sermonem hunc ad ſuperiorem referri debere; aut fortaſſe una cum eo connecti. Quicquid enim ibi de ſe dixerat Horatius, illud omne hic Davus refellit: adeo ut uterque Sermo Dialogi plane ſpeciem exhibeat. Atque inde, opinor, eſt, quod in optimis Blandinii & Buſlidiano apud Cruquium, uti & in noſtris Petrenſi & Regiae Societatis, haec a ſuperioribus indiviſa ſint, & unam Satiram conſtituant. Parvi tamen intereſt, unamne an binas eſſe velis: modo illud exploratum ſit, inde Davum incipere, in quo dominus finem fecerat; atq; adeo vulgatam hic lectionem, ſententia jam comperta, ſanam & perſpicuam eſſe. Ceterum cave tibi a Gronovii patris explicatione, qui Obſerv. IV, 24. multis verbis efficere conatur, ut illa *Hoc eſt, ut vitale putes*, non Davo, ſed Horatio tribuantur. *Tun' frugi?* ſubjicit Flaccus: *ita vero frugi, ut ubi poſſis, vitale putes*; hoc eſt, *vitalia mihi amputes, ſanguinem mihi exſugas, arrodas & exedas viſcera rei meae familiaris.* Dolet ſane tam coactam, tam pravam interpretationem tanto ingenio excidiſſe. Quis enim *vitale* numero ſingulari pro *vitalibus* dixit? quis autem *putare* pro *exedere, mandere, rodere?* Neque vero ſententia, quam affingit, minus dura eſt, quam ipſa verba. Nimis profecto iracunde hoc & inclementer: neque ad hanc faciem tam triſtem cetera, quae ſequuntur, ullo modo reſpondent. Quid multa? recte fere hunc locum acceperunt Torrentius, Marcilius, Rutgerſius, aliique. *Frugi mancipium, quod ſit ſatis, hoc eſt, ut vitale eſſe exiſtimes.* Quae enim ſupra modum ſunt, ante diem, ut vetus querela eſt, plerumque moriuntur. Seneca Controv. 1. de Aſſio Flavio loquens: *Semper de illius ingenio Ceſtius & praedicavit & timuit: aiebat, tam immature magnum ingenium non eſſe* VITALE. Martialis VI, 29.

Immodicis brevis eſt aetas, & rara ſenectus:
Quicquid ames, cupias non placuiſſe nimis.

Statius Silv. II, 7. de Lucano:

O ſaevae nimium graveſque Parcae!
O numquam data feſta longa ſummis!
Cur plus ardua caſibus pateris?
Cur ſaeva vice magna non ſenescunt?

Urbane igitur Davus, & facete, ut nihil ſupra: *In tantum*, ait, *ſum fidelis & frugi, quantum ſatis ſit*, pro captu & modulo ſervulorum: gloriari enim non eſt meum; neque talem me haberi poſtulo, cui prae immodicis virtutibus metuant homines, *ne vitalis eſſe non poſſim.* Mihi quidem per mores meos a Parcarum invidia tuto eſſe & licet, opinor, & libet.

V. 13. JAM MALLET DOCTUS ATHENIS VIVERE] Sic veteres editiones: at ex codicibus alii *doctus*, & totidem fere DOCTOR. Quorum quid verius ſit, neſcire contenti erimus; cum nihil nunc aliunde de Priſco hoc diſcere liceat. Si *doctor* potius arridet; erit aut Grammaticae, aut Rhetoricae, aut Philoſophiae praeceptor. Si *doctus*; tum ſic accipies, Inconſtantem hunc & inaequalem homuncionem nunc Romae voluptatibus & libidini, nunc Athenis *doctrinae* & ſtudiis operam dediſſe.

V. 15. POSTQUAM ILLI JUSTA CHI-

Digitized by Google

RAGRA CONTUDIT ARTICULOS] Recte codex optimus Reginensis, CHERAGRA, χειράγρα, & sic ubique scribendum, quoties primam syllabam corripit, ut apud Persium & Martialem. Nam *chiragra*, sive χειράγρα primam producere debet. Ceterum vetustissimus Blandinius & Torrentiani aliquot CONTIGIT habent, pro *contudit*. Quod etsi terri fortasse possit, sequimur tamen vulgatam lectionem, quam & nostri codices praeferunt. Ita Persius, ubi hunc ipsum locum expressit, Sat. V. v. 61. *sed cum lapidosa* cheragra

Fregerit articulos, *veteris ramalia fagi.*

Macrobius Saturn. II, 4. *Vatinius confusus podagra, volebat tamen videri discussisse jam vitium, & mille passus ambulare se gloriabatur.* Emenda, CONTUSUS *podagra.*

v. 34. NEMON' OLEUM FERET OCIUS?] Illud *feret*, quia semel in editionibus priscis locum obtinuit, veriti sunt Interpretes ex eo dejicere. At iidem in dimidia ferme codicum parte FERT invenerunt, ut & nos in Leidensi, Magdalenensi, & aliis quattuor: quod efficacius & velocius quiddam prae se fert. Sic infra versu ultimo; Ocius *hinc te Ni* rapis. Quin & in v. 35. *Cum multo blateras clamore fugisque*, hoc malim quam quod alii codices praeferunt, FURISQUE; etsi id plerisque Interpretum placuisse video. Quorsum enim *fugeret?* nempe omnis morae impatiens magno clamore servos vocaverat. Illi vero, ut par est, illico accurrere, & quisque pro se sedulo jussa domini capessere. Certe nulla *fugiendi* caussa erat; nisi si vocati non obtemperaverunt: quod neque per se verisimile est, neque Davus id ultro fassus esset. Ergo *fugit*, opinor, prae festinationis studio; ut alibi, ad Maecenatem memori mente *recurrebat.* Praeterea versu abhinc tertio MULVIUS repono ex codice Vigornensi & Reginensi; pro *Milvius*, quod hactenus editiones occupavit. Ita *Pons Mulvius* in potioribus Membranis apud Ciceronem Catil. III. & ad Attic. XIII, 33. Sallustium Cat. XLV; Trebellium in Gallieno XVIII; Ammianum Marcellinum XXVII, 3; Lactantium De Mort. Persec. XLIV; Prudentium contra Symm. I, 483. Ita Cicero ad Atticum II, 15. *Controversia Mulviana.* Plinius XV, 10. *Cotoneum Mulvianum.* Val. Max. VIII, 1. *M. Mulvius Triumvir.* Quin & apud Gruterum in Inscript. tres MULVIOS & totidem MULVIAS habes; nullum *Milvium.* 989, 5. OPTATAE MULVIAE. Quinetiam illud obiter monendum, in versu 35. *Dixerit ille*, non quemvis hominem, τὸν Νῶτα, sed Mulvium illum, intelligi; qui expectata cena fraudatus haec secum mussitare fingitur; *Cur, malum, ad Maecenatem fugis, & me domo tua famelicum ejicis? Equidem fateor me venturi caussa ad te accedere; idque mihi quotidie exprobrare soles. Qui tu me melior, qui tam Maecenatis caenas sectaris, quam ego tuus?* Illa vero, versu 42. *Quid si me stultior ipso*, Davi jam verba sunt: *Quid si, non Mulvii solum, scurra quidem illo & popinone, sed me quoque servulo drachmis pauculis emto stultior deprenderis?* Denique illa v. 39. *siquid vis, adde, popino*, sic enarrare oportet; *imbecillus sum, iners, & adde, si vis, popino.* Sic Cicero ad Atticum VII, 2. *Tironem Patris aegrum reliqui, adolescentem, ut nosti; & adde, siquid vis, probum: nihil vidi melius.* Haec, quia vulgo male accipi solent; tribus verbis explicare, non praeter rem esse videbatur.

v. 68. EVASTI? CREDO, METUES] Alio verborum ordine codex Regiae Societatis,

Evasti? METUES, CREDO, doctusque cavebis.

quod & elegantius & clarius: nam in vulgata lectione nescias prima fronte, utrum ad *evasti* an ad *metues* referendum sit illud *credo*: & praeterea medium clausulae libentius occupat, quam initium. Cicero pro Deiotaro: cap. 9. *Speravit*, credo, *difficiles tibi Alexandriae fore exitus.* Philip. V. cap. 13. *Dubitaret*, credo, *homo amentissimus bellum inferre nobis?* & VIII, 9. *Nucula hoc*, credo, *admonuit.* Nat. Deor. I, 24. *Sed ubi est veritas? in mundis*, credo, *innumerabilibus.*

v. 78. ADDE SUPRA DICTIS, QUOD NON LEVIUS VALEAT] Nemo hanc lectionem mendi incusare posset, nisi aliam submini strarent codices. Quippe quattuor Pulmanni, totidemque ex nostris, Petrensis, Galeanus, Vigornienses, & a prima manu Reginensis SUPER habent, non *supra*. Lege ergo, & distingue:

Adde SUPER, *dictis quod non levius valeat:*

hoc est, *superadde, adde insuper, quod valeat non levius iis quae dixi.* Plinius Hist. XXIII, 2. *Acetum prodest*, super ea quae diximus, *acescentibus cibis.* Virgil. Aen. II, 592.

roseoque hac insuper addidit *ore.*

XI, 107. *& verbis haec* insuper addit.

Super idem ac *insuper.* Vide Servium. Noster Epist. II, 2. v. 33.

Accipit & bis dena super *sestertia nummum.*

Phaedrus IV, 23.

Super *etiam factas, tegere quod debet pudor.*

v. 82. DUCERIS, UT NERVIS ALIENIS MO-

Digitized by Google

MOBILE LIGNUM] *Lignum* & omnes omnium codices agnoſcunt, & veteres Scholiaſtae, qui *ſimulachra de ligno facta* interpretantur. Primus ex conjectura SIGNUM repoſuit nobiliſſimus Douza pater, & poſt illum Theodorus Marcilius. Recte, ſiquid judico; etſi nemini Editorum hactenus id perſuaſerint. Non, quod neſciam *Neuroſpaſta* illa plerumque *lignea* fuiſſe; ut Apul. de Mundo: *Etiam illi, qui in* ligneis hominum figuris *geſtus movent, quando filum membri, quod agitare ſolent* (lege, *volunt*) *traxerint; torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad miniſterium praeſto erunt, nec invenuſte totus videbitur vivere.* & Lucian. de Dea Syria: Φασὶ Ἕλληνες τῷ Διονύσῳ ἐλαίῃσι, ἐπὶ δὲ καὶ τοιόνδε τι φέρουσι, ἄνδρας μικροὺς οὐκ ΞΥΛΟΥ πεποιημένους μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντας· καλέονται δὲ παῖδες Νευρόσπαστοι. Sed nihilominus *ſignum* hic magis arridet, quam *lignum*. Neque enim illi ſimpliciter *ligna* dixerunt; ſed *ligneolas hominum figuras, homunculos ex ligno factos*; quod perinde eſt ac ſi *ſigna* dixiſſent. Quae & ex alia materia fiebant, non ex ligno ſolo: Petronius in Cena Trimalchionis: *Potantibus ergo* larvam argenteam *attulit ſervus ſic aptatam, ut articuli ejus vertebraeque laxatae in omnem partem verterentur.* Quorſum igitur *Lignum*, cum aeque fiat ex metallo vel ebore? cui etiam ligno niſi *effigiem* addas, pro Neuroſpaſto accipi jure non poteſt: ſiquidem trabs quaevis aut truncus ſune ductus *nervis alienis mobile lignum* eſt. Recte ergo cum Douza legemus,

Duceris, ut nervis alienis mobile SIGNUM.

Sic & Herodotus ἀγάλματα *ſigna* appellavit, II, 48. Ἀτὰρ ὦ φαλλῶν, ἀλλὰ σφι ἐξευρημένα ὅσοντι πηχαῖα ΑΓΑΛΜΑΤΑ ΝΕΥΡΟΣΠΑΣΤΑ, τὰ περιφορέεται καὶ κάμπτεται τὰ γυναῖκες. Et Marcus Antoninus VII, 3. Σιγιλλάρια νευροσπαστέμενα, *ſigna parva nervis ducta*. Gloſſae Philoxeni: *Sigillari*, νευρόσπαστοι; quod recte emendat popularis noſter, magnus Gatakerus, *Sigillaria*, νευρόσπαστα. Vide plura ad hanc rem facientia apud eundem in eximio Commentario ad Antoninum. Ceterum facilis erat librariorum lapſus, *lignum* pro *ſignum*; ut Epiſt. II, 2. v. 134.

Et ſigno *laeſo non inſanire lagenae*:

codex Leidenſis *ligno* habet. Sic & Ovid. Amor. III, 7.

Truncus iners jacui, ſpecies & inutile ſignum:

ſcriptus codex apud Heinſium, *lignum*. Qui locus etiam ob ſententiam huic noſtro valde appoſitus eſt, ut & alter Metam. II, 831.

Oraque duruerant, ſignumque exſangue ſedebat.

Signo enim hic comparantur homines, etſi illi minime νευροσπαστούμενα.

v. 83. SAPIENS, SIBIQUE IMPERIOSUS] Ita poſt Lambinum omnes, credo, editiones dederunt. At antiquiores, Venetae & Loſcheriana, cum pleriſque Codicibus, ex noſtris certe novem, QUI habent non QUE:

Quiſnam igitur liber? Sapiens: ſibi QUI *imperioſus;*
Quem neque pauperies, neque mors, nec vincula terrent;
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis; & in ſe ipſo totus teres atque rotundus,
Externi nequid valeat per leve morari;
In quem manca ruit ſemper fortuna.

Rectiſſime: non enim *Qui* hic locum habet; quaſi *imperioſus ſui* alius eſſet a *ſapiente*. Davus, a Criſpini janitore doctus, Stoicorum hic doctrinam ſequitur. *Quiſnam liber? Sapiens ille Stoicus*: cetera autem, quae ſequuntur, deſcriptio eſt Sapientis, quantum ad libertatem illam attinet. Sapiens, inquit, ſolus eſt liber: quippe *qui* imperioſus ſibi, *quem* nihil terret, *qui* fortis reſponſare cupidinibus &c. *Imperioſus* autem *ſibi* eſt, qui ſibi imperat, qui ſui poteſtatem habet, vel qui ſe habet in poteſtate. Seneca de Beneficiis, V. 7. *Quem magis admiraberis, quam* qui imperat ſibi, *quam* qui ſe habet in poteſtate? Idem Epiſt. LXXV. de ſummo Sapientiae gradu loquens, *Quaeris quae ſint iſta? non homines timere, non deos; nec turpia velle, nec nimia*; in ſe ipſum habere maximam poteſtatem: *inaeſtimabile bonum eſt* ſuum fieri. Epiſt. XC. *Felicisſimum eſſe cui felicitate opus non eſt; potentiſſimum eſſe*, qui ſe habet in poteſtate. Ep. XCIII. *Cum animus ſibi bonum ſuum reddidit, &* ad ſe poteſtatem ſui *tranſiulit*. Ceterum dictione hac utuntur & alii, ſed ſententia paullum diverſa: Statius Silv. II, 6. de Phileto Flavii Urſi puero:

ne comprime fletus,
Ne pudeat: rumpat fraenos dolor iſte (deiſq;
Si tam dura placent) hominem gemis (hei mihi, ſubdo
Ipſe faces) hominem, Urſe, tuum cui dulce volenti
Servitium; cui triſte nihil; qui *ſponte* ſibiq;
Imperioſus *erat*.

Quem locum, nulli hactenus intellectum, fruſtra ſollicitant viri doctiſſimi, Gevartius & Gronovius pater. Excuſat nempe Urſum

Digitized by Google

poëta, quod in *famuli* morte tam *acerbe* lugeret: *Famulum*, inquit, *gemis*, *sed pium*, *sed mente ingenuum*:

Famulum (quoniam rerum omnia caeca
Sic miscet fortuna manu, nec pectora novit)
Sed famulum gemis, Urse, pium — cui stemmate major
Libertas ex mente fuit.

Esto igitur famulus; (*si deisque tam dura placent*; hoc est, ut tam liberalis puer indolis vel nascendi conditione vel captivitatis sorte foret servus) *at hominem gemis*; quid hic pudendum? quanto hoc justius, quam quod *Persae equum fortem, Molossi canem fidum lugent extinctum?* Haec Statii sententia est; & notum est illud Senecae; *Servi sunt? immo homines. Servi sunt? immo humiles amici.* Illud quoque iidem infeliciter. *Hominem, Urse, tuum*; ut *homo* hic *servum* notet, quemadmodum saepe apud Jurisconsultos: immo vero *tuum*, non ad *hominem*, sed ad *servitium* refer; ut supra interpunximus: *hominem, cui tuum, Urse, servitium erat volenti dulce:* ut paullo infra,

vidi ipse animosque notavi
Te tantum cupientis herum:

quippe cui in universum *dulce servitium est*, is non modo non *pectore liber* censendus, sed Cappadocum omnium postremus. Atque haec obiter, non quaesita, sed sponte oblata elucidavimus. Ut illuc redeam, unde discessi; Seneca quoque, sed alio plane sensu, eandem phrasin usurpavit, Praef. ad IV Nat. Quaest. *Tibi tecum optime convenit; nec mirum paucis id contingere:* imperiosi nobis ipsis *& molesti sumus.* Propius ad Flacci mentem accedit Plinius Hist. XXXIV, 8. *Mire gratum Tiberio principi, qui non quivit temperare sibi in eo, quamquam* imperiosus sui *in initio principatus.* Porro & in versu sequente succurrendum est Horatio contra Interpretes, qui ignari & nihil mali cogitantes sententiam pulcherrimam strangulant & elidunt,

& in se ipso totus teres atque rotundus.

Quid enim, amabo, est *totus rotundus?* utique qui simpliciter rotundus est, totus sit rotundus necesse est. quid autem *rotundus in seipso?* quasi aliquis *extra se* rotundus esse possit. Tu, si sapis, sic distingue,

& in se ipso totus; teres atque rotundus,
Externi nequid valeat per leve morari:

ut ex una non bona sententia duae exoriantur longe optimae. Primo enim, *Sapiens in se ipso totus est*, hoc est, in se uno sua ponit omnia; non quaerit se extra se; nihil suum, nisi se, esse existimat. Cicero Paradox II. *Nemo potest non beatissimus esse*, qui totus aptus est ex sese, qui in se uno sua ponit omnia. Idem Tuscul. V. *Nec dolore neque paupertate terreri*, omniaque sibi in sese esse posita. Et ibidem: *Cui viro* ex se ipso apta sunt omnia, *quae ad beate vivendum ferunt.* Seneca Consol. ad Helviam XIII. *Ignominia tu putas quemquam Sapientem moveri posse, qui* omnia in se reposuit? De Constantia cap. V. *Sapiens autem nihil perdere potest*, omnia in se reposuit. Et cap. VI. *Nec* quicquam suum, nisi se, putet esse, *ea quoque parte qua melior est.* De Vita beata XVI. *Quid enim deesse potest extra omne desiderium posito? quid extrinsecus opus est ei, qui* omnia sua in se collegit? Epist. CXXIV. *Animus supra humana se extollens*, nihil extra se sui ponens. Secundo, *Sapiens teres est & rotundus, nequid externi ei leve morari valeat*: alterum hoc Stoicorum effatum. Ausonius Idyll. XVI.

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit unum
Millibus e multis hominum consultus Apollo,
Judex ipse sui totum se explorat ad unguem;
Quid proceres vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus; mundi instar habens, teres atque rotundus.

Externae nequid labis per levia fidat.

Qui locus pene ad verbum ex Horatio expressus, vel solus admonere potuit Interpretes, haec a prioribus disjungenda esse. *Sapiens totus in se ipso est*: idem est *rotundus, & teres*, hoc est, levis & minime scaber, adeo ut nihil vitii aut labis adhaerere ei possit extrinsecus. Erudite autem Ausonius, *mundi instar habens*; quippe ex sphaerica Mundi figura haec metaphora traducta est. Quod Empedocles de Mundo dixerat, id Sapienti adaptarunt Stoici, Σφαῖρον κυκλοτερῆ, *Sphaeram eum esse rotundam.* Inde Marcus Antonin. VIII, 41. *Mentem nihil impedit aut attingit, ὅταν γένηται Σφαῖρος κυκλοτερὴς, ubi facta fuerit, sphaerae instar, teres & rotunda.* Et XII, 3. *Tranquille generoseque vitam transiges, ἐὰν στενάξῃς σεαυτὸν, οἷος ὁ Ἐμπεδόκλεος*

Σφαῖρος κυκλοτερὴς, δίνῃ φαιστὸς ἀήτης:

si feceris te talem, qualis mundus hic Empedocli dicitur,

Orbis habens instar, jugi vertigine gaudens.

ubi δίνῃ reposuerunt viri magni ex conjectura. Antonini exemplar κύτῃ; alii citant μυτῇ vel μυκτῇ. Omnino δίνῃ φαιστὸς non placet: neque enim dixeris *motu rotundo:* quod *rotundum* est, aut figura

Digitized by Google

figura erit aut corpus. Quid, quod nollet, credo, Marcus sapientem suum infortunio mactare, ut perpetua vertigine Ixionis instar rotaretur. Quare vide, annon ζώνη σφαιρικὴ *zona rotunda*, vel κώνη, *trocho*, *rhombo*, *turbine*, vel μορφῆ *figura*, vel simile quid rectius substitui possit.

V. 106. CUM OBSONIA CAPTAS] Ejice conjunctionem illam CUM, & lege.

qui tu impunitior illa,
Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?

Ita & veteres editiones exhibent, & codices nostri ad unum omnes; non, ut editi aliquot, *Quid tu*, neque *Cum obsonia*. Ordo autem est, *Qui tu impunitior captas illa obsonia, quae nequeunt parvo sumi?* Utramque lectionem firmat unus Persii locus de nostro expressus, Sat. V. v. 130. *sed si intus & in jecore aegro*
Nascantur domini; qui tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica & metus egit herilis?

V. 109. SUB NOCTEM QUI PUER UVA FURTIVAM MUTAT STRIGILEM] Pessimo facinore corrupit haec, & in alias editiones propagavit Lambinus, alioqui de Horatio praeclare meritus. Nam & editiones veteres & omnes fere omnium codices sic praeferunt:

an hic peccat, sub noctem qui puer UVAM
FURTIVA *mutat* STRIGILI.

Quo autem consilio mutatum iverit Lambinus, nequeo conjicere: ipse enim ad Carm. I. 16. varia hujus locutionis exempla profert, inque iis hunc ipsum locum, *uvam mutat strigili*: quod vulgo sic potius efferret quis, *uva mutat strigilem*. Sic Carm. III, 1.

cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Et Epod. IX. *Punico*
Lugubre mutavit sagum.

Quod autem novem Codices mutationis hujus auctores citat, de hoc ipse viderit. Certe ab alia parte stant Torrentiani, Cruquiani & omnes quos ipse versavi. Quin extra omnem dubitationis aleam ponit Priscianus p. 767. *Strigilis*, ait, *rationabiliter in I terminavit ablativum. Horatius in II Serm.*

an hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat STRIGILI?

ECLOGA VIII.

V. 1. UT NASIDIENI JUVIT TE CENA BEATI?] Cum *Nasidienus* syllabam secundam corripiat, (ut ostendunt versus 75 & 84. [*ceris*:
Nasidienus *ad haec tibi di quaecumque pre-*
Nasidiene, *redis mutatae frontis, ut arte*:
& illud Martialis VII, 54.

Aut vigila aut dormi, Nasidiene, *tibi*:

& Lucani IX, 790.

Nasidium *Marsi cultorem torridus agri*)

miras hic turbas dederunt Librarii, ut pro peritia sua versui consulerent. Quidam sic interpolarunt,

Ut te Nasidieni juvit cena beati?

alii sic.

Nasidieni qui te juvit cena beati?

& alii aliter: sed omnes inepte & absone prae illo, quod & priscae editiones & membranae meliores exhibent, & Priscianus p. 1055. Nimirum I litera, ut alias U, consonantis hic vice fungitur; quasi more hodie usitato sic scribas,

Ut Nasidjeni *juvit te cena beati?*

Sic apud Virgilium, *labat arjete crebro*; *Arjetat in portas*; *Abjetibus juvenes patriis*; *Parjetibusque premunt artis*; *Fluvjorum rex Eridanus*; *Genva labant*; *Tenvia nec lanae*: & Propertium, III, 17.

Induit abjegnae cornua falsa bovis.

& Silium VI, 226.

Cetera sinvatis glomerat sub pectore gyris.

& ita passim apud alios.

V. 2. NAM MIHI QUAERENTI CONVIVAM] Ita libri, opinor, omnes, tam scripti quam editi: sed alio verborum ordine Priscianus p. 1011. *Heri*, inquit, *adverbium*; *dicitur tamen & Here. Horatius in II Sermonum*,

Nam mihi CONVIVAM QUAERENTI
dictus here illic
De medio potare die.

Atque ita quatuor ibi codices, quorum copia mihi obtigit. Quod qui vulgato venustius & πιθανώτερον esse non per se videt, is ne me quidem dicente credere volet.

V. 4. DA, SI GRAVE NON EST] Omnes omnium codices DIC habent, non *da*: neque aliter editiones principes, Venetae binae cum Loscheriana. At pexus nescio quis magistellus, qui Virgilii credo Bucolica pueris praelegerat, interpolare hoc ausus est ex Ecloga prima,

Sed tamen iste deus qui sit, da, *Tityre*, *nobis*.

Quid ergo? an, quia semel apud Virgilium *Da* occurrit pro *dic*; ut saepe alias *accipe*

pro *audi*, idcircone, vel invitis codicibus, illud subſtituere licebit, ubicumque in hoc incidimus? jocularem ſane audaciam. Et tamen per bina ferme ſaecula editiones omnes impune contaminavit. Quouſque tandem ignoti homuncionis temeritatem graſſari hic patiemur?

v. 18. DIVITIAS MISERAS!] In diverſa hic abeunt Interpretes; hi Naſidieni verba eſſe volunt, reculas ſuas extenuantis; quod, ut libere dicam, ineptiſſimum eſt: alii Horatio tribuunt; de ſenſu tamen ambigunt. At Daniel Heinſius, *Siquid*, inquit, *Horatium intelligo & ejus naſum; ſcripſit*, DIVITIAS MIRAS: *& hoc verum eſt.* Haud vidi magis. Certe Heinſianum hoc non convenit, ſive σαρκικῶς dixerit Horatius, ſive ex animo. Neque enim cujuſvis erat *Chium*, *Caecubum*, *Albanum* & *Falernum* una praebere; ut hoc Horatius ſanna exceperit: neque tam rarum erat & inauditum, ut admirationem excitarit homini divitioribus menſis aſſueto. Enimvero recte habet, *Divitias miſeras!* ideo ſcilicet miſeras, quod nactae fuerint dominum ſatuum, & indignum qui eas poſſideret. Sic Martialis I, 37.

Ventris onus miſero, *nec te pudet, excipis* auro:

nempe quod ad ſpurcos & contumelioſos uſus damnaretur. Idem Heinſius v. 25. ſic corrigit,

Nomentanus ad hoc, QUO *ſiquid forte lateret,*
Indice monſtraret.

Sed recepta lectio ſana eſt, *ad hoc*, QUI *monſtraret*, ut Serm. II, 6. v. 42.

duntaxat ad hoc, quem *tollere rheda*
Vellet iter faciens.

v. 24. RIDICULUS TOTAS SIMUL ABSORBERE PLACENTAS] Ita ſane libri excuſi, & major pars membranarum. Sunt tamen codices qui SEMEL habeant, non *ſimul*, ut ex noſtris Zulichemianus & Leidenſis. At Franekeranus SEMUL, priſca ſcribendi ratione, quae paſſim compáret in veterrimo Plauti codice Camerariano: unde anſa librariis tradita nunc *ſemel*, nunc *ſimul* effingendi. Et utrumvis quidem hic probum eſt, tam *ſimul* quam *ſemel*, hoc eſt, *uno hauſtu abſorbere*; niſi quod neſcio qui poſterius magis arridet,

Ridiculus totas SEMEL *abſorbere placentas.*

Seneca Nat. Quaeſt. IV, 2. *Quod ſi e mariferretur Atlantico Nilus*, ſemel *oppleret Aegyptum: at nunc per gradus creſcit.* Et ibidem VII, 31. *Non* ſemel *quaedam ſacra traduntur: Eleuſin ſervat, quod oſtendat reviſentibus: rerum natura ſacra ſua non* ſimul *tradit.* Idem Epiſt. LXXI. *Quemadmodum lana quoſdam colores* ſemel *ducit, quoſdam, niſi ſaepius macerata & recocta, non perbibit.* Idem Conſol. ad Helviam. c. 13. *Non ſingula vitia, ſed pariter omnia proſternit: in univerſum* ſemel *vincitur.* Quintil. Declam. XII. *Hic ipſa vitalia feriuntur, ubi populus ruit, ubi continuis funeribus omnis ſexus atque aetas* ſemel *ſternitur.* Idem CCCXLVIII. *An liberi veſtri conjugeſque traditam a majoribus per manus in hoc uſque tempus libertatem* ſemel *perderent.* Vopiſcus Aureliano, 29. *Tabulas publicas ad privatorum ſecuritatem exuri in foro Trajano* ſemel *juſſit.* Cicero de Officiis III, 15. *Scaevola, cum poſtulaſſet, ut ſibi fundus, cujus emtor erat,* ſemel *indicaretur.* Digeſt. VII, 3. 1. *Quamquam uſusfructus ex fruendo conſiſtat, hoc eſt, facto aliquo ejus qui fruitur & utitur, tamen* ſemel *cedit dies.—Unde quaeri poteſt, ſi uſusfructus cui per dies ſingulos legetur, vel in annos ſingulos, an* ſemel *cedat? Et puto non cedere* ſimul, *ſed per tempora adjecta, ut plura legata ſint.*

v. 29. & 30. CUM PASSERIS ATQUE INGUSTATA MIHI PORREXERIT ILIA RHOMBI] Plures quidem codices cum vetuſtis editionibus PORREXERIT: ſex tamen Lambini, Cruquianus unus, & noſter Magdalenenſis PORREXERAT; quod jure, opinor, Lambinus aliique aliquot in textum receperunt. Non enim tum *ſapor patuit*, cum ille *porrexerit*; ſed poſtquam *porrexerat*, atque alter acceptum guſtaverat. Ceterum pro *paſſeris atque*, quod & noſtri omnes agnoſcunt, Lambinus in ſuis quibuſdam reperit,

cum paſſeris ASSI, ET
Inguſtata mihi PORREXERAT *ilia rhombi.*

Noli dubitare, quin ab Horatii manu ſit: unde enim indoctis Librariis tam elegantem lectionem? at illud *atque* facile obrepere potuit dormitantibus. Nempe paſſerem piſcem & rhombum, non elixos, ſed *aſſos* exhibuit Naſidienus: idque pro hujus Sermonis indole minime hic tacendum erat. Quippe ex praecepto Catii, Naſidieni credo hujus aſſeclae, Serm. II, 4. v. 38.

Non ſatis eſt cara piſces *averrere menſa,*
Ignarum quibus eſt jus aptius, & quibus aſſis
Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet.

Apuleius in Apologia. *Alios etiam* piſces *multis verſibus decoravit Ennius; &, ubi genium quiſque eorum inveniatur, oſtendit; qualiter* aſſus *aut jurulentus optime ſapiat.* Plautus Aſinaria I, 3. v. 28.

Quaſi

Digitized by Google

Quasi piscis, *itidem est amator lenae, nequam est nisi recens;*
Is habet succum, is suavitatem; eum quovis pacto condias;
Vel patinarium, vel assum *verses, quo pacto lubet.*

Inde Pseudapicius de re Culinaria c. x. *Jus in Mullos assos — in Pelamidem assum — in Muraenam assam — pro Dentice asso — in Auratam assum.* Et Platina de tuenda valetudine: Passeri *pisci, elixo petroselinum*, asso *malaurantii succum indes.*

v. 75. TIBI DI QUAECUMQUE PRECERIS] Editiones priscae PRECARIS, atque ita scripti ex nostris quinque, sed recentiores. Martialis VI, 87. [mereris:

Di tibi dent, & tu, Caesar, quaecumque
Di mihi dent, & tu, quae volo, *si merui.*

& X, 34. [reris.

Di tibi dent quicquid, Caesar Trajane, me-

Recte tamen PRECERIS reposuerunt viri docti ex melioribus membranis. Bene quidem Martialis, *mereris*; non *merearis*; quod contumeliae loco foret: jam tum enim bona merebatur Caesar. At Balatroni optat Nasidienus, non quae nunc decs *precatur* (nihil enim) sed quaecumque alias *precetur.* Plaut. Asin. I, 1.

Di tibi dent quaecumque optes: *redde operam mihi.*

Pseudolo IV, 1. *Tantum tibi boni di immortales duint, Quantum tu tibi* optes. Mil. Glor. IV, 2. *Di tibi dent, quae* optes: & saepe alibi.

v. 88. JECUR ANSERIS ALBI] Non contemnenda lectio est vetustissimi Blandinii, & alterius codicis apud Cruquium, & unius ex Pulmannianis optimi,

Pinguibus & ficis pastum jecur anseris ALBAE.

Videtur enim hoc ineptam Nasidieni ἀφέλειαν belle exprimere, quod anser *femina* esset, quod colore *albo*; quarum rerum causas subtilis palati dominus narrabat, tamquam magni interesset ad suavem saporem. Vide nos ad Serm. II, 4. v. 44.

v. 95. VELUT ILLIS CANIDIA AFFLASSET PEJOR SERPENTIBUS AFRIS] *Illis* summo consensu habent codices; tamen in hac sententia casus accusativus requiri videtur. Sic Naso Metam. V.

Crinales vittas afflabat *anhelitus oris.*

& VIII, de serpente:

Seque viro inspirat, fauces, & pectus & ora
Afflat. Prudentius Carhem. VII.
Ne de propinquo sordium contagio
Dirus propinquum mundus afflaret virum.

Aen. II. v. 649.

ex quo me *divûm pater atque hominum rex*
Fulminis afflavit *ventis, & contigit igni.*

Ergo sic potius legendum fuerit.

velut ILLAS
Canidia afflasset, pejor serpentibus Afris.

Sed elegantius, ni fallor, hinc aberit pronomen; quia τὸ *nihil* antecedit. Scribo igitur, non magna mutatione,

Ut nihil omnino gustaremus; VELUTI SI
Canidia adflasset. ut Serm. I, 6. v. 66.
Mendosa est natura, alioqui recta; velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos.

Et II, 7. v. 98. velut si
Revera pugnent, feriant.

& Epist. II, 1. 99.

Sub nutrice puella velut si *luderet infans.*

Virgil. Aen. XII, 67.

Indum purpureo veluti *violaverit ostro*
Si *quis ebur.*

Tum praeterea pro *serpentibus Afris* Lambini aliquot codices & noster Vigornienſis *Atris.* Quarum lectionum utraque quidem proba est; sic enim alibi Carm. III, 10.

Nec Mauris *animum mitior* anguibus:

& serpentes Libyae cum aliunde, tum ex solo Lucano satis noti sunt. Tamen nescio qui altera magis arridet, quippe quam recepit & quodammodo sacravit optimorum poëtarum consuetudo. Noster ipse Carm. III, 4.

Ut tuto ab atris *corpore* viperis.

Silius Italicus III, 191.

Ater letifero stridebat turbine serpens.

Virgil. Georg. I, 224. nigris *exesa* chelydris.

& ibidem 129.

Ille malum virus serpentibus *addidit* atris.

Et Aen. IV, 472.

Armatam facibus matrem & serpentibus a-

Juvenalis Sat. V. v. 90. [tris.

Quod tutos etiam facit a serpentibus atris.

Prudentius in Diptycho v. 45.

Fervebant via sacra eremi serpentibus atris.

Hoc autem dicit Fundanius: *Nihil ex dapibus gustasse convivas, perinde ac si viperae, aut illis pejor Canidia eas halitu suo infecisset.* Ergo rectius credo, *Atris*, quam *Afris.* Unde enim Mauri serpentes tanto intervallo nocere hic possent suo afflatu?

NOTAE

NOTAE AD EPISTOLARUM

LIB. I. 1.

V. 21. DIESQUE LONGA VIDETUR OPUS DEBENTIBUS] Satis inconcinna repetitio, *Nox longa, dies longa.* Quamobrem libens amplector, quod ex vetusto codice protulit Barthius Adversar. XXXVII. 19.

Ut nox longa quibus mentitur amica, dieſq;
LENTA *videtur opus debentibus, ut piger*
annus.

Elegantius enim hoc est, quam ut librario cuipiam acceptum referri debeat. Variavit autem Noster dedita opera. Dies *longa*, nox *lenta*, annus *piger*. Dies lenta hic est, quae lente sive tarde procedere videtur. Ovid. Heroid. I. v. 8.

Nec quererer tardos ire *relicta* dies.

Silius Ital. XIII, 487.

At gente in Scythica ſuffixa cadavera truncis
Lenta dies *ſepelit, putri liquentia tabo.*

Sollemnis autem scribarum lapsus a *lentus* ad *longus*. Sic Ovid. Fast. II. 722.

Et patitur lentas *obſidione* moras.

Ita Nic. Heinsius ὁ πάνυ ex melioribus membranis reposuit; cum prius *longas* circumferretur. Sic Martialis Spectac. XXIII.

I nunc, & lentas *corripe, turba,* moras.

Idem tamen alibi inconsulte, ex pluribus licet codicibus, *longa* in contextu edidit, ubi antea recte habebatur *lenta*. Trist. IV, I. v. 86.

Hic ego ſollicitae jaceo novus incola ſedis:
Heu nimium fati tempora lenta *mei.*

Queritur poëta diem mortis, quae se tantis malis eriperet, nimis lente & tarde accedere; aut certe, verbis Suetonii in Caesare c. 87. *lentum hoc genus mortis* (exilium) *aſpernatus, ſubitam ſibi celeremque optat.*

V. 28. NON POSSIS OCULO QUANTUM CONTENDERE LYNCEUS] Lambini codex a prima manu OCULOS; quod ille admisit: ceteri omnes, ut nostri & aliorum, OCULO. Utrumque recte dici videtur. *Contendere oculo*, ut *voce contendere*: Cicero pro Ligario cap. III. *Quantum potero* voce contendam, *ut populus hoc Romanus exaudiat.* Sed & hic *vocem* ex conjectura dedit Lambinus, invitis membranis. Atqui eo pacto & Celsi locus interpolandus fuerit, I, 4. *Scribere, legere,* voce contendere, *huic minime opus eſt; utique poſt cenam.* Neque tamen dubito, *quin vocem contendere* probe dicatur; unde *vox contenta* eidem Ciceroni in Oratore c. XVII. *Et* contenta voce *atrociter dicere; & ſummiſſa, leniter.* Sic & *oculi contenti* Suetonio in lib. VII. *Et ſemel omnino ex occurſu viſam Agrippinam adeo* contentis *& tumentibus* oculis *proſecutus eſt.* Et *acies oculorum contenta* Lucretio, I, 324.

Nulla poteſt oculorum acies contenta *tueri.*

Unde etiam rite colligas, *contendere oculos* legitimam esse locutionem. Poëta vetus apud Nonium in Derepente:

Contendit oculos: *derepente abiit celox.*

Seneca Epist. CX. *Tanti putemus* oculos intendere: *jam apparebit quam brevis res, quam incerta, quam tuta timeatur.* Lucretius IV, 806.

Nonne vides oculos *etiam, cum tenvia quae*
ſint
Cernere ceperunt, contendere *ſe atq; parare.*

Idem I, 66. ut Nonio Marcello citatur,

Primum Grajus homo mortales tendere *contra*
Eſt oculos *auſus.* Virg. Aen. V, 508.
Alta petens, pariterque oculos *telumque*
tetendit.

Sic utrumque apud scriptores invenias, *contendere animum*, & *animo*; *contendere nervos*, & *nervis.* Quare utramlibet lectionem tuto possis admittere. Pluralis tamen hic numerus arridet magis; quia Noster utrumque oculum collyrio inungere solebat, ut Serm. I, 6.

Hic oculis *ego nigra meis collyria lippus*
Illinere. Nollet ergo singulari ambigue uti.

V. 32. EST QUODAM PRODIRE TENUS] Editiones priscae *quoddam*; codices plerique *quodam*; quod & plures editiones occupavit. At in vetustissimo Blandinio alteroque notae optimae libro QUADAM invenit Cruquius: idque recte in contextum recepit; ut prior illo Lambinus ex conjectura. Germana sine dubio haec lectio est; ceterae ne Latinae quidem sunt. *Tenus* enim, ubi pronominibus jungitur, ablativum femininum semper exigit; *Hactenus, Eatenus, Quatenus, Aliquatenus, Quadamtenus.* Ergo hoc vult, *Est, ἔξεστι, licet, quadamtenus* sive *aliquatenus prodire,*

Digitized by Google

dire; si non datur ultra: Aliquantum saltem in philosophia proficere licet, si non plurimum. Plinius XIII, 7. *Huic similis* quadamtenus *quae vocatur Cypria Deus.* XV, 28. *Citreis odor acerrimus, sapor asperrimus,* quadamtenus *& Cotoneis.* XXIV, 14. *Alterum Rhamni genus est silvestre, nigrius, &* quadamtenus *rubens.* Et alibi.

V. 52. VILIUS ARGENTUM EST AURO] Meliores codices Torrentii,

Vilius est argentum *auro, virtutibus aurum.*

Liber Collegii Trinitatis,

Vilius est auro argentum, *virtutibus aurum.*

quod dulcius nescio quid & numerosius in se habet.

V. 55. HAEC IANUS SUMMUS AB IMO PERDOCET] Editiones veteres PRAEDOCET; inde PERDOCET paullatim obtinuit. At Membranae fere omnes PRODOCET, ut praeter alias veterrimae nostrae Graevianae, Leidenses, Reginenses. Quod, etsi haud alibi quod sciam occurrat, recte tamen admisisse videntur Lambinus Cruquiusque, ob unanimem tot priscorum codicum consensionem. Ceterum falluntur, qui *Janos* tres hinc sibi fingunt, *summum, medium, imum:* cum unus fuerit vicus, Jani nomine insignitus. Ovidius Ibide v. 181. de Tityo.

Fugeribusq; novem qui summus *distat* ab imo,
Visceraque assiduae debita praebet avi.

An & tres Tityos hinc comminiscentur? Noster Serm. II, 3. v. 308. de seipso:

ab imo Ad summum *totus moduli bipedalis:*

et Art. Poet. 154. Primus ad extremum *similis sibi.* Ergo Janus *summus ab imo* est *totus, universus. Medius* autem *Janus* dicitur, quemadmodum *media mulier* Terentio, & alia sexcenta.

V. 57. EST ANIMUS TIBI SUNT MORES] Vel hic locus documento esse potest, quam aegre homines ab errore semel admisso & per manus tradito ad verum revocentur. Et libri vulgati & scripti plerique hoc ordine versus exhibent;

Si quadringentis sex septem millia desunt;
Est animus tibi, sunt mores, & lingua fidesque;
Plebs eris.

Ubi quis non, vel sola conjectura fretus, posteriorem versiculum loco suo motum, atque adeo priori praeponendum esse pronunciaverit? Cum sententia satis sit manifesta, *Quamtumvis animi dotibus excellas, ingenio, virtute, eloquentia, fide; si tamen sex vel septem millia nummorum de quadringentis millibus tibi desunt, si non integram quadringentorum summam in censu habes, Plebeius eris, lege Roscia id sanciente.* Hoc, inquam, vel ipsius vi sententiae, pro explorato esse poterat cuivis lectori non adeo naris obesae. Sed ecce tibi Cruquius, qui in vetustissimo codice Buslidiano sic plane scriptum invenit, idque optimo jure in contextum recepit: idem postea ex duobus suis Pulmannus, ex uno suo Bersmannus prodidit, neque tamen quisquam adhuc exortus est, qui Cruquium audire & recte monenti auscultare vellet. In Magdalenensi nostro prior ille versus ultra alium qui abhinc quartus est rejicitur, hoc exemplo:

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Sed quadringentis sex septem millia desunt.
Roscia, dic sodes melior lex, an puerorum.

Unde palam opinor fit, jam olim ab oscitante librario versiculum hunc omissum fuisse; postea que in margine, ut fit, appositum, per ignorantiam eorum qui exemplar illud descripserunt, in sedes non suas transiisse. Sed & alia non desunt argumenta, quae omnem scrupulum eximant & nullum dubitationi locum relinquant. Pro SI *quadringentis* meliores scripti SED habent, octo Lambini, plerique Torrentii, tres Pulmanni, Bersmannique totidem, ex nostris veterrimi Leidensis, Graevianus, Reginensis. Unde hoc, si iste versiculus, quem nunc tenet, locum semper occupavit? Nihil utique absurdius hac lectione; nemo omnium librariorum tam plumbeus, qui hanc comminisceretur. At eadem longe aptissima est, si modo versus ad sedem vetustam reducatur; praesertim si pro *desunt,* cum Leidensi & Reginensi Nostris multisque aliorum substituas *desint.* Ne multis morer; sic totus locus ex membranis legendus est:

Est animus tibi, sunt mores, EST *lingua, fidesq;*
SED *quadringentis sex septem millia* DESINT,
Plebs eris.

Est lingua in Lambini quibusdam extat, in uno Pulmanni optimo, & altero Collegii Trinitatis. *Esto,* inquit; *Vir probus es, & prudens, & disertus: quis hoc potest negare? sed desit modo tantillum tibi ad censum equestrem, sex puta vel septem millia de quadringentis millibus; plebeius eris.* Quis non videat, SI illud a librariis loco SED tum demum substitutum esse; postquam versibus semel luxatis SED nullo sensu sententiam inchoaret?

V. 62. AN PUERORUM NAENIA] Lege ex membranis potioribus,

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum EST *Naenia.*

Digitized by Google

Ita uno demto omnes Cruquiani, Lambini ſex, Berſmanni quattuor; Pulmanni omnes, ex noſtris Graevianus, Leidenſis, Zulichemianus. Deinde verſu 65 ſcribe, *Qui, rem facias, rem*; ejecto illo UT, quod neque in editionibus priſcis, nec in membranis comparet. Quin & in v. 67. PUPI lege, non *Puppi*: ſic enim libri vetuſtiores, Leidenſis, Graevianus, Reginenſis. Ita *L. Pupius primipili centurio*, Caeſ. Bell. Civil. I, 13. *Cn. Pupius duumvir*, Liv. XXII, 33. *P. Pupius quaeſtor*, IV. 53. *L. Pupius aedilis*, XXXIX, 44. & XL, 19. Male vero editum *Puppius*, XXXIX, 39. *Cn. Pupius*, Cic. Ep. Fam. XIII, 9. *Pupius Piſo*, Aſcon. ad Orat in Piſonem. Inde *lex Pupia*, & IMP. CAES. PUPIENUS in nummis & hiſtoriis; in inſcriptionibus multi PUPII & PUPIAE, nulli *Puppii*. Denique & v. 69. lege, *Hortatur & aptat*, non *optat*. *Aptat ſcilicet te reſponſare fortunae*; ſive, *aptat te certamini cum fortuna*. Sic Virg. Aen. x, 588.

projecto dum pene laevo Aptat ſe pugnae. Quintil. Declam. IV. *Arma ipſe circumdedit, & ſuis* ad pugnam *manibus* aptavit. Seneca Epiſt. 61. *Qui hoc modo* ſe aptabit, *cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt*. Et CVII. *Ad hanc legem animus noſter* aptandus eſt; *hanc ſequatur, huic pareat*. Statius Achil. II, 415.

Jamque & ad enſiferos vicina pube tumultus Aptabar.

In his omnibus plerique Interpretes hallucinati ſunt.

v. 76. BELUA MULTORUM ES CAPITUM] Corrige, vel invitis librariis,

Belua multorum EST *capitum.*———

ES autem pro EST ideo ſuppoſuerunt; quod continuo praeceſſerant iſta, *Omnia* TE *adverſum* &c. Inepte quidem & prave. Non enim & hoc ex Aeſopi fabula deſumptum eſt; neque ullo modo aptari ei poteſt. Leo certe non eſt *multorum capitum belua*. Conſtat itaque non ex vulpis Aeſopicae hoc, ſed auctoris perſona eſſe. Tolle igitur ambigui vitium; & repone, *Belua eſt*, perſona tertia. Duplex enim habes reſponſum & ſententiae plane diverſae. Prius oſtendit, imitationem vulgi periculoſam eſſe; poſterius, ſtultam eſſe & vanam. *Nam quid ſequar aut quem?* cum quot homines, tot ſint ſententiae.

v. 91. QUID PAUPER? RIDE. MUTAT CENACULA] Oſtenderat per exempla aliquot inconſtantiam divitum; jam idem in pauperibus redarguit:

Quid pauper? ride. *Mutat cenacula, lectos, Balnea, tonſores; conducto navigio aeque Nauſeat, ac locuples quem ducit parva triremis.*

Sic editiones praeferunt conſtanter; ut & manuſcripti: niſi quod unus & alter notae ſequioris, RIDES: quibus accedit Scholiaſtes Cruquianus; *Fingit*, ait, *Maecenatem ridere quaſi praeſentem*. Profecto ſi *rides* poſuit Horatius, *fingit* Maecenatem ridere; ſi *ride*, jubet, non fingit. Atqui ſi his modo verbis prolatis, *Quid pauper?* continuo *fingit* Maecenatem ſuum ridere, priuſquam, quid noſter dicturus foret, reſciſceret; ineptum ſane eum & inſulſum fingit; *Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt*. Abſit itaque, ut huic lectioni accedamus. Neque tamen multo melior eſt illa altera, qua *jubetur* Maecenas, ut rideat. Quid enim hic riſu dignum? Certe nec in verbis quae ſequuntur, nec in re quidquam eſt ridiculi. Nam Ridicula utique ſunt ſingulorum aut paucorum, non quae ad omne genus humanum pertinent: qualia illa ſunt, loci mutatione gaudere, & in navigatione nauſeare. Illud quoque mecum conſidera, quod paullo poſt ſequitur; *Si occurro tibi inaequaliter tonſus, aut togam habens tunicae diſſidentem*, RIDES, *o Maecenas: at cum ſententia mea ſecum pugnat, & toto vitae ordine ſibi diſconvenit*, NON RIDES. Cur non, ſodes? *quia hoc* ſollemne *& commune omnium vitium eſſe exiſtimas*. Negat ergo Maecenas rem ſollemnem & omnibus innatam riſu excipiendam eſſe. Quid ergo? an minus ſollemnia erant, quae noſter in pauperibus caſtigat, *mutare domos & balnea?* nulla igitur neque illic materia riſus: & ſtulte profecto jubet ridere, quem minime riſurum fore probe intelligit. Quare habeant ſibi ſuum RIDE faceti illi Librarii; tu, ſi ſapis, *ſic* locum corriges,

Quid pauper? VIDEN' UT *mutat cenacula, Balnea, tonſores?* (*lectos*,

Nulla fere a recepta ſcriptura variatio eſt, N'UT enim abſorpta ſunt a ſyllaba ſequente MUT: at in ſententia mirum quantum novae lucis exoritur. Silius Italicus XII, 713.

viden' ut *Latonia virgo*
Accenſas quatiat Phlegethontis gurgite taedas?

Tibullus II, 1. viden' ut *felicibus extis*
Significet placidos nuntia fibra deos?

& II, 2. viden' ut *trepidantibus advolet alis*,
Flavaque conjugio vincula portet Amor?

At animadvertis, credo, verba hic apponi modo ſubjunctivo: ut ad haec exempla corrigendum etiam reſtet, MUTET & NAUSEET. Atque id quidem, ſi opus eſſet, ſine crimine opinor

Digitized by Google

opinor facere liceret; ſed nihil neceſſe eſt. Catullus Ep. LXII.

Virgo adeſt. Viden' ut *faces*
Splendidas quatiunt *comas?* & LXIII.
Sic certe. viden' ut *perniciter* exiluere?

Virgil. Aen. VI, 78.

viden' ut *geminae* ſtant *vertice criſtae*,
Et pater ipſe ſuo ſuperum jam ſignat *honore?*

Idem Culice 215. viden' ut *flagrantia taedis*
Lumina collucent *infeſtis omnia templis?*

v. 94. SI CURTATUS INAEQUALI TONSORE CAPILLOS] In antiquis Venetis CURATUS; in Loſcheriana CURTATUS. Quorum poſterius, etſi in Codicibus ſcriptis vix uſquam extare fateantur, (in meorum ne uno quidem reperi) admiſerunt tamen magni Interpretes; rejecto altero & priſcarum editionum & Manuſcriptorum auctoritate nixo. Nollem factum; nam aut nihil hic video, aut *curtatus inaequali tonſore* tam inter ſe diverſa ſunt, ut nullo pacto in eandem ſententiam compingi queant. *Inaequalis eſt tonſor*, qui tam prave capillum ſecat, ut ab una parte brevior ſit, ab altera longior: nec ideo culpatur, quod laevam partem *curtaverit*; ſed quod pariter non curtaverit dextram. Nec vero ridiculum erat *curto capillo* incedere; id enim erat hominum ſeveriorum: ſed ſola inaequalitas, cum tonſoris imperitiâ vel incuriâ crinis hinc quam inde promiſſior erat, riſu excipiebatur. Ergo *curtatus inaequali tonſore* plane ἀσύνετον eſt, & conjungit diſſociabilia. Revocanda igitur priſca lectio CURATUS *capillos*; quae quid ſibi velit, primus ex recentioribus docuit acutiſſimus Gronovius pater. Nempe idem hic loci notat ac *tonſus, ſectus.* Petronius. *Voluerunt enim, antequam conſcenderent, exonerare capita moleſto & ſupervacuo* (capillorum) *pondere: ſed celerior ventus diſtulit* CURATIONIS *propoſitum.* Vide ipſum Gronovium fuſius hoc enarrantem Obſervat. lib. I. c. 23. ut & Janum Broukhuſium ad Propertii III, 12. Julius quidem Rufinianus, inter Rhetoras Pithoei p. 32. *Curtatus* ex hoc loco exhibet. *Epiſtrophe eſt*; inquit, *cum in eadem verba plures ſententiae deſinunt; ut Horatius,*

Si curtatus inaequali tonſore capillos
Occurri, rides. *Si forte ſubucula pexae*
Trita ſubeſt tunicae, rides.

Sed hoc nihil moror: cum vix dubitem, quin Pithoeus, non ad ſcripti exemplaris fidem hoc ediderit; ſed ad vulgatas Horatii editiones refinxerit.

v. 95. OCCURRI, RIDES.] Reginenſis noſter & Zulichemianus noſter, OCCURRO, & ſic aliquot aliorum. Placet: nam & praeſens tempus magis idoneum; & ſonus auribus gratior.

v. 97. QUID, MEA CUM PUGNAT SENTENTIA SECUM] Tres Torrentiani, & noſtri aliquot, etiam ex optimis, MECUM. Sed recepta lectio eſt potior. Ovidius Metam. XV, 27.

Surgit Alemonides, tacitaque recentia mente
Viſa refert: pugnatque diu ſententia ſecum.

v. 105. DE TE PENDENTIS, TE RESPICIENTIS AMICI] Ita ſcripti editique; neque quidquam hic interpretes offendit. Solus, quod ſciam, Chabotius vir eruditus candide profitetur, ſe nuſquam alibi verbum *Reſpicere* in hoc ſenſu legiſſe. Recte hoc: nam profecto *Reſpicere* eſt actio ſuperioris erga inferiorem, potentis verſus inopem. Terent. Adelph. III, 2. *Nam hercle alius nemo reſpicit nos.* Et V, 8. *Nec qui eam* reſpiciat, *quiſquam eſt: ſola eſt.* Noſter Carm. I, 2.

Sive neglectum genus & nepotes
Reſpicis auctor. Martialis X, 10.
Qui me reſpiciet, *dominum regemque vocabo.*

Et ſic alibi paſſim. Atqui hic Noſter plane ἄνω ποτάμων cliens *reſpicit* patronum, pauperculus amicus dominum. Dices fortaſſis, in utroque ſenſu uſurpari potuiſſe. Cras credo; ſed illud hodie ſcire videor, non tam vacui capitis fuiſſe noſtrum, ut in erubeſcendum hoc ambiguum vel inſciens vel prudens incurreret. Quid igitur fiet? inquis: ſed bono animo es: nam & auctori & loco ſuus honos conſtabit, ſi cum praeſtantiſſimo Nic. Heinſio ſic corrigas levi mutatione,

De te pendentis, te SUSPICIENTIS *amici:*

id eſt, admirantis, colentis, venerantis; ut infra Epiſt. VI. (*artes*

I nunc argentum & marmor vetus aeraque &
Suſpice; *cum gemmis Tyrios mirare colores.*

Ovid. Ep. Helenae.

Cumque ſuo Priamum Laomedonte refer.
Quos ego ſuſpicio: *ſed qui tibi gloria magna eſt*
Quintus, is a noſtro nomine primus erit.

Sed exempla obvia ſunt, & ſine numero. Certe qui *de aliquo pendet*, non *reſpiciat* eum unde pendet, ſed *ſuſpiciat* neceſſe eſt.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

v. 4. PLENIUS AC MELIUS CHRYSIPPO] Vide incertas lectionum viciſſitudines. Editiones principes, tam Venetae, quam Germanica PLANIUS AC MELIUS; & ſic dimidia fere pars Codicum; neque aliter Acron Scholiaſtes, ut ex his ejus verbis manifeſtum eſt: *In hac*, inquit, *Epiſtola vult oſtendere* melius & APERTIUS *ſe diſcere praecepta Philoſophiae ab Homero, quam a Philoſophis.* Nam *apertius* illud ſine dubio ad *planius* ſpectat, ad *plenius* nequaquam. Ita Cicero haec conjungere ſolet, *planius & apertius, apertiſſime ac planiſſime.* Tamen neſcio quomodo, rejecta hac priorum editionum ſcriptura, jam plus ſaeculo in omnibus libris dominatur illa altera PLENIUS. Quid nos, qui non tam auctoritate, quam ratione duci ſolemus? Enimvero aut nihil ſapimus, aut prior illa huc revocanda eſt poſtliminio, ſola ſcilicet auctori agnoſcenda. Hoc enim hic praedicat; ſe honeſtum & turpe, utile & damnoſum, melius diſcere ex Homeri *exemplis*, quam ex Crantoris & Chryſippi *praeceptis*. Atqui ea vis & virtus Exempli eſt, ut rem apertius & *planius* explicet; non utique *plenius* & copioſius. Auctor ad Herennium IV, 49. *Exemplum rem* apertiorem *facit, cum id quod ſit obſcurius magis* dilucidum *reddit: ante oculos rem ponit, cum exprimit omnia* perſpicue, *ut res dicta prope manu tentari poſſit.* Ergo huc convenit PLANIUS DICIT; & ſic alii frequenter. Cicero in Verrem III, 85. *Dic, dic, inquit, planius.* De Oratore II, 80. *Poſſis, ſemel ſi obſcurius dixeris, dicere alio loco planius.* & III, 13. *Ita nos plerumque ipſi docent, ut non deſideres planius dici*: Tuſcul. IV, 5. *Tu tamen, ut ſoles, dices iſta ipſa obſcura planius, quam dicuntur a Graecis.* Lactantius de Opificio Dei c. 21. *Tunc & ego te ad verae Philoſophiae doctrinam & planius & verius cohortabor.*

v. 10 QUID PARIS? UT SALVUS REGNET] Expendamus paulliſper locum integrum:

Antenor cenſet belli praecidere cauſſam.
Quid Paris? ut ſalvus regnet vivatq; beatus,
Cogi poſſe negat.

Ubi primum interrogatio illa *Quid Paris?* coactum quid & affectatum prae ſe fert: illa vero ſequentia,

Negat poſſe cogi, ut ſalvus regnet, vivatque beatus,

abſurda plane ſunt & naturae repugnantia. Non enim vi opus eſt, ut ſalvus quis & beatus velit vivere: ſponte ſiquidem & motu animi voluntario ad beatitatem ferimur, ipſa nos Natura ducente & docente:

Οὐδὲ ἐκὼν πόντοιο, ἐὸν δ' ἄκων μάκαρ.

Non ſum neſcius ſudare hic interpretes, & omnem lapidem vertere, ut alium ſenſum ex his verbis extorqueant; qualem ſcilicet vis ipſa ſententiae monſtrare videbatur. Sed fruſtra: pugnat enim conſtructio, & *cogi poſſe negat, ut* aliud quicquam dicat, quam quod modo memoravimus. Utinam exemplaria ſua ſcripta diligentius paullo excuſſiſſent, potius quam in corrupta lectione explicanda laborem inanem ſumerent. Noſtri enim libri veterrimi, Graevianus, Reginenſis, Leidenſis, Voſſianus, Colbertinus, Regius, & unus e Collegio Sanctae Trinitatis QUOD clare exhibent, non QUID. Sic igitur locum reſtitue, & interpunge:

Antenor cenſet belli praecidere cauſſam:
QUOD *Paris, ut ſalvus regnet vivatq; beatus,*
Cogi poſſe negat.

Omnia jam clara & perſpicua. *Quod* (ut *belli* ſcilicet *cauſſam praecidat*, & Helenam ſuis reddat) *negat ſe poſſe* ulla mercede *cogi* aut induci; etiam *ut ſalvus regnet vivatque beatus*: quippe ipſa vita & ſalute cariorem ducit Helenam. *Quod cogi*, ut *Quae nunc condonabitur*, accuſativus cum paſſivo; ut vel pueri probe norunt. *Negat poſſe*; hoc eſt plene, *negat ſe poſſe*: ut

Aiit fuiſſe navium celerrimus.

Virgil. Georg. II, 234.

Sin in ſua poſſe negabunt *Ire loca.*

v, 12. INTER PELIDEN] Ἀτρεΐδας hic locutus eſt Noſter, *Inter Peliden & inter Atriden.* Diximus ad Serm. I, 7. v. 11.

v. 17. RURSUS QUID VIRTUS] Reginenſis noſter a prima manu,

RURSUM *quid virtus, & quid ſapientia poſſit.*

Recte. Idem profecto ſenſus eſt; ſed, ſi aurium judicio ſtandum eſt, aliquid intereſt, hoc an illud verbum uſurpes. Suavius hic ſonat *Rurſum*, & evitatur homoeoteleuton *Rurſus virtus.*

v. 23. ET CIRCES POCULA NOSTI] Meliores ex Noſtris, CIRCAE, & infra v. 28.

PENE-

PENELOPAE; ut recte ex suis Lambinus edidit; vide quae diximus ad Epod. XVII, v. 17.

v. 25. SUB DOMINA MERETRICE] Reginensis noster notae optimae codex,

Sub DIVA *meretrice fuisset turpis & excors.* Quod non contemnendum. Circe enim *Diva*, ut cum ex poëtis, tum & aliunde notum est. Livius I, 49. *Octavius Mamilius Tusculanus ab Ulixe Deaque Circe oriundus.* Plin. Hist. XXV, 5, *Imprimis Italae Circe Diis etiam ascripta.* Ergo *Diva meretrix*, ut Propertius III, 9. *Scilicet incesti* meretrix regina *Canopi.* Juvenalis Sat. VI, 118,

Sumere nocturnos meretrix Augusta *cucullos.* Plin. Histor. IX, 58. *Cleopatra, superbo simul & procaci fastu, ut regina meretrix.* Vera tamen lectio est DOMINA; cui praeter codices ceteros ad unum omnes etiam Servius ad Aen. VII, 19. & Johannes Saresburiensis Policrat. I, 4. patrocinantur. Quae cum sic compendiose scriberetur DNA, lineolâ superne ducta; a Librario dormitante DIVA legebatur.

v. 31. AD STREPITUM CITHARAE CESSATUM DUCERE CURAM] Miror eos, qui hoc eleganter dictum existimant, ut nihil supra. Mihi contra nec dictio placet, nec sententia. Scio equidem *Cessare* esse ludo, amori & genio indulgere: ut noster alibi *Cessare & ludere, Nequam & cessator.* Esto: sed an ipsa Cura ducetur cessatum? an Cura otiabitur, ludet, vino & epulis se invitabit? Apage tam pravum & putidum schema. Non amplius Cura fuerit, si hoc fecerit. Quis Somnum ad Pervigilia invitaverit? quis I nertiam ad certamen Olympicum? Alius poëta dixisset, *Lenire, laxare, solari curam ad strepitum citharae:* nemo, opinor, id, quod hic Horatio adfingitur. Sed ut ignoscamus locutioni, quis ipsam sententiam vindicaverit? Nam luxuriosi hi nebulones, otio & vino marcentes, quid Cura sit, nesciebant: unde ergo illis Curam, quam cessatum ducerent? Illud praeterea vide; quaecunque de illis memorat, in vitio & vituperio esse: sic *in medios dies dormire, in cute curanda* totam operam ponere. Cur igitur addit, quasi grave crimen fuerit, *ad citharam curas lenire?* Hoc utique & honestorum hominum & laboriosorum est: neque solis nebulonibus concessum. Quoties hoc profitetur ipse de se & suis? ut Carm. IV, 11.

condisce modos, amanda
Voce quos reddas: minuentur atrae
Carmine curae. & Epod. IX.
Curam *metumque Caesaris rerum juvat*
Dulci Lyaeo solvere.

Jure ergo displicet recepta lectio: & potius omnia tentanda sunt, quam ut Horatii nomen & famam periclitari hic sinamus. Josephus Scaliger, Princeps Literatorum, sic locum refinxit,

Ad strepitum citharae CESSATAM *ducere curam:* quae conjectura, licet Dan. Heinsio displicere non potuit, mihi quidem parum placet. Nam praeterquam, quod iisdem, quibus recepta lectio, difficultatibus laborat, etiam illud insuper vitii habet; quod cura, quae jam *cessata* est, *duci* ad citharam non potest. Videtur sane locus jam a multis saeculis mendo inquinatus esse, & a librariis interpolatus. Blandinii enim quattuor apud Cruquium, notae optimae, SOMNUM praeferunt, non CURAM. Graevianus noster veterrimus CURAM quidem in versu habet, sed in margine ab eadem manu SOMNUM pro varia lectione. Magdalenensis nunc quidem CURAM; verum aliud quid olim praeferebat, ut ex rasura constat. Suspicari quis possit NOCTEM illic a prima manu fuisse; ut Serm. II, 7. v. 114.

Jam vino quaerens, jam somno fallere curam, Codex vetus Pulmanni, *fallere noctem.* Unde statim non magna mutatione conjectura nascitur non inelegans;

Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharae CERTATIM *ducere* NOCTEM.

Vides concinnam oppositionem, *in medios dies dormire,* & *totas noctes vigilare.* Ceterum *ducere noctem* frequentissima Poëtis dictio est; *certatim* autem & ad vulgatum quam proxime accedit, & sententiae apprime convenit. Statius Theb. I, 73. *Tyriis ea causa colonis*
Insomnem ludo CERTATIM EDUCERE NOCTEM
Suaserat.
Virg. Aen, IX. 166. noctem *custodia* ducit
Insomnem ludo. Virg. Georg. III. 379.
Hi noctem *ludo* ducunt. Sil. Ital. XI, 411.
Aut nostro vigiles ducat *sub numine* noctes.
Martial. II, 89.
Quod nimio gaudes noctem producere *vino.*
Val. Flaccus I, 251.
Dulcibus adloquiis & vino educite noctem.
I, 277. *Thracius hic* noctem *dulci* testudine *vates*
Extrahit. Seneca Thyeste v. 466.
nec somno dies,
Bacchoque nox ducenda *pervigili datur.*

Ubi perperam ex Etrusco codice, cetera praestantissimo, Gronovius pater reponit, *Nox jungenda.* Quid enim clarius ceterorum codicum lectione?

Digitized by Google

ctione? *dies somno ducitur, nox contra pervigili Baccho*; plane, ut hic Horatius, si hanc conjecturam admittis. Utcumque tamen blandiatur; cave sodes, fidem habeas: nullo enim pacto cum sequente versu aptari potest,

Ut jugulent hominem surgunt de nocte *latrones.*

Certe *noctem* & mox *nocte* repetitio foret odiosa; &, quod majus est, nisi *Somnum* hinc potius, quam *Pervigilium* expresseris, illud *Ut jugulent* &c. plane ex abrupto inchoabitur, neque ad praecedentia quidquam spectabit. Quamobrem, aut omnia me fallunt, aut antiquorum codicum lectio, si levi mutatione adjuvetur, omne punctum tollet;

Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharae CESSANTEM *ducere*
SOMNUM.

Cessantem reponimus loco *cessatum*; Nam Editio Loscheriana, & Veneta 1490, & Christ. Laudinus CESSANTUM habent, quod exponunt *Otiosorum. Cessantem somnum ducere* perinde erit, ac *tardantem, morantem allicere, invitare.* Noster Carm. III, 28.

Parcis deripere horreo
Cessantem *Bibuli consulis amphoram.*

Virg. Geor. IV, 138. (rantes.

Aestatem increpitans seram, zephyrosque mo-

Ducere autem *somnos*, etsi frequenter apud Poëtas pro *dormire* accipitur, ut in illo,

Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?

interdum tamen & pro *somnum facere*, ut hic, ponitur. Noster Epod. XIV.

Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim.

Seneca Herc. Oetaeo v. 645.

Cespes Tyrio mollior ostro
Solet imparvidos ducere somnos.

Jam autem *ad strepitum citharae* conciliari posse somnum res vulgatissima est; unde Noster, de Tyrannorum miseria loquens, Carm. III, 1, *Non avium* citharaeque cantus
Somnum reducent.

Seneca de Providentia c. III. *Feliciorem ergo tu Maecenatem putas? cui amoribus anxio & morosae uxoris quotidiana repudia deflenti* somnus per symphoniarum cantum *ex longinquo lene resonantium quaeritur.* Acron ad locum, *Ad strepitum) Quia adhibemus sonitum citharae ac lyrae, ut facilius sopiamur.* Apparet, credo, hunc Scholiasten in exemplari suo SOMNUM repperisse. Hoc itaque in nebulonibus illis culpat auctor, Quod in medios usque dies somnum protraherent; quin & fugientem citharae cantu revocarent. Unde capta occasione, transit ad praecepta quaedam contra Ignaviam & Desidiam tradenda,

Ut jugulent hominem surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergiscaris? &c.

v. 32. UT JUGULENT HOMINEM] Quod alii de suis codicibus narrant, idem ego de meis praedico; Antiquiores omnes HOMINEM praeferre, non *homines*. Quousque igitur ex sede sua exulabit & suavior lectio, & majoribus testibus probata? Ovid. Amor. III, 8.

Forsitan & quoties hominem jugulaverit, ille
Indicet: hoc fassas tangis, aviara, manus?

v. 34. SI NOLES SANUS, CURRES HYDROPICUS] Locus acri judicio expendendus:

Ut jugulent hominem, surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergiscaris? atqui
Si noles *sanus,* curres *hydropicus: & ni*
Poscas ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis & rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere.

Ita nunc passim editiones *Noles, Curres*, ex quo tempore magni interpretes Lambinus Cruquius, & Torrentius lectionem *hanc* in codicibus nonnullis repertam, suis calculis approbarunt: at principes illae Venetae & Loscheriana sic olim dederunt;

Si NOLIS *sanus,* CURES *hydropicus.*

quibus astipulantur veterrimi nostri scripti, Leidensis, Graevianus, Vossianus, Reginensis, & sane omnes praeter unum alterumve ex recentioribus. Quid agimus? Utraque sane defendi potest, utraque suum locum aliquatenus tenere: utra vero praeferenda sit, & sola parenti suo agnoscenda, statuere & declarare, non proletarii est interpretis. Prioris haec erit sententia, *Si noles sanus, currere, hydropicus curres*; si non sponte te cursu exercebis, ut bene valeas; at ingratiis id facies, cum in hydropem per ignaviam incideris. Recte hoc: nam eo morbo laborantibus cursu olim medebantur. Notus est Celsi locus de Hydropicis, III, 2. *Multum ambulandum*, currendum *aliquando est.* Porphyrio Scholiastes: *Curres hydropicus) Quia hydropici jubentur a medicis* currere: *ita enim morbus eorum solet extenuari labore.* Verum illud in hac lectione displicet; quod cum prima illa, *Ut te ipsum serves, non expergiscaris*, & postrema etiam, *Et ni poscas ante diem librum cum lumine*, de Somno & Vigilantia tractent; haec media plane ἀνωφελέστερα sunt; non, uti par erat, cum extremis

connexa

connexa & congruentia; ſed a re prorſus aliena, Curſu ſcilicet, huc traducta & prave interpoſita. Quid, quod ne per ſe quidem veri ſpeciem habeat, *Si noles ſanus, curres hydropicus?* An omnibus *ſanis* quotidie currendum eſt, ut ab hydrope ſibi caveant? quis e medicorum filiis hoc praecepit? Hac lege, ne ipſe quidem Horatius ab hydrope immunis fuerit: qui Serm. I, 6. ubi vitae ſuae conſuetudinem deſcribit, ſingulis ſe diebus *vagari* quidem, & poſtea *domeſticum otiari* ſolere commemorat; de *curſu* ne verbum quidem. Vides jam opinor lectionis hujus incommoda: quae ut evitentur, jam alteram illam inſpiciamus; ſi forte melius quid & ſententiae aptius in ſe continet. *Atqui*, inquit, *ſi nolis ſanus expergiſci, cures expergiſci hydropicus.* Haec verba ſic plene efferenda & ſupplenda eſſe quivis, opinor, videat: ordo hoc ipſe & conſtructio flagitat. *Cures* autem *expergiſci* Horatiana plane dictio: ut Epiſt. I, 17.

Et nos, quod cures *proprium* feciſſe, *loquamur.*

Ep. II, 2, *Sunt qui non habeant, eſt qui non* cu-
Art. Poet. v. 98. (rat habere.

Si curat *cor ſpectantis* tetigiſſe *querela.*

v. 133. *Nec verbum verbo* curabis reddere. & alibi non ſemel. Jam autem haec pulcherrime cum prioribus & ſequentibus convenire, plane in aperto eſt. Haec enim ſeries eſt totius orationis. 'Nos ſponſi Penelopae & ne-'bulones, in medios dies ſtertimus; etiam ar-'te ſomnum conciliamus. Stulte profecto & 'prave. Nonne vides, ut latrones de nocte 'ſurgant, hominem jugulaturi? tu contra, ut, 'te ipſum ſerves, non expergiſceris? atqui ſi 'nolis ſanus expergiſci (adhuc enim ſanitate 'frueris) at poſtea per ſomnolentiam iſtam 'Hydropicus factus, cures ſaltem expergiſci 'juſſu medici, ne morbus evadat letalis. Quin '& expergefactus aut aliquid agas neceſſe eſt, 'aut dabis ſupplicium: nam ſi non honeſto a-'licui ſtudio vacabis, ſi non librum ad lucer-'nam leges, invidia vel amore vel alia animi 'poena vigil torquebere. Sentis, opinor, filum orationis quam aptiſſime continuari: ut nihil hic deſideretur, praeter id unicum, quo compertum fiat ſomnolentos ad Hydropem ſaepe tranſire, & Hydropicos *vigilare* oportere, non minus quam ambulare vel *currere*. Atqui illud omnium ſaeculorum experientia comprobatum eſt: adeo ut Latinis uterque morbus, & quem *Lethargum* Graeci, & quem *Hydropem* nominabant, uno *Veterni* nomine indicetur. Feſtus Pompeius: *Veternoſus dicitur, qui gravi premitur ſomno: Cato veternoſum* hydropicum *intelligi voluit, cum ait, Veternoſus, quam plurimum bibit, tam maxime ſitit.* Idem Cato apud Gellium I. 16. *Nunquam tacet; quem morbus tenet loquendi, tumquam* Veternoſum bibendi *atque dormiendi.* Servius ad Georg. I. 124, *Veterno,) Pigritia, otio; quia plerumque otioſos ſolet hic morbus inceſſere; ut Plautus in Addicto:*

Opus facere nimio, quam dormire, mavolo:
Veternum metuo.

Veternus autem dicitur morbus intercutis, hydrops, *qui homines efficit pigros.* Donatus ad Eunuchum IV, 4. *Veternoſus morbo vetere conflictus, id eſt, veterno: quales ſunt, qui* hydropem *patiuntur.* Gloſſae veteres. *Veternoſus,* ὑδρωπικός. Ὑδρωψ, *veternum.* Plautus Menaechmis, V, 4.

Quid eſſe illi morbi dixeras? narra ſenex.
Num larviatus, aut territus? fac ſciam.

Num eum veternus, *aut* aqua intercus *tenet?* Quid jam videtur? enimvero, ſi pace tot Interpretum fieri poteſt, me volente haec lectio rurſum recipietur in textum. Nam, ut opinor, non carebimus poſthac Danielis Heinſii correctione,

Si NON IS *ſanus, curres hydropicus.*

Unum addam, fortius & nervoſius ſic ſcribi poſſe v. 33.

TU, *teipſum* UT *ſerves, non expergiſcere?*

Vide nos ad Serm. II, 3. v. 212, & 234.

v. 38. QUAE LAEDUNT OCULOS FESTINAS DEMERE] meliores noſtri, Graevianus, Reginenſis, Leidenſis, Voſſianus OCULUM: quod cum & caeteri interpretes de ſuis teſtantur, quid dubitamus in verſum recipere? nam & hic ut ſupra v. 32. numerus ſingularis eſt elegantior.

v. 41. INCIPE VIVENDI RECTE QUI PROROGAT HORAM] Codices plerique alio ordine,

Incipe. Vivendi qui recte *prorogat horam.*

Sed in hac lectione ambiguum eſt, utrum *recte vivendi* velit, an *recte prorogat.* In aliis quibuſdam ſic habetur; *vivendi recte qui.* Simpliciſſimum videtur, quod in vetuſto Codice Pulmanni, in Berſmanni altero, & in Petrenſi & Regiae Societatis extat,

Incipe. qui recte vivendi *prorogat horam.*

Sic enim alibi Noſter ſolet praeponere: ut Epiſt. I, 16.

Tu recte vivis, *ſi curas eſſe quod audis.*

& I, 16. *Si bene qui cenat,* bene vivit. I, 11. *Navibus atque Quadrigis petimus* bene vivere. I, 15. *Vos ſapere & ſolos aio* bene vivere. I, 6.

Vis

Digitized by Google

Vis recte vivere? *quis non?* Serm. I, 4. *Nonne vides, Albi ut* male vivat *filius?* Carm. II, 10. Rectius vives, *Licini.*

v. 52. UT LIPPUM PICTAE TABULAE, FOMENTA PODAGRAM] Equidem scio *juvare podagram,* pro *levare, lenire,* recte posse dici: ut Seneca Hyppolyto v. 120.

quis meas miserae deus,
Aut quis juvare *Daedalus* flammas *queat?*

Sed si seriem orationis contempleris, non satis venuste hic dicitur,

Juvat illum *sic domus & res,*
Ut lippum *pictae tabulae, fomenta* podagram.
Auriculas *citharae collecta sorde dolentes.*

In illis aut personam, aut membrum corporis dicit, *illum, lippum, auriculas;* in hoc ipsum morbum, *podagram.* Et ferrem quidem, si ex manu auctoris sic profectum esse constaret; nunc cum melius quid ex conjectura suppetat, cur non hoc potius Horatio ascribemus?

Ut lippum pictae tabulae, fomenta PODAGRUM.

Podager idem est qui podagricus vel podagrosus. Priscianus p. 819. *Poetor verbum, ut Ennius: Nunquam poëtor, nisi podager.* Ita & editi, & scripti codices, quorum quattuor mihi visi. Claudianus Epigr. XXIX.

IN PODAGRUM

Atque nihil prorsus stare putas podager.

Lampridius in Heliog. XXIX. *Habuit & hanc consuetudinem, ut octo calvos rogaret ad caenam, & item octo luscos. & item octo* podagros. Sic codex veterrimus Palatinus, teste Salmasio, ubi vulgo *Podagrosos.* Idem ait in prisco Symposii codice, lemmate XCI. MILES PODAGER haberi; ubi editi *Podagricus.*

v. 60. DOLOR QUOD SUASERIT ET MENS] Henricus Stephanus corrigebat, EXMENS, sive *demens, amens.* Non absurde quidem: sed nihil opus est correctore: *Mens* siquidem hic est θυμὸς, *ira, sive irae sedes:* ut mox v. 62. *Ira furor brevis est:* animum *rege;* id est, τὸν θυμόν. Carm. I, 16.

Compesce mentem: *me quoque pectoris*
Tentavit in dulci juventa
Fervor, *& in celeres Iambos*
Misit furentem. Catullus Epig. XV.

Quod si te mala mens furorque *vecors*
In tantum impulerit, sceleste, culpam.

Tibullus IV, 3.

Quis furor est, quae mens *densos indagine saltus*
Claudentem teneras laedere velle manus?

Virg. Aen. II, 519.

--*quae* mens *tam dira, miserrime conjunx,*
Impulit his cingi telis?

v. 62. QUI NISI PARET, IMPERAT:] Rursum Henricus Stephanus ex vetusto, ut narrat, codice, legendum esse praecipit

animum rege: qui nisi paret, (tena.
IMPERA, ET *hunc frenis, hunc tu compesce ca-*

Nimirum eo adactus est ex prava vulgatorum librorum interpunctione;

Ira furor brevis est, animum rege: qui nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Sic vulgo distinguunt & interpretantur, magno utique sententiae dispendio; quae ad hoc exemplum nihil Veneris in se habet, nihil rotundi. Tu, si sapis, sic mecum repones:

Ira furor brevis est, animum rege. Qui nisi paret,
Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Ubi rationem vides, cur frenis & catena compescendus tibi sit animus; nam ni ita fiat, te ipse catena vinctum ducet: quippe aut paret aut imperat, aut servus est aut dominus: nihil est tertium. Eadem fere sententia paullo infra Ep. I.

Imperat aut servit *collecta Pecunia cuique,*
Tortum digna sequi *potius quam* ducere funem.

Ducas tu potius fune pecuniam, quam ut ab ea fune ducaris: nam aut serviet tibi aut imperabit.

v. 65. IRE VIAM QUAM MONSTRAT EQUES] Et huic quoque loco multum elegantiae deperiit, negligentia interpretum; qui cum in pluribus codicibus QUA & MONSTRET inveniissent, receptam tamen priorum editionum lectionem sollicitare vel veriti sunt vel obliti. Sane & nos in Petrensi QUA offendimus, *Monstret* in pluribus eisque optimis, Reginensi, Graeviano, Vossiano & aliis: *quae* sine dubio vera lectio est:

Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire, viam QUA MONSTRET *eques.*

Sic distingue; ut non sit *ire viam* (etsi Virgilius, *Itque reditque viam toties*) sed *viam monstret.* Ennius apud Cicer. offic. I, 16.

Homo, qui erranti comiter monstrat viam.

Et ipse Cicero, Off. III, 12. *Quid enim est aliud, erranti* viam *non* monstrare? Ovid. Trist. I, 1.

Qui mihi monstraret *vix fuit unus* iter.

Qua autem lege; ut Virgil. Aen. I, 418.

Corripuere viam interea, qua *semita* monstrat.

Varius apud Macrob. Sat. VI, 1. itidem de Equo:

Quem non ille finit lentae moderator habenae.
Qua velit ire; *sed angusto prius orbe coercens.*
Insultare docet campis fingitque morando.

Utrumque denique & *Qua* & *Monstret*; ut Livius XXXII, 11. *Peaites jubet,* QUA *dux* MONSTRARET VIAM, IRE.

EPIST.

Digitized by Google

EPISTOLA III.

V. 4. AN FRETA VICINAS INTER CURRENTIA TURRES] Editiones quidem universae TURRES; & codices plerique cum veteribus Scholiastis, qui *turres Herûs & Leandri*, sive *Sestion & Abydon* accipiunt. Sane in Sesto turris erat, Lucernâ Herûs nobilitata; in Abydo vero similem turrim nemo veterum memorat. Ovidius Epist. Leandri v. 31.

Lumina quin etiam summa vigilantia turre,
Aut videt, aut acies nostra videre putat.

v. 105. *Cetera nox, & nos,* & turris *conscia novit.*

Musaeus v. 24.

Δίζεο μοι λύχνον ΠΥΡΓΟΝ, ὅπῃ ποθὶ Σηστὸς Ἡρὼ
Ἰσάλιος λύχνον ἴχνια, κεῖθι ἰηχομένου Λεάνδρου.

Et 30. ΠΥΡΓΟΝ δὲ σεσήμανται παρὰ γείτονι πασῶν
Ἀβυδόσιν.

Lucanus IX, 955.

Threiciasque legit fauces, & amore natatum
Aequor & Heroas *lacrimoso litore* turres.

Statius Theb. VI, 546.

Contra autem frustra sedet anxia turre *suprema*
Sestias in speculis.

Haec omnia de turre Sestia: de Abydena ne verbum quidem. Equidem ex tritissima hac Leandri historia, suppositam esse lectionem hanc suspicor Librariorum facinore. Nam Blandinius apud Cruquium omnium veterrimus cum altero itidem bono TERRAS praeferunt: quibus astipulantur ex nostris optimi Graevianus & Reginensis, qui TERRES habent, & v alia manu superscriptum. Quidni igitur reponimus,

Et freta vicinas inter currentia TERRAS?

Asiam scilicet & Europam: Ovidius de Tanai fluvio, Pont. IV, 10.

Quique duas terras, *Asiam Cadmiq; sororem,*
Separat, & cursus inter utramque *facit.*

Hero ipsa apud eundem, v. 141, ubi ventum alloquitur;

Parce fer x, laxoque mari tua praelia misce.
Seducit terras *haec brevis unda duas.*

Leander quoque v. 127.

Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos:
Tam tua terra *mihi, quam tibi nostra placet.*

Ausonius Mosella. v. 290.

Quis Chalcedonio constratum ab littore pontum,
Regis opus magni: mediis euripus ubi undis
Europaeque Asiaeque vetat concurrere terras.

Pomponius Mela II, 2. *Est & regio, in qua Persarum exercitus divisas spatio pelagoque* terras *ausus pontibus jungere.* Lucanus loco jam citato,

& Heroas lacrimoso litore turres.
Qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helle:
Non Asiam *brevioris aquae disterminat usquam*
Fluctus ab Europa.

Valerius Flaccus II, 615, etiam de Hellesponto loquens, *(prementem*

Qua brevibus furit aestus aquis; Asiamque
Effugit abruptis Europa *immanior oris.*
Has etiam terras *consertaque gentibus arva*
Sic pelago pulsante, reor, Neptunia quondam
Cuspis, & adversi longus labor abscidit aevi,
Ut Siculum Libycumque latus: stupuitque fragorem
Janus & occiduis regnator montibus Atlas.

Ubi in versu postremo *Janus* manifeste vitiosum est. Nic. Heinsius ad Ovid. Fast. V, 83, *canus* ex conjectura reposuit; & postea, cum Valerium ederet, in ipsum textum recepit. Miror equidem; nam, ut *canus* sit Atlas, perpetua scilicet nive obsitus; & *Pangaea cana* Lucano I, 680. *Video Pangaea nivosis Cana jugis:* illa tamen quo pacto conjungi possunt, *Canus, & regnator?* Quis tulerit sic loquentem, *Horatius canus, & princeps Lyricorum?* Hoccine ut laudet Heinsius, & critica & poëtica laude nobilis? Saltem & illud addidisse oportuit, IN reponendum esse pro ET,

Canus in *occiduis regnator montibus Atlas,*

hoc enim aliquo modo ferri posset. Sed cur sodes unus Atlas fragorem audiebat, ceteri montes Hellesponto propiores surdi erant? Quid si sic corrigendum sit?

stupuitque fragorem
Aemus, *& occiduis regnator montibus Atlas.*

Et Haemus, inquit, Hellesponto primum irrumpenti propinquus, & ultimus etiam Atlas stupuit. Vel, si a monte discedere velis, sic legas,

stupuitque fragorem Indus, *& occiduis* &c.

tantus videlicet fragor erat, ut ab ortu solis ad occasum, ab omnibus terris audiretur.

v. 6. QUID STUDIOSA COHORS] Editiones principes sic dederunt, *(quoque curo.*

Quid studiosa cohors operum struit? HAEC
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit? &c.

Digitized by Google

Unde per omnes ſequentes ea lectio propagata eſt. Atqui, quod in ſuis Pulmannus & Berſmannus (ceteri enim animum non adverterunt) ego etiam in meis omnibus reperi;

——HOC quoque curo.

Rectiſſime: quippe ad unam rem reſpicit; *Quid operum ſtruat cohors ſtudioſa.* Fruſtra enim ſunt, qui HAEC ad ſequentia referunt, *Quis res Auguſti, Quis bella & paces ſcribit? Quid Titius, quid Celſus agit?* Quippe vetat hanc interpunctionem illud *Quoque*. Haec enim, quae memorat, ſunt ipſa opera ſtudioſae cohortis, non aliquid diverſum.

V. 22. INGENIUM, NON INCULTUM EST] Editi quidem omnes jam inde ab incunabulis Typographiae, *non tibi parvum*

Ingenium, non incultum eſt, NEC *turpiter hirtum.*

At in melioribus noſtris Graeviano, Voſſiano, Reginenſi, cum aliis pluribus, elegantius & verius extat,

non incultum eſt ET *turpiter hirtum.*

Neque enim *incultum* & *hirtum* diverſas res ſignificant, ut ſint disjungenda: ſed quia unam eandemque rem amplificant & exaggerant, ſunt copulanda.

V. 30, DEBES HOC ETIAM RESCRIBERE] Videamus locum integrum.

Debes hoc etiam reſcribere, SIT *tibi curae*
Quantae conveniat Munatius; an male ſarta
Gratia nequicquam coit & reſcinditur.

Diſſident hic & libri & interpretes: alii SI TIBI, alii SIT TIBI exhibent; ab illa parte ſtant Leidenſis noſter & Graevianus, ab hac Reginenſis cum Voſſiano; ne de recentioribus memorem. Et utrumque quidem probe, ſi per ſe ſpectetur. *Sit tibi curae,* [illegible], hoc eſt plenè, *An ſit, ſi ſit, Sit ne tibi curae:* nihil vulgatius; atque hanc ſcripturam Nic. Heinſius in libri ſui margine amplectitur. Atqui illud non animadvertit Vir ſummus; poſita hac lectione, tum ſequentia fore vitioſa *coit & reſcinditur.* Nam dicendum utique fuerit, *Sit tibi curae Munatius, an nequicquam coeat & reſcindatur gratia.* Retinemus igitur, SI *tibi curae,* quod pro AN paſſim accipitur etiam ſequente verbo modi indicativi; ut Noſter Epiſt. I, 7. v. 39.

Inſpice, ſi poſſum *donata reponere laetus.*

Terent. Heaut. I, 1. v. 118. *tibo, viſam* ſi *domi eſt.* Nos, ut ambiguum evitetur, *Eſt* addidimus: quod cum in ſcriptis vel ſimplici *e* vel notula plerumque ſcribatur, & praeterea ultra Verſum excurrat, facile a praecedente litera in CURAE abſorberi potuit.

V. 32 & 33. AT VOS HEU CALIDUS SANGUIS HEU RERUM] Venetae & Loſcheriana ſic olim,

(vos
Gratia nequicquam coit & reſcinditur? AT
SEU *calidus ſanguis,* SEU *rerum inſcitia verſa*
Indomita cervice feros.

Et Interpretes quidem hoc diligenter notant, alios codices HEU HEU, alios SEU SEU exhibere; quod & de noſtris affirmamus: illud diſſimulant, non AT ſed AC in vetuſtiſſimis extare; ſic certe Graevianus noſter, & Reginenſis, & cum Voſſiano Petrenſis & Regius. Nimirum connectenda ſunt haec cum praecedentibus uno orationis ductu:

an male ſarta
Gratia nequicquam & reſcinditur; AC *vos*
SEU *calidus ſanguis,* SEU *rerum inſcitia vexat*
Indomita cervice feros?

Quae adeo plana ſunt, ut explicatione non egeant. Quod ſi AT cum vulgatis retineas; interrumpis ſententiae filum, & arenam relinquis ſine calce. Ceterum, repudiato illo *Heu* (cur enim tam putide hic exclamet) alterum admiſimus: quippe duas fraternae inimicitiae cauſſas diverſas ponit, *Seu* calidum ſanguinem, *ſeu* rerum inſcitiam: ſive, inquit, fervore & iracundia ſcientes peccetis, ſive ignorantia officii inſcientes. Illud denique conſidera (quamquam receptam lectionem ſine codicis auctoritate non ſollicito) annon *Veri* potius quam *Rerum* ab auctoris manu fuerit,

Seu calidus ſanguis, ſeu VERI *inſcitia vexat.*

Ubi *veri* accipies *recti*, ut paſſim apud noſtrum. Serm. II, 3. v. 43.

Quem mala ſtultitia & quemcunque INSCITIA VERI

Caecum agit. Ovid. Metam. VII. 92.

-nec me ignorantia veri *Decipiet, ſed amor.*

Tacitus Agric. c. I. *Vitium parvis magnisque civitatibus commune,* ignorantiam recti & *invidiam.*

EPIST.

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

V. 9. QUAM SAPERE ET FARI UT POSSIT] Digladiantur hic Interpretes, in loco, ut mihi quidem videtur, non adeo difficili, qui sic vulgo editur,

Quid voveat dulci nutricula majus alumno?
QUAM sapere & fari UT possit, quae sentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde.

At illud *ut* neque in priscis editionibus, neque in ullo nostrorum codicum invenitur. *Quam* autem cum sequentibus *Et cui* nullo pacto coaptari potest; aut enim CUI tum redundabit, aut in EI mutandum fuerit. Unde recte Lambinus, dum scripturae illi *Quam* adhaereret pro *Et cui* ex conjectura reposuit UTQUE; non procedente, nisi hoc fiat, constructione. Atqui illud *Et cui* in omnibus ubique codicibus visitur; neque opus est ut interpoletur; cum Blandinii quattuor apud Cruquium & veterrimus noster Graevianus cum Vossiano QUI habeant, non QUAM: quibus astipulantur alii QUIN praeferentes. Lege igitur optimorum codicum auctoritate,

Qui *sapere, & fari possit quae sentiat, &* CUI.

Ubi nihil est, quod difficultatem aut moram lectoribus faciat. Quid enim his clarius, *Alumno, qui possit sapere & quae sentiat fari, & cui gratia, fama, valetudo abunde contingat, quid majus voveat nutricula?* Vides, opinor, orationis seriem satis expeditam. Illud, ut videtur, Interpretibus librariisque turbas dedit; quod nutriculae vota de alumno *infante* hic acciperent; unde iis proclive erat *Quam* substituere; quo tempus, non ut hic praesens, sed *futurum* indicetur. Atqui etiam adultis alumnis bene precantur nutriculae; etiam tum saepe superstites, ut & in vita ipsa & in scena videre est. Id quoque Librariis ansam porrexit, ut *Quam* interpolarent; quia praecesserat *Majus*; nescientibus absolute hic poni; ut Epist. XII.

Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis; nil
Divitiae poterunt regales addere majus.

V. 11. ET MUNDUS VICTUS,] Editi omnes cum majore parte codicum, *& cui*

Gratia, fama, valetudo contingat abunde.
Et MUNDUS *victus, non deficiente crumena.*

Neque aliter citat Joannes Saresb. Metalog. I, 7. cujus etiam scriptum exemplar inspeximus. Quis lectionem tam idoneam & commodam in jus vocare ausit, nisi veterum exemplarium patrocinio fretus? *Mundus victus*, ut contra Noster Serm. II, 2.

Sordidus *a tenui* victus *distabit.*

Et Gellius XII, 7. *Cum dicere vellet* inopi *quendam* miseroque victu *vivere.* Amm. Marcellinus XXIX, 5. MUNDIORE VICTU *stipendioque milite recreato.* Verumtamen cum, praeter aliquot Lambino & Bersmanno visos, vetustissimi nostri Graevianus, Leidensis, Vossianus una cum Petrensi *Et* MODUS ET *victus* exhibeant; non possum non suspicari sic ab Horatio profectum esse,

Et DOMUS ET *victus, non deficiente crumena.*

Certe vix omitti potuit *Domus* inter vota nutriculae; ne forte cum omnibus istis naturae & fortunae bonis alumnus suus vel incerto lare vel nullo vagaretur. Noster Epist. I, 2.

Non domus *& fundus, non aeris acervus & auri,* &c.
Qui cupit aut metuit, juvat illum sic domus *& res,* &c.

Ovid. Epist. Helenae. 160. *resque* domusque,

Et tibi sit curae Troius hospes, ait.

Vides inter bona externa principem locum tenere *domum.* Quin & cum *victu* commodissime jungitur; ut Cic. de Amicitia c. 27. *Una* domus *erat, idem* victus *isque communis.* Gellius I, 14. *Quod viderent multa ad splendorem* domus atque victus *defieri, neque pro magnitudine dignitateque lautum paratum esse.* Ceterum cum addit, *non deficiente crumena*, eo ipso satis ostendit sine ullius epitheti ope & domum splendidam atque magnificam, & victum lautum atque elegantem.

Digitized by Google

EPISTOLA V.

V. 1. SI POTES ARCHAICIS] Quibus hic verbis interpretes compellem? Pudet hercle tot viros praestantes in re clara & manifesta tam turpiter se dedisse. Editiones Venetae & Loscheri sic olim,

Si potes ARCHAICIS *conviva recumbere lectis.*

Inde, etsi se aliud in omnibus fere scriptis reperisse fateantur, certatim hoc arripiunt Editores, & *archaicos lectos* intelligunt ἀρχαϊκοὺς, *antiqui* operis scilicet & rudis. Esto autem, ut Graeci dixerint ἀρχαϊκὰς ἱματίζας, ἀρχαϊκὰς ἀνδριάντας, & alia similia; unde tamen illud verbum in Scriptore Latino? Numquid apud alium quemvis id reperiunt? Remittent nos fortasis ad auctorem illum ferreum, Fulgentium Planciadem Mytholog. I. p. 27. *Quamvis enim quidam sint, qui spreta capitis generositate, aricinis atque* archaicis *sensibus glandium quippiam sapiant, atque eorum altiori stultitiae nubilo soporata caligentur ingenia.* Ita postremùm edidit vir doctissimus Thom. Munckerus; & illud *Archaicis* ex hoc ipso Flacci loco tutari conatur. Bene sane, & sic manus manum lavabit: sed quid sodes sibi illud vult, *spreta capitis generositate?* neque Munckerus, opinor, nec alius quisquam hoc explicaverit. Equidem ex uno illo vocabulo *Glandium* continuo veram lectionem subodoratus sum, quae sic se habet: *Quamvis enim quidam sint, qui spreta* CERERIS *generositate Aricinis atque* ARCADICIS *sensibus glandium quippiam sapiant.* Quid jam manifestius? sane in quinque libris scriptis *Arcadicis* haberi ipse testatur. Ergo stultos illos hic sugillat Fulgentius; qui *frugibus Cereris neglectis glande vescuntur*; quales erant *Arcades*, proverbio Graeco ob eam rem notati,

Πάντες δὲ Ἀρκάδες βαλανηφάγοι ἄνδρες ἴσασι.

Aricinis autem addidit eodem sensu: nota enim est *nemoralis Aricia*, ubi sues scilicet *glande* saginabantur. Quid ergo? Solus ne Flaccus tam putide hic graecissare voluit; ut de Venusino *Canusinus bilinguis* repente nobis factus sit? cum in promptu ei esset bene Latine sic versum facere,

Si potes antiquis *conviva recumbere lectis.*

Saltem id, opinor, curavisset, ne contra legem metri peccaret; nam *Archaicus*, quod utinam nossent interpretes nostri, secundam syllabam longam habet; ut cetera ejusdem generis. Sic ab ἀχαιὸς, ἀχαϊκὸς, *Achaicus*; Carm. I, 15.

Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

a τροχαῖος, *trochaicus*; ut Terentianus de metris,

Ergo qui versus paratur integer Trochaicus.

ab ἀρχαῖος, ἀρχαϊκός. Aristoph. Nub. p. 103. Edit. Basil.

Ὦ παιδάριον εἶ, καὶ φρονεῖς ΑΡΧΑΙΚΑ.

Quid? jamne satis explosum est inficetum illud *Archaicis*; quod nulla formae gratia neque dote praeditum tot tamen amatores invenit? Enimvero revocanda est priscorum quantum ubique est codicum lectio,

Si potes ARCHIACIS *conviva recumbere lectis.*

Recte Scholiastes Porphyrion: ARCHIAS *breves lectos fecit, unde* Archiaci; *sicut a Boetio Boëtios dicimus.* Graevianus adnotator manu antiqua: *Archiaci lecti, id est breves, ab artifice Archiate* (leg. Archia) *qui breves lectos studuit facere; & per hoc brevem domum intellige.* Acron Schol. *Lecti humiles ab Archaico* (leg. Archia) *fabro, qui non magnae staturae dicitur fuisse.* His auctoribus contenti erimus: quid enim mirum, si nemo alius tam ignobilem artificem mentione dignatus est? Quis *Sotericki lectos* noverit, nisi ex uno Senecae dicterio, apud Gellium XII, 2? Ceterum *Archias* nomen, vel ex Cicerone notissimum: & sicut a *Pausia* pictore *Pausiaca tabella* apud Nostrum Serm. II, 7. ut a *Phidia* sculptore *Phidiaca manus, Phidiacum thus*: ita ab *Archia* fabro recte atque de more *Archiaci lecti.*

V. 11. AESTIVAM SERMONE BENIGNO TENDERE NOCTEM] Editiones Venetae & Loscheri cum aliis superioris saeculi EXTENDERE. Seneca de Benef. IV. 13. *Mundus in quid vices suas absolvit? in quid Sol* diem *extendit & contrahit.* De Vita beata. c. 21. *Tamen si nihil prohibet,* extendit aetatem, *& in multa senectute placidus vivet.* Epist. CX. *Nos utraque* extendimus, *& longa ea spe ac meum facimus.* Noster Carm. II, 2.

Vivet extento *Proculeius* aevo.

Rejecerunt tamen hoc Interpretes; & quod in scriptis repererunt TENDERE, ejus vice substituerunt. Sane nostri omnes *Tendere*; praeter-

Digitized by Google

praeterquam quod in vetere Reginensi syllaba scalpello erasa sit, ut olim aut fuerit *extendere* aut *intendere*. In Vossiano recentiore plene scribitur *Extendere*. Ceterum simplex potius quam compositum a poetae manu esse vel unus ostendat Hieronymi locus, Ep. ad Demetriadem: *Numquam*, inquit, *dies tibi longi erunt; sed quamvis* AESTIVIS TENDANTUR *solibus, breves videbuntur*. Fallor, an hunc ipsum locum in memoria habuit, quem imitatus est sane eleganter.

v. 12. QUO MIHI FORTUNA, SI NON CONCEDITUR UTI] Ita cum editionibus priscis codices plerique, FORTUNA. Unde quidam conjectura FORTUNAS. Sed sine dubio illud verissimum, quod in duobus Cruquius, in uno Bersmannus, in suis aliquot Lambinus, nos in Leidensi, & a prima manu in Graeviano & Reginensi invenimus,

Quo mihi FORTUNAM, *si non conceditur uti?*
Ovid. Amor. II, 19. (*curet?*

Quo mihi fortunam, *quae numquam fallere*
Ita ex vetusto Puteaneo dedit Nic. Heinsius; cum antea vulgo ferretur *Quid mihi fortuna est*; vel *Quid fortuna mihi*; ut plane apud Flaccum sequiores libri exhibent. Ibidem III, 7. (*ne usu?*

Quo mihi fortunae tantum, *quo regna si-*
Seneca Controv. I, 2. *Quo mihi sacerdotem, cujus precaria est castitas?* Natur. Quaest. I, 16. *Quo nequitiam meam, si ad naturae modum pecco?* Vide Gronovium patrem ad dicta Senecae loca, & Nic. Heinsium ad Ovid. Heroidas II, v. 53. *Fortunam* autem singulari numero mallem, quia sequitur *uti*: Ita Livius XXXIII, 12. *Quae utraque proclivia esse, si* fortunâ uti *vellet*. Virg. Aen. IX, 240.

si fortuna *permittitis* uti.

Noster Serm. I, 9.

Nemo dexterius fortum est usus.

v. 26. BRUTUM TIBI SEPTIMIUMQUE] Aufer istos *Brutum & Septimium*, qui invocati in convivium irrumpunt. Alios invitaverat Horatius; si, ut sane par est, veteribus membranis fides habetur. Pulmanni Bersmannique codices, *Butram* & *Septicium* vel *Septitium* nominant; *Butram* etiam Torrentiani. Neque aliter nostri meliores, Reginensis *Butram & Septitium*, Graevianus cum Petrensi, Regio, Galeano *Butram & Septicium*; Vossianus, *Brutram & Septicium* Lege igitur,

Fungaturque pari. BUTRAM *tibi* SEPTICIUMQUE.

Butra viri est cognomen. Gruterus Inscript. MLXXI, 4. PRO SALUTE ITU ET REDITU BUTRAE. *Septicios* autem habes apud Cicer. in Verrem III, 14. apud Plinium in Epistolis, Spartianum in Hadriano, Scaevolam in Digest. II, 15, 3. denique apud Gruterum & Reinesium.

EPISTOLA VI.

v. 22. MUCIUS; INDIGNUM] Ut in loco superiore, sic & hic peccant Interpretes, dum nomina virorum rariora in trita & communia permutant: hic tamen eo gravius est delictum, quo cum majore sententiae detrimento admittitur. Sic enim vulgo edunt,

Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
MUCIUS: *indignum, quod sit pejoribus ortus:*
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.

Apage haec dissoluta & hiantia, sine caemento, immo sine sensu. Viderat haec inconcinna esse & absurda Marcilius; viderat Dacerius; & idcirco uterque emendationem tentavit; ille quidem non malam, hic tam coactam & duram, ut vel recepta lectione deterior sit. Aliam viam insistebat Daniel Heinsius. Atqui haud opus erat correctore; cum & omnes melioris notae codices tam aliorum quam nostri, & editiones principes Veneta cum Loscheriana sic recte verba exhibeant,

Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
MUTUS, ET (*indignum; quod sit pejoribus ortus*)
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.

Tu, inquit, quotidie a mane ad vesperem quaere, parce, rem auge; ne Mutus te ditior sit, & hic tibi potius mirabilis sit propter opes, quam tu illi: quod indignum fuerit, cum ille pauperioribus parentibus ortus sit. Nihil, opinor, hic difficile aut salebrosum. *Mutus*, ut superius *Butra*, viri cognomen: & sane in plerisque codicibus *nomen proprium* esse inter lineas adnotatum est: quod cum credere nollent Interpretes, in diversa abierunt, & nebulas pro Junone captarunt. Gruterus Inscript. CCCII, 1. M. OCCIUS RUSO.
P. ALBURIUS P. F. MUTUS.

Ceterum

Digitized by Google

Ceterum illa, ut vides, parentheſi incluſimus: ſic enim poëtae ſolent. Ovid. Metam. V. v. 37.

niſi poſt altaria Phineus
Iſſet; & (indignum) ſcelerato profuit ara.

Vide, quae diximus ad Serm. II, 5. v. 79. Unum tantummodo addam; omnes codices mihi viſos QUOD SIT diſerte exhibere: neque vero reprehendo. Tamen aut fallor, aut elegantius paullo exiret, hoc exemplo;

Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
MUTUS, ET (*indignum*) QUI *ſit pejoribus ortus,*
Hic tibi ſit potius, quam tu mirabilis illi.

Excutiant, quibus mens & copia eſt, codices vetuſtiores.

V. 31. VIRTUTEM VERBA PUTAS, UT LUCUM LIGNA?] Ita quidem codices recentiores, & editiones principes PUTAS UT; unde in ceteras omnes propagatum eſt. Saresber. Policrat. VII, 12. *Errant, qui virtutem verba* putant, ut *lucum ligna*; & ſic ibi codex ſcriptus. At antiquiora exemplaria ET, non UT; notantibus Pulmanno, Berſmanno, Torrentioque. PUTES autem, non PUTAS, in ſuis reperit Cruquius. Nos quidem *Putes &* in optimis noſtris Graeviano, Reginenſi, Voſſiano vidimus; *Putas &* in mediocribus; *Putas ut* in recentiſſimis. Revocemus ergo, quod & auctoritas & ratio jubet,

Virtutem verba PUTES, ET *Lucum ligna*?

Ubi ſententia eſt; Poteſne exiſtimare, virtutem verba eſſe, & Lucum conſecratum a quavis ſilva non differre? hoc eſt, Poteſne & virtutem & religionem exuere? Apparet igitur, mollius & verecundius dici *Putes*, quam *Putas*? Ovid. Heroid. XIX, 41. (*trix*?

Jamne putes *exiſſe domo mea gaudia, Nu-*
Pallade jam pingui fingere membra putes?

Ita codices probiores, teſte Heinſio: ubi recentiores ut hic, *putas*. Nec vero parum intereſt, ET an UT legas: prius indicabit aeque aut magis eſſe difficile religionem abnegare quam virtutem; poſterius, virtutem quidem veri ſpeciem habere; religionem vero & Flacco & pleriſque aliis inter fabulas numerari. Quod & probe animadvertit Torrentius; qui, *Omnino*, inquit, *legendum eſt* ET LUCUM: *nam retenta vulgari lectione videri poſſit Horatius de Luco id ſentire, quod alterum rogat: & ſenſiſſe quidem credo; ſed ita ſentire videri hoc loco noluit.* Haec ſenex doctiſſimus acute & vere. ſed poſteriores interpretes ea minime aſſecuti ſunt.

V. 51. QUI FODIAT LATUS] Manſit hoc, ex vetuſtis Editionibus acceptum. At membranae vetuſtiores FODICET, ut ab omnibus notatum. Ita noſtri Leidenſis & Graevianus habent cum Magdalenenſi. In Reginenſi & Voſſiano *Fodiet*, proxime ad verum: in ſequioribus *Fodiat*. *Fodicare* habes apud Plautum, Ciceronem; alios.

V. 53. CUILIBET HIC FASCES DABIT] Ita codices proletarii cum editionibus: neque quidquam adnotant Interpretes; niſi quod ſolus Berſmannus in uno ſuo IS pro HIC extitiſſe memorat. At nos in veteribus noſtris, Graeviano, Reginenſi, & Voſſiano ſic invenimus,

hic multum in Fabia valet, ille Velina:
CUI LIBET IS *faſces dabit, eripietque cu-*
Cui volet importunus ebur. (*rule*

Rectiſſime. *Hic, Ille*, IS; ubi *Is* tertium quendam ſignificat: at *Hic* idem erit qui primus, prorſus contra mentem auctoris. Illud deinde *Cuilibet* ineptum plane eſt & abſurdum. An is *cuilibet*, hoc eſt, *curvis, cuicumque obvio, τῷ τυχόντι.* dabit faſces? an omnibus aeque favet, & neminem habet eximium? Immo disjunge voces; ut *cui libet* perinde ſit, ac ſequente verſu *cui volet*. Ovidius Triſt. III, 7.

Nempe dat id cuicumque libet *Fortuna, ra-*
pitque.

V. 59. DIFFERTUM TRANSIRE FORUM] Locus hic nec interpretem oſcitantem, nec lectorem ſupinum patienter feret:

Gargilius, qui mane plagas, venabula, ſervos,
Differtum tranſire forum populumque *jubebat;*
Unus ut e multis, populo *ſpectante, referret*
Emtum mulus aprum.

Codices nihil hic variant; ultra quos vix audent ſapere commentatores. Unus Tanquillus Faber, vir acri judicio, errorem hic latere ſagaciter animadvertit. Quorſum enim inhoneſta illa repetitio, *populumque & populo*? caviſſet hoc poëtarum diligentiſſimus. Hoc Faber; cujus ſententiae accedit eruditiſſimus gener Dacerius. Verum aliud eſt & majus, quod in recepta lectione jure caſtiges. Quid enim illud, *Differtum forum populumque*? quo differtum erat forum, niſi populo? an pecudibus, ut quaſi aliud quid populum hic ſuperadderet? Deinde utrique verbo commune epitheton eſt *Differtum*; hoc ipſa conſtructio flagitat. Quisquamne autem dixerit *populum differtum*? *Confertum* quidem de ipſa *turba* dici

Digitized by Google

dici passim invenies: *differtum* & *refertum* tantummodo ad *locum* pertinent turba plenum. Nolter Serm. I, 5. *inde* forum *Appi*

Differtum *nautis, cauponibus atque malignis.* Cicero Philipp. III, 13. *Videmus* refertum forum, *populumque R. ad spem recuperandae libertatis erectum.* & VII, 8. *Qui pleno ac* referto foro *bis me una mente atque voce in concionem vocavit.* Ergo abeat in malam rem tam inficeta lectio *Populumque*: nos, si fieri potest, meliorem & suam Venusino nostro recuperemus. Dacerius quidem post socerum *Pontemque* ex conjectura reponit: *quippe Gargilio in Tuscos ad venandum tendenti iter erat per pontem Sublicium.* Sed bis hic peccatum est a viris cetera perspicacibus. Neque enim venatum *exibat* per forum, sed a venatione *redibat*: id ex ipsis verbis pro comperto habendum; *Jubebat*, inquit, *servos per forum transire, ut populo spectante mulus aprum* REFERRET. Ergo ante lucem pro solito venatorum more exierat: & *mane* sive ante meridiem pleno tum foro redibat. Neque vero recta via domum tendebat Gargilius; ut ea de caussa *Pontem* reponere debeas, *quia iter ei erat per Sublicium*: hoc quoque verba ipsa demonstrant. JUBEBAT, inquit, *servos forum plenum transire*: atqui, opinor, *injussi* recta domum ituri erant: *jussu* domini opus erat, ut recta via diverterent, & flexo circuitu per forum irent, ut populo ibi conferto ostentarent aprum, non captum ut credi volebat, sed emtum. Ergo aut aliis rationibus defendendum est illud *Pontem*; aut ista conjectura de ponte dejicienda est. Omnino quidem verisimile est, praeter *Forum* hic commemorari alium locum celebrem, & multitudine hominum frequentem. Duo certe hic loca legisse olim videtur Scholiastes Cruquii; *Per* LOCA, ait, *frequentiora transire volebat, ut a pluribus cerneretur.* Et *Pons* quidem satis frequens erat, sed mendicorum turbâ, qui a tranieuntibus stipem petebant. Seneca de Vita beata c. XXV. *In sublicium pontem me transfer, & inter egentes abjice: non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt.* Vide Ovidii Ibin v. 418; Martialem X, 5; Juvenalem Sat. IV & XIV. His, opinor, mendicis non studebat se ostentare Gargilius: ergo alius locus inquirendus est, honestiorum civium frequentia celebris. Et ecce tibi ipsum illum, quem ab Horatio olim hic positum esse ne dubitare quidem fas est: Lege igitur,

Differtum transire forum CAMPUMQUE *jubebat.*

Neque vero id te absterreat, quod *campum* a recepta lectione *populum* recedere longius videtur: error enim ex compendiosa scriptura ortus est; dum illud *cpum*, hoc *pplum* lineolis superductis librarii exararent. Unde & in aliis auctoribus idem error inolevit, ut Statio Theb. VII, 775.

vade diu populis *promissa voluptas Elysiis.*

Ita editi omnes, & scripti plerique: sed vetus codex ex collegio Emmanuelis clare ibi exhibet, & recte opinor,

CAMPIS *promissa voluptas.*

Scis illud Virgilii,

Quamvis Elysios *miretur Graecia* campos.

Jam autem *Forum Campumque* celeberrima loca esse, & ob eam rationem plerumque una memorari solita, multi te auctores docebunt. Ovid. Amor. III, 8.

Omnia possideant: illis campusque Forumque
Serviat: hi pacem crudaque bella gerant.

Pont. I, 8. *(cus umbra;*
Te modo Campus *habet, densa modo Porti-*
Nunc, in quo ponis tempora rara, Forum.

Auctor de morte Drusi, v. 49.

Nec vires errasse tuas Campoque Foroque.

Cicero Catil. IV, 1. *Ego sum ille consul; cui non* Forum *in quo omnis aequitas continetur, non* Campus *consularibus auspiciis consecratus, non Curia* &c. Cat. II, 1. *Non in* Campo, *non in* Foro, *non in Curia, non denique inter domesticos parietes pertimescemus.* Pro Murena c. 21. *Petitorem ego, praesertim Consulatus, & in* Forum *&* in Campum *deduci volo.* ibidem c. 37. *Quorum ego ferrum & audaciam rejeci in* Campo, *debilitavi in* Foro, *compressi etiam domi.* Et 39. *Versabitur in castris furor, in curia timor, in* Foro *conjuratio, in* Campo *exercitus, in agris vastitas.* Pro Sulla c. 17. *ut victi in* Campo, *in* Foro *vinceretis.* ibid. c. 31. *Huic misero notiora sunt judiciorum itinera &* Fori, *quam* Campi *& disciplinarum.* Seneca de Constantia c. 12. *Hi eadem in* Campo Foroque *& in Curia serio ludunt:* Plinius Paneg. c. 77. *Iter illi saepius in* Forum, *frequenter tamen & in* Campum. Tertullianus de Pallio c. 5. *Ego, inquit, nihil* Foro, *nihil* Campo, *nihil Curiae debeo.* Cicero pro Quintio c. 18. *Natura tristi ac recondita fuit: non ad* Solarium, *non in* Campo, *non in conviviis versatus est.* Solarium autem in Foro situm fuisse notissimum est. Seneca de Ira II, 7.

Quid

Digitized by Google

Quid ſingula perſequor? cum videris Forum *multitudine refertum, & ſepta concurſu omnis frequentiae plena, & illum Circum, in quo maximam ſui partem populus oſtendit; hoc ſcito, iſtic tantundem eſſe vitiorum, quantum hominum.* Ubi *Septa* intellige *Campum*; quippe in Campo Martio extitiſſe Septa ſive Ovilia vel pueri ſciunt. Jam vides, opinor, cur oſtentator ille Gargilius per Forum Campumque deportari aprum juſſerit; ut aut de hac emendatione conſtet, aut mihi omnino in literis certi ſit.

EPISTOLA VII.

V. 22. VIR BONUS ET SAPIENS DIGNIS AIT ESSE PARATUM] Indignor, cum in tot editionibus video illud PARATUM; quod ne Latinum quidem eſt. Recte Cruquius ex vetuſtiſſimis Blandiniis expreſſit,

Vir bonus & ſapiens dignis ait eſſe PARATUS.

Ita quoque in uno ſuo Berſmannus, ego in Graeviano reperi. Neque vero membranae tantum, ſed & veteres Grammatici lectionem hanc confirmant. Chariſius Lib. IV. p. 239. *Soloeciſmus per Caſus, ut Vir bonus & ſapiens dignis ait eſſe paratus, pro Paratum ſe eſſe.* Servius ad Aen. II, 377. *Senſit medios delapſus in hoſtes. Nominativum pro accuſativo poſuit; ut Horatius: Vir bonus & ſapiens dignis ait eſſe paratus.* Sed valeant Grammatici cum Soloeciſmo ſuo: neque enim aliter loqui debuit. Catulli illud noſti;

Ait *fuiſſe navium* celerrimus.

Pone hic accuſativum; &, niſi SE addideris, tum demum vere in Soloeciſmum incides.

V. 29. FORTE PER ANGUSTAM TENUIS VULPECULA RIMAM] Arrige aures, lector, & intento fac ſis animo; dum locum hunc excutimus, & ad vivum ſecamus.

Forte per anguſtam tenuis vulpecula *rimam*
Repſerat in cumeram frumenti; paſtaque rurſus
Ire foras pleno tendebat corpore friſtra:
Cui muſtela procul, Si vis, ait, effugere iſtinc;
Macra cavum repetes arctum, quem macra ſubiſti.

Sic locum & editi omnes & ſcripti, quod ſciam, exhibent: noſtri certe ſine ulla litura VULPECULA: neque aliter legit Iſidorus Orig. I, 39. *Ad mores*, inquit, *ſpectat Fabula: ut apud Horatium mus loquitur muri*, muſtela vulpeculae, *ut per narrationem fictam ad id quod agitur verax ſignificatio referatur.* Sic ibi & codex Manuſcriptus. Reſpicit autem ad Serm. II, 6, ubi mus loquitur muri; & ad hunc de quo agimus locum, ubi muſtela vulpeculae. Jam autem ſi receptam hanc lectionem, tot licet codicibus tantaque temporis longinquitate munitam, non Librariis potius dormitantibus, quam auctori ipſi adſcribimus: vereor equidem, ne ex Horatio Bavius nobis Maeviuſve repente prodeat. Quid enim? *Vulpecula*, inquit, *repſerat in cumeram frumenti; unde paſta* (frumento ſcilicet) *redire non potuit.* Veſtram fidem, Venatores, Ruſtici, Phyſici! Frumento veſcitur Vulpecula? Quis vel fando hoc audivit, quis prodidit? Nulla profecto fame adigas vulpem; ut comedat frumentum: neque enim poteſt; cum pinnos latoſque dentes non habeat, quibus grana comminuat; cum ventriculus id cibi genus natura non appetat. Crediſne autem tam ſtolidum, tam vacuo capite fuiſſe noſtrum, ut hoc neſciverit? neminem ſaltem amicorum, quibus recitare ſua conſueverat, aut ſciviſſe; aut ſcientem erroris admonuiſſe? Incredibile prorſus: & tamen, quod jure mireris, ſolus omnium interpretum Dacerius ulcus hoc detexit; quóque ejus foetorem officioſe ab Horatio abigat, hanc lectionem comminiſcitur;

Forte per anguſtam tenuis Vulpecula rimam
Repſerat in CAMERAM *frumenti.*

Et ſic ſane Loſcherus edidit, & interpretatur *Granarium*. Sed, praeterquam quod omnes ubique codices repugnant, *cameram frumenti* ne Latinum quidem eſſe facile eſt evincere. *Camera* quippe eſt *fornix, arcus, teſtudo*; quis autem dixerit *fornicem frumenti*? liquidem ea non *capere* poteſt frumentum, ſed duntaxat *tegere*. Dacerius quidem ex Columella rem conficere conatur, I, 6. *Neque me praeterit ſedem* frumentis *optimam quibuſdam videri horreum* Camera *contectum.* Poterat & Frontinum ad partes vocare, Stratag. III, 4. 6. *Simulato fodere* frumenta *apud eos depoſuit: deinde data opera, ut tectorum* camerae, *in quibus id conferebatur, reſciſſae pluviam reciperent.* Quid vero ex his proficiat, non video: *cameram* quidem *horrei*, & *cameram tecti* recte hinc dixeris; *cameram frumenti* minime: ut *operculum*

Digitized by Google

culum vasis probe dicimus, *operculum vini aut tritici* prave & inepte: quippe, ut jam dixi, camerae, fornices, opercula tantummodo tegunt, non capiunt quidquam & continent. Sed ut hoc Dacerio condonemus; videamus quo rem deducere ſtudeat. Si *cameram*, inquit, reponimus; *ſalva erit Flacci exiſtimatio: non enim is vulpem intromittit, ut frumentum ibi comedat; ſed ut pullos & columbas captet.* Vah commentum facetum & callidum! Frugi ſane ruſticus, qui in horreum pullos admiſerit: ſarta tecta ſine dubio camera, & arcendae pluviae idonea, quae etiam columbis patuerit. Atqui, o bone, quocumque te verteris, haerebit haec Horatio macula, toto oceano non eluenda. Ipſa enim vis conſtructionis flagitat, cogit, imperat, ut vulpecula vel in camera tua frumento veſcatur. Quid enim attinebat *frumentum* hic memorare, niſi alimenti & pabuli cauſſa? An quia vera hiſtoria erat, & ſic, ut res erat, narranda? Atqui fabulam ſcimus eſſe Aeſopicam, ad arbitrium auctoris confictam: ut haud neceſſe eſſet res alienas & ad exitum fabulae non ſpectantes contra decorum immiſcere. Maneat ergo, quod in omnibus ubique codicibus viſitur, CUMERA *frumenti:* quod quid ſit, recte explicat Acron ad Serm. I, 1. *Cumera vas eſt ingens vimineum; vel fictile ſimile doliis, ubi frumentum ſuum reponebant agricolae: vel vas minus, capiens quinque ſive ſex modios.* Jam autem in hujus moduli vaſe *rima*, inquit, erat *anguſta*: certe; nam per *laxam & hiantem* rimam ipſum frumentum effluereret; dominuſque quantumvis negligens mature obturandam curaret. Atqui, ait, per hanc rimam anguſtam *macra Vulpecula* irrepſit. Quid audio? per tantillam rimulam Vulpes? vix equidem crediderim, etiamſi eſſet

Oſſa atque pellis miſera macritudine.

Neque enim, cum *Vulpeculam* dicit Noſter, tu parvum vulpis pullum accipies; ſed vulpem adultam. Ita Cicero de Offic. I, 13. *Fraus quaſi vulpeculae, vis Leonis videtur.* Quod ſi catulum vulpis hic intelligis, ipſa tum fabula non poterit recte procedere. Catulus enim, non pinguior ſolum in cumera ſed & *grandior* factus, non poterat rurſus ire per arctum cavum; etiamſi tam macer eſſet, quam cum primum intraverat. Talem igitur tu vulpem, adultam, grandem, per anguſtam cumerae rimam introducis? Quid vero nobis *cumeram* narras; qua ſodes via in ipſam domum, ubi cumera ſita erat, vulpes inſinuavit? cur hoc ſiles? de domeſtico potius & κρεοφαγίᾳ animalculo, quam de vulpe ſilveſtri, fabulari videris. Sed ecce & majus portentum: ubi ſemel penetraverat in cumeram, ibi ſecure habitare coepit, ſilvarum & prioris vitae prorſus oblita. Non enim, ne id forte neſcias, pleno ventre, ſed *pleno corpore*, non ſatura, ſed *pinguis* tum primum exire tendebat. Quid Aeſopus, primus hujus fabulae auctor, ſecutus ſit, equidem neſcio. *Plenum* tamen *ventrem* ille potius; ſi Sto Hieronymo fides. Quo fortaſſis alludens, Cleonem exagitat Comicus, *quod vacuo ventre in Prytaneum curreret, pleno excurreret:* οὐ κενῇ τῇ κοιλίᾳ

Εισδραμὼν εἰς τὸ πρυτανεῖον, εἶτα πάλιν ἐκθεῖ πλέᾳ.

Sed in Horatiana hac fabula non ſaturatam modo vulpem, ſed & pinguefactam eſſe conſtat. Id quod verba ipſa declarant: *macra* enim & *tenuis* irrepſerat, *pleno corpore* exire fruſtra conabatur. Quid ſit *corpus plenum* Celſus te docebit, nempe macro & tenui contrarium, pingue, obeſum. VIII, 9. *Id agendum cibis uberioribus eſt, ut* corpus quam pleniſſimum *fiat, quo melius os veſtiat.* I, 3. Tenuis *vero homo implere ſe debet,* plenus *extenuare.* Quot igitur dies nocteſque commorata eſt in cumera Vulpes; dum ex macra & ſtrigoſa corpulentior atque habitior facta eſt? Nonne monſtri ſimile eſt, intra hoſtium parietes, inter familiae ſtrepitum, tamdiu ſecure eam veſci & dormire potuiſſe. Enimvero omnibus modis portentoſa erat ea Vulpes: cum enim Aeſopicae illae beſtiarum omnium aſtutiſſimae fuerint & callidiſſimae; haec contra ſtultitiae & fatuitatis exemplo eſt; ut vel Muſtela, beſtiola illa ignobilis, quacum vulpes illae Aeſopicae vel fabulari numquam dignatae ſunt, haud paullo ſapientior inducatur. Appello jam te, quicumque es, qui vel de limine umquam Horatium ſalutaſti: potéſne in animum inducere, tam indecora haec, tam abſurda, tam incredibilia Venuſino noſtro imputanda eſſe? ut vulpes comedat frumentum; ea gratia in cumeram ſe inſinuet per anguſtum foramen vix muribus pervium: quae ipſa cumera intra ruſticum larem & clauſos parietes ſita erat; ut in ipſo pariete vel janua rima alia opus fuerit, qua ad cumeram penetraverit: ibi vero, bis licet captiva, tam in cumera, quam in domo, ſecure tamen genio litaverit, donec in rebus bonis obeſula evaſerit; denique tam inops conſilii, tam aſtutiarum veterum oblita fuerit, ut qua arte egre-

Digitized by Google

deretur neſciverit, niſi muſtela, ſi Muſis placet, quid facto opus, irrideus ſubmonuiſſet. Quin jam ipſe per te, opinor, intelligis, de *Vulpecula* minime hic agi poſſe; ſed de animalculo domeſtico, quod frumento victitare ſoleat, quod per rimulam repere poſſit, & in cumera facile latere; &, ut clare dicam, non cum *Vulpe* hic muſtelam, ſed cum MURE fabulari oportere. Sane, ut in recepta lectione prava omnia & abſurdiſſima ſunt: ita contra, ſi MUS aliquo pacto ad partes hic vocari poterit; nihil non erit argutum, ſpecioſum, venuſtum. Utrumque enim animal in domibus verſari ſolet: ut rite hic & decore Sermonem inter ſe conferant. Cicero de Nat. Deorum II, 6. *Si domum magnam pulchramque videris; non poſſis adduci ut, etiamſi dominum non videas,* muribus *illam &* muſtelis *aedificatam putes.* Plautus in Sticho III, 2.

Muſtela murem *mi abſtulit praeter pedes.* Unde & in pluribus apud Aeſopum fabulis mus cum muſtela loquebatur: ut Ariſtoph. Veſpis p. 354. Edit. Baſ.

Ἐγὼ δὰ τοίνυν τοῦτο καθ' αὑτὸν
Ἐκεῖνον, ὡς ἔτυ ποτ' ἦν ΜΥΣ ΚΑΙ ΓΑΛΗ.

Novi, inquit, *ex domeſticis fabulis illam, Ut erat* MUS ET MUSTELA. Denique hanc ipſam fabulam, quam ab Aeſopo Horatius tranſtulit, de *Muſtela & Mure,* non *Vulpecula,* confictam olim eſſe, teſtem tibi dabo exceptione omni majorem, S. Hieronymum Ep. ad Salvinam De Virginitate ſervanda: *Docet,* inquit, *& Aeſopi fabula plenum* MURIS *ventrem per anguſtum foramen egredi non valere.* Hic igitur nobis Mus e latibulo ſuo excitandus eſt; ut Horatio periclitanti ſuppetias ferre poſſit. Sed unde, inquies, talem, qui verſum hiantem implere poſſit & labantem ſuſtinere? Ecce igitur tibi, qui & id facere queat, & Librariis ignotus facile eis pro Mure *Vulpecula* videri poſſit. Lege enim,

Forte per anguſtam tenuis NITEDULA *rimam*
Repſerat in cumeram frumenti.

Nitedula, ſive *Nitela* eſt mus agreſtis, μῦς ἀγρεύς, frumento victitans, & areas & cumeras agricolarum infeſtans. Virgil. Georg. I, 181. (*mus*

Tum variae illudunt peſtes, ſaepe exiguus
Sub terris poſuitque domos atque horrea fecit.

ubi Servius ad locum: *Exiguus mus,* NITELA, *mus agreſtis rubens; cujus Cicero meminit in Seſtiana.* Extat is locus Ciceronis, Pro Publio Sextio. c. 33. *Quoniam id etiam fatum civitatis fuit; ut illa ex vepreculis extracta* NITEDULA, *rempublicam conaretur arrodere.* Sic libri ſcripti editique & ne de lectione dubites, faciet Priſcianus p. 613. *Vepres,* ait, *veprecula, ut Cicero pro Seſtio: Vepreculis extracta* NITEDULA. Arnobius lib. II. p. 95. Edit. Heraldi: *Non enim ſi negemus muſcas, ſcarabeos, & cimices,* NITEDULAS, *curculiones, & tineas omnipotentis eſſe Dei opus.* Plinius Hiſt. VIII, 57. *Seninum (glirium) finitur hiberna quiete: conditi enim & hi cubant: ſimili &* NITELIS *quiete:* ubi priſca editio, NITEDULIS. Gloſſae Philoxeni: NITELA, δενδρόβατος. Quid amplius vis; niſi forte ut *nitedulam* priores duas ſyllabas producere oſtendam? atqui illud quoque in promtu eſt. Prima in verſu producta eſt, apud Martialem V, 39.

Quae crine vincit Baetici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureumque NITELAM.

Quod ad ſecundam attinet; cum *Nitedula* eidem terminatione ſit, qua *Acredula, Monedula, Ficedula, Querquedula;* eaſdem cum illis menſurae leges habere debet: atqui illa verba ſecundam longam habent. Ovid. Metam. VII, 468.

Nigra pedem, nigris velata Monedula *pennis.*

Cicero Divin. I, 8.

Et matutinis acredula *vocibus inſtat.*

Martialis XIII, 5.

Cerea quae patulo lucet ficedula *lumbo.*

v. 41. NON EST APTUS EQUIS ITHACAE LOCUS] Ubi *locus Ithacae* erit regio Ithacae. Eſto: etſi id quoque dubitem: ſed ſaltem ambigui vitio male laborat; quippe *locus Ithacae* idem potius fuerit, ac locus in Ithaca: ut Ovid. Metam. XV, 332.

Eſt locus Arcadiae, *Pheneon dixere priores.*

Vide igitur, annon Caſu recto ſcribendum ſit, terminatione Graeca, Ἴθικος. (*planis*

Non eſt aptus equis ITHACE *locus; ut neque*
Porrectus ſpatiis, nec multae prodigus herbae.

Ita Ovid. Triſt. I, 4. (*meve.*

Nec mihi Dulichium domus eſt Ithacéve *Sa-*

& Metam. XIV, 169.

Hac mihi ſi potior domus eſt Ithaceq; *carina.*

Porphyrion ad locum: *Equis minus apta conveniensque* Ithace, *& agri anguſti & ſteriles ſunt.* Satin' certum eſt, Scholiaſten illum in ſuis codicibus *Ithace* reperiſſe?

v. 56. PRAECONEM TENUI CENSU, SINE CRIMINE NOTUM] Sic habent omnes typis cuſi, & codices plerique. *Sine crimine notum;* id eſt, notae hominem probitatis & innocentiae. Ovid. Amor. I, 3.

Et nulli ceſſura fides, ſine crimine *mores,*
Nudaque ſimplicitas, purpureuſque pudor.

Sed

Digitized by Google

& Trist. IV, 3. (*essem.*

Denique &, ut vixi, sine crimine *mortuus* Seneca Phoeniss. 513. Sine crimine *exul.* Quintil. Declam. CCCXXXI. *Non sum quidem locuples; sed quotus quisque?* Inops censu, *sed integer,* sine crimine, *sine fabula: non indignus aliquando huic diviti visus, qui amicus vocarer.* Capitolinus in Marco c. 10. *Multis* pauperibus, sine crimine, *dignitates concessit.* Recte ergo defendi potest lectio recepta. Sed cum vetustus Georgii Fabricii liber & alter Henrici Stephani sic praeferant,

Praeconem tenui censu, sine crimine NATUM;

hoc est, certo patre, honestis parentibus: Hoc potius amplecti videtur vir egregius; cum, ut ait, his verbis respondeatur ad quaestionem Philippi, *Quo sit patre?* cui alias nihil responsi dabitur. Iterum Ovidius Amor. III, 4.

In qua Martigenae non sunt sine crimine nati,
Romulus Iliades, Iliadesque Remus.

Trist. II, 393.

Pallade conspecta, natum de crimine *virgo*
Sustulerit quare, quaeret, Erichthonium.

Metam. IX, 24.

Nam quod te jactas Alcmena matre creatum,
Juppiter aut falsus pater est, aut crimine *verus.*

Silius VI, 439. *vestigia nostri*
Casta tori domus, & patrium sine crimine *Inviolata larem.* (*servat*

Livius IV, 3. *Servium Tullium, captiva Cornicularia natum, patre nullo.* & XXXIX, 53. *Illum, ut ex vulgato corpore genitum, nullam certi patris notam habere.* Cicero pro Roscio c. 16. *Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo nascerere.* In Verrem III, 24. *Homine in dedecore nato, ad turpitudinem educato.* Hoc igitur & nos sequamur; etsi, utrum ex duobus ab Horatii manu fuerit, scire hodie non datur; & Interpretes, opinor, semper inter se dissidebunt.

V. 58. GAUDENTEM PARVISQUE SODALIBUS, ET LARE CERTO] Et de hac quoque lectione semper sub judice lis erit. Libri editi cum maxima parte membranarum LARE CERTO; Cruquiani duo codices, LARE CURTO. Utrumvis probum est; ut nescias utrum utri sit praeferendum. Seneca Medea v. 478.

Per spes tuorum liberûm, & certum larem.

& ibid. v. 19.

Vivat, per urbes erret ignotas egens,
Exul, pavens, invisus, incerti laris.

Virgil. Georg. IV. 155.

Et patriam solus & certos *novere* penates.

Aen. VI, 673.

Nulli certa domus, *lucis habitamus opacis.*

Petronius: (*corpus.*

Nulla est certa domus, *nullum sine pignore* Sallust. de Rep. Ord. *Sed ubi eos paullatim expulsos agris inertia atque inopia* incertas domos *habere subegit.* Et in Catil. c. 20. *Illos binas aut amplius domos continuare; nobis* larem familiarem nusquam ullum *esse.* Contra & LARE CURTO, hoc est, *parvo, exiguo, gracili, angusto* eleganter quoque legeris. Lucan. V, 528. *o vitae tuta facultas*
Pauperis angustique lares.

Noster Carm. III, 29.

Mundaeque parvo sub lare *pauperum Coenae.*

Silius VII, 173.

Nec pigitum parvosque lares *humilisq; subire*
Limina caelicolam tecti. Seneca Phoen. 595.
liceat exiguo lare *Pensare regnum.*

Tacitus Annal. II, 84. *Quod, rarum laetumque etiam* modicis penatibus, *tanto gaudio principem adfecit, ut* &c. Capitolinus in Albino: *Hic tamen natus* lare modico, *patrimonio pertenui.* Apuleius Metam. I. Exiguo lare *inclusus, & aerugini semper intentus.* & iterum, *Si contentus* lare parvulo, *Thesei virtutes aemulaveris.* & V. *Et* lares pauperes *nostros, sed plane sobrios revisamus.* & in Apolog. *Sed quod vivo* gracili lare, *quod pauciores servos habeo.* Arnobius lib. VII. *Honestius unus & locuples; alter* angusto lare. Noster denique Carm. I, 12.

& avitus apto Cum lare *fundus.*

ubi *apto* erit modico, commodo: nisi forte *Arto* ibi potius legendum sit, ut ibi admonuimus. Jam autem CURTO LARE ad hanc sententiam probe & venuste dici, quis ausit negare? Sic Noster Carm. III, 24.

Curtae *nescio quid semper abest* rei.

Persius Sat. IV. (supellex.

Tecum habita, ut noris quam sit tibi curta Et Sat. VI. *Iratus, quod* rem curtaveris. Ovid. Amor. II, 2.

Sic tibi semper honos, sic curta peculia *crescent:*

ut recte edidit acutissimus Heinsius, cum libri veteres habeant *sic alta, sic orta.* Vide ipsum & ibi & ad Fast II, 408, & 645. fuse de hoc vocabulo differentem: ubi & lectionem hanc apud Flaccum memorat, *lare curto.* Nos certe in hanc partem potius propendemus; cum quia parum verisimile est tam reconditum epitheton a Librariis suppositum esse, tum quia sententiae & verbis adjunctis convenire aptius videtur. *Gaudentem,* hoc est, contentum, laetum *parvis sodalibus & lare exiguo.*

Digitized by Google

exiguo. Parvi ſodales cum parvulo lare bene congruunt: contentus autem *curto* & parvo, potius quam *certo:* quippe certo lare etiam locupletiſſimi gaudent.

v.63. NEGAT ILLE MIHI? NEGAT IMPROBUS] Ita & olim & nuper excuſi. Plaut. Moſtell. 3, 1 *(negat.*

TR. *Etiam fatetur de hoſpite?* TH. *Immo per-*

TR. Negat? TH. Negat *inquam.*

Terent. Phorm. II, 3. (c. Negat.

PH. *Hanc Demipho* negat *eſſe cognatam?*

Sed antiquiſſimi ex noſtris Graevianus, Reginenſis, Voſſianus cum Berſmanni uno, *Neget.*

NEGET *ille mihi? Negat improbus.*

Etiam & ceteros Interpretes in vetuſtioribus ſuis ſic reperiſſe ſuſpicor; ſed neglexiſſe & ſuſque deque habuiſſe. Atqui, aut valde fallor, aut fortius hoc eſt meliuſque vulgato: *Neget ille mihi?* Illéne mihi *negare poteſt*, pauperculus diviti & potenti? Vide ſupra ad Epiſt. I, 6. v. 31.

v.73. HIC UBI SAEPE OCCULTUM VISUS] Graevianus veterrimus ſic habet, ſyllaba deficiente;

Tandem dormitum dimittitur. ubi ſaepe.

Eam pro ingenii modulo varie ſupplebant Librarii. Codex Leidenſis cum altero, AST *ubi ſaepe*; Voſſianus, ERGO *ubi ſaepe*. Codex Trin. HUC *ubi ſaepe:* Reginenſis cum pluribus aliis HIC *ubi ſaepe*. Aut retinendum eſt HIC, aut ERGO. Noſter Serm. II, 6. v. 16.

Ergo ubi *me in montes & in arcem ex urbe removi.* & 106.

Ergo ubi *purpurea porrectum in veſte locavit.* Epiſt. II, 2. 136.

Hic ubi *cognatorum opibus curiſque refectus.*

v. 75. MANE CLIENS, ET JAM CERTUS CONVIVA.] Variant & codices & olim cuſi; alii enim ET JAM, alii ETIAM. De cetero omnes conveniunt: neque ego quidquam ſollicito. Si quis tamen alicunde codex accederet; vide annon eleganter ſic poſſes reponere,

Mane cliens, etiam SERUS *conviva.*

ubi oppoſitio opinor venuſta eſt; *mane* cliens, *veſpere* conviva. Noſter Serm. II, 8. 33.

juſſerit ad ſe
Maecenas ſerum *ſub lumina prima venire*
Convivam.

v. 96. QUI SIMUL ASPEXIT, QUANTUM] Turpiſſime ſe dederunt hic Interpretes; dum vitioſorum codicum turbae potius, quam uni alterive recte monenti fidem habent.

Quod te per genium, dextramque, deoſque penates
Obſecro & obteſtor; vitae me redde priori.
Qui ſimul *aſpexit, quantum dimiſſa petitis*
Praeſtent; mature redeat repetatque relicta.
Metiri ſe quemque ſuo modulo & pede verum eſt.

Ubi haeret ſententia, neque exitum ſibi invenit. *Qui*, inquit, *ſimul* (hoc eſt, *ſimul ac*) *aſpexit*. Quo referetur illud *Qui?* eſtne Philippus an Vulteius? ſi poſterior; tum utique *rediit repetiitque* dicendum fuerit: ſi prior, junguntur gryphes equis; nam poſterius periodi membrum nullo modo ad Philippum attinet. Vide tamen ut Lambinus incruſtare conetur: *Qui* (inquit) Philippus, *ſimul ac aſpexit, quantum dimiſſa praeſtent petitu*, dixit, *Mature redeat* Vulteius *repetatque relicta.* Papae! ſi hoc eſt interpretari, nihil erit poſthac in nuce duri: vaniſſima quaeque fatuorum Librariorum ſomnia jam bene ſe habebunt; & tamen inventus eſt qui in hujus ſententiam pedibus iret Dacerius. Atqui, o boni, ut cetera vobis condonemus; vel ex ipſa narratione conſtat, jam ab initio probe cognitum eſſe Philippo, Vulteii vitam urbanam optabiliorem eſſe ruſticа: unde iſta, *Videt* ridetque *Philippus*, &, Occultum *viſus decurrere piſcis* ad hamum. Quid igitur *ſibi vult*, SIMUL *aſpexit?* quaſi tum demum ex Vulteii oratione hoc intelleriſſet. Piget ſane in his refutandis morari: neque tamen eis meliora ſunt, quae Marcilius profert: *ſimul*, ſive ſimiliter, *qui*, ſive quicumque *aſpexit* mutationem in pejus, *mature redeat*, ut fecit Vulteius. Recte quidem vidit, quaſi *impedis* loco haec dici ſententioſe; ſed ubi gentium natus eſt, qui *ſimul* pro *ſimiliter* poſuit? reſtat etiam, ut pro *Simia* poni poſſit. Sed auſer haec; & tu, ſi ſapis, cum veterrimo Cruquii codice alteroque Berſmanni ſic locum reſtitue,

Qui SEMEL *aſpexit, quantum dimiſſa petitis*
Praeſtent, mature redeat repetatque relicta.

ubi *ſemel*, notiſſima hujus verbi ſignificatione, perinde fere eſt ac *Primum*. *Qui primum aſpexit*, ſive, *Ut primum quis aſpexit*. Noſter in Arte Poet.

haec animos aerugo & cura peculi
Cum ſemel *imbueris, ſperamus carmina fingi?*
Epiſt. I, 10. *momenta Lenis,*
Cum ſemel *accepit ſolem furibundus acutum.*

Ita paſſim, Cicero, Terentius, Plautus, & omnes ubique Scriptores. Poſtquam haec ſcripſeram, ſero animadverti eruditum Britannum Interpretem, Gulielmum Baxterum, recte illud SEMEL in textum recepiſſe.

EPIST-

Digitized by Google

EPISTOLA VIII.

V. 5. OLEAMQUE MOMORDERIT AESTUS] Editiones ſic praeferunt,

haud quia grando
Contuderit vites, oleamque momorderit aeſtus.

Quid? an uno eodemque tempore & *grando vitibus* nocet, & *aeſtus oleae*? Immo optime codex Reginenſis a prima manu.

OLEAMVE *momorderit aeſtus.*

Aut hoc, aut illud: non ſimul utrumque. Sollemniter in hac vocula peccant Librarii.

V. 12. ROMAE TIBUR AMEM VENTOSUS, TIBURE ROMAM.] Quod in quattuor Blandiniis omnium praeſtantiſſimis Cruquius (*Romam*; *Romae Tibur amem,* VENTURUS *Tibure* idem ego in vetuſtioribus meis, Leidenſi, Voſſiano, Reginenſique reperi: nam Graevianus a verſu VII. hujus Epiſtolae deficit. Neque aliter habent *perveteres*, ut ait, membranae Barthio inſpectae, Adverſ. XXXVII, 22. Lectio certe non contemnenda; etſi alii Interpretes praeter Cruquium inventam ſibi, ut videtur, in libris antiquioribus ne memorare quidem dignati ſunt. Plus enim quiddam eſt, *venturus Tibure Romam*, quam *Amem Tibure Romam*: hoc ſe loca relicta *laudare modo & optare*, illud *repetere & reviſere*, quod majoris impatientiae eſt, indicat. Sic Ennius apud Gellium XIX, 10.

Imus huc, hinc illuc, *cum illuc ventum eſt,*
ire illinc lubet: (*vivitur.*

Incerte errat animus; praeterpropter vitam Lucret. III, 1077. (*tanter,*

Currit agens mannos ad villam hic *praecipi-*
Auxilium tectis quaſi ferre ardentibus inſtans:
Oſcitat extemplo, tetigit cum limina villae;
Aut abit in ſomnum gravis atque oblivia
quaerit: (viſit.
Aut etiam properans urbem petit atque re-
Hoc ſe quiſque modo fugitat.

Tamen, ſi ad orationis ſeriem paulliſper attenderis,

Fidis offendar medicis, iraſcar amicis,
Cur me funeſto properent arcere veterno:
Quae nocuere, ſequar; fugiam, quae profore credam:

Romae Tibur amem, venturus *Tibure Romam:* videbis, opinor, epitheton quoddam commodiſſime huc induci; quo alius animi morbus, levitas ſcilicet & inconſtantia, a prioribus illis diverſus ſignificetur: niſi enim hoc fit; id videbitur dicere Horatius, ſe *Tibur amare & ſequi*, quod ei nocuerat; *Romam fugere*, quae profuerat: quod & per ſe ineptum eſt, & ab ejus mente alienum. Recte igitur VENTOSUS; atque ita olim legit Servius, membranis quae hodie ſuperſunt omnibus aetate prior; ad Aen. IV, 224. *Tyria Carthagine qui nunc Expectat) Carthagine dixit pro Carthagini, & pro adverbio in loco, de loco poſuit: ſic Horatius: Romae Tibur amem,* VENTOSUS, *Tibure Romam.* Ubi nulla ſuſpicio eſſe poteſt de lectionis integritate. Si enim *venturus* hic reponis; jam illud *Tibure* non erit *in loco*, ſed *de loco*, plane contra Servii ſententiam; qui ea gratia locum citat, ut oſtendat *Tibure* apud Flaccum eſſe *in loco*, ut apud Maronem *Carthagine.*

EPISTOLA X.

V. 3. AD CETERA PENE GEMELLI] Meliores codices AT *cetera*, ut Torrentii duo totidemque Berſmanni, Voſſianus noſter, & Blandiniorum veterrimus apud Cruquium; qui & recte in ipſum contextum recepit;

hac in re ſcilicet una
Multum diſſimiles, AT *cetera pene gemelli.*

Ubi *Cetera* abſolute ponitur. Sic noſter alibi Carm, IV, 2.

Qua notam duxit, niveus videri;
Cetera *fulvus.* & hac ipſa Epiſt. v. 50.
Excepto quod non ſimul eſſes, cetera *laetus.*

Virgil. Aen. III, 594. *immiſſaque barba,*
Conſertum tegumen ſpinis; AT CETERA *Graius.*

Prudentius Apoth. v. 812.

His animam ſimilem ſibi conditor effigiavit,
Cetera *diſſimilem.*

Digitized by Google

Plin. Hiſt. VIII, 16. *Feram, quae Bonaſus vocetur, equina juba*, cetera *tauro ſimilem*. Et ita alii paſſim. Vidit hoc, & pluribus exemplis firmavit acutiſſimus Nic. Heinſius ad Ovid. Metam. IX, 99.

v. 19. DETERIUS LIBYCIS OLET AUT NITET HERBA LAPILLIS?] Ita libri & typis cuſi & manu ſcripti. *Libycos* autem *lapillos* recte accipiunt teſſellata & ſectilia pavimenta, λιθόστρωτα, ex variis Libyci marmoris fruſtis elaborata. Ergo haec erit ſententia, Nonne jucundius eſt ſuper herbam rure *incedere & deambulare*, quam urbe ſuper pavimenta marmorea? Recte hoc: neque quicquam de loco moveo, praeſertim cum omnes ubique codices obnitantur. Tamen, cum in verſu priore de *ſomno* ſit facta mentio, ſuſpicio inde mihi ſuborta eſt, pro *lapillis* ab auctoris manu *tapetis* forte extitiſſe, non magna mutatione;

Eſt ubi divellat ſomnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba TAPETIS?

hoc eſt, Cum meridiari voles, ſuavior rure lectulus eſt herba virens, & florida, quam urbe Libyca tapetia. Noſter de ſe loquens Epiſt. XIV, 35. (in herba.

Cena brevis juvat, & prope rivum ſomnus

Claudianus in ſimili plane comparatione. Ruf. I, 208. *rapiunt Tyrios ibi* vellera *fucos*,

Et picturatae ſaturantur murice veſtes.
Hic radiant flores, *&* prati *viva voluptas*
Ingenio variata ſuo. Fulgentibus illic (ba,
Surgunt ſtrata *toris: hic mollis panditur* her-
Sollicitum curis non abruptura ſoporem.

Seneca Herc. Oet. 644.

Ceſpes *Tyrio mollior* oſtro
Solet impavidos ducere ſomnos.

Calpurnius Ecloga VI, 70.

Venimus, & tacito ſonitum tutabimur antro,
Seu reſidere libet, dabit ecce ſedilia tophus:
Ponere ſeu cubitum, melior viret HERBA TAPETIS.

Qui locus Horatiano huic adeo ſimilis & geminus eſt; ut alter ab altero expreſſus eſſe videatur: neque illud praetereundum eſt, vetuſtas Calpurnii editiones, notante id Jano Ulitio, LAPILLIS hic exhibere pro TAPETIS; nullo quidem ibi ſenſu, ſed proclivi tantummodo Librariorum lapſu. Jam vero ſuper ſtratis tapetis ditiores dormire ſolitos quis eſt qui neſciat? Virgil. Aen. IX, 325. (altis

Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus
Exſtructus toto proſtabat pectore ſomnum.

Libyca vero *tapeta* & fama & pretio celebrata eſſe res eſt notiſſima. Plautus Pſeud. I, 2.

Neque Alexandrina *belluata conchyliata* tapetia.

Martialis XIV, 150.

CUBICULARIA POLYMITA.

Haec tibi Memphitis *tellus dat munera: vi-*
Pectine Niliaco *jam Babylonis acus.* (Ita eſt

Hermippus apud Athenaeum lib. I. p. 28. ubi varias merces memorat ex variis regionibus petitas;

Καρχηδὼν δ' ἐπίπλους καὶ προσκεφάλαια.

Carthago, ait, *mittit tapetas & varia cervicalia.* Plin. VIII, 48. *Plurimis vero liciis intexere, quae* Polymita *appellant*, Alexandria *inſtitut.* Vopiſcus in Aureliano c. 12. TAPETIA AFRA *decem, ſtragula Maura decem.*

v. 24. NATURAM EXPELLAS FURCA] Et libri primitus cuſi & membranae fere omnes tam noſtrae, quam aliorum, EXPELLES. Unde ergo in tot editiones irrepſit EXPELLAS? Quid autem & quantum interſit, hanc an illam lectionem ſequaris, dicam tibi, ſi potero. *Expellas* perinde erit ac *poſſis expellere*; *Expelles* vero idem, ac *vis, cupis, conaris expellere.* Cum autem Natura minime expelli *poſſit*; ſtulti tamen & faſtidioſi ſaepe id *fruſtra conentur*; utra utri lectio praeferenda ſit, jam tardus es, ſi non probe intelligis.

v. 34. CERVUS EQUUM PUGNA MELIOR] Nic. Heinſius in libri ſui ora, *Forte*, ait, PUGNAE. Figuratius quidem eſſet *melior pugnae*: ſed codicibus obtemperandum. Sic enim alibi Noſter Carm.

Hic claſſe formidatus, ille
Miſſilibus melior ſagittis.

Novârunt poſteriores, Statius, Silius, aliique. Tacitus Annal III, 74. *Robore exercitus impar*, furandi melior. At Virgil. Aen. X, 735.

haud furto melior, *ſed fortibus armis.*

v. 37. SED POSTQUAM VICTOR VIOLENS DISCESSIT AB HOSTE] De hoc Apologo vide Ariſtotelem II. Rhet. Cononem Narrat. XLII. & Phaedrum IV, 62. Ceterum illud *victor violens* in mendo cubare facile ſentio; medicinam tamen polliceri vix audeo.

Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non frenum depulit ore.

Primum enim id libere pronunciare poſſum, & qui poëtae ſunt mecum ſentient, illud *victor* nullo hic Epitheto donandum fuiſſe: quod & recta ratio ſenſuſque communis, & magnorum poëtarum mos in locis huic ſimilibus clare oſtendunt. Noſter Carm. III, 14.

Cae-

Digitized by Google

Caesar Hispana repetit *penates* Victor *ab ora.* Virg. Aen. II, 95. *(gos.*

Si patrios unquam remeassem victor *ad Ar-* Valerius Flaccus IV, 589. *(oris*

Proxima regna Lyci, remeat *qui* victor *ab Bebryciis.* Lucanus II, 553.

Parthorum utinam post praelia sospes
Et Scythicis victor remeasset *Crassus ab oris.* Martialis VII, 7.

Victor *ob Odrysio* redditur *orbe Deus,* Plura ejusmodi loca sciens praetereo; quorum ad exemplum *Postquam victor discessit ab hoste* castigatius pressiusque dictum oportuit; rejecto illo Epitheti onere, & supervacuo & molesto. Ergo alterutrum saltem ex duobus repudiandum videtur, aut *Violens,* aut *Victor*; cum sine foeda scabie & macula consistere unà non possint. Et ad receptam quidem lectionem quam proxime accedi potest, posteriore illo *Victor* una literula mutilato, in hunc modum;

Sed postquam violens VICTO *discessit ab hoste.* Hoc sane rotundius aptiusque exire, quam quod vulgo circumfertur, nisi aut imperitus aut lividus, nemo opinor negaverit. Ita plane Lucanus V, 238.

Interea domitis *Caesar* remeabat *Iberis.* & auctor Consolationis ad Liviam, 381.

Quod semper domito rediit *tibi Caesar ab orbe.*

Non flocci autem interest, *violens victo* an vicissim *victo violens* apud Flaccum substituas: cum in aliis codicibus *victor violens,* in totidem fere aliis mutato ordine *violens victor* habeatur. Sed, ut candide quod sentio dicam, illud *violens* nequaquam mihi placet; & atrociorem mendam hic olim inolevisse facile mihi persuadeo. Cur enim equus hic *violens* appelletur? qui & per se impar erat Cervo, & nulla demum sua sed vehentis equitis virtute victoriam adeptus est. Equidem sic potius scripsissem, *(hoste.*

Sed postquam victo SONIPES *discessit ab* ubi *sonipes* idem erit ac *equus*; ut & eleganter nomen hic varietur, & post victoriam laetantis, insultatio & gressus superbi quodammodo exprimantur. Virgil. Aen. XI, 600.

fremit aequore toto
Insultans sonipes, *& pressis pugnat habenis.*

Sed cum in editione Cadomensi Epistolarum Horatii anno MCCCLXXX, ex scripto ut verisimile est exemplare mira prorsus habeatur lectio,

Sed postquam victor victo *discessit ab hoste*; Subiit animum suspicio, illud *victo* ex glossemate primum irrepsisse; & postea a Librariis, qui repetitione illa *victor victo* jure offendebantur, interpolatum esse *violens,* quod a ductu literarum non procul abscedit. Huic siquis suspicioni indulgere volet, sic locum poterit refingere:

Sed postquam domito victor *discessit ab hoste.* Ovid. Metam. XV, 569.

Restitit, ut victor domito *remeabat ab hoste.* & Trist. II, 177.

Hic tibi sic redeat superato victor *ab hoste.* Auctor Consol. ad Liviam 338.

Quod solus domito victor *ab hoste tulit.* Martialis IX, 44.

Qui cito perdomito victor *in orbe jacet.* Sed hoc hariolari esse fateor: ita tamen, ut neuter versus sic restitutus sit Horatio erubescendus.

V. 40. DOMINUM VEHET IMPROBUS] Sic editi ubique praeferunt; rectene an secus, jam videbimus.

Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet *improbus; atque*
Serviet aeternum, quia parvo nescit uti.

Qui, inquit, *caret* libertate, *vehet* dominum: immo vero jam VEHIT (ut plane exhibet veterrimus noster Reginensis, cum altero Collegii Trinitatis) &, quia parvo uti nescit, *aeternum* vehet eique *serviet.* Si admiseris *vehet*: reliquum erit, ut *carebit* substituas, non *caret.*

EPISTOLA XI.

V. 23. NEC DULCIA DIFFER IN ANNUM] Hanc in editionibus priscis receptam lectionem pergunt nobis obtrudere recentiores. Cum tamen & nostri & aliorum codices NEU habeant, non NEC; quid moramur iis auscultare:

Grata sume manu, NEU *dulcia differ in annum.*

EPIST-

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

V. 9. CONFERTIM LIQUIDUS FORTUNAE RIVUS INAURET] Membranae omnes ubique LIQUIDUS. Eutyches tamen vetus Grammaticus p. 2160. *Ab aurum*, ait, *Inauro*. Horat. *ut te*

Confestim LARGUS *fortunae rivus inauret.*

Non placet.

V. 29. ITALIAE PLENO DIFFUDIT COPIA CORNU] Variant hic libri; alii *diffudit*, alii, *diffundit*, *defundit*, *defudit*. Ex postremis his alterutrum probamus: si *Defudit* cum Vossiano & Leidensi legeris, post messem scripta erit Epistola; si *defundit* cum Blandiniis & Reginensi, ipso messis tempore.

EPISTOLA XIII.

V. 2. SIGNATA VOLUMINA, VINNI] Repone VINI, ut recte adnotavit Torrentius; *Vinius* enim Romanae familiae nomen, non *Vinnius*. Tacitus in Historiis passim, *Titus Vinius*; & Suetonius in Galba, c. 14. Gruterus in Inscriptionum opere p. 189. SER. GALBA. II. T. VINIO. COS. Vide Panvinium ad Fastos ann. MDCCCXXII.

V. 6. SI TE FORTE MEAE GRAVIS URET SARCINA CHARTAE] Henricus Stephanus ex libro scripto profert, URGET; atque ita unus codex Pulmanni, & alter Coll. Trinitatis pro varia lectione. Haud male sane dixeris, *Sarcina urget*: ut Plautus Poenulo IV, 2. *At* onus urget. *At tu appone, & respicie ad me. Fecero.* Ovid. Fast. IV, 515.

Restitit & senior, quamvis onus urget; *& orat*

Tecta suae subeat quantulacumque casae.

Placet tamen communis fere omnium membranarum lectio, URET: utpote figuratior & μοιηλωτέρα: quam & firmat Priscianus p. 1132. Horat. *Si te forte meae gravis* uret *sarcina chartae:* ubi quattuor mihi inspecti codices URAT; ut & hic habet Codex Coll. Trin. quod ab *urget* magis abscedit. Livius XXXVI, 25. *Aetolos propter paucitatem eosdem dies noctesque assiduo labore urente:* ubi liber Sigonii *urgente*. Nimirum ea vocabula sollemniter a Librariis confunduntur, de quo consule Nic. Heinsium ad Amor. Ovidii I, 2.

V. 8. CLITELLAS FERUS IMPINGAS] Nic. Heinsius in libri sui ora. *Alii*, inquit, Fessus. *Forte*, SERO. Videtur eo inductus, quod Asini sint *tardi*. Sed nollem hoc viro sagacissimo excidisse. Cum enim *ferus* dicit Noster, eo ipso ad Asinae cognomen alludit: *Ferus* enim de asino recte dicitur; ut alibi de equo, & cervo. Commodissime autem junguntur *Ferus impingas:* nimirum id Vinium hortatur & monet, ne libellos intempestive & importune Augusto porrigat, quasi abjicere velle videatur; sed commodo tempore, & verecunde, & rogatus denique ei tradat. Ceterum Loscheri editio & Veneta anni 1490. FESSUS quidem habent; sed nimis absurde. In omnibus membranis FERUS, & sic Prisciani codices quattuor loco jam citato. p. 1132.

V. 12. SIC POSITUM SERVABIS ONUS] Daniel Heinsius pro solita sua infelicitate, *Postulat*, inquit, *lepor poëtae, qui est incredibilis in hac Epistola, rescribi,*

SEPOSITUM *servabis onus.*

quod & temere in textum receptum editiones nonnullas infecit. Non enim advertit vir cetera egregius leporem hujus dictionis, *Sic positum servabis onus:* quem tamen ex Martiale discere potuit, qui Epig. V, 6. Parthenium rogat, ut Domitiano libellum velit tradere; eodem prorsus modo, quo Noster hic Vinium.

Nec porrexeris ista, sed teneto
SIC, *tamquam nihil offerus agasque.*
Si novi dominum novem sororum,
Ultro *purpureum* petet *libellum.*

Ubi omnia plane gemina vides, ut ex Horatio petita jure videantur. *Sic teneto*; ut Noster, *Sic positum servato: Ultro petet*; ut Noster, *si denique poscet*. Ceterum & alias *sic positum* non raro occurrit. Noster Serm. I, 2, 106.

Leporem venator ut alta
In nive sectetur, positum sic *tangere nolit.*

Virgil. Eclog. II.

Sic positae *quoniam suaves miscetis odores.*

Georg. IV, 303. Sic positum *in clauso linquunt.*

Acn.

Digitized by Google

Aen. II, 644.

Sic o ſic poſitum *adfati diſcedite corpus.*

v. 14. UT VINOSA GLOMOS] Codices in diverſa abeunt, hi *globos*, illi *glomos*, alii *glomus*, unus Fabricii *glomen*. Tu, ſi ſapis, tertium ex his elige, & reſcribe,

Ut vinoſa GLOMUS *furtivae Pyrrhia lanae.*

Ita Blandinius Cruquii, Reginenſis, & Markianus. *Glomus* enim *glomeris* neutro eſt genere, unde *glomero* &c. Lucret. I, 360. *(tum*

Nam ſi tantundem eſt in lanae glomere, *quan-*
Corporis in plumbo eſt, tantundem pendere
par eſt.

Plin. Hiſt. XXXVI, 13. *Labyrinthum extricaberis, quo ſiquis improperet ſine* glomere *lini, exitum invenire nequeat.* Aiunt quidem & *glomus glomeris* dici, & *glomus glomi*; ſed nullo auctore idoneo; ſi hunc ipſum locum, de quo quaeſtio eſt, excipias. Priſcianus lib. V. p. 658. *Neutra quaedam ſolebant etiam maſculino genere proferre, vel e contrario, ut hic & hoc guttur, murmur, hic & hoc globus quod etiam hoc glomus huius glomeris dicitur, hic fretus & dorſus pro hoc fretum & dorſum.* Ubi hoc vult Priſcianus, *Hic globus* dici, & *Hoc glomus:* nimirum idem eſſe utrumque credidit B mutato in M: Ita lib. I. p. 559. B *tranſit in* M, *ut ſubmitto, ſummitto, globus glomus.* Unde igitur nobis *glomos lanae*? Satis profecto erit Pyrrhiae, ſi unum furtivae lanae glomus ſub ala recondat: ex pluribus enim hoc vel illud excidet, & furti eam manifeſto arguet.

v. 16. NE VULGO NARRES] Zulichemianus & alius NEC; ſed recte codex Galeanus, NEU *vulgo narres.*

EPISTOLA XIV.

V. 1. VILLICE SILVARUM ET MIHI ME REDDENTIS AGELLI] Barthius Adverſ. XV, 3. ex vetuſtiſſimo, ut ait, codice reſcribit, *mihi me* REDIMENTIS *agelli.* Perperam: nam recepta lectio longe elegantior eſt. Noſter Epiſt. I, 18. v. 101. *(cum.*

Quid minuat curas, quid te tibi reddat *ami-*

& contra Carm. IV, 13.

Quae me ſurpuerat mihi.

Seneca de Brevitate vitae c. VIII. *Nemo reſtituet annos; nemo iterum* te tibi reddet.

v. 5. MELIOR SIT HORATIUS AN RES] Videamus orationis ſeriem;

Certemus, ſpinas animo*ne ego fortius, an tu*
Evellas agro; *& melior ſit* Horatius, *an*
res.

Ubi eleganter ſane reponit Daniel Heinſius,

melior ſit Horatius, an RUS.

Quam ei conjecturam ipſa oppoſitorum ratio, *animo & agro, dominus & rus,* facile ſubminiſtrabat. Fallitur tamen, cum receptam lectionem adeo damnat ſpernitque, tamquam quae nullo modo locum tueri poſſit. Utraque enim proba eſt & commoda; ut quae melior ſit vix poſſis dijudicare. Digeſt. IV, 4, 39. *Vendentibus curatoribus minoris* fundum, *emptor extitit Lucius Titius, & ſex fere annis poſſedit, & longe longeque* REM MELIOREM *fecit.* Ubi vides ipſa Flacci verba *meliorem rem* de fundo itidem dici, ut hic de agro. Velleius Paterculus, II, 68. *Quippe pejor illi* res *familiaris, quam* mens *erat.* Et mox, 91. *Nec melior illi* res *familiaris quam* mens *foret.* Contra, Heinſianum illud *Rus* ex Sidonio Apollinari Epiſt. VIII, 4. firmari videtur: *Ubi ipſe,* inquit, *dum non minus ſtilo quam vomeri incumbis; difficile diſcernitur, domini pluſne ſit cultum* RUS *an* INGENIUM. Quid? non videtur tibi Sidonius hunc ipſum Flacci locum tum in animo habuiſſe? *Rus* autem accipies, non *agrum* tantummodo, ſed & hortum, ſilvas, villam, jumenta, pecora, inſtrumenta ruſtica, omnia denique quae ad villici curam pertinebant. *Melior* dominus, an *rus;* ut Terent. Heaut. I, 1.

agrum *in his regionibus*
Meliorem, *neque preti majoris nemo habet.*

Seneca de vita beata, c. XVII. *Quare* cultius rus *tibi eſt, quam naturalis uſus deſiderat?* Quidni autem de *rure,* quod tantopere diligebat, hic verba faceret Horatius? Scis, opinor, iſta; *O rus, quando ego te aſpiciam? Rure meo quidvis poſſum perferre patique.* Nolim tamen receptae lectioni dicam impingere, ſine codicis alicujus teſtimonio.

v. 9. FERT ET AMAT SPATIIS OBSTANTIA RUMPERE CLAUSTRA] *Amat* hic accipiendum eſt *cupit;* ut ipſa flagitat ſententia. Verum *amat rumpere* aliud quid potius ſignificaverit, ut Carm. III, 15.

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat *ſaxa;*

Digitized by Google

hoc est, *solet*, φιλεῖ. Vide nos ad Serm. I, 4. v. 87. Quamobrem, ne aliud auctor in mente habeat, aliud verbis dicat, nos cum bona Librariorum venia sic locum restituemus:

tamen istuc mens animusque
Fert, & AVET *spatiis obstantia rumpere claustra*

Catullus Epig. XLVII.

Jam mens *praetrepidans* avet *vagari.*

Lucret. II, 265.

Nonne vides etiam, patefactis tempore puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere *equorum* (vet *ipsa.*

Vim cupiam tam desubito, quam mens a- Cicero Philip. v, 5. Avet animus *apud consilium illud pro reo dicere.* Arnob. lib. V. Avet animus *scire, quibus sitis eloquiis tam periculosa negotia defensuri.* Ceterum frustra Barthius Advers. XV, 3. ex vetusto suo codice laudat,

tamen istuc mens ME *animusque Fert.*

Quid? ne illud quidem ex discipulorum cathedris in mentem veniisse, *In nova fert animus?*

V. 40. CUM SERVIS URBANA DIARIA RODERE MAVIS] Repone, ut distinctius & efficacius procedat comparatio,

Cum servis TU *urbana diaria rodere mavis.*

Vide quae diximus ad Serm. II, 3. v. 212, & 234.

V. 43. OPTAT EPHIPPIA BOS] Inversiculo isto,

Optat ephippia bos piger optat arare caballus,

dilogia est; & ambiguum manet, *pigerne bos,* an *piger caballus* voluerit auctor. Unde in codicibus scriptis varie interpungitur: alii cum editis post *piger* inserunt punctum; alii post *bos.* Si priores sequeris, *bos piger* perpetuum erit epitheton, neque quicquam sententiae addet: immo demet potius, cum ephippia optare sit impigri magis, quam pigri. At si posterioribus accedis, *piger caballus* e re nata & occasione dicetur: pigerrimus enim fuerit, qui ephippia detrectet, aratrum & jugum appetat.

EPISTOLA XV.

V. 5. SANE MYRTETA RELINQUI] Vetustiores codices MURTETA scribunt more saeculi Horatiani; ad cujus exemplum nos toto opere orthographiam instituimus. Ceterum *sulfura* illa in *murtetis Baiarum* cave cum magnis Interpretibus *aquas sulfuratas* accipias aut Thermas naturales: sicca enim sudatoria erant instar Laconicorum. Celsus de his ipsis loquens III, 21. *Maxime,* ait, *utiles* (in hydrope) *naturales & siccae sudationes sunt, quales super* BAIAS *habemus in* MURTETIS. & iterum clariusque ibidem c. 17. *Siccus calor est & arenae calidae, & laconici, & clibani, & quarundam naturalium sudationum, ubi a terra profusus calidus vapor aedificio includitur, sicut super* BAIAS *in* MURTETIS *habemus.* Murtetorum etiam horum meminit & Martialis III, 58.

Baiana *nostri villa, Basse, Faustini,*
Non otiosis ordinata myrtetis,
Sed rure vero barbaroque laetatur.

V. 13. SED EQUI FRENATO EST AURIS IN ORE] Tacent hic interpretes, neque quicquam ex codicibus suis proferunt: Videamus tamen locum integrum:

Mutandus locus est, & diversoria nota
Praeteragendus Equus. *Quo tendis? non mihi Baias*
Est iter aut Cumas, laeva stomachosus habena
Dicet eques: sed equi *frenato est auris in ore.*

Ubi qui Latine sciunt, id primum mirabuntur, *equi* casu genitivo hic efferri: cum castigati sermonis ratio dativum postulet: Sed *equo auris est in ore frenato.* Ita boni auctores semper loquuntur: Plinius: *Cervis vita in confesso longa: Equo fere, qui hominis, morbi sunt: Bubus Indicis camelorum altitudo: Tauris minora, quam bubus, cornua.* Hanc igitur labem eluunt codices nostri optimi Vossianus, & Reginensis; quibus accedit & alter recentior: Sic enim exhibent,

Dicet eques: sed EQUIS *frenato est auris in ore.*

Sententiose hoc dictum est; non de hoc tantum equo, sed de omnibus. Quod cum non animadverterent Librarii, ideo corrumpebant locum, quia ex prioribus verbis de uno equo hic agi existimabant. Inde est, quod in Reginensi S a mala manu pene erasa conspicitur.

V. 16. PUTEOSNE PERENNES DULCIS AQUAE] In editionibus priscis olim hic legebatur, JUGIS *aquae:* postea magnorum Interpretum jussu illud *jugis* de sede sua dejectum est, & in ejus locum est adscitum DULCIS *aquae.* Sane in membranis utrumque visitur

Digitized by Google

visitur & *jugis* & *dulcis*: ita tamen ut in vetustioribus nostris Leidensi, Vossiano, Reginensi, Zulichemiano *jugis* compareat, alterum non nisi in recentioribus reperiatur. Idem crediderim & de aliorum codicibus dici posse. Utros igitur sequemur? sine dubio antiquitati id dabimus, ut in veterem locum restituamus illud *jugis*;

Collectosne bibant imbres, puteosne perennes JUGIS *aquae.*

Et *jugis aqua* & *jugis puteus* recte dicitur. Noster Serm. II, 6.

Hortus ubi & tecto vicinus jugis aquae fons. ubi nescias *jugisne aquae* voluerit, an *jugis fons*. Cicero de Nat. Deor. II, 9. *Atque etiam ex* puteis jugibus *aquam calidam trahi*. De Divin. I, 50. *Pherecydes, cum vidisset hausiam aquam de* jugi puteo, *terrae motus aixit instare*. & II, 13. *Etiamne futurum esse* (terrae motum) aquae jugis *colore praesentiunt?* At, inquiunt, cum *perennes puteos* dixerat, supervacaneum erat addere *jugis aquae*. Concedendum vero est hoc poetis & oratoribus, ut rem verbis ornent & amplificent non ita dissimilis significationis; modo non sint plane ejusdem. Ita Cicero, *Perennes & perpetui cursus*; Arnobius, *Perpetuae & juges calamitates*. Quidni igitur & *perennes putei jugis aquae*. Quorsum autem, quod illis tantopere placet, *Dulcis aquae*? Quasi vero & *collecti imbres* non itidem dulces fuerint? Quasi puteos aquae *salsae & amarae* quisquam biberit; cui aqua pluvialis suppetat?

V. 17. RURE MEO QUIDVIS POSSUM PERFERRE PATIQUE] Heinsius in libri sui margine, *Lege Quodvis, ut dixi in Observationibus*. Recte quidem & necessario; si ad *vinum* modo spectes. *Quodvis* enim *vinum* dicendum erat, non *quidvis*. Sed & *vinum* hic & alia omnia respicit; Rure, ait, meo, tam liquido & defaecato sum animo, ut omnia mihi sapiant placeantque. Cicero Offic. I, 30. *Itemque alii*, qui quidvis perpetiantur, *cuivis deserviant, dum quod velint consequantur*.

V. 30. QUAELIBET IN QUEMVIS OPPROBRIA FINGERE SAEVUS] Heinsius in ora libri, *Forte Stringere*. Ingeniose quidem. Sed recepta lectio non est sollicitanda. Cicro in Verrem I, 5. *Ut mihi magis timendum sit, ne multa* crimina *praetermittere, quam nequa* in istum fingere *existimer*. Ammianus Marcellinus XVII, 11, *Legimus* in veteres *quoque magnificos duces* vitia criminaque finxisse *malignitatem*. Fingere crimen in aliquem, ut, fingere opprobria in quemvis. Deinde & saevius atrociusque est fingere opprobria, quam stringere; *Stringere* enim & vera opprobria poterit quis, *fingere* non nisi falsa: adde quod eo ipso quo fingit, itidem & stringit.

V. 31. QUICQUID QUAESIERAT, VENTRI DONABAT AVARO] Haesit illud *donabat* ex editionibus primis, quae sic dederunt. At Membranae, praesertim vetustiores, aliud crepant; ex nostris quidem Vossianus, Leidensis, Reginensis cum aliis pluribus DONARAT. Lege unius literae mutatione,

Quicquid quaesierat, ventri DONARET *avaro.*

Continuatur scilicet orationis series, *Qui non* teneret *certum praesepe; non civem hostis* dignosceret; *quicquid quaesierat, ventri* donaret.

V. 38. DICERET URENDOS CORRECTUS BESTIUS] Locus, qualis hodie circumfertur, obscurus & perdifficilis:

Hic ubi nequitiae fautoribus & timidis nil
Aut paullum abstulerat, patinas cenabat & omasi
Vilis & agninae, tribus ursis quod satis esset,
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos correctus Bestius.

Ubi editiones priscae habent, CORREPTUS *Bestius*, ut & codices aliquot: sed CORRECTUS plures & meliores. Qui pro *Bestio Maenium* hic substituerunt, & sententiam pessundant, & a scriptis omnibus recedunt. Ordo autem orationis hujusmodi est: *Hic Maenius, ubi nihil uncti & opipari habuit, vilibus cibis se avide implebat; scilicet ut diceret* (Maenius) *nepotum ventres lamna candente urendos esse,* CORRECTUS BESTIUS. Sine dubio illud *diceret* a nominativo *Maenius* regitur; quod & sententiae indoles & orationis tenor omnino postulant. Quippe si alio modo construxeris, *Scilicet ut Bestius diceret nepotum ventres*, &c. & orationi vim facies, & sententiae meras tenebras offundes. Cur enim tum maxime Bestius ille in nepotes declamaret, cum Maenius minime nepotem ageret, vulgari cibo contentus? Hoc plane intempestivum & ineptum. Ergo *Maenius* ipse, cum nepotes puniendos diceret, per epexegesin nominatur *Bestius*; sicuti cum aliquem appellamus *tertium Catonem, Achillem alterum*. Velleius Paterc. II, 18, *Mithridates, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos* Hannibal. Quo posito, scire aveo quid sibi velit aut possit illud CORRECTUS? Nihil inde extuderis, quod cum verbis adjunctis quadret aut quo-

Digitized by Google

quo modo congruat; ut vel ex ineptis & prorsus absurdis Interpretum opinationibus erit videre. Repone ergo non magna mutatione;

Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos, CORRECTOR *Beſtius.*

Ita in antiquiſſimo, ut ait, codice Lambinus reperit: & quaſi per tranſennam veritatem hujus lectionis agnovit; eo ſolo infelix, quod dum pro Beſtio *Manium*, cum vitioſis editionibus obtrudit, totam ſententiam ponere non potuit. Nihil autem feſtivius & urbanius hac lectione. Maenius, cum prae inopia nepotari ipſe non potuit, in cenas nepotum acriter elatrat, tamquam alter *corrector Beſtius*. Nimirum ἐριφονικῶς & invidioſe *Corrector* dicitur, qui, ut hic Maenius, aut alios caſtigat ipſe ejuſdem culpae reus, de quo Davi illud recte uſurpes. Serm. II, 7.

Tu cum ſis quod ego & fortaſſis nequior, ultro
Inſectere, velut melior?

aut qui id in aliis reprehendit, quod ipſe prae se domi anguſta imitari non poteſt; in quem verba illa Micionis jure competunt, Adelph. I, 2.

haec ſi neque ego neque tu fecimus,
Non ſiit egeſtas facere nos. tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum feciſti inopia?
Injurium eſt, nam ſi eſſet unde id fieret,
Faceremus.

Cicero Philip. II, 17. *Jam enim, quoniam criminibus ejus ſatis reſpondi, de ipſo emendatore &* CORRECTORE *noſtro quaedam dicenda ſunt.* In Oratore c. 56. *Sed tamen hic corrector, in eo ipſo loco, quo reprehendit, immittit imprudens ipſe ſenarium.* Pro C. Balbo, c. 8. *O praeclarum interpretem juris, auctorem antiquitatis,* correctorem atque emendatorem *noſtrae civitatis.* Plin. Ep. V, 21. *Invenimus qui curva* corrigeret. *Quia? ante hunc tractores non fuerunt? quis autem hic eſt, qui* emendet *publicos mores?* Terent. Adelph. IV, 7.

Corrector! *nempe tua arte viginti minae*
Periere.

Caeterum *Beſtium* illum oportet fuiſſe notum hominem, antiquae frugalitatis, aut ſaltem ſeveritatis fictae, qui, ut ille ait, *in mores, in luxum, & prandia regum* frequenter & libere intonaret. Atque hunc, opinor, Beſtii nomen correctori ejuſmodi imponit Perſius Sat. VI, 37.

Tune bona incolumis minuas? & BESTIUS *urget*
Doctores Graios: Ita fit, poſtquam ſapere urbi
Cum pipere & palmis venit hoc veſtrum maris expers;
Foeniſecae craſſo vitiarunt unguine pulles.

ubi *venit hoc veſtrum* reſcripſimus ex codice antiquo; cum perperam in vulgatis feratur, *Venit noſtrum hoc.*

V. 39. IDEM, QUICQUID ERAT NACTUS PRAEDAE MAJORIS] Et in editis omnibus & in membranis pleriſque QUICQUID. At codices aliquot Torrentii habent,

SI QUID *erat nactus praedae majoris.*

Rectiſſime: hoc enim & juſtius vulgato eſt, & ſignificantius. *Si forte majoris praedae quid nactus erat*; quo oſtenditur, tam largam fortunam & rarius & difficilius ei obtigiſſe.

EPISTOLA XVI.

V. 3. POMISNE ET PRATIS] Illud ET editiones omnes obſedit, ex Veneta & Loſcheriana tractum. Sed corrige ex tribus codicibus Cruquii, totidem Torrentii, Pulmanni uno, alteroque Berſmanni, & ex noſtris aliquot,

Pomiſne, AN *pratis, an amicta vitibus ulma.*

Pomaria quippe & *prata* ſunt diverſa agri genera, & proinde non erant copulanda per ET, ſed per AN disjungenda: quod & Cruquius Torrentiuſque recte animadverterunt. AN autem geminatur, ut ſaepe alibi. Epod. VII.

Furorne caecos, an rapit vis acrior,
An *culpa? reſponſum date.* Epiſt. I, 3.
Thraca ne *vos Hebruſque nivali compede vinctus,*
An *freta vicinas inter currentia terras,*
An *pingues Aſiae campi, colleſque morantur?*
Epiſt. I, 11, [*ſordent,*
Cunctane prae campo & Tiberino flumine
An *venit in votum Attalicis ex urbibus ura,*
An *Lebedum laudas, odio maris atque viarum?*
Epiſt. I, 18. [*Quid pure tranquillet, bonos,* an *duke lucellum,*
An *ſecretum iter, & fallentis ſemita vitae?*

V. 7. LAEVUM DISCEDENS] Ita praeferunt Editiones, praeter Loſcherianam quae DESCENDENS exhibet; cui aſtipulantur libri aliquot ſcripti, tam noſtri, quam aliorum. Repone,

—ſed ut veniens dextrum latus aſpiciat Sol,
Laevum DECEDENS *curru fugiente vaporet.*
Virgil.

Digitized by Google

Virgil. Georg. IV, 466.

Te veniente *die*, *te* decedente *canebat*.

Eclog. II, 67.

Et Sol *crescentes* decedens *duplicat umbras*.

Georg. I, 222.

Cnossiaque ardentis decedat *stella coronae*.

Noster Epist. I, 6.

Hunc solem, & stellas, & decedentia *certis Tempora momentis*.

Lactantius, VI, 2. *Quibus aut esurientibus opus est cibo, aut sitientibus potu, aut veste algentibus, aut, cum* sol decesserit, *lumine*. Tria illa, *discedere, decedere, descendere* passim a Librariis permutantur.

v. 8. QUID SI RUBICUNDA BENIGNE] Ita jam a primis usque editionibus hic locus praefertur;

——quid si rubicunda benigne
Corna vepres & pruna ferant, *si quercus & ilex* [*umbra?*

Multa fruge pecus, multa deminum juvet Et quidem facile ferri posset recepta haec lectio; nisi aliam & meliorem suppeditarent veteres membranae. Principio, codex Leidensis clare habet BENIGNAE, ut & a prima manu Reginensis: At unus Pulmanni, tres Cruquii, unus Markii, alterque Vossii, cum Petrensi & Regiae Societatis, BENIGNI. Sane adjectivum hic elegantius quid & *mollia* impos in se habere, quam adverbium, facile pronunciabunt harum rerum periti. Sic Ovidius Amor. I, 10.

Praebeat Alcinoi poma benignus *ager*.

Tibullus, III, 3.

Et magnus messes terra benigna *daret*.

Plinius Hist. XVIII, 1. *Quaeque alia praeter arbores aut frutices* benigna tellus *proveniunt*. Ita & hic *benigni vepres ferant*; non *benigne ferant*. Ceterum utrumvis recte habet; seu *benignae* mavis, sive *benigni:* nam *vepres* utriusque generis esse & veterum Grammaticorum decreta & scriptorum loca declarant: Lucret. IV, 60. *——nam saepe videmus*

Illorum spoliis vepres *velitantibus* auctas.

Virgil. Georg. III, 444.

& hirsuti secuerunt corpora vepres.

Aen. VIII, 645.

& sparsi rorabant sanguine vepres.

Masculinum autem hic praetulimus, cum ob plurium codicum consensum, tum ob Virgilii auctoritatem. Porro codex Petrensis & alter è Collegio Trinitatis JUVAT clare exhibent, non *juvet*. Recte: modo & legas FERUNT pro *ferant:*

quid si rubicunda benigni
Corna vepres & pruna ferunt? *&c.*

Noster Carm. III, 9.

Quid si *prisca* redit *Venus?*

& Serm. II, 7. quid si *me stultior ipso*
Quingentis emto drachmis deprenderis?

Terent. Heaut. IV, 3.

Quid si redeo *ad illos qui aiunt*, Quid si *nunc caelum* ruat?

Modus indicativus in hac phrasi est oratio affirmantis; subjunctivus optantis tantum vel metuentis: iste igitur cum loci hujus sententia melius congruit.

v. 15. ETIAM (SI CREDIS) AMOENAE] Languet profecto sententia, ut vulgo locus hic concipitur:

Hae latebrae dulces, etiam (si credis) amoenae.

Quid enim, aut quantillum interest, inter *dulce* & *amoenum*; ut de priore Noster facile se apud amicum fidem inventurum speret, de altero dubitet? Sed erigetur & sana erit; si, nulla litera mutata, sic verba interpunxeris,

Hae latebrae dulces & (jam si credis) amoenae.

Si *jam* credis dulces esse & amoenas; postquam scilicet, ut pollicitus sum,

Descripta est tibi forma loquaciter & situs agri.

v. 36. IDEM SI CLAMET FUREM] Nullus, quod sciam, Interpretum filum & ductum hujus orationis recte accepit:

Cum pateris sapiens emendatusque videri,
Respondesne tuo dic sodes nomine? nempe
Vir bonus & prudens dici delector ego ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras si volet, auferet: ut si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem:
Pone, meum est, inquit: pono, tristisque recedo.
Idem, si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum,
Mordear opprobriis falsis mutemque colores.

Ubi hic ordo, haec sententia est: *Qui hodie dedit hoc*, nomen sc. sapientis & emendati, mihi indigno; *cras auferet, si volet. Pone*, inquit, istud nomen, quo tibi adulatus sum: *meum est*, quod eo nomine tibi places. Ego vero *pono, & tristis recedo. Idem* ego, qui falsis prius laudibus cristas erigebam, *mordear etiam opprobriis falsis, si clamet me furem esse, impudicum, parricidam.* Ejusdem enim est, *falso honore juvari*, & *mendaci infamia terreri.* IDEM igitur primae hic personae est; *Pono tristisque recedo: Idem mordear opprobriis*

Digitized by Google

probriis falsis. Ita Noster passim; ut Epist. II, 2. v. 104.

Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Cum scribo, & supplex populi suffragia capto:

Idem, *finitis studiis & mente recepta,*

Obturem *patulas impune legentibus aures.*

& in Arte v. 358. [idem

Quem bis terve bonum cum risu miror; &
Indignor, *quandoque bonus dormitat Homerus.*

Cicero Epist. Fam. IV, 4. *Et ego ipse me non esse verborum admodum inopem agnosco: sed tamen* idem facile cedo *tuorum scriptorum subtilitati.* At Interpretes τὸ *Idem* tertiae hic personae esse arbitrantur, & ultima illa *mutemque colores* per interrogationem efferunt? quo omnis sententiae vis corrumpitur, & orationis filum interciditur.

v. 38. MUTEMQUE COLORES] Unus & alter ex nostris recentioribus COLOREM; ut & tres Cruquii, quos se sequi profitetur. Sane in hac sententia Latini singularem plerumque numerum adhibent. Plautus Merc. II, 3.

Quid est tibi, quod commutatu'st color?

Cicero pro Cluentio cap. 19. *Suspensus incertusque vultus, crebra* coloris *mutatio.* Aurelius Victor in Nerva: *Perinde trepidavit, ut* mutato colore, *verbis amissis, vix consisteret.* Recte tamen se habet COLORES, quod in omnibus paullo vetustioribus extat. Propertius I, 16.

Quis te cogebat multos *pallere* colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?

Lucianus in Eunucho: Καὶ πανδῶς ἦν, οἷς μωρίᾳ περιπόρους ΧΡΩΜΑΤΑ, ἢ ψυχρὰ τὰ ἰδρῶτα ῥέοντος. Significat, non semel, sed crebro pallorem ruboremque ire & redire.

v. 40. QUEM NISI MENDOSUM ET MENDACEM] Quod in priscis editionibus sic exhibetur,

Falsus honor juvat, & mendax infamia terret
Quem, nisi mendosum & mendacem?

vetustiores plerique codices ad hunc modum variant,

Quem nisi mendosum & MEDICANDUM?

Ita quatuor Blandinii cum tribus aliis apud Cruquium, ita unus Berfmanni & bini Pulmanniani; ita ex nostris optimi Leidensis & Reginensis. Et Cruquius quidem sic edidit, suorum auctoritate fretus, quem tamen nemo imitari ausus est praeter Baxterum nostratem. Torrentius vero illud *Medicandum, ut insulsum plane & insipidum, rejicit.* Quo magis elaborandum est nobis, qui Cruquianam quidem lectionem sequimur, licet alio prorsus modo interpretemur; ut sententiae nostrae ratio constare, & a posterorum cavillationibus immunis aetatem ferre possit. Quis igitur est *medicandus?* is profecto, cui medicina, emendatione, correctione opus est. Nam ut *morbi*, ita & *medicinae* vocabulum ad animum transferri solet, apud optimos quosque scriptores. Terent. And. v, 1. [dicaret *tuo.*

Ejus labore atque ejus dolore gnato ut me-
Noster Epist. I, 8. [pore toto,

Sed quia mente *minus validus, quam cor-*
Nil audire velim, nil discere, quod levet
aegrum;

Fidis offendar medicis, *irascar amicis.*

Seneca Epist. L. *Nemo se esse avarum intelligit, nemo cupidum. Caeci tamen ducem quaerunt, nos sine duce erramus: & ideo difficulter ad* sanitatem *pervenimus, quia nos aegrotare nescimus: nec quaerimus quidem* medicum; *erubescimus discere bonam mentem.* Ita apud Graecos ὑγιαίνειν & ὑγιεινός de mente passim usurpantur. Plutarchus Περὶ Ἀοργησίας p. 806. Ed. Steph. Τὸ δ' Μασσαγέτου, Δεῖν αἰεὶ ὑγιαινούσης βίᾳ τὰς σαίρας μάστιγας. Marcus Antoninus I, 7. Παρὰ Ῥουστικοῦ, τὸ λαβεῖν φαντασίαν δεομένου χρίσεως καὶ ὑγιαινούσης ἕξεως. Ergo hoc vult Horatius: Qui falso honore delinitur, aut falsa infamia cruciatur; is certe mendosus est, & medicinae indiget; quantumvis se sanum & ab omnibus animi morbis liberum esse opinetur. Nihil profecto aptius ad totam orationis seriem vel fingi poterit. Sic enim antea dixerat, eadem qua hic tralatione:

Fastidis jampridem omnia te Roma beatum:
Sed venear, ne cui de te plus quam tibi credas;
Neve putes alium sapiente bonoque beatum:
Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultum febrem *sub tempus edendi*
Dissimules; donec manibus tremor incidat unctis.

Stultorum incurata pudor malus ulcera *celat.*

Haec omnia μεταφορικῶς de animi morbis accipienda esse quivis videat. Ergo ubi in versibus sequentibus quaesiverat, an amicus ille suus & falsis laudibus non delectari, & infamia falsa non concuti didicisset, tandem eadem metaphora sic argumentum claudit,

Falsus honor juvat, & mendax infamia terret
Quem nisi mendosum & MEDICANDUM?

Si his, inquit, rebus concuteris, morbo utique laboras & *medicandus* es, quantumvis *sanum*
te

Digitized by Google

se & recte valentem & populus dictitet, & tu credulus sic existimes. Noster Serm. I, 6. v. 65.

Atqui si vitiis mediocribus & mea paucis
MENDOSA *est natura, alioqui recta.*

& iterum I, 4, 130.

Ex hoc ego SANUS *ab illis*
Perniciem quaecumque ferunt, mediocribus
Ignoscas vitiis teneor. [*& queis*

Ex his locis inter se collatis facile perspectu est, quam vere apteque vocabula illa hic conjungantur, MENDOSUM & MEDICANDUM. Mendosi siquidem sumus ob *vitia*: & vitia illa *sanatione* & *medicina* indigent. Omnis itaque mendosus propterea est *medicandus*: at non omnis mendosus necessario est *mendax*: poterit enim quis menda sua cognoscere & confiteri: ut noster loco jam laudato, Serm. I, 4, 130. De qua re vide egregie disserentem Senecam De Tranquillitate cap. 1. Quid quod *Medicandum* olim legit Porphyrio Scholiastes? *Mendosum*, inquit, *Vitiosum. Mendacem, hoc est, non sanum.* Ita quidem Georgii Fabricii editio praefert: sed naris esse obesae debet, qui illud *Non sanum* minime ad *Mendacem*, sed ad *Medicandum* spectare non subodoretur. Atque ita clare exhibet Editio Veneta anni MCCCCXC. *Medicandum, hoc est, non sanum.* Valeant itaque, qui *Mendacem* hic supponunt, magno sententiae dispendio: quamquam in iis est Joannes Sarisburiensis vir suae aetatis eruditissimus, qui ante annos plus quingentos sic in suis codicibus legebat,

Quem nisi mendosum & mendacem?

ut videbis Policrat. II, 14. nam & sic ibi codex scriptus in Bibliotheca hujus Academiae publica. Sed hujus auctoritati praeponderant & codices qui octingentos annos facile superant, & Scholiastes his omnibus prior, & quod maximum est, ipsa ratio & series orationis.

v. 43. QUO RESPONSORE] Conspirant fere in hanc lectionem & nostri codices & aliorum omnes:

Vir bonus est quis?
Qui consultus patrum, qui leges juraque
servat;
Quo multae magnaeque secantur judice lites;
Quo responsore, *& quo causae teste tenentur.*

Ubi si interroges, quis iste *responsor* est, respondebunt tibi Interpretes *jure consultum* hic intelligi. Audio: verum, etiamsi *responsa prudentum* appellatae fuerint interpretationes juris a consultis profectae; nego tamen apud ullum scriptorem consultos dici *Responsores*. Adde, quod ipsa loci sententia ab hac interpretatione abhorret. Quaerit enim Flaccus, Quis apud vulgus *vir bonus* audiat? Qui leges, inquit, & jura servet, qui testis gravis habeatur, qui arbiter litium exceptione major, qui *responsor*? Quid, sodes, *responsor*? annon haec ad omne vitae institutum attinent, intra certum aliquod minime coercenda? an soli, an omnes juris prudentiae professores *viri boni* tum habebantur? an excludendi erant ceteri omnes, seu Senatores, sive Equites; ne Populum dicam, & Philosophos, & nostrum ipsum Poëtam? Nemone usquam vir bonus, nisi qui *de jure respondere* noverit? Quid ergo? solus laboranti loco hic consulit codex veterrimus Blandinius, qui hanc lectionem exhibet,

Quo RES SPONSORE, *& quo causae*
teste tenentur.

Rectissime: *Quo*, inquit, *sponsore res tenentur; quo teste causae*. Cornelius Nepos in Attico: *Ut nullum illa steterit vadimonium sine Attico: hic* SPONSOR *omnium* RERUM *fuerit.* Ita *sponsor* & *testis* una veniunt apud Cic. de Prov. Cons. c. 18. *Si denique Cn. Pompeius idem mihi* testis *de voluntate Caesaris, &* sponsor *est illi de mea.* Stultus autem fuerit creditor, qui *sponsorem* aliquem acceperit, nisi *virum probum* & existimationis integrae. Eleganter Persius Satira Quinta,

Verterit hunc dominus? momento turbinis exit
Marcus Dama. Papae! Marco spondente, *recusas*
Credere tu nummos? Marco sub judice *palles?*
Marcus dixit: *ita est. adsigna, Maree, tabellas.*

Haec mera libertas: hoc nobis pilea donant.

Ubi vides tria illa, quae Horatius memorat, hic recenseri; *sponsorem, judicem, testem.* Recte igitur Cruquius ex suo codice RES SPONSORE edidit; etsi ante nos nullum sibi comitem invenerit.

v. 45. INTRORSUM TURPEM] Silent hic Interpretes: sed veterrimi nostri Leidenses, Vossianus, & a prima manu Reginensis,

INTRORSUS *turpem, speciosum pelle decora.*

Vere sine dubio & concinne: ne tria verba continua in eandem literam exeant.

v. 46. SI MIHI DICAT] Editi quidem libri, *Dicat*; sed Reginenses & Vossianus cum duobus recentioribus, & Bersmanni tribus, DICIT: codex Regiae Societatis DICET. Lege igitur,

Nec furtum feci, nec fugi; si mihi DICIT
Servus: habes pretium, loro non ureris; aio.

Omnino

Omnino reponendum est *Dicit*, ob verbum sequens *Aio:* si enim *Dicat* admiseris; tum certe subjungendum fuerit, non *aio*, sed modus subjunctivus *dicam* vel *dixerim*.

v. 49. RENUIT, NEGAT ATQUE SABELLUS] Vitiosa sane collocatio *& atque*; & a tam puro poeta furcillis eliminanda. Quod veterrimus Blandinius Cruquii, id quoque a prima manu praetulit optimus Reginensis,

Sum bonus & frugi: renuit NEGITATQUE *Sabellus.*

Eo frequentativo usi sunt Plautus, Lucretius, Cicero, Sallustius. Neque de lectionis fide dubitandum: etsi id quoque non inelegans sit, quod codex Bersmanni exhibet,

Renuitque negatque Sabellus.

v. 56. DAMNUM EST NON FACINUS] Codices plerique & typis excusi,

Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.

At Magdalenensis, cum Excerptis in Bibliotheca Bodleiana, [*nius isto.*

Damnum est, non facinus, pacto mihi le- Quod aliquanto rotundius est, & numerosius.

v. 61. DA JUSTUM SANCTUMQUE VIDERI] Sic editiones veteres, sic novae pleraeque *justum sanctumque:* at quanto elegantius est, quod Cruquius Torrentiusque dederunt, [*videri.*

Da mihi fallere, da JUSTO SANCTOQUE Ita duo codices apud Canterum Var. Lect. IV, 12, totidem apud Lambinum & Pulmannum, Blandiniorum veterrimus apud Cruquium, cum aliquot Torrentianis. Nostri vero omnes mendose hic accusativos agnoscunt, *Da mihi videri justo*; ut Serm. I, 4. v. 39.

Primum ego me illorum, dederim quibus *Excerpam numero.* [esse poetis,

Ubi vide quae adnotavimus. Plane hospes in his literis sit, qui hanc lectionem ab auctore esse, illam scribis librariis deberi, non statim agnoverit.

v. 67. PERDIDIT ARMA, LOCUM VIRTUTIS DESERUIT] Erat, cum hunc locum sic refingendum esse opinarer,

PRODIDIT *arma, locum virtutis* deseruit, *qui*
Semper in augenda festinat & obruitur re.

Quippe memineram *Prodere* & *Deserere* passim apud veteres Scriptores jungi solere. Cicero pro Flacco: *Quem ego sum secutus, is me* deseruit, *&* prodidit. Epist. ad Q. Fratrem I, 3. *Amici partim* deseruerunt *me, partim etiam* prodiderunt. Orat. post reditum in Senatu, cap. 4. *Non modo* deseruerunt, *in caussa praesertim publica & consulari, sed* prodiderunt. Ibid. 13. *Ut me & Remp. non modo* desererent, *sed etiam hostibus reip.* proderent. Et iterum: *Me a magistratibus partim oppugnatum, partim* proditum, *partim* derelictum. Pro Domo sua cap. 1. *Quae in Rep. ab aliis oppressa, ab aliis* deserta, *ab aliis* prodita, *gesta sunt.* Pro Sextio c. 23. *Nonne si meam vitam* deseruissem, *remp.* prodidissem? Philip. XI, 9. *At vero ita decernunt, ut literato Bruto: id enim restabat,* ut relicto, deserto, prodito. De Finibus, III, 19. *Nec magis vituperandus est* proditor *patriae, quam communis utilitatis aut salutis* desertor. Caesar Bello Civili, II, 32. Desertos *enim se ac* proditos *a vobis aiunt.* Livius II, 57. *Rempublicam* prodi *per motum ac* deseri. Idem XXVI, 13. *Et Hannibal fortes socios scit abs se* desertos *ac* proditos *esse.* Seneca de Beneficiis IV, 27. *Quid ergo. Decius mortem timet? Mucius* proditor? *Camillus* desertor? Ob sollemnem, inquam, hanc & ubique obviam verborum horum conjunctionem, eo ferebat animus, ut pro *perdidit* substituerem PRODIDIT. Neque enim Librarios multum morabar, cum probe scirem haec vocabula passim ab illis confusa, & plerumque illud in hujus locum temere esse inductum: de quo consule Nic. Heinsium ad Ovidii Fast. II, 46, & 454. IV, 715. Remed. Amor. 453. Poeta ipse Fast. III, 114. de veteribus Romanis loquens, philosophiae tum ignaris;

Non illi caelo labentia signa *movebant,*
Sed sua: quae magnum prodere *crimen erat.*

Ita fidenter repone ex uno codice apud Heinsium; ceteri omnes *Perdere.* Sic *prodere aquilam,* Caesar De Bello Gallico, IV, 25. *Deserite, commilitones, si vultis, aquilam, atque hostibus* prodite. Veruntamen re attentius penitata, nunc in ea sum sententia, ut vulgatam lectionem minime sollicitandam censeam. *Prodere* enim *signa* publica recte dixeris; privata cujusque *arma* non item; sed *tradere arma, projicere, abjicere, amittere, perdere.* Virgilius Aen. I, 478.

Parte alia fugiens amissis *Troilus* armis.

Modestinus Digest. XLIX, 16, 3, *Miles, qui in bello* arma amisit, *vel* alienavit, *capite punitur.* Paulus ibidem 14. Arma alienasse *grave crimen est, & ea culpa desertioni exaequatur.* Marcellus Digest. XLIX, 15, 2. *Non idem in armis*

Digitized by Google

armis juris est: quippe nec sine flagitio amittuntur: *arma enim postliminio reverti negatur, quod turpiter* amittantur. Appuleius Metam. IX. de milite cui ereptus erat gladius: *Nam praeter propriam contumeliam militaris etiam sacramenti genium ob* amissam spatham *verebatur.* Plautus Epidico Act. I. Sc. I. v. 28.

——ubi arma sunt Stratippocli?
Pol ista ad hostes transfugerunt. Armane?
Et quidem cito.
Quid est, Epidice? Perdidit me. Quis?
Ille qui perdidit arma.

EPISTOLA XVII.

V. 3. DISCE DOCENDUS ADHUC] Inceptissima interpunctio est, quae editiones pleraque maculat,

Disce docendus adhuc, quae censet amiculus:
Caecus iter monstrare velit. [*ut si*

Tu vero sic distingue,

Disce, docendus adhuc quae censet amiculus:

ubi ordo est, Disce, quae amiculus censet ipse adhuc docendus, ipse praeceptoris indigens. Constat hoc, ex verbis sequentibus, *Ut si caecus iter monstrare velit:* sed jam alii hoc occuparunt. Ipse tibi primus indicabo, Ausonium bis haec Flacci verba expressisse: Praefat. ad Centonem: *Et si pateris, ut* doceam docendus ipse; *Cento quid sit absolvam.* & Epist. XVII. *Ego te* docebo, docendus adhuc, *si essem id aetatis ut discerem.*

V. 20. SPLENDIDIUS MULTO EST] Et hic quoque locus in omnibus quot vidi editionibus a prava interpunctione laborat:

Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc &
Splendidius multo est, equus ut me portet,
alat rex.
Officium facio: tu poscis vilia rerum.

Immo tu contra sic divide orationem; ut τὸ *rectius* ad praecedentia referatur; non, ut vulgo, ad sequentia:

Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc &
Splendidius multo est. Equus ut me portet,
alat rex,
Officium facio: tu poscis vilia rerum.

Rectius, inquit, *hoc est*; scurrari scil. mihi, quam, quod tu facis, populo. Ego *officium facio, ut equus me portet,* &c. ut grande operae pretium consequar: *tu* tuis officiis *vilia rerum* captas. At in vulgata illa distinctione prava sunt omnia: neque sanam inde sententiam ullo modo exsculpere poteris.

V. 30. CANE PEJUS ET ANGUE] Scripti quidem & excusi omnes ANGUE hic repraesentant: at ab auctoris manu aliam ea vox terminationem habuit,

Alter Mileti textam cane pejus & ANGUI
Vitabit chlamydem.

Fidem tibi faciet Priscianus p. 766. *Anguis, ab Angue, vel Angui. Horatius in* I. *Epist.*

Alter Mileti textam cane pejus & angui
Vitabit chlamydem.

Sic & quattuor scripta Prisciani Exemplaria: sic alibi in fine versiculi *ungui, imbri, igni:* Vide quae diximus ad Serm. I, 5. v. 72.

V. 43. CORAM REGE SUO] Vide modo quod omnes ubique editiones prae se ferunt,

Coram rege suo de paupertate tacentes
Plus poscente ferent.

Regem hic recte accipies, amicum divitem & potentem. Quid ergo? an nemo coram ejusmodi rege de paupertate loqui potest honeste? non de aliena paupertate? non ut inopi amico per alterius liberalitatem subveniat? periit itaque gratissimum officii genus, & utilissimus amicitiae fructus. Ego vero vel ex conjectura corrigendum esse vidi:

Coram rege SUA *de paupertate tacentes.*

Recte hoc & prudenter praecipit: atque ita postea in Codice Petrensi sine litura offendi.

EPISTOLA XVIII.

V. 8. DUM VULT LIBERTAS] Ita libri typis editi,

Dum vult libertas mera dici, *veraque virtus.*

Sed melius & concinnius omnes ubique membranae,

Dum vult libertas dici mera, *veraque virtus.*

Equidem in plus duodecim ita repperi, ne uno quidem dissentiente: atque itidem in suis Torrentius, Pulmannus, Bersmannus, & in Adversar. XXXVII, 22. Barthius. Qui autem

Digitized by Google

rem eruditam habet, quid interſit, facile percipiet.

v. 11. SIC NUTUM DIVITIS HORRET, SIC ITERAT VOCES] Codex Collegii Trinitatis, —*ſic* VULTUM *divitis horret.* Utrumque ſane junxit Livius XXXIX, 5. *Suo quemque judicio & homines odiſſe aut diligere, & res probare aut improbare, debere: non pendere ex alterius* vultu ac nutu, *nec alieni momentis animi circumagi.* Praeſtat tamen NUTUM retinere cum ceteris codicibus. Cicero Parad. v. *Hereditatis ſpes quid iniquitatis in ſerviendo non ſuſcipit? quem* NUTUM *locupletis orbi ſenis non obſervat? loquitur ad voluntatem.* Sic & alibi: *Ad voluntatem nutumque; Ad arbitrium nutumque.* Plutarchus de Educatione Puerorum. Κόλακες, οἱ περὶ τὸ τῶν πλουσίων ΝΕΥΜΑ ζῶντες; *Aſſentatores, qui* ad nutum divitum *vivunt.* Porro pro ITERAT VOCES, quod in membranis omnibus reperi, Barthius ex vetuſtiſſimo, ut narrat, codice Adverſ. XXXVII, 22. ſic verba exhibet,

Sic VERAT *voces, & verba cadentia tollit.*

hoc eſt, ait, *Veras voces eſſe jubet, calculo ſuo verificat.* Bellum ſane hominem, qui tam caſco & opico vocabulo poetam noſtrum impertit. Atqui & apud cinctutos illos *verare* abſolute dictum erat pro *vera dicere.* Gellius XVIII, 2. *Quaeſitum eſt, verbum* Verant, *quod ſignificat* vera dicunt, *quiſnam veterum poetarum dixerit? — nemo enim commemineraat dictum eſſe a Q. Ennio id verbum in* XIII *Annalium in iſto verſu,*

—*ſatin' vates* verant *aetate in agunda?*

Nequeas itaque tranſitive dicere, *verare voces:* ut ne dicam ſententiam ipſam clare τὸ *iterat* flagitare.

v. 15. ALTER RIXATUR DE LANA] Noſtri omnes Codices cum editionibus priſcis,

Alter rixatur de lana ſaepe caprina,
Propugnat nugis armatus.

Quae cum hiulca & inconnexa editores merito offenderent, Muretus ex conjectura dedit,

Alter RIXATOR.

Cruquius ex duobus, ut ait, codd.

Alter RIXATUS.

Nos addita conjunctione, quae in fine verſus, ſi ſalvo fit metro, facillime ſolet excidere, ſic locum refinximus,

Alter rixatur de lana ſaepe caprina, ET
Propugnat nugis armatus.

Neque enim nomen *Rixator* apud quemquam veterem reperimus; nec *Rixatus* admittere potuimus ſine labe ſententiae; quae, ſi principio opus foret, *Rixans* omnino poſtulat, temporis praeſentis.

v. 37. ARCANUM NEQUE TU SCRUTABERIS ULLIUS UMQUAM] Ita quidem exhibent omnes ubique editiones: ſed ſi hoc Noſter conſilium dedit viro ut Lollius erat πολλῷ, equidem in eo judicium ejus & prudentiam requiro. Quid enim? *Nullius* arcanum ſcrutandum eſſe praecipit? non hoſtis? non inimici? non aemuli? Tantum abeſt, ut hoc ſit vetitum; ut vel ſcelera & adulteria magnorum principum eo nomine excuſari ſoleant, tamquam ratione commiſſa, quo facilius adverſariorum arcana poſſint exquirere. Quare dudum eſt, cum vidi emendandum eſſe, [*quam:*

Arcanum neque tu ſcrutaberis ILLIUS *umquod* poſtea clare expreſſum reperi in Collegii Regalis codice, & a prima manu in Magdalenenſi. *Illius* autem intellige *amici potentis,* Tiberii ſcilicet, in cujus comitatu tum, ut videtur, erat Lollius. Ita mox,

Nec cum venari volet ILLE, *poemata panges.*

Hoc ſcilicet Epiſtolae hujus unicum argumentum eſt, praecepta dare Lollio, quibus obtemperans Tiberio gratior & acceptior fieret, & amicitia ejus in rem ſuam uteretur. Huc ſpectant & illa v. 44.

tu cede potentis amici
Lenibus imperiis. & 73.
Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve
Intra marmoreum venerandi *limen* amici.

Recte igitur ILLIUS, patroni nempe & domini, arcanum ſcrutari vetat; quippe nihil illo clientum genere magis exoſum eſt, qui clauſa omnia rimantur, &

Scire volunt ſecreta *domus, atque inde timeri.*

v. 46. AETOLIS ONERATA PLAGIS JUMENTA] Voſſianus codex, *Aetholis*; ſed plurimi habent *Aetholiis* vel *Aetoliis*; ut ubique perperam *Edonii* iidem Librarii dederunt pro *Edoni.* Hinc arrepta occaſione, vir ſummus Janus Ulitius ad Gratium p. 104. hunc locum ſic emendatum ibat;

quotieſque educet in agros
AEOLIIS *onerata plagis jumenta, canesque.*

Aeolias autem *plagas* Cumanas explicat, ex Plinio Hiſt. XIX, 1. & Gratio v. 35. de Lino Cumano;

Optima Cinyphiae, nequid cunctere, paludes
Lina dabunt: bonus Aeoliae *de valle Sibyllae*
Faetus, & aprico Tuſcorum ſtupea campo
Meſſis.

Ubi revocanda eſt obiter editionum priorum lectio,

Digitized by Google

lectio, quam, dum corrigere studet, corrupit insciens vir egregius;

bonus Aeolia *de valle Sibyllae.*

Aeoliam vallem *Cumas* intellige, quae Aeolensium colonia. Scymnus Chius;

Κύμη, πρόπρον ὑπ' Χαλκιδῆς ἀπῴκισαν,
Ἐπ' Αἰολεῖς.

Aeolia Sibyllae valle; ut simili plane constructione Virgilius,

Et tandem Euboïcis Cumarum *allabitur* oris.
Qualis in Euboïco Baiarum litore *quondam.*

Quod ad Flacci lectionem attinet, durius profecto esset *Aeoliis plagis*, quam ut vel Gratii vel Virgilii locis excusari posset: & omnino, si quid in nobis judicii est, simpliciter potius & sine figura Noster dixisset,

Cumanis *onerata plagis jumenta, canesque.*

Retinemus igitur *Aetolis*, cum membranis & vetere Scholiasta, ob Meleagrum & aprum Calydonium.

v. 56. SUB DUCE, QUI TEMPLIS PARTHORUM SIGNA REFIXIT] Haesit haec lectio ex editionibus priscis; omnes tamen Interpretes in plerisque codicibus REFIGIT se reperisse clare testati sunt: ita sane in veterrimis nostris extat, Leidensi, Reginensi, & Vossiano. Quid ergo dubitamus, in sedem pristinam postliminio revocare? [FIGIT

Sub duce, qui templis Parthorum signa RE-
Nunc: & siquid abest Italis adjudicat armis.

Scripta scilicet haec Epistola est, sub ipso tempore, quo Phraates Persarum rex signa & captivos restituit, Augusto tum in Bithynia agente; Tiberio in Armenia; M. Appuleio, P. Silio Nerva Coss. cum Horatius annum aetatis XLVI ingrederetur. *Nunc refigit*; sic enim distingunt potiora exemplaria, ut scias praesens tempus hic denotari & requiri. Porro & illud mecum contemplare,

Nunc, & siquid abest, Italis adjudicat ARMIS: quod callide satis dissimulant Interpretes, & intactum fere praetereunt. Atqui hujus orationis aut haec sententia, aut nulla est; *Non a Parthis solum signa recuperat, sed ab aliis gentibus, siqua per totum terrarum orbem Romanis erepta sunt.* Quo posito, bis in Historiam peccatur: neque enim eo tempore aut ab ulla gente praeter Parthos signa reposcebantur; aut usquam gentium erant praeterea, unde repeti possent. Equidem ex vi & notione verbi *Adjudicat*, sic locum concinnandum & restituendum censeo:

Nunc, & siquid abest, Italis adjudicat ARVIS.

Quippe id vocabulum proprie usurpatur in controversiis De Finibus constituendis. Digest. x, 1. *Judici finium regundorum permittitur, ut, ubi non possit dirimere fines,* adjudicatione *controversiam dirimat.* Et mox, *Si alter fundus duorum, alter trium sit; potest judex uni parti* adjudicare locum, *de quo quaeritur, licet plures dominos habeat: quoniam magis* fundo *quam personis* adjudicari fines *intelliguntur.* Cicero Offic. I, 10. de Q. Fabio Labeone loquens, qui arbiter de Finibus datus est; *Itaque illorum fines, sicut ipsi dixerunt, terminavit; in medio relictum quod erat, populo Romano* adjudicavit. Valerius Max. de eodem Labeone, VII, 3. *Constitutis deinde finibus, ut ipsi terminaverant; quicquid reliqui soli fuit, populo Romano* adjudicavit. Cicero De Lege Agraria, 22. *Audivit, possidere agros in ora maritima regem Hiempsalem, quos P. Africanus populo Romano* adjudicarit. Suetonius Aug. XXXII. *Loca in urbe publica juris ambigui possessoribus* adjudicavit. Frontinus de Coloniis. *Caudinum oppidum muro ductum a Caesare coloniae Beneventanae cum territorio suo est* adjudicatum. Seneca Hippolyto v. 109.

Nec adire castis precibus aut ritu pio
Adjudicatae *praesidem* terrae *deam.*

Recte igitur & proprie Noster, *Italis adjudicat* ARVIS: quandoquidem *fundo* magis, ut Paullus loco jam dicto, quam *personae* adjudicari fines intelliguntur. Unde haec demum hujus loci sententia nascitur; *Sub eo duce militasti, qui jam nunc signa Romana a Parthis recipit, Imperiique fines profert & constituit, Provinciis ordinatis, & Armenia, quae ditioni nostrae deerat, populo Romano adjudicata.* Quippe eodem hoc anno & signa recepta sunt, & Armenia capta est. Velleius Paterc. II, 94. *Nec multo post missus ab eodem vitrico Tiberius cum exercitu ad visendas ordinandasque quae sub oriente sunt provincias, cum legionibus ingressus* Armeniam, redacta ea in potestatem Populi Romani, *regnum ejus Artavasdi* (Tigrani) *tradidit.* Suetonius Tiberio, XI. *Deinde ducto in Orientem exercitu, regnum* Armeniae *Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit: recepit & signa, quae M. Crasso ademerant Parthi.* Noster de eadem re Epist. I, 12.

Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res;
Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit: *jus imperiumque Phraates*
Caesaris accepit, genibus minor.

Ubi, cum omnino falsum esse clamitent, *Phraaten* flexis genibus ab Augusto accepisse im-

Digitized by Google

perium, neque tam foedae adulationi (ſi id ſcripſerit Horatius) ullum colorem aut excuſationem dari poſſe; videndum erit, ne interpolatori potius quam poetae tam turpe & inſignitum contra hiſtoriae fidem mendacium imputandum ſit. Certe aliud quid a Flacci manu profectum eſſe, fas erit ſuſpicari;

jus imperiumque TIGRANES
Caeſaris accepit genibus minor.

Tigranem quidem *jus & imperium Caeſaris accepiſſe* ſuper Armenios, praeter Suetonium, etiam Tacitus, Joſephus, & Dio confirmant: *genibus* autem *flexis* coronatum fuiſſe a Tiberio, ideo nobis perſuaſum eſt, quod Suetonius memorat *pro tribunali diadema impoſitum.* Illum enim morem ſervavit poſtea Nero, cum alium Armeniae regem Tiridatem coronaret; *quem primo per devexum pulpitum ſubeuntem* ADMISIT AD GENUA, *allevatumque dextra exoſculatus eſt; dein precanti, tiara deducta, diadema impoſuit:* Sueton. Ner. c. 13. Ceterum ut cum hiſtoriae, ita & cum metri rationibus belle convenit *Tigranes*, ſecundam ſcilicet ſyllabam producens. Lucanus II, 637.

Pharios hinc concute reges,
Tigranemque *meum; nec Pharnacis arma relinquas.*

Prima autem ſyllaba, praeſertim in nomine barbaro, vel corripi vel produci ad libitum poteſt ob liquidam ſequentem: ut *Mithridates* prima brevi effertur, Manilio, Martiali, & Juvenali: ut idem Manilius *Tigrim*, tam cum fluvium, quam cum beſtiam notat, corripit; quam vocem alii ſolent producere: IV, 804.

Et Tigris, *& rubri radiantia litora ponti.*

IV, 235.

Exorare tigres, *rabiemque auferre leoni.*

Sed de hoc quiſque ſentiat, ut volet: illud utique, quod de ARVIS modo propoſui, egregie illuſtratur & pene evincitur ex Naſonis loco, Art. Amat. I, 177.

Ecce parat Caeſar domito, quod defuit, orbi
Addere; nunc, Oriens ultime, noſter eris.

nam profecto, *Quod defuit, domito orbi addere*, geminum plane & germanum eſt huic, de quo agimus, *Quod abeſt, Italis arvis adjudicare. Armis* denique pro *Arvis* jam ante Librarii ſubſtituerant Carm. III, 5.

Conſenuit ſocerorum in armis.

ubi vide quae adnotavimus.

V. 58. ET INEXCUSABILIS ABSIS] Ita quidem libri, ABSIS; ſed aliquanto elegantius poterat dixiſſe, & dixit, ſiquid judico,

Sed ne te retrahas, & inexcuſabilis ABSTES.

Qui enim *retrahit* ſe, accuratius & juſtius eſt ut eum *abſtare* ſive abſiſtere dicas, quam *abeſſe*. Adde, quod *abeſt* in praecedente verſu venit; ut inconcinna ſit repetitio. Noſter in Arte Poetica:

Ut pictura, poeſis: erit quae ſi propius ſtes,
Te capiet magis, & quaedam ſi longius abſtes.

V. 68. QUID DE QUOQUE VIRO, ET CUI DICAS SAEPE VIDETO.] Hoc ita vulgo accipitur, ut de *quoque* viro perinde ſit, ac *quocumque*. Sed vide, an dividenda potius & intercidenda ſit oratio,

Quid, de quóque viro, & cui dicas, ſaepe videto.

ubi *de quoque* intelliges *& de quo*. Certe hoc pacto novum praeceptum exoritur, *vide de quo dicas:* ne forte, de potenti, de gratioſo: nam de *quocumque* homunculo quid dicas tantopere circumſpicere, nimis anxia cautio eſt, & timiditas plus quam ſervilis. Porphyrio Scholiaſtes: *Tria dixit*, quid *dicas*, de quo *dicas*, cui *dicas*. Cicero Orat. in Piſonem c. 31. *Tu* quid, *tu* apud quos, *tu* de quo *dicas, intelligis?* Vides, opinor, & enarratorem veterem & Ciceronem ipſum plane nobiſcum facere.

V. 80. UT PENITUS NOTUM SI TENTENT CRIMINA] Perplexa haec oratio eſt & obſcura, *quo vitio*, ſi Quintiliano fides, *minime tenebatur Horatius.* Videamus, quorſum tendat, & quid velit:

Fallimur & quondam non dignum tradimus. ergo
Quem ſua culpa premet, deceptus omiſit tueri;
UT *penitus notum ſi tentent crimina, ſervet*
Tueriſque tuo FIDENTEM *praeſidio.*

Mitte, inquit, *illum*, UT *hunc ſervet & tueris.* Turbat ſententiam illud UT; & argumentationem vitioſam reddit. Quid enim? ſi a te traditus & commendatus quis falſis criminibus petitur; noles hunc penitus notum tutari, niſi alterum quendam omiſeris? Quid ergo, ſi hic ſolus, aut prior, falſo accuſetur? non hic tibi ſervandus eſt, niſi alter praecat, qui deferendus? Illud praeterea quale ſit vide, *Tueteris*, inquit, *fidentem tuo praeſidio.* Recte quidem dixeris, *Fidentem praeſidio*; ut Livius XL, 49. *Diffiſi praeſidio urbis.* De verbis igitur querela nulla eſt; at ipſa ſententia non placet. Quid enim ſi diffidit tuo praeſidio? ſi alterius quoque opem advocat? ſi fiducia ſui fretus eſt, & innocentiam pro muro habet? ideone eſt deferendus tibi? immo vero, ſi ſapis, tanto magis adjuvandus. Gemina itaque, ni fallor,

Digitized by Google

fallor, menda laborat haec oratio: sed utrique medicina in promtu est, partim ex libro vetere, partim ex conjectura. Quippe ita lego, & distinguo:

Failimur & quondam non dignum tradimus: ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri.
At penitus notum si tentent crimina, serves
Tuerisque tuo FIDENTER *praesidio.*

Fidenter extabat in vetustissimo codice Barthii; quem vide Adversar. XXXVII, 22. Amat autem hujusmodi adverbia Noster, *prudenter, potenter, sapienter.* Si falsus es, inquit, in commendatione hominis indigni, sine hunc suae culpae poenas luere: *at* si quis a te traditus, quem intus & in cute novisti purum & insontem, criminationibus falsis per aemulos petatur, tutare hunc tuo praesidio *fidenter*; non timide & dubitanter, ne ipse forte ut ejusdem criminis conscius arguaris. *Tueris*, inquit, *tuo praesidio:* jam enim alia verborum constructio est: ita Cicero pro P. Sextio c. 42. *Ut aliquo* praesidio *caput & cervices & jugulum ac latera* tutetur. Et c. 35. *Vitamque suam noctis & fugae* praesidio, *non juris judiciorumque*, defendit. AT autem pro UT substitui literulae quidem unius damno, sed magno compendio sententiae, quae conjunctionem hic discretivam, non causalem, necessario exigit. Et UT quidem eam vim habere potest, si addideris TAMEN. *Illum indignum omitte tueri; Ut tamen penitus notum serves & tueris*; vel, *Ita tamen ut, Sed tamen ut.* Noster Epist. I, 20.

Irasci celerem, tamen ut *placabilis essem.*

Serm. II, 6, 82.

Asper & attentus quaesitis, ut tamen *artum*
Solveret hospitiis animum.

II, 1, 80. *equidem nihil hinc diffingere possum:*
Sed tamen ut *monitus caveas.*

Adde huc igitur *Tamen*, & ipsum illum sensum efficies, quem nos ut consequamur, AT pro UT substituimus. *At serves tuerisque* imperativi modi vim habet, ut passim: neque aliter olim, ut videtur, legebant Scholiastae, qui *defende, tuere, protege* in enarratione hujus loci usurpant. Quod si argutetur quispiam UT per se positum perinde esse ac *ut tamen*, me quidem assentientem non habet; & interea eam ipsam interpretationem mihi referet acceptam. Vide tamen nos ad v. 107.

v. 91. POTORES BIBULI MEDIA DE NOCTE FALERNI] Vereor equidem, ne interpolatoris liberalitati hic versiculus debeatur: in veterrimis enim nostris Vossiano & Reginensi marginem tantum occupat & a manu recentiore: quo modo & in aliis antiquioribus haberi crediderim, quamvis Interpretes sileant. Expressus autem est ex altero isto Epist. XIV, 34.

Quem scis immunem Cinyrae placuisse rapaci;
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni:

nam & illic NOCTE, non LUCE, quattuor ex recentioribus nostris praeferunt. Utcumque sit, sive ab auctore profectus, sive, cum versus forte hinc exciderat, a nescio quo interpolatus; mendosissimus hodie circumfertur, & re & dictione foedissime peccans. Quo enim referes illud BIBULI? an ad *potores?* atqui hoc ineptum: perinde enim est ac si *potores potantes* dixeris: an ad *Falerni*, ut sane vocum ordo & compositio Poetis usitata necessario flagitat? hoc vero jam ineptius: *bibulus* enim est qui bibit, non qui bibitur. Illud deinde quale est, *media de* NOCTE? mirum quantum hic fallebantur boni Librarii: *media nocte* quidem, & vel ad lucem usque potabant ganeones & nepotes: at *media* DE *nocte* nemo omnium, nisi cum maxime negotiosus, cui dies solidus non satis erat ad res agendas: quod hujusce loci sententiae prorsus contrarium est. Nimirum *media de nocte* fit, non quod eo usque producitur, sed quod tum primum incipitur. Noster Epist. I, 88.

Offensus damnis, media de nocte *caballum*
Arripit. Serm. II, 3, 238.

Unde uxor media *currit* de nocte *vocata.*

Juvenal. XIV, 190.

Post finem autumni media de nocte *supinum*
Clamosus juvenem pater excitat.

Plaut. Rud. IV, 2. [*rexi.*

Nam ut de nocte multa *impigreque exsur-*

Ergo qui *media de nocte* potare incipit, non inter nepotes, sed inter siccos & sobrios & occupatissimos numerandus fuerit. Quid multa? tu ocius rescribe,

Potores LIQUIDI *media de* LUCE *Falerni:*

plane ut in Epist. XIV,

Quem bibulum liquidi *media de* luce *Falerni.*

Nam & *Liquidi* habent MSti aliquot, si Fabricio fides; & Reginensis codex *Luce* ponit pro varia lectione. Quippe ut hora cenae apud homines frugi nona erat vel decima, die jam mortuo; ita luxuriosi & voluptarii *de die*, immo *de medio die* cenas auspicabantur. Noster Serm. II, 8.

Ut Nasidieni juvit te cena *beati?*

Nam

Digitized by Google

Nam mihi convivam quaerenti dictus here
De medio potare die. [*illic*

Silius Italicus de Capuae luxu, XI, 41.

medioque dierum
Regales Epulae. Catullus Epig. XLVIII.
Vos convivia lauta sumtuose
De die *facitis.* Ter. Adelph. V, 9.
Scortum adducere, apparare de die *convivium:*

quod acutissimus Donatus perperam accepit.

V. 107. UT MIHI VIVAM QUOD SUPEREST AEVI] Turbant hic codices scripti, quorum variantes lectiones operae pretium erit semel referre:

Sit mihi quod nunc est, etiam minus, UT *mihi vivam*
Quod supereſt aevi, ſi quid ſupereſſe volunt di.
Sit bona librorum & proviſae frugis in annum
Copia, NE *fluitem dubiae ſpe pendulus horae.*
SED *ſatis eſt orare Jovem,* QUI DONAT *& aufert:*
Det vitam, det opes: AEQUUM *mi animum ipſe parabo.*

Principio, omnes libri paullo vetustiores ET *mihi vivam*; in his Leidensis, Vossianus, Reginensis, ut nova hic prece utatur. *Sit mihi,* inquit, *quod nunc est*; satis enim habeo: *etiam,* si ita fors ferat, *minus*; abunde enim habeo, & cui aliquid demi facile patiar; cum enim, ut Serm. II, 6.

Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus;
auctius atque di melius fecere. Quod ſupereſt autem aevi, mihi & meo modo *vivere* contingat. Recte hoc, ut opinor: nam in recepta lectione conjunctio caussalis UT sententiam labefactat. *Opto,* tum inquiet, minorem mihi rem fieri, *ut* mihi reliquum vitae exigam. Atqui hoc minime volebat noster: neque enim tam ampla res erat, ut oneri & molestiae fuerit. Porphyrion, ut videtur, discretive UT accipit, pro *Dummodo: Etiam minus ſit, dummodo mihi vivam.* Recte quidem quoad sententiam, si verba paterentur: sed illius significationis exemplum requiro: tu tamen consulas licet, quae ad v. 80. adnotavi. Porro, pro NE *fluitem,* vetustiores & plures codices NEU praeferunt. Et hic quoque haud nihil interest, utram lectionem sequaris. Si NE; rationem voti reddit, cur annuae frugis bonam copiam precetur: si NEU; nova jam precatio est: *Sit librorum, ſit frugis bona copia,* NEVE *dubius ſpei pendeam.* Jam vero in versu sequente, pro SED *ſatis eſt orare Jovem* QUI DONAT, sunt libri, sed ex recentioribus, qui exhibeant HAEC *ſatis eſt*; & in illo altero majores turbae fiunt; siquidem & QUI DONAT, & QUAE DONAT, & QUI PONIT, & QUAE PONIT paribus fere singula testimoniis comprobantur. Denique versu ultimo pro ANIMUM MI AEQUUM mirifica sane lectio est in Codice Coll. Trinitatis, ANIMUM MIHI EGO IPSE PARABO; cui astipulatur Joannes Sarisburiensis Policr. III, 9. Ex his omnibus, quanto minutiora esse videantur, tanto majoris subtilitatis est quid melius veriusque sit dijudicare: ut vel ex Interpretibus patere potest, qui haec breviter memoraſſe contenti sine crisi & disquisitione transmittunt. Nobis integer hic locus sic videtur refingendus: [*mihi vivam*

Sit mihi quod nunc eſt; etiam minus: ET
Quod ſupereſt aevi, ſiquid ſupereſſe volunt Di:
Sit bona librorum & proviſae frugis in annum
Copia: NEU *fluitem dubiae ſpe pendulus horae.*
SED *ſatis eſt orare Jovem,* QUAE PONIT *& aufert.*

Post vota de *vita* & librorum frugisque *bona copia*, jam aliam precem addiderat, *Neve,* inquit, *fluitem dubiae ſpe pendulus horae*; hoc est, ut versu 99 dixerat,

Neu pavor & verum mediocriter utilium ſpes
vexet me agitetque: quod cum τῶν ἐφ' ἡμῖν & in sua potestate esset, utpote non ad bona externa sed ad animum spectans, revocat illud votum ut ex vulgi opinione magis quam ex vera ratione conceptum, & se corrigens, Sed satis est, inquit, in duobus illis votis subsistere, quorum penes deos potestas est; neque id eos rogare, quod in mea solius manu est, ut consequar: [*aufert:*

SED *ſatis eſt orare Jovem, quae ponit &*
Det vitam, det opes: animum mihi ego ipſe parabo.

Det modo *sanum vivere,* det *bonam copiam*; ego me ita parabo, *ut ne dubius fluitem.* Vides jam, opinor, cur NEU & SED merito amplectamur; & proinde QUAE hic locum sibi vindicare, non QUI. *Orare quae,* ut Carm. I, 31.

Quid dedicatum poſcit Apollinem
Vates? quid orat? & Carm. Saecul.

Quaeque *vos bubus* veneratur *albis:*

ubi pariter ac hic deteriores codices *Qui* exhibent. PONIT autem pro *Donat,* etsi parum interest, eo nobis arridet, quod & in antiquissimis Cruquii libris conspicitur, & Librariorum nationi minus obvium erat, quam illud alterum. *Ponit & aufert* antitheta sunt; ut Carm. I, 34.

Fortuna

Digitized by Google

Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit, *hic* poſuiſſe *gaudet.*

Jam vero de verſu poſtremo quid fiet? ex unone codice, neque eo melioris notae, tot vetuſtiores redarguentur? an ſarta tecta ſervabitur ſua priſcis membranis auctoritas?

Det vitam, det opes: aequum mi animum *ipſe parabo.*

Equidem, cum ad illa reſpicio, *Neu ſluitem dubiae ſpe pendulus horae,* ſatis apte huc quadrare videtur *aequus animus,* inter ſpem ſcilicet & pavorem minime fluctuans: contra, cum ad *opes* & *bonam copiam* oculos adverto, quid hoc in loco *animus aequus* ſibi velit, parum perſpicio. Ubi enim *opes* ſunt; non tam animus qui *aeque,* quam qui *modeſte* eas ferat, requiritur: contra in re anguſta vel adverſa vel dubia aequus animus cernitur. Noſter Carm. II, 3.

Aequam *memento rebus in* arduis
Servare mentem.

Epiſt. I, 11. *quod petis hic eſt,*
Eſt Ulubris: animus *ſi te non deficit* aequus.

Plautus Caſina, II, 6. [*debimus:*
Poſtremo, ſi illuc quod volumus eveniet, gau-
Sin ſecus, patiemur aequis animis.

Rud. II, 3.
Ergo animus aequus *optimum eſt aerumnae*

Stich. I, 2. [*condimentum.*
Et illa, quae aequo animo *patietur ſibi eſſe*
pejus, quam fuit.

His, opinor, exemplis jam ſatis compertum eſt, in *opibus* & *bona copia* mentem aequam jactitare ſubabſurdum quiddam eſſe & ἀτεχνόδουλον. Quod ſi obtinetur, tum certe recurrendum tibi erit ad lectionem alteram,

Det vitam, det opes: animum mihi ego *ipſe parabo.*

ubi *animum* virtutem intelliges, & omnia mentis bona. Det mihi deus bona corporis & externa, bona animi quae penes me ipſum ſunt egomet mihi parabo. Multa ſane in hanc ſententiam e Latinis & Graecis corradere facillimum eſt; ſed uno Ciceronis loco contenti erimus, De Natura Deorum, III, 36. *Atque hoc quidem omnes mortales ſic habent; Externas commoditates — a diis ſe habere: virtutem autem nemo umquam acceptam deo retulit. Nimirum recte. propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur: quod non contingeret, ſi id donum a deo non a nobis haberemus. — Numquis quod vir bonus eſſet, gratias diis egit umquam? at quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Jovemque optimum maximum ob eas res appellant; non quod nos juſtos, temperatos, ſapientes efficiat, ſed quod ſalvos, incolumes, opulentos, copioſos. Neque Herculi quiſquam decimam vovit umquam, Si ſapiens factus eſſet. — Ad rem autem ut redeam, judicium hoc omnium mortalium eſt, Fortunam a Deo petendam, a ſe ipſo ſumendam eſſe ſapientiam.* Sarisburienſis loco jam dicto: *Hoc autem eſſe arbitror, quicquid in moribus egregium de naturae beneficio & exercitio mentis citra gratiam Philoſophi ſibi repromittunt, eo ipſo evanuerunt in cogitationibus ſuis de libero conſiſ arbitrio; & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt ſtultique apparuerunt: unde Ethicus,*

Satis eſt orare Jovem qui donat & auſert,
Det vitam, det opes: animum mihi ego ipſe
parabo.

Sanius quidem veriuſque ex Chriſtiano dogmate hic philoſophatur; verum hinc liquido conſtat (qua gratia in partes eum citavimus) non de animo *aequo,* ſed de mente & moribus in univerſum jam olim loqui viſum eſſe Horatium. Quamobrem ſi huic demum lectioni accedis, *Animum,* inquit, ſive virtutem mihi parabo. Sic Epiſt. I, 1.

Eſt animus tibi, *ſunt mores, & lingua*
fideſque. Epod. XVI, 39.
Vos, quibus eſt animus, *muliebrem tollite*
luctum:

prout codex ſcriptus illic exhibet, cum ceteri *virtus* habent; ad quem locum plura congeſſimus. *Animum* autem *parabo;* ut verſu hic 100,

Virtutem *doctrina* paret, *naturane donet.*

vel *praeparabo, excolam,* ut *parare ſe* apud Terentium ſaepe. Eun. II, 2.

Itan' paraſti te, *ut ſpes nulla relliqua in te*
eſſet tibi?

ubi appoſite Donatus: *Objurgatur, tamquam in illo ſit quod miſer eſt:* ut Noſter in ſe eſſe & a ſe ſumendum eſſe dicit, ut animum colat. Cicero aliique ſaepe, *Paratus animo, Paratiſſimo animo.* Virgil. Aen. II, 799.

Undique convenere, animis *opibuſque* parati.

Illud denique *mihi ego ipſe parabo;* ut Noſter Carm. I, 20.

——*Graeca quod* ego ipſe *teſta*
Conditum levi. Et Epiſt. I, 1.
Reſtat, ut his ego me ipſe *regam ſolerque*
elementis.

Utcumque hoc fuerit; illud certe veri eſt ſimillimum, cum codices aliquot hoc ordine verba praeferant,

Det

Digitized by Google

Det vitam, det opes: animum mi aequum
ipſe parabo.

alter autem ille cum Sarisburienſi ſic exhibeat,

Det vitam, det opes: animum mihi ego
ipſe parabo;

aut pro *ego τὸ aequum*, aut contra pro *aequum τὸ ego* ab indiligente librario caſu ſubſtitutum eſſe.

EPISTOLA XIX.

V. 10. HOC SIMUL EDIXIT] Locus hic permultum negotii jam dudum faceſſit doctis Interpretibus:

Priſco ſi credis, Maecenas docte, Cratino;
Nulla placere diu nec vivere carmina poſſunt,
Quae ſcribuntur aquae potoribus, ut maleſanos,
Adſcripſit Liber Satyris Fauniſque poetas.
Vina fere dulces oluerunt mane Camenae.
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.
Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda, Forum putealque Libonis
Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeveris.
Hoc ſimul EDIXIT; *non ceſſavere poetae*
Nocturno certare mero, putere diurno.

Ubi principio, quod Noſter de Cratino narrat, ejus verbis ſic ferebatur;

Ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν ᾠδὴν οὐκ ἂν ποίοις,

vel ut alii habent,

Ὕδωρ δὲ πίνων καλὸν οὐ ποίοις ἔπος.

Extat Epigramma nobile, ſed auctoris incerti; quippe quod alii Nicerato, alii Demetrio Halicarnaſſenſi, alii Aſclepiadae, alii Theaeteto tribuunt: id hic deſcribere operae pretium fuerit, ut & Horatium illuſtret, & ipſum illuſtretur.

Οἶνος τοι χαρίεντα πάλλ' ταχὺς ἵππος ἀοιδᾷ·
Ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν ᾠδὴν οὐ ποίεις·
Ταῦτ' ἔλεγεν, Διόνυσε, Κ' ἔπινεν· οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος, ἀλλὰ πάντος ὠδοδώς πίθου.
Τοιχάρτοι πρώιον δῆμος ἔθρυπτεν, εἶχε δὲ κιττῷ
Μίτρωσεν, οἷα καὶ σύ, κεκρωμένον.

Vinum velox equus eſt poetae ingenioſo:

Aquam vero bibens nihil boni pepereris:
Haec Cratinus dicebat, o Bacche; & magna
ſpirabat,
Non unum vini utrem, ſed integrum dolium redolens.
Quamobrem coronis domus referta erat; &
frontem ipſe habebat,
Sicut tu, ab edera croceo colore tinctam.

Pro κεκρωμένον magnus Caſaubonus ad Athenaeum repoſuit, κεκλιμένον quod exponit *annulo cinctam*. Infeliciter: neque enim κεκλιμένον eſt annulo *cincta*, ſed *trajecta*: & recte ſe habet κεκρωμένον, quod non Athenaei modo, ſed Anthologiae codices praeferunt: Hoc ſcilicet vult; Cratino, quemadmodum Bacchi ſtatuis, ob perpetuam geſtationem coronae ederaceae frontem colore croci infectam fuiſſe. Certe ederae nigrae, qua olim Bacchus, Pan, & Poetae coronabantur, crocei ſunt corymbi: unde Theocrito in Epigram. III. *crocea* vocatur:

Ἀγρεύ δή τυ Πὰν, Ἢ ὁ τὰ προκόσματα Πρίπου
Κιοσὸν ἐφ' ἱμερτῷ κεφαλᾷ καθαπτόμενος.

Plin. Hiſt. XVI, 34. *Alicui ederae ſemen nigrum, alii* CROCATUM, *cujus coronis Poetae utuntur, foliis minus nigris; quam quidam Niſiam, alii* Bacchicam *vocant*. Dioſcorides II, 210. Ὁ δὲ μέλας κισσὸς φέρει τὸ καρπὸν μέλαν ἢ προσίζοντα, ὃν δὲ τῷ ἰδίῳ Διονύσιον καλοῦσι. Quod ſi quis non *tinctam*, ſed *cinctam* crocea edera frontem interpretari hic volet, ea de re nullam litem movebo. Illa deinde quae ſequuntur, quae cave Cratini verba eſſe cum Cl. Dacierio credas, ſunt enim Flacci;

ut maleſanos,
Adſcripſit Liber Satyris Fauniſque Poetas;

plerique ita jam explicant, ut τὸ UT ſignificet *Poſtquam, Ex quo*. Non accedo; *ſemper* enim & a primis Poeticae incunabulis Poetas ſibi vindicavit Bacchus; ut nullum hic locum habeat τὸ *Poſtquam*. Tu igitur ſic accipe: Poetas comitatui & choro ſuo adſcripſit Liber, *tamquam* maleſanos. Quomodo autem aut quare Satyris eos adſcripſit? interrogat Daniel Heinſius: reſpondetque, Poſt inventas Fabulas Satyricas, quas ſcilicet non ſcribebant modo, ſed & agebant olim poetae Scenici. Satyris aſſimulati. Fruſtra hoc: nam & veteres illi Homerus, Archilochus, Anacreon aliique ante Comoediam inventam, & poſtea omne genus Poetarum in Bacchi tutela erant: unde Romae quotannis menſe Martio feſto die Bacchi Liberalibus

Digitized by Google

beralibus rem divinam faciebant Poetae. Ovid. Triſt. V, 3.

Illa dies haec eſt, qua te celebrare Poetae,
Si modo non fallunt tempora, Bacche, ſolent;
Feſtaque odoratis innectunt tempora ſertis,
Et dicunt laudes ad ſua vina tuas:
Inter quos memini, dum me mea fata ſinebant,
Non invisa tibi pars ego ſaepe fui.

Noſter Epiſt. II, 2. v. 77. [*fugit urbes,*
Scriptorum chorus omnis *amat nemus, & Rite* cliens Bacchi *ſomno gaudentis & umbra.*

Sed veniamus demum ad locum illum, qui maximas jam olim lites concitavit,

Hoc ſimul EDIXIT, &c.

Quaerunt enim, quis ille ſit qui hoc edixerit, *Cratinuſne* an *Maecenas*, an *Ennius*, an *Liber?* ſinguli enim ex his aſſertores ſuos habuerunt. Et feſtivi oppido ſunt qui pro *Cratino* & *Ennio* digladiantur: quaſi vero aut hic aut ille de *Puteali Libonis* quicquam edicere poſſet, quorum uterque plus toto ſaeculo ante occiderant, quam Libo iſte naſceretur; ille vero Athenis natus morienſque ne Romae quidem ipſius nomen fando audiverat. Neque minus, etſi minus turpiter, peccant Simeo Boſius & Dacierius, qui *Libero* edictum hoc vindicant. Quid enim? Non ante Puteal illud conditum licebat poetis vino ſe invitare? cur igitur injuſſi & ſine edicto quos hic memorat omnes, Homerus, Cratinus, Ennius, & ipſae Camenae vina mane oluerunt? Parum profecto liberaliter egit Liber, qui poetis Graecis nihil tale edixerat. Theodorus quidem Marcilius, ut *Cratino* hoc edictum aſſereret, luxatos eſſe verſus ſomniabat, & decimum undecimumque verſum poſt quartum inſerebat; oblitus illud EDIXIT omnino referendum eſſe ad verba illa quaſi ex formula edicti,

Mandabo *ſiccis*, adimam *cantare ſeveris.*

Longe ſanius Daniel Heinſius, qui ad Maecenatem hoc refert, levi immutatione corrigens, *Hoc ſimul* EDIXTI: nihil enim eſt quod in hac lectione jure vituperes, praeterquam quod ſequentia alio nos ducunt, & Horatio ipſi, non Maecenati, edictum hoc adjudicant. Legendum enim,

Hoc ſimul EDIXI; *non ceſſavere poetae*
Nocturno certare mero, putare diurno.

Ita clare habet Reginenſis noſter, cui accedunt duo Berſmanni. Torrentii unus, & a manu ſecunda unus Lambini. Suos enim, non alterius cujuſquam imitatores hic ſale perfricat Horatius: ut ex toto Epiſtolae filo conſtat. Verſu 18. *quod ſi*

Pallerem *caſu, biberent exangue cuminum.*

Quo ſodes illud *Pallerem*, niſi de ſe & ſuo edicto jam fuerit locutus? utique, ſi Maecenatis edictum ſupra intellexit, *Palleres* hic dicere voluiſſet: ſin autem dei Liberi, aut mortuorum Cratini vel Ennii; jam totum hoc de *pallore* fuerit abſurdiſſimum. Fixum igitur & conſtitutum eſto, lectionem illam *Edixi* ſolam eſſe ſinceram & Horatio agnoſcendam: quod & viderant Viri ſummi Torrentius Heinſiuſque, ſed ſententiis fluctuantes non auſi ſunt clare aſſerere. Ceterum cave credas tum primum hoc edixiſſe Horatium, cum hanc Epiſtolam edolaret: unde enim tot e veſtigio imitatores naſcebantur, dum unum aut alterum verſiculum pangeret? Immo jam olim & in ſcriptis & in vita profeſſus erat, ſine Libero Muſam ſuam nihil magni poteſſe: Epiſt. I, 5.

Quid non ebrietas deſignat? — addocet artes.
Fecundi calices quem non fecere diſertum?

Carm. III, 25.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quae nemora aut quos agor in ſpecus,
Velox mente nova? ———
Dicam inſigne, recens, adhuc
Indictum ore alio.

Sed & inter convictores, cum *homuncio lepidiſſimus* ab Auguſto vocari meruit, ſine dubio *ſiccos & ſeveros* Helicone ſaepe excluſerat. unde pravi & inepti imitatores, quem *vini ſomnique benignum* noverant vitiis imitati, idcirco & virtutes ejus & ſpiritum & artem ſe conſequi poſſe ſtulte crediderunt.

v. 19. UT MIHI SAEPE BILEM, SAEPE JOCUM] Idem ille codex e Collegio Trinitatis, qui ſuperioris Epiſtolae verſu ultimo habebat, *animum mihi ego ipſe parabo*, etiam hic lectionem ſubminiſtrat haud minus ſingularem:

O imitatores, ſervum pecus; ut mihi bilem,
Ut mihi ſaepe *jocum veſtri movere tumultus!*

Quae quamvis elegantia ſua non careat; noli tamen, ſi me audis, receptae anteponere; quod vir eruditus perperam volebat. Illud enim *ſaepe* & alibi geminare ſolet Noſter; ut Carm. I, 8. ſaepe *diſco*,
Saepe *trans finem jaculo nobilis expedito.*
Sermon. I, 3. ſaepe *velut qui*
Currebat fugiens hoſtem, perſaepe *velut qui*
Junonis ſacra ferret: alebat ſaepe *ducentos*,
Saepe *decem ſervos.*
Epiſt. XVII, 55. ſaepe *catellam*,
Saepe *periſcelidem raptam ſibi flentis.*

Digitized by Google

Virgil. Eclog. VIII,

His ego saepe *lupum fieri & se condere silvis*
Moerin, saepe *animas imis excire sepulchris.*

Aen. III, 185.

Et saepe *Hesperiam*, saepe *Itala regna vocare.*

Quae ad exempla etiam hic retine, ut vulgo fertur; *ut mihi* saepe

Bilem, saepe *jocum vestri movere tumultus!*

V. 29. SED REBUS ET ORDINE DISPAR] Difficilis locus, unde expedire se nemo hactenus potuit Interpretum; ac nescio an ipse mihi meliores successus ausim polliceri; faciendum tamen periculum est:

Parios ego primus Iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res & agentia verba Lycamben.
Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos & Carminis artem;
Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus: sed rebus & ordine dispar,
Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris,
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
Vulgavi fidicen.

Ubi hoc primum vult, se imitatorem fuisse Archilochi, non interpretem; modos quidem & argumenti acerbitatem secutum esse, non res ipsas & verba verbis reddidisse. Ac ne ideo, inquit, me minoris aestimes, quod non, ut res, ita & metrum immutavi & novavi, (Lucilii ritu, qui Comoediae veteris scriptores *mutatis tamen numeris & pedibus* expressit)

Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus, sed rebus & ordine dispar.

Quid vero haec sibi volunt? In partes hic discedunt Interpretes: quorum alii sic accipiunt, Miscemus Pariis Iambis Alcaïca & Sapphica; sive, Praeter Epodon librum etiam & Carminum libros edidimus; alii autem sic, In ipsis Epodis acerbitatem & fel Archilochi cum Alcaei & Sapphus lenitate temperamus. Quarum sententiarum si utramvis amplectaris; eo res veniet, ut pro SED, cui nihil loci relictum erit, ET necessario reponendum sit,

Temperat Alcaeus, ET rebus & ordine dispar:

Et fuit profecto, cum ipse priori sententiae addictus sic emendandum arbitrarer: levis enim mutatio fuerit, ET pro SET (ut olim scribebant) praesertim cum S litera a verbo praecedente posset absorberi: syllaba vero brevis recte sustineretur ratione Caesurae. Sed re & verbis accuratius aestimatis, neutram ex his enarrationibus recto talo stare posse continuo deprehendi. Qualis enim, amabo, haec excusatio est? Noli, inquit, id mihi vitio vertere, quod Archilochi numeros non mutaverim. Cur sodes? Quia alia opuscula numeris Alcaicis & Sapphicis postea confeci. Hoc quo valeat nullus video; aut quomodo illorum, siqua est, pravitas horum bonitate excusetur. Immo sic potius me defendam; Ideo numeros non mutavi, quia in Epodis virus & rabiem Archilochi Alcaicae humanitatis condimento mitigavi. Atqui hoc & falsum est, & causae inimicum: falsum, quia in Epodis *animos* Archilochi te secutum profiteris, & hoc suo malo senserunt Canidia, Mena, Cassius Severus aliique: causae autem ideo nocet, quia tanto hercle magis immutandi erant numeri, si acerbitas, numeris fere istis propria, a chartis exulabat. Sentis jam, opinor, neutram ex his interpretationibus posse constare. Quid igitur fiet? Enimvero & ex ipsius argumentationis vi, & ex vocum ordine ac constructione veram tandem sententiam eruebam. Quippe haec series est orationis, *Sappho musam temperat pede Archilochi:* non ut vulgo accipiunt, *Sappho musam Archilochi temperat pede.* Ceterum hanc vocum ordinationem lege versus & collocationis norma flagitari, nemo, uti credo, praeter Poetas aut in Poetis versatissimos agnoscet: illud quivis mox fatebitur sensum ipsum hanc vocabulorum seriem clare dictare. Quippe haec totius loci sententia est: Ne mireris, inquit, aut queraris, quod numeros Archilochi non mutaverim; scias & Sapphonem & Alcaeum (quos poetas!) *musam suam illius pede temperare;* scias utramque Archilocheos numeros suis Lyricis immiscere. Quos igitur illi tantopere probabant, egone ut fastidirem & repudiarem? Justam jam habes defensionem & causam vincibilem atque optimam. *Pedem* itaque hic versiculum integrum intellige; ut Carm. IV, 6.

Lesbium *servate* pedem, *meique*
Pollicis ictum.

pes ibi Lesbius est integer Tetracolos. Arte Poet. v. 80.

Archilochum proprio rabies armavit Iambo;
Hunc socci cepere pedem, *grandesque cothurni.*

Non simplicem pedem hic accipe, sed totum Senarium. Jam vero rem sic se habere, & Lyricos istos adoptasse numeros Archilochi, res

res ipsa fidem tibi faciet: neque enim id opinor ignoras hunc illis omnibus aetate multo priorem fuisse; neque id quoque, nullum metri genus, quod in Flacci Carminibus habetur, non a biga illa Lyricorum petitum esse. Iste igitur, qui hexametro subjicitur, Carm. IV, 7.

Arboribusque comae,

Archilocheus versus erat, teste Hephaestione,

Ἐν δὲ Βατυκλείῃς.

& alter itidem Carm. I, 7. hexametro etiam succinens,

Aut Ephesum bimarisve Corinthi,

ejusdem erat, teste eodem.

Φασίφρονες κακὸν οἰκεῖ' ἄμαχος.

& ille denique Carm. I, 4. ab eodem petitus est,

Solvitur acris hiems grata vice veris & Favoni

Ὀδὺς ἔδ' ὥρης ἰάλλεις ἀπυλὸν χεῖμα, πάρφη δὲ ὕδη.

Atque haec quidem ex pauculis Archilochi Fragmentis agnoscuntur; plura fortassis futura, si plura ejus hodie extarent. Musam itaque, ut jam vides, Archilochi pede & Sappho temperat, &

Temperat Alcaeus, sed rebus & ordine dispar,
Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris.

Ubi recte habet τὸ SED, si hanc nostram enarrationem sequeris; in aliis turbat & sensum evertit; *Numeros* quidem adhibet, *sed* argumento & ordine dispar est. Quid autem, rogo vos, per ORDINEM hic denotatur? Ne per somnium quidem hoc viderunt commentatores. Adscivit, inquit, Alcaeus metra quaedam Archilochi; sed *ordine* variavit, sed aliis, ac ille fecerat, metris aptavit ea & connexuit; ut Dactylicum illud *Arboribusque comae* cum Hexametro junxit Alcaeus,

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae;

At eundem Iambo comitem dedit Archilochus:

Ἔστι μοῖς ἄσθλα δίκρυ' ἀνθρώζετο,
Ἐν δὲ Βατυκλείῃς. &
Ἐρέω τιν' ὑμῖν αἶνον, ὦ Κηρυλίδη,
Ἀχαιμένη ἐκκάλα.

Hoc, opinor, illud est, quod Alcaeum *ordine disparem* Archilocho facit, etiam cum numeros ejus mutuos sumeret. Illud denique quod sequitur,

Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
Vulgavi fidicen,

perperam omnino ad *Archilochum* referunt quicquid hodie est Interpretum. Atqui illud jam supra dixerat, v. 23.

Parios ego primus Iambos
Ostendi Latio;

ut ineptum & putidum fuerit intra paucos versiculos bis idem ingerere. Quo accedit, quod *hunc*, quisquis est, Lyricum fuisse clare significent illa, *Latinus fidicen*, ut Carm. IV, 3. *Romanae fidicen Lyrae:* si *fidicen*, si Lyricus sit Noster, quia vulgaverit: sequitur, ut Lyricus itidem sit, quem vulgaverit. Archilochum vero nemo omnium poetis Lyricis adscripsit. Pindarus, Bacchylides, Anacreon; Stesichorus, Ibycus, Simonides; Alcman, Alcaeus, Sappho novenarium Lyricorum numerum & constituunt & claudunt. Sine venia igitur peccant Interpretes, cum *Latini fidicinis* nomen meruisse Nostrum somniant, quod Archilochi Epodos primus Latio ostenderit. Immo vero ad *Alcaeum* haec pertinent, quod & ordo orationis & res ipsa clamitant. Praeter Parios Iambos, *Alcaei* etiam, inquit, numeros primus Latine vulgavi: quod & alibi profitetur. *Dicar*, ait Carm. III, 30,

Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. & IV, 9.
Ne forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.

Cur autem *Alcaeum* se primum vulgavisse memorat, non etiam *Sapphonem?* Quia Catullus & alii jam Sapphica quaedam ediderant, nemo Alcaica.

V. 39. NON EGO NOBILIUM SCRIPTORUM AUDITOR ET ULTOR] Gulielmus Canterus Nov. Lect. IV, 12, ex scripto codice substituit, *Auditor &* ACTOR. Vossius filius ad Paterculum p. 21. ex conjectura, *Auditor &* ALTOR. Perperam uterque. Negat se Horatius nobilium poetarum auditorem & ultorem esse; *Auditorem*, dum alios audit scripta sua recitantes; *Ultorem*, dum ipse vicissim sua illis recitat. Idem negavit Serm. I, 4.

Non recito quicquam nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis, coramve quibuslibet:

& hac ipsa Epistola, *Spissis indigna Theatris*
Scripta pudet recitare, *& nugis addere pondus.*

Recte vero & urbane *Ultor*. Juvenalis Sat. I.

Semper ego auditor tantum: numquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

Ubi *reponere* perinde est ac *edere*. Noster

Digitized by Google

Ep. II, 2. v. 96. de poetis ſcripta invicem recitantibus:

Caedimur, & totidem plagis conſumimus [hoſtem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.

hic falſe & facete *ultorem* expreſſum vides. Plinius Epiſt. I, 13. *Poſſum jam repetere ſeceſſum, & ſcribere aliquid quod non* recitem; *ne videar quorum recitationibus affui, non* auditor *fuiſſe, ſed* creditor. Eleganter hic *creditorem* dixit, pari metaphora ac Noſter *ultorem*.

EPISTOLA XX.

V. 5. FUGE QUO DISCEDERE GESTIS] Loſcheri quidem editio & Veneta anni MCCCCXC DISCEDERE, quod omnes deinceps neſcio quo fato obſedit. At illa Princeps MCCCLXXVIII cum omnibus fere quicquid uſquam eſt codicibus DESCENDERE. Rectiſſime; & ita reponendum. Fuge, inquit, ad Janum Vertumnumque, hoc eſt, ad Forum, quo geſtis *deſcendere*. Nempe Forum in loco plano atque humili erat, quo ituris *deſcendendum* erat ex collibus propinquis; ut Libro huic ex Eſquiliis ubi Noſter habitabat. Seneca de Providentia c. 3. *Quid ergo? felix eſt L. Sylla, quod illi* deſcendenti ad forum *gladio ſubmovetur?* Idem De Benef. III, 27. *Uſus conſilio,* deſcendenti *Caeſari occurrit:* de Palatio ſcilicet ad Forum. Ibidem IV, 39. *Sponſum* deſcendam, *quia promiſi:* hoc eſt, in Forum. Cicero de Oratore II, 66. *Ita ſibi ipſum magnum videri Memmium, ut* in Forum deſcendens *caput ad fornicem Fabii demitteret.* Q. Cicero de Pet. Conſ. c. 1. *Prope quotidie* ad Forum tibi deſcendenti *meditatum hoc ſit, Novus ſum.* Et iterum c. 14, *Quod tibi quotidie* ad forum deſcendenti *meditandum eſſe dixeramus.* Ita *Sacra via deſcendere*; ea enim ad Forum ducebat. Noſter Epod. VII.

Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus via.

Cicero ad Atticum IV, 3. *A. d.* III. *Idus Novemb. cum* ſacra via deſcenderem: ubi vide quae Graevius noſter erudite adnotavit. Sic & *in Campum deſcendere*. Noſter Carm. III, 1.

hic generoſtor
Deſcendat in Campum *petitor.*

Cicero de Fato c. 15. *Nec quod* in campum deſcenderim, *id fuiſſe cauſſae, cur pila luderem.* Denique *Deſcendere* ſimpliciter idem ſaepe eſt, ac in publicum prodire, ut pluribus dicto loco Graevius oſtendit. Vicimus ergo, ni fallimur, ut poſtea reponamus,

Fuge, quo DESCENDERE *geſtis.*

V. 7. UBI QUIS TE LAESERIT, ET SCIS IN BREVE TE COGI] Illud QUIS ex vetuſtis editionibus locum ubique tenuit; at in omnibus fere membranis, Pulmanni, Bertmanni, & noſtris (adde ſi vis aliorum, etſi ſileant & diſſimulent) clare exhibetur,

ubi QUID *te laeſerit.*

Rectius, ſine dubio, ut rem, non hominem, intelligamus. Ita paſſim boni ſcriptores. Noſter in Arte, v. 203.

Tunc tua me infortunia laedent.

Epiſt. I, 17. v. 8. *Si* laedit *caupona.* & II, 2. v. 16. *Excepta nihil te ſi fuga* laedit.

V. 8. CUM PLENUS LANGUET AMATOR] Codex Berſmanni, *Cum languet plenus amator*; alter e Collegio Trinitatis, *Plenus cum languet*; quod ut rotundius & numeroſius admittendum puto; repone ergo;

Quid miſer egi?
Quid voluit dices; ubi quid *te laeſerit, & ſcis*
In breve te cogi, plenus cum *languet amator.*

Plenus autem eſt ſatur, faſtidiens, laſſus lectione vel tui vel aliorum poematum. Ovid. Pont. III, 4. v. 55.

Cetera certatim de magno ſcripta Triumpho
Jam pridem populi ſuſpicor ore legi.
Illa bibit ſitiens lector, mea pocula plenus:
Illa recens potus eſt, noſtra tepeſcit aqua.

Martialis IV, 29.

Obſtat, care Pudens, noſtris ſua turba libellis:
Lectoremque frequens laſſat & implet opus.

Ceterum mirificum eſt Dacierii acumen, cui *amator*, non lector eſt, ſed ipſe Horatius: quod ſi ita eſſet, dignus ſane erat Noſter,

Qui ſine rivali ſeque & ſua ſolus amaret:

ut & ii itidem digni ſunt, qui tam bellis explicationibus poſſunt applaudere.

V. 13. AUT UNCTUS MITTERIS ILERDAM] Omnes, puto, tam aliorum quam noſtri Codices VINCTUS habent; pleraeque tamen editiones UNCTUS, a primis Venetis & Loſchero tranſmiſſum. Videamus locum integrum:

Carus eris Romae, donec te deſerit aetas.
Contrectatus ubi manibus ſordeſcere vulgi
Coperit;

Digitized by Google

Coeperis; aut tineas paſces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam, aut unctus mitteris Ilerdam.

Ubi qui *unctus* malunt (in quibus nollem fuiſſe N. Heinſium) de involucro mercium, olivarum ſcilicet, ſive aromatum interpretantur, nimirum ut deferendus ſit miſellus Liber

in vicum vendentem tus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Unctus igitur, ut *madida papyrus* Martiali, III, 2.

Cujus vis fieri, Libelle, munus?
Feſtina tibi vindicem parare.
Ne nigram cito raptus in culinam
Cordylas madida tegas papyro,
Vel turis piperiſve ſis cucullus.

& XIII, 1.

Ne toga cordylis, ne penula deſit olivis,
Aut inopem metuat ſordida blatta famem;
Perdite Niliacas, Muſae, mea damna, papyros.

Statius Silv. IV, 9.

Eſt ſane jocus iſte, quod libellum
Miſiſti mihi Griphe, pro libello.—
Tu roſum tineis ſituque putrem,
Quales aut Libycis madent olivis,
Aut tus Niliacum piperve ſervant,
Aut Byzantiacos colunt lacertos.

Numquam tamen a me impetrabunt, ut huic ſententiae accedere velim. Neque enim eo res reciderat, ut metuendum fuerit Horatio, ne libelli ſui ad ſalſamentarios damnarentur. Hoccine ut vel joco ſe vereri fingeret, qui Epiſtola praecedente tam magnifice ſua extulerat; qui annum jam agens XLVI poſt tres Carminum libros editos per totum orbem Romanum poeta a Virgilio proximus ferebatur? Illud quoque vide, *Mitteris*, inquit, *Ilerdam, aut fugies Uticam.* Atqui aromatarii Romae degentes non merces ſuas alio exportabant, ſed aliunde convectas in urbe vendebant. Adde quod libellorum chartulae in ſolidis mercibus trans mare devehendis nullum uſum praebere poterant; ſed quae particulatim & domi inter vicinos diſtrahebantur, eae ſolum merces chartis involvebantur, ab emptore manibus deferendae. Quorſum itaque, ſi *unctus* fuerit hic liber, aut *Uticam* ablegandus erat aut *Ilerdam?* Romae utique & domi patiendum hoc ei fuerat, non ea gratia peregre abeundum. Sed alia prorſus hujus loci ſententia eſt; ROMAE, inquit, carus eris, quamdiu eris novus. Ubi vero in vulgi manus veneris, & novitatis gratiam amiſeris, quid tum fiet? Si ROMAE adhuc manſeris, tineas blattaſque paſces nulli amplius legendus. Quod ſi evitare voles, in provincias tibi eundum erit, *Africam* puta aut *Hiſpaniam*, ubi iterum novitatis cauſſa paulliſper placere poſſis, Romae jam vetus & obſoletus. Noli aliam quaerere interpretationem, nec membranarum omnium lectionem ſollicitare. Hanc poſtulat illud ROMAE, quod minime attenderunt Interpretes: hanc flagitat antitheton illud,

Aut fugies *Uticam*, *aut* vinctus mitteris *Ilerdam.*

fugies ſcilicet ſponte, *vinctus mitteris* invitus nempe & coactus a Bibliopola. Noſter Epiſt. II, 7. v. 30.

ac velut uſquam
Vinctus eas, *ita te felicem dicis amaſque,*
Quod nuſquam tibi ſit potandum.

Facete fingit, malle librum, ſi Roma abeundum ſit, Africam petere quam Hiſpaniam. Ceterum in more fuiſſe Bibliopolis, ubi Romae annona jam refrixerat, venales libros in provincias mittere, quid opus eſt dicere? Martialis XII, 3.

Ad populos mitti qui nuper ab Urbe ſolebas,
Ibis tu Romam, nunc peregrine Liber.

NOTAE

Digitized by Google

NOTAE AD EPISTOLARUM

LIBRUM II.

EPISTOLA I.

V. 2. MORIBUS ORNES, LEGIBUS EMENDES] Ita omnes omnium, quos noverim, codices, MORIBUS: neque vero quicquam hac lectione simplicius sinceriusve esse videatur. *Leges* & *Mores* passim apud veteres conjunguntur; neque in re obvia opus est exemplis. *Morum* autem corrigendorum praefecturam perpetuam jamdudum receperat Augustus. Sueton. Aug. XXVII. *Recepit* & morum legumque regimen *neque perpetuum; quo jure, quamquam sine Censurae honore, censum populi ter egit.* Neque auctoritate solum, sed & exemplo mores publicos emendavit. Ovid. Metam. XV, 833. de Augusto loquens, Legesque *feret justissimus auctor,*

Exemploque suo mores *reget.*

Ecquis est igitur, qui lectionem ab omnibus Librariis traditam, & historiae fide firmatam, in dubium vocare ausit? Nequeo tamen dissimulare, quod mihi singula rimanti & ad amussim exigenti venit in mentem. Fieri enim potest, ut sic a poeta profectum sit,

Res Italas armis tuteris, MOENIBUS *ornes, Legibus emendes.*

Apud Latinum Pacatum in Panegyrico, Respublica Romana Theodosium Seniorem his verbis alloqui fingitur; *Quando me Nerva tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antoninus toneret; quum* MOENIBUS *Augustus* ORNARET, legibus *Hadrianus imbueret, finibus Trajanus augeret, parum mihi videbar beata, quia non eram tua.* Quid? annon verba haec ex ipso hoc Flacci loco expressa & delineata videantur. Alter *rem publicam*, alter *res Italas* ait moenibus ornari. Illud vero praecipuum fere in Augusti laudibus, quod urbem aedificiis magnifice adornaverit, ut in monumento Ancyrano suis verbis videre est. Suetonius Aug. XXIX. *Urbem neque pro majestate imperii* ornatam, *& inundationibus incendiisque obnoxiam, excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, Marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. — Sed & ceteros principes viros saepe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis vel refectis & excultis urbem* adornarent. Ubi id obiter notabis τὸ *Ornare* proprium ac legitimum esse in hac sententia vocabulum. Idem in Julio XLIV. *Jam de* ornanda *instruendaque urbe, item de* tuendo *ampliandoque imperio, plura ac majora indies destinabat.* Ubi pariter juncta vides, *urbem ornare,* & *imperium tueri.* Ibidem. XXVIII. *Asiae quoque & Graeciae potentissimas urbes* operibus exornamus. Tacitus Annal. I, 9. ubi laudes Augusti congerit, *Jus apud cives, modestiam apud socios, Urbem ipsam magnifico* ornatu. Idem III, 72. *Nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum, hostiles exuvias aut exundantes opes* ornatum ad urbis *& posterûm gloriam conferre.* MOENIA vero non muros urbis hic accipe, sed tecta & aedificia intra urbem. Suetonius Nerone XXXVIII. *Sed nec populo aut* MOENIBUS *patriae pepercit: — nam quasi offensus deformitate veterum aedificiorum, incendit urbem.* Vide hoc fuse docentem Gronovium patrem Observ. II, 12. Quid? jamne videtur satis belle procedere? Enimvero siquis ex angulo codex lectionem hanc proderet, multos ea, ni fallor, amatores inveniret. Quin & sine codicis praesidio suas forte partes tutabitur. Quod enim de *moribus* hic narratur, levis est jactura, si absit: quippe quod altero illo *Legibus* sat percipitur & comprehenditur: mores siquidem ipsi legibus emendantur, & amborum regimen simul recepit Augustus. At si MOENIBUS huc adsciveris, nova nec temere omittenda laude Augustum mactas. Ipse enim apud Senecam in Apocolocyntosi haec de se in coetu Deorum: *In hoc terra marique pacem peperi? ideo civilia bella compescui? ideo* LEGIBUS *urbem fundavi,* OPERIBUS ORNAVI? Quid aliud quaeso sunt *opera*, quam *moenia* sive aedificia? ut proinde, si *moenia* hic reponas, idem prorsus de Augusto noster, quod ille de se, dixerit. Tria enim uterque poneret; *Armis tutari* sive *terra marique pacem parere; Legibus emendare,* sive *fundare; Operibus,*

Digitized by Google

Operibus, sive *moenibus ornare*. Certe *moribus ornare* nusquam alibi legisse me memini.

v. 6. POST INGENTIA FATA] Molestus ac difficilis locus, quantumvis Interpretes levi pede praetereant: [*Pollux*,

Romulus & Liber pater & cum Castore
Post ingentia facta *deorum in templa recepti, &c.*

ubi hoc velle videtur, ut ex sequentibus patet, Romulum, Bacchum, Herculem, &c. post obitum denique neque ante finem vitae in deorum numerum adscitos fuisse. Quod & ex historia notissimum, & diserte narrat Callisthenes apud Curtium VIII, 5. *Herculem modo & patrem Liberum consecratae immortalitatis* (forte *consecrata immortalitati*) *exempla referebas. Credisne illos unius convivii decreto deos factos?* prius eos ab oculis mortalium amolita natura est, *quam in caelum fama perveheret*. Unde in pluribus, quos versavi, codicibus ad verba illa *Post ingentia facta* sic inter lineas adnotatum est, *Post mortem. Post finem vitae*. Atqui ex illis verbis numquam id efficies, quod & hi volunt, & auctor ipse, ut videtur. Nullis, inquam, tormentis exprimes, ut *post ingentia facta* perinde sit ac *post mortem*. Quid enim? annon ipse Augustus *praesens*, ut ait, *& vivus* inter Divos relatus est? at non nisi *post facta ingentia*. Florus IV, 12 de Augusto. *Ob haec tot* facta ingentia *Dictator perpetuus, & Pater Patriae dictus*. Annon in vivis erat, cum id cognomen est consecutus? Claudianus in II Cons. Stil. v. 38.

nulli pars aemula defuit umquam,
Quae gravis obstreperet laudes; stimulisque malignis

Facta *sequebatur quamvis* ingentia *livor*. Vivos utique designat, cum nominat *livorem*, qui in vivis solummodo pascitur. Seneca Herc. Fur. v. 441. Post tot ingentis viri

Memoranda facta, *postque pacatum manu*
Quodcumque Titan ortus & labens videt,
Nondum liquet de patre? mentimur Jovem?

Atqui ab eo qui haec loquitur, Hercules in vivis esse, ut erat, credebatur. *Facta* quidem *ingentia* recte alias dixeris, quod & jam vidisti; neque phrasin moveo aut vitupero: nam sic etiam Ammianus Marc. XXII, 2. de Juliano loquens; *Adultum adhuc juvenem, exiguo corpore*, factis *praestantem* ingentibus. Et Alcimus Avitus lib. V.

Et quos deposcent ingentia facta *labores*.

Sed in hac Flacci sententia, manca quantum video & debilis est oratio, cum huc solum perveniat: *Romulus & Liber*, post sive propter *facta ingentia inter deos recepti, dum res gerunt, quaesti sunt se minorem meritis gratiam apud homines consequi*. Nondum ex his intelligimus, post mortem demum pro Diis habitos: quidni enim post res gestas, post facta ingentia, placidam degentibus senectutem divini honores, ut postea Augusto, vivis obtigerint? Tollunt quidem hanc difficultatem, qui illa quae sequuntur,

Dum terras hominumque colunt genus,

sic enarrant, ut Interpres Gallus nuper adeo fecit, *Dum in terris inter homines vivunt*: quo pacto, quod in priore orationis membro deficit, in posteriore suppletur. Atqui eos fugit ratio, cum *colere terras* perinde accipiunt ac *terras habitare*: quid enim? an *habitabant* quoque genus hominum? Immo vero *colere terras & humanum genus* est curam eorum habere, *bella* scilicet *componendo, agros assignando, oppida condendo*. Virgil. Eclog. III, 60. [*plena*:

Ab Jove principium Musae: Jovis omnia plena:
Ille colit terras: *illi mea carmina curae.*

Haerebit itaque, quocumque te vertas, sententia; nisi aliquid alicunde subsidii inveniatur. Enimvero omne punctum tulisset, si POST FATA, non utique *facta*, in deorum templa receptos tradidisset. *Post fata* siquidem est, cum vivere desimus. Propertius IV, 2. v. 64.

Tu Lepide, & tu Paulle, meum post fata *levamen;*
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.

Martialis in simili plane querela, ac hic Noster V, 10.

Vos tamen ô nostri ne festinate Libelli:
Si post fata *venit gloria, non propero:*

Et Ovidius quoque, Amor. I, 15.

Pascitur in vivis Livor; post fata quiescit:
Cum suus ex merito quemque tuetur honos,

Facta pro *Fata* solemnis Librariorum error est: & fuit quidem, cum in hanc correctionem pronus propenderem: etsi terruit tum me, ut adhuc terret, epitheton illud *Ingentia*, non nisi dure ut videtur & invite ad sententiam hanc pertrahendum:

Post ingentia fata *Deorum in templa recepti*.

Tentemus tamen, an exemplis fortassis & argumentorum ductu paullatim flecti & allici queat. Ergo ubi *post fata* passim dicitur pro *post obitum*, manifestum est subintelligi *post fata completa*: sic Ovidius Trist. IV, 10.

Et jam compleras *genitor* sua fata;

hoc

Digitized by Google

hoc est, *mortem obierat*. Quidni igitur recte dicatur, *Post ingentia fata*, completa scilicet & peracta? si modo usquam *fatum ingens* recte itidem dicitur, & hi ipsi, de quibus agit Noster, *ingentibus fatis* ad superos pervenerunt. De utroque jam videbimus. Martialis Epig. I, 51. de Lepore, cui Leo pepercit;

Desperanda tibi est ingentis *gloria* fati:
Non potes hoc tenuis praeda sub hoste mori.

Rutilius Itin. I, 92. de Roma:

Quod regnas minus est, quam quod regnare mereris:
Excedis factis grandia fata *tuis.*

Ita liquido emendandum est; vulgo ineptissime fertur, *grandia facta*. Pothinus apud Lucanum, X, 384. *non sanguine clari,*

(Quid refert?) nec opes populorum ac regna movemus:
Ad scelus INGENTIS FATI *sumus.*

Ubi iterum, ut codices quidam Bersmanni, ita & in Collegio Trinitatis unus, *Ingentes facti* pro solito stupore exhibent. Valerius Flaccus VIII, 389.

Respiceret plures animas majoraque fata
Tot comitum, qui non furtis nec amore nefando
Per freta, sed sola sese virtute sequantur.

Unde idem lucem accipiet lib. V, 687. ubi Juppiter de Medea & Medo filio:

Donec & Aeaeten inopis post longa senectae
Exilia (heu magnis, *quantum libet impia,* fatis!)
Nata juvet; Graiusque nepos in regna reponat.

Ita cum codicibus legendum: neque audiendi sunt viri eximii Nic. Heinsius & Gronovius pater, qui conjecturis suis locum corrumpunt. Medea *magnis fatis* nata erat, quantumlibet impia fuerit. Poteris & *magni fati* legere, sicut supra Lucanus, *Ad scelus ingentis fati sumus:* sed nihil est opus. Virgilius de Turno XII, 149. [fatis:

Nunc juvenem imparibus *video concurrere* & ibidem de eodem & Aenea V. 795.

Juppiter ipse duas aequato examine lances
Sustinet, & fata imponit diversa duorum;
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.

Ergo Aeneae fata *majora* erant, quam Turni; & simpliciter *ingentia*. Atque is per haec *Fata*, quod ad rem de qua agimus non parum facit, in caelum receptus est; prorsus ut Hercules, Romulus, & ceteri, dei facti, non nati. Virgil. XII, 795. Juppiter ad Junonem;

Indigetem Aenean scis ipsa & scire fateris
Deberi caelo, fatisque *ad sidera tolli.*

Hercules apud Propertium IV, 9. V. 65.

● *Angulus hic mundi nunc me* mea fata *trahentem*
Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.

Unde illud Nostri explicandum, quod V. 11. hic habetur, de Hercule;

Notaque fatali *portenta labore subegit.*

Certe vix aliter hoc *fatali* te expedies, quam ut superiori conjecturae faveas. Virgilius VIII, 292. de Hercule:

ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo fatis *Junonis iniquae*
Pertulerit.

De eodem Hercule, & Romulo Livius I, 7. *Jove nate Hercules, salve: te mihi mater* vera interpres deum *auctorum caelestium numerum decrevit. Dextra Hercules data, Accipere se omen, impleturumque* fata, *ara condita atque dicata, ait. — Haec tum sacra Romulus una ex omnibus peregrina suscepit; jam tum immortalitatis virtute partae, ad quam eum* sua fata *ducebant, fautor.* Vides jam, opinor, Romulum, Herculem & ceteros Indigetes *fatis*, & *post fata*, & quidem *post fata ingentia* in caelum esse receptos. Ceterum an haec emendatio in album recipienda sit, nihil pronunciamus; sed id totum lectori docto, sagaci, suspicaci, difficili, qualem sane optamus, relinquimus. Multa siquidem in hac studiorum alea vera & certa cadunt, quae fidenter asserimus: multa quoque veris non absimilia, quaeque sine fraude & damno lectoris minime sunt praetereunda, pro quibus tamen spondere ac vadari nolumus.

V. 16. JURANDASQUE TUUM PER NOMEN PONIMUS ARAS] Pro *Nomen*, antiquissimus Blandinius Cruquii cum duobus Bersmanni, & editio Cadomensis anno C. 1480,

Jurandasque tuum per NUMEN *ponimus aras.*

Nostri quidem omnes *Nomen*; quod per editiones impune grassatum est: adeo pigri timidique sumus in amovendis, quae semel insederunt: nos, quantum in nobis est, non patiemur haec lolia diutius dominari. *Jurandas per numen*, ut Virgil. VI, 323.

Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
Di cujus jurare *timent & fallere* numen.

Ovid. Heroid. XII.

Per *reditus corpusque tuum mea* numina [juro.
& XV.
Perque *novem* juro numina *nostra deas.*

Metam. IX.

Si

Si qua fides miseris, hoc me per numina juro
Non meruisse nefas.

NUMEN autem Augusti, & Augustus DEUS; etiam dum inter homines ageret. Noster hoc ipso loco.

Praesenti *tibi divinos largimur* honores.

Carm. III, 5.

Praesens divus *habebitur Augustus.*

& IV, 5. *& Laribus tuum*
Miscet NUMEN, *uti Graecia Castoris,*
Et magni memor Herculis.

Marmor Narbonense apud Gruterum p. 229. NUMINI AUGUSTI *votum susceptum a plebe Narbonensium in perpetuum.* Dedicatum hoc est anno V. C. 764. Augusto adhuc vivente; ut docebit te Illustrissimus Norisius Cenotaph. Pisan. p. 52. quem consule multa poetarum loca congerentem, in quibus DEUS indigitatur: nos, iis omissis, nova loca proferemus, ubi *Numen* ejus memoratur. Ovid. Trist. III, 8. [*adora:*

Si semel optandum est, Augustum numen
Et quem laesisti, rite precare deum.

Ibid. V, 3.

Sunt Dîs *inter se communia: flectere tenta*
Caesareum numen *numine, Bacche, tuo.*

V, 10. [*dere vitam*

Quid loquor ah demens? ipsam quoque per-
Caesaris *offenso* numine *dignus eram.*

V, 11. [*non est,*

Utque aliis, numerum quorum comprendere
Caesareum numen *sic mihi mite fuit.*

Pontic. I, 2.

Magna tenent illud rerum molimina numen:
Haec est caelesti *pectore cura minor.*

III, 1. [*dora,*

E quibus ante omnes Augustum numen *a-*
Progeniemque piam, participemque tori.

Haec omnia Naso, vivente Augusto: unde jam constat recte fecisse viros eruditos Freinshemium & Ryckium, qui apud Tacitum reponunt, Annal. I, 73. *Rubrio crimini dabatur violatum perjurio* NUMEN *Augusti:* ubi vulgati habent *Nomen.* Valer. Max. IX, 15, 3. *Ne divi quidem Augusti etiamnum terras regentis excellentissimum* NUMEN *intentatum ab hoc injuriae genere extitit.* Eant nunc editores, & *Nomen* hic apud Flaccum deinceps substituant: etsi & Servius Eclog. I. & Georg. I, 24. *nomen* legebat, nisi hunc quoque Librarii calumnientur.

v. 18. SED TUUS HIC POPULUS SAPIENS] Editiones quidem omnes, & codices quoque quot novi praeter unum,

Sed tuus HIC *populus sapiens & justus in uno*
Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo.

Satis recte; ut ordo sit, *In uno te, in te solo anteferendo* Graecis Romanisque ducibus. *Tuus hic populus,* ut Terentius Heaut. Act. v. Sc. I.

Sed hic adjutor meus *& monitor & praemonstrator Chremes.*

& in Epigrammate;

patria multabor; & olim
Ille tuus civis, *Lampsace, Gallus ero.*

Verum, utut haec speciosa sunt, mirifice tamen adblanditur lectio, quam unus ille ex Collegio Trinitatis codex subministrat,

Sed tuus HOC *populus sapiens & justus in uno,*
Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo.

Ubi alius ordo & distinctio exoritur; *In hac uno,* in hac una re sapiens, Te omnibus anteferendo, *cetera* nequaquum tam juste aestimat. Quin & ita olim legerunt Porphyrion & Acron; quorum hic sic locum enarrat; *Pop. Rom. in* HAC RE SOLA *justus & sapiens est, quod te praefert omnibus:* ille sic; HAC SOLA RE SAPIT, *quod te omnibus praeponit.* Sine dubio HOC in hac expositione agnoscitur; non *Hic.* Noster Serm. II, 3, 53.

verum hoc *se amplectitur* uno,
Hoc amat & laudat.

Hac ipsa Epist. v. 120.

versus amat, hoc *studet* unum.

Ovid. Pont. III, 2.

Extitit hoc unum, *quo non convenerit illis.*

Iterum noster Epist. I, 10.

hac in re *scilicet* una
Multum dissimiles; at cetera pene gemelli.

Ubi eandem vides antithesin, *In hac una re — cetera*; quam hic habes, *In hoc uno* sapiens; *cetera* non aeque judicat. Quid multis opus? tam elegans verborum collocatio numquam a Librariis provenire potuit; contra autem miraculo fuisset, nisi *tuus hoc populus* a pluribus depravaretur. Rem vero ipsam si aestimes; quorsum *Hic populus δευτερως*? tamquam digito monstrari posset totus populus Rom. aut potius gens humana, quae universa fere Augusto principi pro populo fuit.

v. 28. SI QUIA GRAECORUM] Duo codices Torrentii, & egregius noster Reginensis,

Si quia GRAIORUM *sunt antiquissima*
quaeque.

quod sine controversia admittendum est.

v. 31. NIL INTRA EST OLEAM] Vide modo scabiem dictionis,

Nil intra est oleam, nihil extra est in nuce
duri.

Digitized by Google

ubi haec conſtructio erit, Nil duri eſt *intra oleam*, nihil *extra in nuce*. Poteſne vero tam foedam porriginem patienter ferre, ut in priore membro *Intra* ſit praepoſitio, *Extra* autem in poſteriore adverbium? Immo ocius repone, ſi ſapis,

Nil intra eſt OLEA, *nihil extra eſt in nuce duri.*

ubi *Intra* & *Extra* utrinque ſunt adverbia. Fraudi autem fuit Librariis elegantior illa rariorque praepoſitionis collocatio, de qua vide nos ad Carm. III, 25, 2. ne eadem bis nobis dicenda ſint.

v. 42. AN QUOS ET PRAESENS ET POSTERA RESPUET AETAS] Editiones principes, Loſcheriana & Venetae, cum aliquot codicibus,

An quos & praeſens & poſtera RESPUIT *aetas.*

Quod cum manifeſte vitioſum eſſet, & tigribus agnos, *Poſtera reſpuit*, futura cum praeſentibus conjungeret; recentiores ex codice uno tantum vel altero ſic dederunt:

An quos & praeſens & poſtera RESPUET *aetas.*

Atqui par fere hic recurrit inconcinnitas, *Praeſens reſpuet*; dumque alteri medicinam quaerunt, alteri venenum miſcent. Utrique ſalutarem opem feres, ſi cum pluribus & potioribus ſcriptis, antiquiſſimo nempe Cruquii, tribus Torrentii totidemque Berſmanni, ac noſtris Voſſiano, Reginenſi aliiſque reſtituis,

An quos & praeſens & poſtera RESPUAT *aetas.*

Hoc enim utrique tempori, & praeſenti & poſtero, ex aequo convenit. Ceterum integrum locum attentius conſideremus:

Eſt vetus atque probus, centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor uno menſe vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne POETAS,
An quos & praeſens & poſtera reſpuat aetas?

Enimvero illud *Poetas* multis mihi nominibus diſplicet. Quas enim aures non offendet odioſum illud ὁμοιοτέλευτον, *veteresne* POETAS, *reſpuat* AETAS? Deinde & ſententia mutila eſt, priuſque membrum eſt impar poſteriori: in priore *Veteres* tantummodo habes, in poſteriore *novos* & *reſpuendos*: nihil igitur eſt, quod τῷ *reſpuat* opponatur & reſpondeat. Atqui ſupra v. 37. recte dixerat, *inter*

Perfectos veteresque *referri debet, an inter*
Viles atque novos:

ubi *veteres* & *novos*, *perfectos* & *viles*, adverſis frontibus componit. Jam vero & ſupervacuum prorſus eſt, fruſtraque verſum onerat illud POETAS; quippe ſi *veteres* ſimpliciter dixiſſet, utique nomen ſubſtantivum neceſſario & elegantius ſubaudiretur. Neque ſupervacuum modo, ſed quod omnium turpiſſimum eſt, ineptum denique & incommodum, & ſuperioribus repugnans. Non enim de ſolis *Poetis* hic agit Noſter, ſed de quibuſvis auctoribus, tam qui verſibus, quam qui proſa oratione ſcripſerunt. Ergo & numquam antea *poetas* aut *poemata*, ſed *ſcriptores* & *ſcripta* nominaverat; & in his v. 24. 25, 27. *Leges* XII *Tabularum, Commentarios Pontificum, Foedera vetuſta*: quae omnia ſermone ſoluto concepta eſſe & novimus & res ipſa indicat. Haec omnia ſi evitare cupis, & a poeta nitidiſſimo tam foedam maculam abſtergere, vide an ſic locum ex conjectura mecum reſtituas:

Inter quos referendus erit? vetereſne PROBOSQUE,
An quos & praeſens & poſtera reſpuat aetas.

Cum ſciolus quidam inter lineas *Poetas* pro interpretamento ſcripſerat: eo poſtea factum eſt, ut illud alterum quod nunc revoco ex verſu ejiceretur. Noſter paullo ante,

Eſt vetus atque probus *centum qui perficit annos.*

Certe hoc uno remedio cuncta quae jam tetigimus ulcera facile ſanaveris.

v. 46. DEMO UNUM, DEMO ETIAM UNUM] Illud ETIAM, cum in editionibus primis ſemel inſederat; haud mirum, ſi per omnes deinceps locum ſuum tutatum eſt. Quis enim tam bonam probamque lectionem in jus vocaverit? Perſius Sat. VI.

adde etiam unum,
Unum etiam; *terrae eſt jam filius.*

Nihilominus, cum in veterrimis noſtris, Leidenſi, Voſſiano, Reginenſi, quin & Regiae Societatis codice, quibus accedunt duo Pulmanni & Berſmanni totidem, lectionem magis reconditam minuſque obviam repererim; non dubitavi eam aſſerere & auctori ſuo adjudicare.

Paullatim vello; & demo unum, demo ET ITEM *unum.*

Haec cum rarior & vulgo ignotior eſſet, illam tritam & quotidianam ſubſtituerunt ſcribae. Terentius Andria, I. 1.

Sed poſtquam amans acceſſit, pretium pol-
Unus & item *alter.* [*licens,*

Lucret. IV, 553.

Aſperitas autem vocis fit ab aſperitate
Principiorum, & item *levor levore creatur.*

Gellius in Praefatione, *Alius Antiquarum lectionum inſcripſit, atque alius* Ἀντηκῶν, & item *alius* Εὐρημάτων.

v. 48. QUI

Digitized by Google

v. 48. QUI REDIT AD FASTOS] Ita editi omnes quidem AD praeferunt: ſed ſcripti vetuſtiores univerſi, plerique etiam ex recentioribus, [*annos.*

Qui redit IN *faſtos, & virtutem aeſtimat* Noſter Carm. I, 3. *Serus in caelum redeas:* & IV, 2. *Quamvis* redeant in aurum *Tempora priſcum.* Virgil. Georg. III, 316. de Capris:

Atque ipſae memores redeunt in tecta.

Aen. XII, 424. *novae* rediere in priſtina *vires.* Parum, inquies, refert, hanc an illam lectionem ſequamur. Recte quidem: ſed ea ipſa cauſſa, quod parum interſit, ab antiquiſſimis quibuſque codicibus religio eſt abſcedere.

v. 53. NAEVIUS IN MANIBUS NON EST] Omnes fere de hujus loci obſcuritate queſti ſunt Interpretes; qui vero ſe lucis aliquid afferre gloriantur, ii omnium maxime in caligine ac tenebris ſunt verſati. Videamus, quid rei ſit,

Ennius, & ſapiens & fortis & alter Homerus,
Ut Critici dicunt, leviter curare videtur
Quo promiſſa cadant, & ſomnia Pythagorea.
Naevius in manibus non eſt, & mentibus haeret,
Pene recens: adeo ſanctum eſt vetus omne poema.

Ubi illa primo, *Leviter curare videtur quo promiſſa cadant,* ut in Ennii contumeliam dicta jam ab omnibus accipiuntur; quaſi is nihil ingentibus illis promiſſis dignum praeſtitiſſet. Quod a loci hujus ſententia tam alienum eſt, ut plane contrarium ſit. Siquidem omnia, quae hinc ad verſum uſque 62 de poetis veteribus habentur, non Horatii judicio dicta ſunt, ſed ex vulgi opinione, qui Ennium reliquoſque antiquos unice mirabatur & in caelum ferebat. Laudatio igitur Ennii, non utique reprehenſio nec vituperatio in his quaerenda erat. Solus adeo hoc vidit Scholiaſtes vetus Porphyrio, cui bene monenti auſcultare debuerunt recentiores. *Leviter curare,* hoc eſt, inquit, *Securus eſſe: ſecurus jam de proventu laudis ſuae eſt Ennius, propter quam ante ſollicitus fuerat.* Et mox, *Quo promiſſa cadant, id eſt, quem ſucceſſum habeant: oſtendit enim ſine difficultate veteres poetas ſolere laudari.* Nihil verius, nihil doctius. Leviter enim curamus, quae extra aleae diſcrimen poſita eſſe videmus, de quibus jam ſecuri ſumus, per quae jam neglegentibus eſſe licet. Hoc voluit Horatius, ex *Criticorum* mente, qui Ennium Homerum alterum vocitabant. Jam vero illa quae ſequuntur,

Naevius in manibus non eſt, & mentibus haeret,
Pene recens, [*ret*

quibus & quot ſententiarum diſſidiis agitata ſunt? Sunt enim, qui *Nunc eſt* pro *Non eſt* ſubſtituant; alii cum nupero interprete Gallo AT loco *Et* reponunt, qui & dialogum hic neſcio quem eſſe hariolatur, ut priora illa Flaccus dicat, *Naevius in manibus non eſt:* cui alter continuo obganniat, *At mentibus haeret, Pene recens:* alii id ſcire laborant, & in eo ſe plurimum torquent, quo pacto mentibus haerere poſſet Naevius, qui in manibus non eſſet amplius; aut cur deſcribi & legi indignus eſſet, qui dignus erat ediſci & memoriter recitari. Hi motus & hae tantae diſcordiae levi pulveris ſparſione conquieſcent. Tolle modo quod editiones occupat Punctum, & Interrogationis notam repone: [*ret*

Naevius in manibus non eſt, & mentibus haeret
Pene recens? adeo ſanctum eſt vetus omne poema.

Quid de Ennio, inquit, loquor? nonne & Naevius Ennio vetuſtior atque durior in manibus adhuc eſt, & haeret mentibus, ut pene recens videatur? Ubi, ut vides, *in manibus eſſe* & *mentibus haerere* non contrariorum nec oppoſitorum vim habent, ut de hoc aiat, de illo neget Horatius: ſed utrumque de Naevio affirmatur, ſic ut creſcat ſententia, cum majus ſit mentibus haerere, quam eſſe in manibus. Suetonius Caligula XVI. *Labieni ſcripta ſenatuſconſultis abolita requiri, & eſſe in manibus lectitarique permiſit.* Plinius Epiſt. I, 1. *Libelli, quos emiſimus, dicuntur* in manibus eſſe, *quum jam gratiam novitatis exuerint.* Plinius Praef. ad Hiſt. Nat. *Panaetium de Officiis; quae volumina ejus* ediſcenda, *non modo* in manibus *quotidie habenda noſti.* Cicero Tuſcul. III, 2. *Accedunt etiam poetae, qui audiuntur,* leguntur, *ediſcuntur, &* inhaereſcunt *penitus* in mentibus. Seneca Conſol. ad Marciam cap. 1. *Legitur Cremutius Cordus, floret,* in manus *hominum,* in pectora *receptus vetuſtatem nullam timet.*

v. 67. SI PLERAQUE DURE DICERE CREDIT EOS] Omnes quidem editiones CREDIT, quod ferri facile poteſt: quis neget? Verum, cum in Regiae Societatis codice ſingularem lectionem repererim, eam ego lectoribus invidere nolui:

Si veteres ita miratur laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, erras:
Si quaedam nimis antique, ſi pleraque dure

Digitized by Google

Dicere CEDIT *eos, ignave multa fatetur;*
Et ſapit, & mecum facit, & Jove judicat aequo.

Me quidem, ut primum viſa eſt, elegantia ſua ita perculit & cepit, ut vel in contextum eam admittere non dubitaverim. Apte ſane haec juncta ſunt, *ſi concedit, ſi* FATETUR: ut Noſter alibi, Serm. II, 3. v. 305.

Stultum me fateor, *liceat* concedere *veris:* & quod plus eſt, magis morate hic ponitur *concedit*, quam *credit*. Quippe ille veterum *mirator & laudator*, non niſi invitus & coactus & veris victus *concedere haec faterique* cenſendus eſt. Belle autem hoc exprimitur, ſi CEDIT huc aſſumis: nullum contra hujus indicium eſt in lectione vulgata: *credit* enim, & facilius quidem, etiam calumniator & contemtor veterum. *Cedere* autem hic pro *Concedere*, ſicut alibi pro *Incedere*, ſimplex loco compoſiti; Serm. II, 1. v. 65.

nitidus qua quiſque per ora Cederet.

ubi vide quae ex Plauto attulimus, & eis adde locum Bacchid. IV, 9. v. 146.

Hoc eſt incepta efficere pulchre, uti mihi
Evénit, ut ovans praeda onuſtus cederem:

Ita certo & neceſſario legendum, ex metri ratione: vulgo ibi *Incederem* circumfertur. *Cedere* vero & *concedere* paſſim eodem ſenſu feruntur apud Juris conſultos veteres. Digeſt. VIII, 2, 20. *Si tu mihi per aream tuam in domum meam ire agere* CESSISTI. VIII, 3, 20. *Si mihi eodem tempore* CONCESSERIS *& ire agere per tuum locum, & uti frui jus eſſe: ſi tibi* conceſſero, *jus eſſe aedificare*, VIII, 3, 3. *Vicino poſſe te* CEDERE, *jus ei eſſe terram, rudus, ſaxa jacere.* VIII, 3, 10. *Si ut quaerere liceat*, cedere *poſſumus; etiam ut inventa ducatur*, cedi *poteſt.* VIII, 2, 21. *Si tibi* conceſſero, *jus eſſe invito me altius tollere aedificia tua.* Vides ex his, nam ibi plura & infinita ſunt, nihil intereſſe *cedere* an *concedere* dicas. Ita illud Noſtri *concedere veris*, frequentius dicitur *cedere*. Igitur hoc vult; *Si cedit*, ſi concedit, ſi dat, veteres iſtos pleraque dure dicere; mecum ſentit & recte judicat.

v. 69. DELENDAQUE CARMINA LIVI ESSE REOR] Ita quidem editi ferunt: ſed inſpiciamus locum: [Livi

Non equidem inſector delendaque carmina
Eſſe reor, memini quae plagoſum mihi parvo
Orbilium dictare, ſed emendata videri
Pulchraque & exactis minimum diſtantia miror.

Livius ille cognomine Andronicus primus omnium Latine verſibus ſcripſit; unde minime mirum, ſi, quod Cicero ait in Bruto, *ejus fabulae non ſatis dignae erant, quae iterum legerentur:* unde & Noſter ſupra, cum poetas veteres recenſeret ab Ennio incipiens, ita Livium tandem memorat, ut ex eorum numero ceu nimis vetuſtum excerpere videatur:

habet hos numeratque poetas
Ad noſtrum tempus Livi *ſcriptoris ab aevo.*

Vix igitur crediderim Orbilium illum (utcumque acerbum & plagoſum, magni certe tum nominis Grammaticum, Suetonio teſte, cui ſtatua publice poſita eſt, quique & filium & ſervum, a ſe inſtitutos, profeſſores poſt ſe reliquit) tam pravo & perverſo fuiſſe judicio, ut opica illa Livii *Nequinons, Duſmoſo, Noegum, Topper*, & cetera portenta, nobilibus pueris praelegeret. Hoc omnem ſuperat fidem: ut & illud aeque, repertos tum eſſe, qui Liviana, etiam ipſi Ennio pro obſoletis & rancidis ſpreta; pulchra eſſe atque emendata, & exactis minimum diſtare contenderent. Quamobrem lectionem aliam LAEVI libens accipio, quam ſuppeditat codex egregius Reginenſis,

Non equidem inſector delendave carmina
Eſſe reor. [LAEVI

VE etiam adſciſco, non QUE, ex Leidenſi vetere atque aliis Cruquii & Torrentii. *Laevius* autem Erotopaegnion libros *ſcripſit*, argumento captandis pueris accommodato, unde verſus aliquot non invenuſti citantur: de eo vide Scaligerum & Scriverium ad Auſonii Centonem Nuptialem. *Livium* autem pro *Laevio* & paſſim in Nonio ac Priſciano ſubſtituebant Librarii, & hic eo facilius, quod is paullo ante nominabatur. Atqui jam Noſter diverſum a ſupra recenſitis introducit *Laevium*, ut paullo poſt *Attam*, v. 79.

v. 75. INJUSTE TOTUM DUCIT VENDITQUE POEMA] Sic omnes editiones, neque ſuſpicio latentis mendi a quoquam injecta eſt:

Inter quae verbum emicuit ſi forte decorum, &
Si verſus paullo concinnior unus & alter,
Injuſte totum ducit venditque poema.

Ubi primum τὸ ET a fine verſus reſcindimus, auctoritate duorum codicum Collegii Trinitatis, & totidem Torrentii. Elegantius repetitur *Si* ſine conjunctione; *Si* verbum decorum, *Si* verſus paullo concinnior. Ita Noſter Epiſt. I, 17.

Si *te grata quies & primam ſomnus in horam*
Delectat; ſi te pulvis ſtrepitusque rotarum,
Si laedet compona; *Ferentinum ire jubebo.*

&

& hic ſupra v. 66.

Si *quaedam nimis antique*, ſi *pleraque dure*. Jam vero quod mox ſequitur, *ducit venditque*, interpretes graviter exercet. Quid enim eſt, *ducit poema?* producit, inquiunt, oſtentat, ut mangones ſolebant greges venalium. Mirum vero & monſtri ſimile, ſi verſiculus in libro ſcriptus librum ipſum in pompa producere poteſt. Immo, inquiunt, *ducit librum totum*, ut pulchri pueri venalitiam mangonum familiam ducebant, quo vendibiliorem redderent. Hoc ſi verum eſſet; melius procederet oratio, & minor eſſet metaphorae licentia. Sed vereor, ut e re mangonum magis fuerit, formoſos pueros a deformioribus mancipiis ſecludere, ne hi conſpectu & comparatione pulchriorum magis evileſcerent: quod ab eis factitatum eſſe Martialis indicat IX, 60. de Mamurra:

Inſpexit molles pueros, oculiſque comedit,
Non hos quos primae proſtituere caſae:
Sed quos arcanae ſervant tabulata cataſtae,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

Singularem vero lectionem hic ſuggerit quantivis pretii codex Reginenſis,

Injuſte totum ducit VENITQUE *poema.*

Ubi Poema caſu recto effertur; Si verbum, inquit, decorum, ſi unus & alter verſus paullo concinnior emicuit; totum poema injuſte *ducit* emtorem & *venit*. Cicero de Finibus II, 31. de Epicuro: *Ita redarguitur ipſe a ſeſe,* VENEUNTQUE *ſcripta ejus probitate ipſius & moribus. Ducit* autem, decipit, fuco fallit, palpo percutit, appoſitiſſimum in re venali & mala merce vocabulum. Noſter Serm. I, 2. v. 88. *ne ſi facies, ut ſaepe, decora*

Molli fulta pede eſt, emtorem ducat *hiantem.*

ubi vide plura, quae ad firmandam illam lectionem citavimus: vulgati enim libri *Inducat*. Illis adde & Plauti locum Moſtell. III, 2. v. 26.

Hoc habet: repperi qui ſenem ducerem,
Quo dolo a me dolorem procul pellerem.

& Captiv. IV, 2. v. 7. [*quentur,*

Quom extemplo ad forum venero; omnes lo-
Hic ille eſt ſenex ductus, *quoi verba data*
ſunt.

Habes egregii codicis lectionem: tu utram earum malis, tecum conſtitue.

v. 85. IMBERBES DIDICERE] Ita noſtri Codices. at Cruquius ex vetuſtiſſimis ſuis recte edidit,

IMBERBI *didicere, ſenes perdenda fateri.*

ut & Art. Poet. v. 161, ex optimo omnium quotquot ſunt Blandinio reponendum eſt,

IMBERBUS *juvenis tandem cuſtode remoto.*

Ubi hebeti aure eſt, quem vulgatum illud *Imberbis juvenis* ſibilante ſuo homoeoteleuto non offendit & vulnerat. Ceterum nota haec ſunt eruditis, neque crambe recoquenda eſt. Vide Nonium in *Imberbi*, & Chariſium p. 74.

v. 90. QUOD SI TAM GRAECIS NOVITAS] Pro *Graecis* iterum repono GRAIIS, etſi nondum in codice quoquam reperi: nam & ſupra v. 28. unus Reginenſis GRAIORUM nobis ſervavit. Paſſim illud ut vulgo notius intruſerunt Librarii. Hic vero eo certior correctio eſt, quod verſu abhinc tertio rurſus occurrit GRAECIA; inconcinna repetitione, ſi receptam hic ſcripturam ſequaris.

v. 105. CAUTOS NOMINIBUS CERTIS EXPENDERE NUMMOS] Variant hic codices ſcripti; SCRIPTOS *nominibus* Barthii codex veterrimus Adverſ. XXXVII, 18. quo accedere videtur Pulmanni unus & alter ex Collegio Trinitatis, qui mendoſe habent CAPTOS. Deinde pro *Certis* omnes fere vetuſtiores tam aliorum quam noſtri, RECTIS. Eodem pene redeunt haec omnia, ſive legeris,

Cautos *nominibus* certis *expendere nummos.*
ſive, Cautos *n.* rectis *expendere nummos.*
ſive, Scriptos *n.* certis *expendere nummos.*
ſive, Scriptos *n.* rectis *expendere nummos.*

Nos pro ſuſcepti operis ratione & exemplis haec illuſtrare, & ſi quid interſit diſcernere & dijudicare conabimur. Principio CAVERE *pecuniam* dicitur debitor, qui ſe chirographo obligat, Digeſt. L, 8, 3. inde *Cautiones pecuniarum*, Cicero Pro domo c. 50. Rarius quidem eſt, ut *Cautus* participium in ea ſententia occurrat: Quintilianus tamen Declam. CCCXVIII. *Ante omnia, teſtamento* tempus *non eſt* cautum *quo ſolvam; ac ne* caveri *quidem potuit*. Diocletianus Cod. IV, 7, 5. *Et* cautae quantitatis *ob turpem cauſam exactioni locum non eſſe*. Ulpianus Digeſt. L, 13, 1. *Si cui* cautum eſt honorarium, *videamus an petere poſſit*. Et ibidem, *Si* cauta *eſt honoraria* ſumma. Scaevola Dig. XLVI. 3, 89. *An ex ceteris chirographis, quae non Stichus cavit, ſed ipſe debitor, integra manet actio ex reliquis* chirographis *per ipſum debitorem* cautis. Ex his, opinor, vides, ut cautum tempus, cautam ſummam, cautum chirographum, ita & *cautos nummos* recte dici. Rurſus & SCRIBERE dicitur debitor, hoc eſt, mutuum ſumere; chirographo ſe debitorem agnoſcere. Plautus Aſinaria II, 4. v. 34.

Adducit

Digitized by Google

Adducit domum etiam ultro, & scribit num-
Idem Curcul. III. v. 40. [*mos.*
Novi edepol nomen: nam mihi istoc nomine
Dum scribo, explevi totas ceras quattuor.
& Truc. I, 1. v. 53.
Ubi aera perscribantur *usuraria.*
Cicero pro Q. Roscio c. 1. Scripsisset *ille, si non jussu hujus* expensum *tulisset? Non* scripsisset *hic, quod sibi* expensum *ferri jussisset?* Ad Atticum IX, 2. *Viri boni* usuras perscribunt? *ego ipse sedeo?* Suetonius Caes. XLII. *Siquid usurae nomine numeratum aut* perscriptum *fuisset.* Appuleius in Apolog. *Qui inniores venere, signo dato pro adulteris deprehenduntur; & quasi ad discendum venerint, non prius abeunt, quam aliquid* scripserint. Digest. XXVI, 7, 9. *Non tantum autem sibi solvere tutor, verum etiam sibi debitam* pecuniam scribere *potest.* Et XII, 1, 40. *Lucius Titius* scripsi *me accepisse* a Publico Maevio *quindecim mutua numerata mihi de domo.* Ubi illud nota *a Publio Maevio quindecim*; inde enim Nostri illud pulchre explicatur, Serm. II, 3. v. 69. *Scribe decem a Nerio.*
sic enim legendum cum scriptis vetustioribus; non ut alii *decem Nerio.* Operam autem ludit acutissimus Gronovius pater De Pecun. Vet. p. 643, ubi acriter contendit Nerium hunc Jurisconsultum induci, non Foeneratorem. Scholiastes vetus Persii ad Sat. II. *Nerius morte conjugum locupletatus* foenerator *est factus notissimus, de quo Horatius,* Scribe decem Nerio. Porphyrion ad Serm. II, 3. *Juris verbo* scribere *est mutuum sumere;* Rescribere, *restituere.* Noster ibidem v. 76.

Dictantis, quod tu nunquam rescribere *possis:*
Utrosque hos versus laudat Servius ad Aen. VII, 422; ubi *Scribi,* ait, *est dari, Rescribi reddi.* Terent. Phorm. V, 7. v. 29.

Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi
Argentum rursum jube rescribi, *Phormio.*
Quodne ego discripsi *porro illis quibus debui?*

Ubi Donatus, *Rescribi, reddi, renumerari.* Ausonius Epist. V.

Ergo aut praedictos jam nunc rescribe *Darios,*
Et redime, ut mora sit libera desidiae:
Aut alios a me *totidem dabo.*

Ubi rursus notandum *a me,* ut apud Nostrum *a Nerio.* Jam autem tute per te animadvertes, eodem ut dixi redire seu *Cautos* sive *Scriptos nummos* dixeris, illud tamen Jurisconsultis fere proprium, hoc populari & vulgari usu magis tritum & receptum esse. Restat, ut illud jam disquiramus, CERTISne *nominibus* hic retinendum sit, ut fere libri editi, an RECTIS, ut scripti omnes paullo vetustiores. Cicero pro Quintio, c. XI. *Moritur C. Quintius; qui tibi, ut ais,* certis nominibus *grandem pecuniam debuit.* In Verrem III, 78 *Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti,* certis nominibus *deductiones fieri solebant; primum pro spectatione & collybo, deinde pro nescio quo cerario.* Asconius in I in Verrem c. 49. *Tabulas protulit, per quas probavit abisse a se pecunias* certis nominibus *inscriptas.* Digest. XIV, 6, 1. *Qui pecuniam, ne quid amplius diceretur,* incertis nominibus *crederet.* Ex his locis facile intelligi potest, *certis nominibus* haud aliud denotare, quam certis cautis, praetextis, titulis; sicuti cum passim dicitur, *eo nomine, alio nomine, multis nominibus: Certis* quoque non aliud esse ac *quibusdam,* vel *certis quibusdam.* Atqui hoc opinor haud pertingit ad sententiam Horatii; cui non est satis *certis quibusdam nominibus* pecuniam mutuam dare, sed *nominibus bonis* sive locupletibus & bonae fidei debitoribus. Columella I, 7. *Vel* optima nomina *non appellando fieri* mala, *foenerator Alfius dixisse verissime fertur.* Seneca De Benef. V, 22. *Multi sunt, qui nec tam boni sunt quam grati, nec tam mali quam ingrati, segnes & tardi,* lenta nomina, non mala. Ibidem VII, 29. *Quaedam* nomina, bona *lentus ac sapiens creditor fecit, qui sustinuit ac mora fovit.* Ubi pro *sapiens* lege *Lentus ac patiens,* ut bis terque ea jungit Cicero. Contrarium plane dicit ac supra Alfius foenerator. Cicero ad Fam. V, 6. *Ego autem meis rebus gestis hoc sum consecutus, ut* bonum nomen *existimer.* Cicero ad Atticum V, 21. *Nam aut* bono nomine *centesimis comemus erat; aut* non bono *quaternas centesimas sperabat.* In his locis *Nomen* ipse Debitor accipitur; alibi vero Debitum, ut Cicer. pro Q. Roscio c. 3. *Nomen magnum, parvum, tenue, leve, falsum;* & saepe in Digest. *Nomen dubium, confessum, idoneum, deperditum.* Quidni igitur & *Nominibus rectis?* idoneis scilicet, legitimis, recte & rite factis, *recte cautae pecuniae;* Cod. II, 4, 2.

v. 109. PUERI PATRESQUE SEVERI]
Ita nunc passim fertur, neque aliter scripti nostri. Cruquius vero ex suis, & editiones principes, ambae Venetae cum Lobscheriana,

Scribendi studio. Pueri QUE *patresque severi.*

quod suavius est & modulatius. Etsi semel quidem iterumve priorem syllabam in *patres* producunt & Noster & Virgilius.

v. 115.

Digitized by Google

v. 115. QUOD MEDICORUM EST, PROMITTUNT MEDICI] Nulla lectionis varietas est, nec in editis, neque in Membranis: quin & bis hic locus a S. Hieronymo citatus est lib. 1. in Ruffinum, & epistola ad Paulinum; & item a Joanne Sarisburiensi Polic. I, 4. quorum neuter aliter laudat, quam hodie circumfertur. Vix tamen aberit mendi suspicio, si locum penitius inspexeris:

Navem agere ignarus navis timet: abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod medicorum *est,*
Promittunt medici: *tractant fabrilia fabri.*

Certe si hoc modo scripsit Noster,

Δὶς πάντ' ἰῶν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰχύλος.

Jam enim satis indicaverat *medicos*, cum priora illa posuit, *Abrotonum aegro non audet, nisi qui didicit, dare.* Nam profecto *qui id didicit* medicus est. Ergo hoc perinde est, ac si dixisset: nemo nisi *medicus* abrotonum aegroto dat: *medici* promittunt quod medicorum est. Sentis, opinor, πωλογίαν garrulam & ineptam. Atqui facillimum fuerat alios artifices nominare, quorum in hujusmodi exemplis copia est uberrima. Vide, an literulae mutatione melius procedat oratio,

abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod MELICORUM *est,*
Promittunt MELICI: *tractant fabrilia fabri.*

Melici sunt musici, organici, citharoedi. Lucretius v, 535. [*tur,*

Quare etiam quaedam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augescunt: nunc addita navigiis sunt
Multa; modo organici melicos *peperere sonores.*

Idem II, 412.

Ac musea mele, *per chordas* organici *quae*
Mobilibus digitis expergefacta figurant.

Ita *melicos modos* Ausonius dixit, *melicum poetam* Gellius, *melicum poema* Cicero. Ergo hoc dicit Horatius, Navem agere timet, nisi qui *navicularius* est; abrotonum dare, nisi qui *medicus*; cithara canere, nisi qui *melicus*; fabrilia tractare, nisi qui *faber*. *Medicos* vero & *musicos* in simili argumentatione jungit & Cicero De Divinatione II, 3. *Etenim ad aegros non vates aut hariolos, sed* medicos *solemus adducere: nec vero qui fidibus aut tibiis uti volunt, ab haruspicibus accipiunt earum tractationem, sed a* musicis. Et Boetius de Consol. Philos. II, 6. *Sic* musica *quidem* musicos, medicina medicos, *rhetorica rhetoras facit. Navicularios* autem & *Musicos* Dio Chrysostomus Orat. x. p. 148. Τί δαὶ, οὐκ ἐπὶ τοῖς σκεύεσιν ὁ αὐτὸς λόγος, ἀλλὰ ΚΙΘΑΡΑι χρήσιμός ἂν ὁ ἄμουσος; ἢ ἐπιχειρῶν οὐκ ἂν εἴη καθαγίλασος, ὃς τῷ μανδὺ ἐργάζοιτο ἢ τὴν κιθάραν διαφθείρας ἢ ἀπορρήξας τὰς φθόγγους; Τί δαὶ, εἴ τις ΑΥΛΟΙΣ οὐκ ἂν αὐλητικὸς ἐθέλῃ χρῆσθαι, ἢ παρεὶς εἰς τὸ ῥίπτειν αὐλεῖν; οὐκ αὐτός τι δόξει δίκην βαλλόμενος, ἢ τὰς αὐλὰς ἂν σφόδρα συντρίψειεν; ὃς δ' ἂν ἐπιχειρῇ ΠΗΔΑΛΙΩι χρῆσθαι, οὐκ ἐπισπάσεως κυβιρνᾷν, ἐσὶν ὅπως οὐκ ἂν πάγχυ ἀνατρέψας τὴν ναῦν αὐτόπτ πλέοντας ἢ τοὺς ἐμπλέοντας; Persius vero, ubi ut solet Nostrum imitatus est, & *medicos* & *naucleros* & *musicos* advocavit in comparatione simili, Sat. v, 100.

Diluis helleborum, *certo compescere puncto*
Nescius examen? vetat hoc natura medendi.
Navem *si poscat sibi peronatus arator,*
Luciferi rudis: exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus.

Hic *medicos*, & *navium gubernatores* habes: *musicos* vero paullo ante induxerat v. 95.

Sambucam *citius caloni aptaveris alto.*

v. 142. CUM SOCIIS OPERUM ET PUERIS ET CONJUGE FIDA] Et priscae editiones & codices nostri omnes praeter duos ex recentioribus omittunt conjunctionem,

levantes tempore festo
Corpus & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris *& conjuge fida.*

Recte vero abesse vidit Torrentius, qui & suos codices laudat sex, e quibus τὸ ET exulabat. Fugit autem ratio Dacierium, cum virum doctissimum, a quo pleraque vel accepit vel surripuit, redarguere hic conatus est. Quid enim? annon pueri & conjunx erant *socii operum?* an illi otiosi domi sedebant? si hoc dixeris, nisi dum per aetatem opus facere non possent, vel Ofello teste possis refutari, Serm. II, 3. v. 115, quem

videas metato in agello
Cum pecore & gnatis fortem mercede coloqui & mox sic filios compellat, [*num;*
quanto aut ego parcius aut vos,
O pueri, *nituistis, ut huc novus incola venit?*

Quin & *fida conjux* partem laborum sibi vindicat; ut Epod. II.

Quid si pudica mulier *in partem juvet*
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli, &c.

Atqui si ET illud huc adscisceis; necessario tum sequetur;

Digitized by Google

ſequetur, ut *pueros & conjugem* a ſocietate operum excludas: *Cum ſociis operum*, ET *pueris*: alii quippe in hac oratione ſocii erunt operum, pueri conjunxque minime. Faceſſat itaque conjunctio: neque hic aut *famulos* quaeramus, quos pauperes illi agricolae non alebant, aut *amicos*; qui, ut opinor, meſſis tempore *cum frumenta conderentur* domi habebant quod agerent. Ceterum eadem phraſi utitur & Varro de Re Ruſt. III, 5. de Tauro: *Hic* ſocius *hominum in ruſtico* opere *& Cereris miniſter*. Et III, 16. *Veſpa, quae ſimilitudinem habet apis*, ſocia *eſt* operis. Ovidius Metam. III, 147. de Actaeone:

Cum juvenis placido per devia luſtra vagantes
Partiteipes operum *compellat Hyantius ore.*

V. 145. FESCENNINA PER HUNC INVENTA LICENTIA MOREM] Sic codices & editiones: durius tamen exit, & inſolens prorſus eſt *inventa licentia*. Servius quidem ad Aen. VII, 695, *Feſcennium*, ait, *oppidum eſt, ubi nuptialia* inventa *ſunt carmina*. Verum aliud eſt *invenire carmina*, aliud *invenire licentiam*: neque de Feſcennii incolis loquitur Flaccus, ſed de totius Romani agri cultoribus. Quamobrem legebam ex conjectura,

Feſcennina per hunc INVECTA *licentia morem.*

Feſtus: *Feſcennini verſus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Feſcennina dicuntur* ALLATI. Scholiaſtes uterque ad hunc locum: *Dicta ſunt Feſcennina carmina, ab oppido unde primum* PROCESSERUNT. Valerius Max. II, 5. *Tibicinum collegium ſolet in foro vulgi oculos in ſe convertere: inde* TRACTA LICENTIA. Poſtea animadverti πολυμαθέστατον Barthium ad Claudianum p. 765. ſic hunc locum citare, neſcio utrum ex libris, an ex ingenio: neque enim verbo de varietate lectionis nos commonefecit.

V. 149. IN RABIEM VERTI CAEPIT JOCUS] Alio haec ordine ferunt, & editiones vetuſtae, & codices quos vidi omnes;

donec jam ſaevus apertam
In rabiem caepit verti *jocus.*

Plenius hoc certe & ſonantius, quam illud alterum; & quo conſilio, quiſquis erat, primus verborum ſeriem contra librorum fidem mutaverit, nequeo divinare.

V. 158. ET GRAVE VIRUS MUNDITIAE PEPULERE] Infelix ſane acumen Aurati & Rutgerſii, qui pro *virus*, diviſis ſyllabis, VI RUS ſubſtituere voluerunt: ideo quia *agreſte Latium* hic nominat, & mox ſubjungit *veſtigia ruris*. Atqui ob hoc ipſum abſtinere manus debebant, ne putida & ipſo *rure* inficetior repetitio fieret. Recte vero ſe habet lectio recepta: *& grave* VIRUS

Munditiae pepulere.

Ubi foetorem figurate ponit, τὸ γοῶδες, *virus alarum* &c. quod *immundos*, & illuvie ſordidos comitatur. *Grave* autem huic proprium Epitheton. Plinius Hiſt. XXVIII, 23. *Aes contactum* grave virus *odoris accipere & aeruginem.* IX, 60. *Sed unde conchyliis pretia? queis* virus grave *in fuco.* XI, 115. *Animae leonis* virus grave, *urſi peſtilens.* XXVII, 8. *Floris Aſclepiadis* virus grave.

V. 167. SED TURPEM PUTAT IN SCRIPTIS] Manſit illud *In ſcriptis* ex editionibus priſcis: at quod omnes Interpretes de libris ſuis teſtati ſunt, idem nos in veterrimis noſtris Voſſiano, Leidenſi, Reginenſi invenimus INSCITE: quod & Scholiaſtae agnoſcere videntur, qui ſic enarrant, STULTE *erubeſcit & timet*. Quidam codices mendoſe habent INSCITIAE, pauci illud IN SCRIPTIS, unus ex Collegio Trinitatis IN LIBRIS. Lego,

Nam ſpirat Tragicum ſatis, & feliciter audet,
Sed turpem putat INSCITUS *metuitque lituram.*

Noſter amat adjectiva vice adverbiorum: ut ſupra V. 161.

Serus *enim Graecis admovit acumina chartis.*

Et alibi, *Ludiſque & bibis* impudens, *Si veneror* ſtultus *nihil horum, Nunc i, rem* ſtrenuus *auge*. Qualia ſingulis fere paginis obſervari poſſunt. Plautus Truculento I, 1.

Si illud quod volumus dicitur, palam cum
Verum eſſe inſciti *credimus.* [*mentiuntur,*

Bacch. IV, 10.

Quam ſe ad vitam, quos ad mores praecipitem inſcitus *capeſſat.*

Moſtell. V, 3.

confugiſti in aram inſcitiſſimus.

Porro ex *Inſcitus* facile corrupta illa naſcebantur, *in ſcriptis, inſcitiae*: quin & adjectivum pari facilitate in adverbium reſolvebatur. Jam vero hujus vocis acceſſione praeclare adjuvatur ſententia; nec interea metuendum, ne alibi quam in *ſcriptis* & *libris* lituras illas extitiſſe credamus, etſi aperte id non dictum ſit. Sic in Arte V. 293. ſine mentione librorum,

carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura *coercuit.*

V. 180. SUBRUIT AUT REFICIT] Codex noſter Reginenſis cum duobus aliis,

Sic

Digitized by Google

Sic leve, ſic parvum eſt animum quod laudis
Subruit AC *reficit.* [*avarum*

Quod verius juſtiuſque eſt: alias nempe ſubruit, *atque* alias reficit. Ita noſter oppoſita ſolet connectere. Epiſt. I, 18.

Sed ſatis eſt orare Jovem, quae ponit & aufert. Serm. II, 3. v. 288.

Juppiter, ingentes qui das adimiſque *dolores.*

Arte Poet. 160. *& iram*

Colligit ac ponit *temere, & mutatur in horas.* Et praeterea, cum *Reficit* dicit, jam ante *ſubrutum* fuiſſe indicat: neque enim quiſquam reficitur, recreatur, reſtituitur, niſi qui antea mali quid paſſus eſt. Ergo *ac* legendum non *aut:* Parvum eſt, quod animum laudis avidum ſubruit; *ac* alias ſubrutum reficit.

v. 187, 188. VERUM EQUITIS QUOQUE JAM] Libri omnes, tam manu ſcripti, quam formis impreſſi,

Verum equitis *quoque jam migravit ab aure*
voluptas
Omnis ad incertos *oculos & gaudia vana.*

ubi primo, fruſtra reclamantibus Librariis, repone *Equiti*; quod caſtigati ſermonis ratio poſtulat; ut vel pueri ſcient jam commonefacti. Nota ſunt illa & ſimilia,

Haud tamen audaci ceſſit fiducia Turno.
Haud ſecus accenſo gliſcit violentia Turno.

Mirum vero, quod prae auribus *incertos* hic oculos dicat, cum alibi contrarium doceat, oculos eſſe auribus *fideliores*; Art. Poet. v. 180.

Segnius irritant animum demiſſa per aurem,
Quam quae ſunt oculis *ſubjecta* fidelibus,
Ipſe ſibi tradit ſpectator. [*& quae*

Scio equidem ebriis, morientibus, furentibus incertos eſſe oculos, ut Seneca Epiſt. LXXXIII. ubi ebrium deſcribit: *Adjice illam ignorationem ſui, dubia & parum explanata verba,* INCERTOS OCULOS, *gradum errantem, vertiginem capitis,* &c. Sed quid hoc ad ſententiam Flacci? Quare olim jam haerebant hic Interpretes, dubitationis offenſioniſque manifeſti. Porphyrion: *Incertos dicit ſecundum Academicos, qui contendunt oculos noſtros in multis falli, & ideo viſis quoque non eſſe credendum.* Bene ſane: quaſi vero non iidem & auribus quoque fidem ſimiliter abnegarent. Recentiores: *Quia mobiles ſunt & vagi, & varietate ſpecierum cogitationem diſtrahunt.* Jam vero multum profecimus: quaſi non & aures itidem hebeſcere, obtundi, vocum ambiguitate decipi, ſonorum diverſitate diſtrahere mentem ſolerent. Quorſum itaque *incertos* oculos? Cum in pompa hic tarde & claro die procederent *eſſeda, pilenta, petorrita, naves, reges catenati, elephas albus, camelopardalis*; annon haec tam certis oculis cerni poterant, quam vox Tragoedi certis auribus percipi? Enimvero aut nos mentis oculos incertos obtuſoſque gerimus, aut ſic ſcripſit Horatius, non magna mutatione, [*re voluptas*

Verum EQUITI *quoque jam migravit ab au-*
Omnis ad INGRATOS *oculos & gaudia*
vana.

Ingratos vero oculos vocat, quod cito voluptatis obliviſcantur, nullumque ex ea fructum percipiant aut reddant. Sic eodem ſenſu *ingratam ingluviem*, Serm. I, 2. v. 8.

Hunc ſi perconteris, avi cur atque parentis
Praeclaram ingrata *ſtringat malus* ingluvie *rem.*

Utrumque autem locum ex his Callimachi videtur expreſſiſſe;

Καὶ γὰρ ἐγὼ τὰ μὲν ὅσσα χαρείατι τῖμος ἔδωκα,
Ξανθὰ σὺν εὐόδμοις ἀκροκαλιπτὶ πλοκάνοις,
Ἄπνοα πάντ' ἐγίνοντο παρεγχρίμπτοντι· ὅσσα τ' ὀδόντων
Ἐνδὸς ἐπαίξη τ' εἰς ἀχέφασιν ἔδυ.
Καὶ τὰ μὲν ἔμπνοα εἰς αὔριον· ὅσσα δ' ἀκυπλοῖς
Εἰσῆμαρ, ἔτι μοι μοῦνα πάρεστι πόθι.

Etenim quaecumque ego capiti tum dedi
Unguenta cum ſuaveolentibus corollis,
Inodora omnia ſtatim facta ſunt; quaecumque etiam
Intra dentes & INGRATAM INGLUVIEM *ierunt,* [*quae vero*
Horum quoque nihil manſit in craſtinum:
AURIBUS *indidi, haec ſola nunc mihi adſunt.*

Nihil magis appoſitum dici potuit. Quae *oculis*, quae *ventri* data ſunt,

omnia pertuſum congeſta quaſi in vas
Commoda perfluxere atque ingrata *interiere*;

contra quae *auribus* commiſſa ſunt, memoria cuſtodiuntur, & praecepta formando animo vitaeque excolendae ſemper ſubminiſtant.

v. 196. SIVE ELEPHAS ALBUS VULGI CONVERTERET ORA] Priſcianus bis hunc verſum laudat pag. 642, & 649. ubi vetuſtus & eximius codex in Bibliotheca publica Cantabrigiae ſic verba exhibet,

Si foret in terris rideret Democritus, ſeu
Diverſum confuſa genus panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi CONVERTERIT *ora.*

Placet hic praeteritum tempus, magis quam imperfectum: ſic alibi Serm. I, 1.

Digitized by Google

Qui fit, Maecenas, ut nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, *ſeu fors* objecerit, *illa*
Contentus vivat.

Quamquam utrumvis ſat commode admitti poteſt; hac levi ſenſus differentia: Rideret, ſi forte *converteret*, Rideret, ſi jam *converterit*.

v. 216. CURAM REDDE BREVEM] Videamus locum:

Verum age & his, qui ſe lectori credere malunt,
Quam ſpectatoris faſtidia ferre ſuperbi,
Curam REDDE *brevem.*

ubi ſententia quidem ex adjunctis ſatis conſtat; *De his curam aliquam adhibe:* verba vero nulla vi, nullis tormentis coges, ut ſenſum eum fundant. Nuſquam enim dictum eſt, *reddere curam alicui* pro *curam alicujus agere:* neque adeo per Latini ſermonis indolem recte dici poteſt. Quod & Interpretes ſenſiſſe palam eſt, cum coacti & inviti novas & duras explicationes hic quaerunt. Alii enim ſic enarrant, *Redde his curam*, fatiga eos cura, redde eos magis ſollicitos & diligentes: alii contra in hunc modum, *Brevem redde his curam*, effice ut his cura brevis vel nulla ſit, fac ut ne diſtrahantur curis a verſibus ſcribendis. Quae quam febriculoſa ſint & plane aegrotorum ſomnia, neque digna quae refellantur, res ipſa clamat. Quid igitur? Deus utique ex machina prodit, ac laboranti loco ſubvenit Codex Collegii Trinitatis, qui clare & ſine litura exhibet,

curam IMPENDE *brevem.*

Quod cum olim ſcriptum eſſet, *Impende*; tute per te vides, ut ſyllaba *in* a praecedente litera facile abſorberi, & *pĕde* item in *redde* permutari poſſet. Ceterum *curam, laborem, operam alicui impendere* vulgatiſſima ſunt apud quoſvis ſcriptores. Virgilius Georg. II, 433.

Et dubitant homines ſerere, atque inpendere
III, 73. [curam?
Praecipuum jam inde a teneris inpende laborem.
124. *inſtant ſub tempus, & omnes*
Inpendunt curas *denſo diſtendere pingui.*

Ovid. Art. Amat. 297.

Omnibus his, quoniam proſunt, impendite curam.

v. 240. AUT ALIUS LYSIPPO DUCERET AERA] Cum membranae hic omnes DUCERET praeſe ferant; Lambinus ex conjectura propoſuit, CUDERET, Virgilii loco inductus Aen. VI, 848.

Excudent *alii ſpirantia mollius* aera.

Quae emendatio tantopere Fabricio placuit, ut eam in contextum receperit. Contra alii in Lambinum inſurgunt, & cum ex ipſo illo Virgilii loco, tum ex Plinio, & Appuleio vulgatam Lectionem firmare contendunt. Videamus, quo perveniant:

Excudent alii ſpirantia mollius aera,
Credo equidem, & vivos ducent *de marmore vultus.*

Plinius Hiſt. VII, 38. *Idem hic imperator* (Alexander) *edixit, nequis ipſum alius quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles ſculperet, quam Lyſippus ex aere* duceret. Apuleius Floridis: *Edixit Alexander univerſo orbi ſuo, nequis effigiem regis temere aſſimularet aere, colore, caelamine; quin ſolus eam Polycletus aere* duceret, *ſolus Apelles coloribus delinearet, ſolus Pyrgoteles caelamine excuderet.* His teſtimoniis armati Lambinum impugnant: atqui aliud eſt *ducere aera*, aliud *ducere vultus de aere, ducere Alexandrum ex aere, ducere aere effigiem:* ſiquidem in his forma ducitur, in illo materies ipſa. Seneca Epiſt. LXV. *Aes prima ſtatuae cauſſa eſt: numquam enim facta eſſet, niſi fuiſſet id, ex quo ea funderetur* ducereturve. Et hic quoque ſtatua *ex aere duci* dicitur; nempe ex materia effigies. Virgilius iterum, VII, 634. *alii thoracas aenos,*

Aut leves ocreas lento ducunt *argento.*

Quin & hic figuram habes *thoracas & ocreas* ex materia *argentea*. Servius quidem ad locum, *Ducunt*, ait, *id eſt Extendunt.* Quomodo fortaſſis accipiendum eſt illud Tibulli, I. 3. v. 48.

Non acies, non ira fuit, non bella: nec enſem
Immiti ſaevus duxerat *arte faber.*

Quippe ſic plane Juvenalis XV, 168.

Neſcierint primi gladios extendere *fabri.*

Utcumque hoc fuerit; certe non nuda hic materia *ducitur*; ſed enſis e materia formatus. Quare locum hunc in medio relinquimus; hoc prius admonentes, ſi *cuderet* apud Flaccum reponis; omnia plana ac tuta eſſe; ſi *duceret*, vix ſatis probabiliter poſſe defendi. *Ducere* porro & *cudere* confuderunt Librarii, in Art. Poet. v. 59.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA II.

V. 16. EXCEPTA NIHIL TE SI FUGA LAEDAT] Editiones quidem *Laedat*: sed antiquissimus Cruquii Blandinius cum uno ex nostris.

Des nummos, excepta nihil te si fuga LAEDIT.

magis ex more Horatiano.

V. 63. RENUIS TU, QUOD JUBET ALTER] Codex veterrimus Leidensis, & Regius, & alter Regiae Societatis cum uno Bersmanni, vocabulis inversis exhibent,

Quid dem, quid non dem? renuis quod tu, *jubet alter:*
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.

Ubi ordo est, *Quod tu renuis, alter jubet*; *quod petis, alteris invisum est*: Simplicius certe & elegantius, quam quod vulgo circumfertur.

V. 80. VIS CANERE ET CONTACTA SEQUI VESTIGIA VATUM] Turbant hic mirum in modum codices scripti; quorum plures CONTACTA habent, CONTRACTA non pauci, unus apud Cruquium CANTATA, alter CUNCTATA, Galeanus ex nostris CINCTUTA. Ex his posteriora illa, tamquam manifeste mendosa, rejiciunt Interpretes; de prioribus litigant & in partes discedunt. Qui *contacta* Flacco adjudicant, sic verba enarrant, *Vis me sequi contacta vatum vestigia*, Vis me ita sequi, ut tangam, & pedem pede premam. Qui vero fieri potest, ut *sequaris contacta*? ut sequaris quae jam contigeris & assecutus sis? haec plane pugnant, & a sensu usuque abhorrent. At alii *contracta* hic adsciscunt, hoc est, aiunt, angusta, exigua. Quorsum autem *exigua*? quasi vero poetae, quo nobiliores, non eo majora & clariora vestigia post se relinquant; quae quidem a longinquo facile videas, propius attingere frustra coneris. Quid multis te moror? Lege minima mutatione:

Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos,
Vis canere, & NON TACTA *sequi vestigia vatum.*

Hoc est, Tu, Lolli, qui *carmine sive Odis gaudes* (v. 59.) vis me *canere*, sive carmina scribere, & sequi *vestigia* Lyricorum Latinis ante me *intacta*. Hoc quippe est, quo saepe gloriatur, ut Epist. I, 19.

Libera *per vacuum posui* vestigia *princeps,*
Non aliena meo pressi pede. & mox,
Parios ego primus *Iambos Ostendi Latio.*

& iterum de Alcaeo:

Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
Vulgavi fidicen.

ubi nos plura ad hanc sententiam produximus. Quae *intacta* sint *vestigia*, jam opinor vides. Noster de Ennio Serm. I, 10. v. 66.

Quam rudis & Graecis intacti carminis [auctor.

Manilius apposite, lib. III, 1.

In nova surgentem majoraque viribus ausum,
Nec per inaccessos *metuentem vadere saltus*
Ducite, Pierides.——
Non annosa canam Messanae bella nocentis,—
Non reges magnos, spatio majore canenda,
Quam si TACTA *loquar.*

Haec quidem pulchre ad Flaccum faciunt; sed, ut ingenue fatear, mendosa sunt, sicut infinita alia in illo opere a librariis pessime accepto: sic autem emendanda sunt e libris melioribus:

Non Regis Magni spatio majore canenda,
Quam SINT ACTA, *loquar.*

Argute, ut solet Manilius: *Non Alexandri Magni gesta loquar, majore spatio canenda, quam acta sint*: siquidem ille paucis annis stupenda celeritate totam Asiam subegit. Statius Silv. I, 2.

Quaerit Hymen thalamis intactum *dicere* [carmen.

& ibidem III, 1.

Assidue moresque viri, pacemque, novosque
Pieridum flores, intactaque carmina *discens.*

Juvenalis Sat. VII, de ipso Statio;

sed cum fregit subsellia versu;
Esurit, intactam *Paridi nisi vendat* Agaven.

NON TACTA autem, ut Noster Epist. I, 14. v. 27.

& tamen urges
Jam pridem non tacta *ligonibus arva.*

Martialis II, 19.

Et toga non tactas *vincere jussa nives.*

& V, 37.

Nivesque primas liliumque non tactum.

V. 87. FRATER ERAT ROMAE CONSULTI RHETOR] Celeberrimus Daniel Heinsius, praestante vir ingenio, quattuor hos & quinquaginta versus, nimirum ab 87 usque ad 140, ex sede sua, quam per tot saecula Librarii eis assignarunt, pro imperio ejicit, & in Epistolam priorem ad Augustum post versum 229 transducit & collocat; ubi, si Heinsio fides, tam opportunus eis & debitus

Digitized by Google

locus eſt, quam hic incommodus, alienus, & nullus. Poſt autem exortus eſt Cl. Boivinus, qui in Heinſii ſententiam hactenus concedit, ut nullam eis in hac Epiſtola ſedem eſſe pronunciet; ceterum ut poſt verſum ſuperioris Epiſtolae 118, non ut Heinſius 229, tamquam in amiſſam poſſeſſionem reponat. Uterque temere & perperam. Quod enim hos LIV nulla ratione huc facere, ſed ab Epiſtolae argumento alienos eſſe clamitant, fugit eos ratio. Summa ſiquidem argumenti eſt, excuſationes & defenſiones ad Lollium parare, cur carmina quae promiſerat Lyrica mendax non miſerit. In his prima eſt, ſe jam *divitem* eſſe (v. 26.) ut melius nunc dormire ſit quam verſus ſcribere: altera, ſe jam *ſenem* eſſe (v. 55.) nec quae olim juvenis fecerat nunc per aetatem poſſe; tertia, neſcire quae potiſſimum ſcribat (v. 58.) alios alia poſcere: quarta, Romae inter tot curas & ſtrepitus (v. 65.) otium & ſilentium ſibi deeſſe: quinta, quae his LIV verſibus continetur, duram ac miſeram eſſe poetarum omnium conditionem: rideri enim qui male ſcribunt, utcumque ſtulte ſibi placeant, (v. 87.) & mutuo ſe ut muli ſcabant; ringi autem & torqueri (v. 109.) qui exactum quid & legitimum pariunt: ſe quidem ex his conditionibus vel priorem malle (v. 126.) ut delirus aliis videatur, dum ſibi placeat, quam angi & cruciari, ut aliis placeat: qui vero ſapit (v. 141.) nihil omnino ſcripturum eſſe.

Nimirum ſapere eſt abjectis utile nugis,
Et tempeſtivum pueris concedere ludum.

Eant nunc, & haec optime cohaerere negent. Videamus jam porro, quid in priore Epiſtola lacerum & hiulcum eſſe praedicent, quo hi LIV tam commode (ſi Muſis placet) ab his Dnumviris ut nova colonia deducantur. *Verum age*, inquit, o Auguſte (v. 214.) & poetis Epicis, Lyricis, aliiſque qui lectori, non Scenae ſcribimus, curam aliquam impende. *Multa quidem nobis mala facimus*, (v. 220.) cum librum tibi tradimus feſſo vel occupato, tempore alieno; cum amicis recitantes tepide ac neglegenter audiri querimur (v. 224.) vel offendimur, ſi unum quis verſum reprehendat; cum ſperamus fore, (v. 226.) ut cum primum nos ſcribere audieris, arceſſas ultro, & pecunia vel fundo locupletes. Utcumque autem haec inepte & inſcite ſaepe faciamus: intereſt tamen eorum, qui res memoria dignas gerunt (v. 229.) ut praeſtantiora ingenia honore praemiiſque ad ſcribendum excitentur:

Sed tamen eſt operae pretium cognoſcere, qualis
Aedituos habeat belli ſpectata domique
Virtus, indigno non committenda poetae.

Quid jam videtur? enimvero tam arcte haec cohaerent, tam apte coagmentantur; ut ſi intra commiſſuras verſus illos LIV cum Heinſio intrudere velis, maximam Epiſtolae labem & ruinam intuleris. Boivinus vero vel ipſo Heinſio infelicior eſt, cum ante verſum 118 inſerendos eſſe contendit. Dixerat paullo ante Noſter, totum fere populum Romanum, pueros patreſque, doctos pariter & indoctos uno ſcribendi poemata ſtudio calere: ridiculum quidem hoc eſſe, cum nemo vel navem agere, vel medicamenta miſcere, vel quaecunque id genus tractare auſit, niſi prius didicerit. Ubi haec dixerat, continuo infert,

Hic error tamen & levis inſania quantas
Virtutes habeat, ſic collige: vatis avarus
Non temere eſt animus, &c.

ubi palam eſt, *errorem* eum & *inſaniam* inſanum illud ſcribendi ſtudium denotare. Inſere jam cum Boivino verſus illos LIV; & eorum extremi, qui de Argivo illo agunt in vacuo theatro miros ludos imaginante, ſic cum primis his coaleſcent;

pol me occidiſtis, amici,
Non ſervaſtis, ait; cui ſic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratiſſimus error,
Hic error tamen & levis haec inſania quantas
Virtutes habeat, ſic collige.

ubi jam *error*, quem tantopere hic laudat Horatius, erit error commotae mentis, in vacuo theatro tragoedos & hiſtriones, ut ſibi videbatur, ſpectantis & audientis. Hoccine ut obtrudat nobis Boivinus? enimvero qui jam monitus in ea ſententia obſtinate perſtiterit, vix illo Argivo ſanior videatur. Vidimus, quam incommode atque infeliciter uterque ſibi locum ſelegerit, ubi hos verſus inſereret. Nunc ſemel demonſtrabimus, minime eos ad Auguſtum rerum dominum, ſed ad amicum familiarem, qualis erat Lollius, omnino eſſe ſcriptos. Quippe in his illi ſunt, v. 95.

Mox etiam ſi forte vacas ſequere, & procul audi,
Quid ferat & quare ſibi nectat uterque coronam.

Si Lollio hoc dicit, bene habet: ſi Auguſto, rus merum eſt, neque dignitatis ejus, quocum loquitur, rationem ullam habet. Quid enim jubet? ut Auguſtus ſequatur poetas otioſos, & pone a tergo ſermones eorum captet? apage ab urbano homine & aulico tam ruſticam ſimplicitatem.

Digitized by Google

plicitatem. Faceſſant itaque, qui hos verſus a poſſeſſione ſua exturbare & extorres agere conantur; quorum Heinſius cum hic tum alibi & praeſertim in Arte Poetica miras ſibi luxationes fingit, prava ut videtur Scaligeri ſui aemulatione ductus; cui in aliis ſcriptoribus periculoſus iſte aleae jactus nonnumquam bene ceciderat, interdum & male. Ceterum eas Heinſii hariolationes, cum ejuſdem plane ſolertiae ſint, lectorum acumini relinquemus.

v. 87. FRATER ERAT ROMAE CONSULTI RHETOR] Nondum ex hoc loco diſcedere licet, qui iterum negotium faceſſit. Diſertiſſimus quippe Heinſius, inſolentia dictionis offenſus, *Quis ita loquatur*, inquit, Romae rhetor frater Juriſconſulti erat, ut alter alterum laudaret, & honores meros attribueret? *Aut ne a verbis recedamus,*

Frater erat Romae conſulti rhetor, ut alter
Alterius ſermone meros audiret honores.

Quis Latinus ſcriptor umquam ita eſt locutus? Quis ſanus dicat, Ego orator, frater meus erat poeta, ut alter alterum ſemper laudaremus? *Et tamen idem eſt, quod hic ſcripſit Flaccus. Ex quo cuivis jam appareat neceſſe eſt, nihil minus quam integram ſententiam eſſe. Quare ut efficeret, quod voluit, hoc aut aliquo ſaltem ſimili modo fuerat ſcribendum;*

inſani ita demens
Frater erat Romae conſulti rhetor,—

Manifeſtus igitur hiatus eſt, & ſententiae defectus. Enimvero non hoc de nihilo eſt, quod vir doctiſſimus iraſcitur: & miror equidem Interpretes, tam qui ante quam qui poſt Heinſium ſcriptori huic operam impenderunt, altiſſimo haec ſilentio praeterire. Sed hoc ſapere eſt; quae neque emendare potes nec ullo exemplo defendere, tranſilire tamquam ſana neque in ſuſpicionem vocanda. UT quidem pro *Ita ut* & alibi Noſter adhibet, ſatis inuſitate: Serm. I, 7. v. 13.

Ira fuit capitalis, ut *ultima divideret mors*. & Epiſt. I, 16. v. 12.

Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut *nec*
Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus,

quae perinde ſunt, ac ſi plene dixiſſet, *Ita* capitalis ut; *Ita* idoneus ut. Verum in hoc de quo agimus loco ipſum illud Adjectivum deficit, ſententiae ſane neceſſarium; Frater erat conſulti rhetor ita *demens* (ut commode ſupplet Heinſius) ita *ſtultus & ſtolidus*, ut alter alterum magnificis nominibus compellarent. Sed nec hoc emplaſtro totum ulcus contegitur, ut vidit quoque Heinſius: requiritur ſiquidem ut ambo fuerint ſtolidi; *Erat Romae ſtolidus rhetor ſtolidi itidem conſulti frater*, &c. Quid ergo? magni ſane emerim interpretem, qui locum hunc expedire poſſit: nam, ut nunc vulgo circumfertur, non id efficit quod voluit Horatius:

Frater erat Romae conſulti rhetor, ut alter
Alterius ſermone meros audiret honores.

Quid tum poſtea? quid in hoc vituperas? quid prohibet, cur non, ut meros, ita & meritos honores audirent? nihil enim dicis, quo minus exiſtimemus alterum re ipſa conſultiſſimum fuiſſe, alterum diſertiſſimum. Jam vero quod *fratres* fuiſſe narras; tanto hercle minus deriſui ſunt, cum vel fraternae neceſſitudinis cauſſa aut defendi aut ſaltem excuſari poſſint. Haeret profecto haec res; niſi quis Hercules ſubveniat: interea vide, quid mihi in mentem venerit, qui ſic ab Horatio profectum eſſe ſuſpicor.

PACTUS *erat Romae* CONSULTO *rhetor;*
ut alter
Alterius ſermone meros audiret honores;
Gracchus, ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.

Enimvero, ſi hanc lectionem adſciveris, ſententia clara erit & egregia: quippe eo ipſo ridiculi & vecordes erant, quod *paciſcerentur*, ut alter alterum magnifice laudarent; quaſi gloriam & rem ex alternis laudibus apud populum aucupaturi. Quae ſtulta calliditas nec noſtri temporis quibuſdam deeſt; quorum mutuas quaſi ex pacto convento laudationes vident ridentque naſutiores. Hujus ſimilis, inquit, furor etiam nos poetas agitat, qui *non puro vero ſed mutua aſſentatione* (Porphyrionis verba ſunt) alter alterum in caelum efferimus: hic me *Alcaeum alterum* praedicat, ea nundinatione, ut ipſe a me vicißim *Callimachus*, vel, ſi id non ſatis eſt, *Mimnermus* appelletur; cum alias domi & intra limen, ἐ τίκλοι τίκλων ἐ ἀοιδὸς ἀοιδῷ, uterque utrique invidemus & male volumus. Atque hinc maxime confirmatur emendatio noſtra PACTUS ERAT; abſque qua eſſet, Conſultus ille & Rhetor non compoſito, ſed vere & ex animo laudaviſſe invicem merito crederentur. Neque vero tam longe abſcedit a vulgata lectione, quam harum rerum imperitis poteſt videri: cum ſi literam initialem demſeris, & terminationes notis pro Librariorum more, non literis ſcripſeris, reſiduae erunt hae tantum literae RAT & ACT, lippientem ſcribam facile decepturae. Livius XLIV, 26. *Hi* PACTI ERANT,

Digitized by Google

ERANT, *eques denos praesentes aureos, pedes quinos.* Cicero pro Sextio c. 25. *Ut Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi si remp. prodidisset* PACTUS ERAT, *Syria daretur.* Digest. II, 14, 17. *Hoc Julianus scribit in Patre, qui* PACTUS ERAT, *ne a se neve a filia peteretur.* Recte autem *Pactus, ut audiret.* Ovid. Metam. IV.

Ut *mea sit, virtute mea servata,* paciscor. & Fast. IV, 613. Pactus *nisi Juppiter esset,*
Bis tribus ut *caelo mensibus illa* foret.

Suetonius Caesare XIX: Pactus, ut *is nummos de suo communi nomine per centurias* pronuntiaret. Atque ita passim scriptores. Quin & illud recte *Pactus consulto* casu dativo; etsi frequentius sit *cum consulto.* Ovid. Heroid. XVI, 35.

Te peto quam lecto pepigit *Venus aurea nostro.*

& XX, 157.

Haec mihi *se* pepigit; *pater hanc* tibi, *primus ab illa.*

Digest. II, 14, 27. *Servus* heredi *post adituro nominatim* paciscì *non potest; quia nondum is dominus sit: sed si in rem pactum conventum factum sit, heredi adquiri potest.*

V. 89. GRACCHUS UT HIC ILLI FORET, HIC UT MUCIUS ILLI] Apage istam loquendi stribligenem & fatuitatem; Ut *hic illi* Gracchus foret, *hic illi* Mucius. Nimirum haec eadem est, quam Epicharmus olim joco fecerat, παιζολογία:

Τόκα μὲ τὸν τήνοις ἐγὼ ἦν, τόκα δὲ πεῖνος τήνοις ἐγώ.

Recte vero Lambinus, qui ringentibus frustra Librariis sic in editione sua reposuit,

Gracchus ut hic illi foret, HUIC *ut Mucius* ILLE:

quem tamen vel duo vel nemo secutus est, receptis lectionibus quantumlibet ineptis pertinaciter adhaerentes. Cicero pro Milone c. 12. *Numquid igitur aliud in judicium venit, nisi uter utri insidias fecerit? profecto nihil. Si* HIC ILLI, *ut ne sit impune; si* ILLE HUIC, *tum nos scelere solvamur.* Sed & aliud hic majus est, & Lambino & aliis omnibus intactum, quod nefas est praeterire. Siquidem mihi pene persuasum est, non GRACCHUM hic, sed CRASSUM ab Horatio memorari;

CRASSUS *ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.*

ubi P. Licinium Crassum *eloquentium jurisperitissimum,* & Q. Mucium Scaevolam *jurisperitorum eloquentissimum* mecum intelliges. Hi enim aequales erant, & in omnibus magistratibus collegae, praeter Tribunatum & Censuram; una Consules A. V. C. 659. At Caius Gracchus & aetate Mucio prior, & in oratoria laude Crasso inferior. Autor Dialogi De Oratoribus c. 18. *Sicut Catoni seni comparatus* C. Gracchus *plenior & uberior; sic* Gracho *politior & ornatior* Crassus. Rectius itaque Crassus, quam Gracchus, cum Mucio Scaevola componitur. Vide modo Ciceronis librum de Oratore primum, ubi dialogi partes sustinent Crassus hic & Mucius, & De claris Oratoribus c. 39, 40, 43; & mecum senties, ut polliceri ausim. Unum inde locum hic tibi delibabo. *Noli existimare his duobus quidquam fuisse in nostra civitate praestantius. Nam, ut paullo ante dixi consulsorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse: sic in reliquis rebus ita dissimiles erant inter se, statuere ut tamen non posses utrius te malles similiorem.* Crassus *erat elegantium parcissimus,* Scaevola *parcorum elegantissimus.* Crassus *in summa comitate habebat severitatis satis:* Scaevolae *multa in severitate non deerat tamen comitas.* Et *Gracchum* quidem pro *Crasso* fortasse Librarii substituerunt, fortassis & Horatius dedit: neque enim illud damno, sed hoc ei praefero. Seneca Epist. CXIV. Gracchus *illis & Crassus & Curio nimis cultis & recentes sunt: ad Appium usque & Coruncanium redeunt.* Ammianus Marc. XXX, 4. de priscis Oratoribus loquens: *Consulares multi & triumphales,* Crassi *atque Antonii, & cum Philippis* Scaevolae *aliique numerosi.*

V. 90. QUI MINUS ARGUTOS VEXAT FUROR ISTE POETAS] *Vexat* quidem hic exhibent scripti editique: minus apte meo quidem judicio; cum juvet potius & delectet, quam vexet. Quare repono ex conjectura,

Qui minus argutos VERSAT *furor iste poetas?*

Noster Serm. II, 3. V. 249.

Ludere par impar, equitare in arundine longa
Si quem delectet barbatum, amentia versat.

ubi similiter unus ex nostris *vexet,* alter *vexat* vitiose praeferunt, & passim sane haec a Librariis confunduntur. Sic & spes, timor, pavor, pudor, amor, cura *versare* dicuntur. Ennius apud Ciceronem. *curamque levasso,*

Quae nunc te coquit & versat sub pectore [fixa.
Propert. III, 15.

Spesque timorque animum versat *utroque meum.*

Seneca tamen Epist. XXXIX. *Quorum impotentiae atque insanae libidini ob hoc unum possis ignoscere, quod quae fecere, patiuntur: nec immerito hic illos* FUROR VEXAT. Sed hos apud

Digitized by Google

apud Senecam vere furor *vexat* & male habet; illos apud Noſtrum *verſat* quidem, ſed voluptate & lucro afficit.

v. 92. CAELATUMQUE NOVEM MUSIS OPUS] Locus & olim & nunc cum maxime doctorum virorum diſceptationibus celebris:

Carmina compono, hic elegos; mirabile viſu,
Caelatumque novem Muſis opus. aſpice primum,
Quanto cum faſtu, quanto molimine circum-
Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem.

ubi primo ſcire velim, quid ſit & quo referendum illud *mirabile viſu*. Eſt qui ad utrumque opus & *Carmina* & *Elegos* referat, ne id quidem videns, pluralem eo pacto numerum neceſſario hic exigi, *mirabilia & caelata opera*. Quare alii de ſolis *Elegis* accipiunt: ſed & hos interrogatos velim, quo ſpectet illud *viſu*: certe non ad bonitatem & virtutem poematis: haec enim non viſu ſed mente cernitur; neque vero ad ornatum libri, umbilicis ſcilicet & purpureo croceove tegmine ſuperbi. Ut enim in libro nondum publicato, ſed intra privatos parietes adhuc latente lituriſque ut fit maculoſo, talis ornatus locum non habet: ita nihil eſſe potuit in eo genere *viſu mirabile*, vel ſi *Soſiorum pumice mundus proſtaret*. Illa porro vereor ut recte accipiant Interpretes, *Caelatumque novem Muſis opus*: hoc eſt, ut aiunt, ipſis Muſarum manibus factum & elaboratum. Atqui ſi ex animo hoc dicit Noſter, ipſe abſurdus atque impudens eſt, qui hoc opus poſtea deridet & ſugillat: ſi falſe & per Ironiam, vel non ex ſua ſed ex ſcriptoris φιλαύτου ſententia, ſtulte profecto & inepte id jam occupat & docet, quod poſtea multis verſibus ceu nondum intellectum perſequitur. Sed & errant omnino, cum *Muſis caelatum* enarrant, a Muſis elaboratum: etſi probe ſciam γλυπτὸν & τορευτὸν ἔπος, *ſculptum & tornatum poema* recte alias dici. Quippe *novem Muſis caelatum opus* nihil aliud Latine notat, quam quod novem Muſas caelatas ſive inſculptas habet. Ovid. Metam. XIII, 110. de Clypeo Achillis;

Nec clypeus vaſti caelatus imagine *mundi*
Conveniet timidae nataeque ad furta ſiniſtrae.

& ibidem 684. de Cratere,

Miſerat hunc illi Theſſes, fabricaverat Alcon
Myleus, & longo caelaverat argumento.

Atqui hoc in libelli corio manibus ſordeſcentis impendere, plane incredibilis vanitas & oſtentatio eſt; ne dicam per voluminis formam id fieri non poſſe. Quare haerent Interpretes; & pluribus quidem hic erroribus implicantur; quos tum melius redarguemus, cum ſententiam noſtram in medium protulimus. Sic autem diſtinguimus locum, & correctiuncula refinginus:

Carmina compono, hic elegos. Mirabile viſu
SACRATUMQUE *novem Muſis opus, aſpice primum*
Quanto cum faſtu, quanto molimine circum-
Spectemus; vacuam Romanis vatibus aedem.

Ubi ordo erit; *Aſpice, cum quanto faſtu circumſpectemus opus viſu mirabile & novem Muſis ſacratum, aedem Romanis vatibus vacuam. Opus* illud intellige, vel Bibliothecam Apollinis Palatini ab Auguſto conditam, vel aedem Herculis Muſarum a Marcio Philippo inſtauratam & exſtructam: utrumque quidem opus mirabile & Muſis conſecratum. De priore Noſter clare Epiſt. I, 3. *& tangere vitet Scripta* Palatinus *quaecumque recepit* Apollo. De alterutro & hic & Serm. I, 10. v. 38.

haec ego ludo,
Quae nec in aede *ſonent, certantia judice Tarpa.*

Quibus in locis *Aedem Muſarum* acceperunt veteres Scholiaſtae: nam & illa, credo, in bibliothecae uſum cedebat, & ſtudioſis hominibus vacabat. Juvenalis Sat. VII, 37. ubi poetam alloquitur,

Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iſte
Quem colis, & Muſarum *&* Apollinis aede *relicta.*

ubi palam eſt, & Muſarum aedem poetis frequentatam eſſe. Ovidius Triſt. III, 1. v. 69. ubi Liber ejus queſtus erat ſe Bibliotheca Apollinis excluſum eſſe, mox addit,

Altera templa peto vicino juncta Theatro:
Haec quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quae doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Ubi *Templa* recte opinor interpretantur, Templum Herculis Muſarum, Theatro vel Pompeii vel Balbi vel Mareelli vicinum: nam trina illa in eadem Urbis regione erant ac Templum Muſarum. Ideo autem facilius ad Scholiaſtas accedo, quia *Novem Muſas* hic memorat Noſter: nam in templo illo Herculis Fulvius Nobilior NOVEM SIGNA, *hoc eſt, omnium* CAMAENARUM *ex Ambracienſi oppido tranſlata ſub tutela fortiſſimi numinis conſecravit*, ut narrat Eumenius in Panegyrico; tangit quoque & Plinius Hiſt. XXXV, 10. Inde aedes illa Muſarum vocitata eſt, vel Herculis Muſarum.

Jam

Digitized by Google

Jam autem, ni fallor, etiam per te ſubodoraris, cur pro illo CAELATUM, ut ſcripti editique exhibent, SACRATUM repoſuerim. Quorſum enim *caelatum*, aut qua ſententia? Vicimus jam antea multis argumentis, non poſſe ad Librum hoc referri: quibus adde, abſurdum eſſe ut *Novem* Muſae *unius* & ejuſdem operis caelatrices fuerint. Unde, ni fallor, eo redactus eſt Porphyrion, ut figurate exponeret *Novem Muſis, hoc eſt, omni metrorum genere variatum & quaſi pictum.* Belle ſane & cogitate: cum hic de *Elegis* ſermo ſit, qui uno metro alternis verſibus brevioribus decurrunt. Enimvero, etiamſi de Libro, ut volunt, hic ageretur, SACRATUM, hoc eſt, conſecratum, dedicatum reponerem; ut Ovid. Triſt. II, 55. de Faſtis ſuis loquens,

Idque tuo nuper ſcriptum ſub nomine, Caeſar,
Et tibi ſacratum *ſors mea rupit* opus.

ubi & *opus* quoque appoſite venit. Sic Herodoti Hiſtoria Novem Muſis, quarum nomina prae ſe fert, *ſacrata* recte dicetur: *caelatam* nemo dixerit, niſi ludibrium debiturus. Ergo alterutrum certe obtinebo; ut aut, ſi Librum hic intelligis, *ſacratum* mecum reponas; aut, ſi *caelatum* hic quovis modo retines, de Aedificio mecum interpreteris. Fieri enim poteſt, ut utraque ex illis aedibus *Novem Muſis caelata* fuerit: id enim argumentum Bibliothecae parietibus vel faſtigio commodum eſt. Sic autem loquitur Martialis X, 19.

Illic parva tui domus *Pedonis*
Caelata eſt *aquilae minore penna.*

Verum, cum Apollinis aedes *Danaidum*, Herculis autem *Muſarum* ſtatuis maxime inſignes eſſent; neque quiſquam in illa Muſarum iconas memoret, in hac autem & nobiliſſimas Muſarum ſtatuas & earundem caelaturas una fuiſſe incredibile ſit; ſupereſt ut, obſtrepentibus licet Librariis, legamus,

mirabile viſu
SACRATUMQUE *novem Muſis opus.*

Quippe *ſacratum* eo quo diximus ſenſu paſſim apud ſcriptores venit. Virgilius de Auguſto, VIII, 715. *votum immortale* ſacrabat,

Maxima tercentum totum delubra *per orbem.*

Ovid. Art. Amat. III, 389.

Viſite laurigero ſacrata palatia *Phoebo.*

Faſt. I, 290.

Sacravere *patres hac duo* templa *die.*

Tacitus Annal. II, 49. *Spei* aedes *a Germanico* ſacratur. Jam vero *Opus* & *Opera* de aedificiis dici, nemini ignotum eſt. Ovidius de porticu Octaviae, Art. I, 70.

Aut ubi muneribus nati ſua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus.

Sacratum autem, ſi utrinque literam initialem tollas, haud ita multum a *caelatum* diſtabat; ut non facile neglegens Librarius ſimilitudine deciperetur. Multa quidem diximus; verum adhuc reſtant dicenda: niſi nova doctiſſimi amiciſſimique Viri commentatione haec omnia ſubrui & ſubverti patiamur. Is locum hunc non de Aede vel Templo, ſed de privatis aedibus interpretatur: multaque operoſe congerit, & acute ut ſolet eo pertrahit, ut ſententiae ſuae aſtipulentur. Dolet tamen, ipſa ei fundamenta tam male poſita eſſe: fallitur enim graviſſimeque errat, cum AEDEM numero ſingulari pro privata domo accipit: ubique enim Templum, vel aedificium ſacratum aut auguratum ſignificat. Hoc ſanciunt veteres Grammatici; hoc omnium Scriptorum auctoritas decernit & conſtituit; hoc belle oſtendit Juvenalis loco jam citato, Sat. VII, 40. [*relicta,*

Quem colis, & Muſarum & Apollinis aede
Ipſe facit verſus atque uni cedit Homero
Propter mille annos: aut ſi dulcedine famae
Succenſus recites, Maculonis commodat aedes.

ubi vides Dei *aedem* dici, civis & privati *aedes.* Unde illud Noſtri Carm. I, 30. ad Venerem,

& vocantis
Thure te multo Glycerae decoram
Transfer in Aedem,

recte Scholiaſtae & Lambinus *Sacellum* accipiunt, quod in parte aedium Veneri dicarat: & fruſtra obloquitur optimus Torrentius, dum nimio contradicendi ſtudio Lambino iniquior eſt. Uno ſcilicet Gellii loco & is & alii ſe tuentur, qui *Aedem* de quavis domo recte dici contendunt: eum vero locum jam nos inſigni (praefiſcine dixerim) emendatione ſic eis eripiemus, ut poſtea, ſi ſapiant, ne hiſcere quidem velint. Lib. IV, 14. *A. Hoſtilius Mancinus aedilis curulis fuit: is Mamiliae meretrici diem ad populum dixit, quod de ambulacro ejus noctu lapide ictus eſſet, vulnuſque ex eo lapide oſtendebat. Mamilia ad Tribunos plebei provocavit: apud eos dixit comeſſatorem Mancinum* ad aedes ſuas *veniſſe: eum ſibi fas recipere non fuiſſe* in aede ſua: *ſed, cum vi irrumperet, lapidibus depulſum.* Ubi illud continuo ferit oculos, primo *aedes ſuas*, at mox *aede ſua* & ſuperflue & prave iterari; ut vel inde de menda jure oriatur ſuſpicio. Sagaciſſimus quidem Gronovius pater pro *In aede ſua* mavult *In aedes ſuas.* Sed in codice Regio

Digitized by Google

gio Lutetiae vetuſtiſſimo omnium atque optimo deſunt illud FAS & IN. Unde unius literae mutatione vere reſtituo, *Eum ſibi recipere non fuiſſe* E RE SUA. Non *e re ſua fuit*, non utile ſibi, non commodum; quippe quae aut aegra forte erat, aut religionis cauſſa ſecubabat, aut alium tum amatorem intus habebat. Jam vero illud ad rem ſuam contorquet Vir egregius,

Quanto cum faſtu, quanto molimine circum—
Spectemus *vacuam Romanis vatibus aedem.*

hoc eſt, ait, undique per urbem quaeramus nobis domum vel conductitiam vel gratuitam, ubi recitemus. Non agnovit ſcilicet, quid eſſet *Cum faſtu circumſpectare*; nec quanto cum lepore geſtum motumque hominum faſtuoſorum Noſter hic deſcripſerit. Cicero pro Q. Roſcio c. 2. *Uſque adeone te diligis, &* magnifice circumſpicis, *ut pecuniam non ex tuis tabulis ſed ex adverſariis petas? ſuum codicem teſtis loco recitare*, arrogantiae *eſt: ſuarum perſcriptionum & lituraram adverſaria proferre non* amentia *eſt?* Vides, opinor, arrogantium eſſe magnifice circumſpicere: at nullus opinor *faſtius* erat, circumire vicos ut domum hic illic emendicarent. Hoc non faſtuoſi eſt, ſed humilis potius & demiſſi. Illud vero, quod ſequitur,

Mox etiam (ſi forte vacas) ſequere & procul audi,

quo pacto ad ſuos ſenſus alliciet vir eruditus? Quid enim? jubetne ut ſequatur per urbem diſcurrentes? an in ipſa domo ſequatur, poſtquam aliquam nacti fuerint? unde vero domum quae ſit ſcire poſſit, niſi ab iis certior factus? aut quomodo *ſequatur* in domo ſcamnis & ſubſelliis pro publice recitantium more ſtipata & referta? Immo aliud longe vult Horatius; Si ipſe forte in eadem Bibliotheca es, & a legendo *vacas*, *ſequere* nos in aedis angulum concedentes, ut alter alteri recitemus. Nam profecto quod ille ſtrenue negat, poetas in Apollinis aut Muſarum aede publice recitare ſolitos, ut illi id concedamus, nihil huc faciet. Non enim hic publicam recitationem narrat Horatius; neque Aedem cathedris & anabathris completam nos imaginamur. Ipſa verba nos alio ducunt, quae privatim hoc agi oſtendunt; non publice ubi non *alter alteri* ſed unus omnibus recitabat. Quo & ipſo penitus concidit doctiſſimi viri interpretatio. Quo enim opus domo conductitia, cum *unus* tantum auditor eſſet? Illa denique, quae locum hunc claudunt,

vacuam Romanis vatibus aedem,

cave obſecro cum Dacierio & ejus anteceſſoribus explices, *vacuam & inanem, niſi per nos eſſet:* immo vero *vacantem, liberam, apertam* vatibus Romanis, ut vere olim Porphyrion, & nuper Daniel Heinſius ex Salluſtio & Livio. Salluſt. Cat. xv. *Pro certo creditur Catilina, necato filio*, vacuam domum *ſceleſtis nuptiis feciſſe.* Cicero Cat. I, 6. *Nuper cum morte ſuperioris uxoris, novis nuptiis* domum vacuam *feciſſes.* Ubi nollem Graevium noſtrum edidiſſe *vacuefeciſſes.* Livius I, 46. *Cum* domos vacuas *novo matrimonio feciſſent.* Haec loca, licet ab aliis animadverſa, produxi; quo hanc pravam interpretationem per editiones nobiles propagatam tandem aliquando ſubmoveam. His adde illa Plautina, Pſeud. I, 5.

Fac ſis vacivas, *Pſeudole*, aedes *aurium,*
Mea ut migrare dicta poſſint, quo volo.

Idem Caſina III, 4.

Ut bene vacivas aedes *feciſti mihi!*

Dixerat de re eadem III, 1. [*las domi*
Fac vacent aedes. *Quin edepol ſervos, ancil-*
Certum eſt omnes mittere ad te.

& III, 2. Liberae aedes *ut ſibi eſſent;* & ibidem, *Liberi loci poteſtas*, &, *Liberum praebet locum.* Atque hinc iterum revincitur viri celeberrimi interpretatio: ut enim domus privata, ſeu procerum alicujus gratuita, ſive alterius conductitia, *vacua fieri* poetis occaſione aliqua poſſet; *vacua* tamen *eſſe* perpetuoque libera & aperta nulla praeterquam Aedes publica & eorum uſibus dicata potuit.

v. 152. AUDIERAS, CUI REM DI DONARENT] Plurimi ex ſcriptis DONARENT, Berſmanni unus DONARUNT, unus ex Collegio Trinitatis DONARANT. Lege, quod omnes hos Librarios fefellit & latuit,

audieras, cui
Rem Di DONARINT, *illi decedere pravam*
Stultitiam.

Audieras illi ſtultitiam decedere, cui Dii rem *donaverint.* Ita loquuntur, qui pure ſcribunt.

v. 161. CUM SEGETES OCCAT, TIBI MOX FRUMENTA DATURUS] Quod in vetuſtiſſimis Blandiniis Cruquius, in duobus ſuis Torrentius, in uno Berſmannus, idem ego in potioribus noſtris Graeviano, Leidenſi, Reginenſi, Voſſiano reperi, *& Villicus Orbi,*

Cum ſegetes occat tibi mox frumenta DATU-
Te dominum ſentit. [RAS,

Atque hoc probant quidem Torrentius Cruquiuſque; cur autem ita ſentiant (nam ſubtile id & difficile eſt) non dicunt. Dacierius con-

Digitized by Google

tra τὸ *Daturus* tuetur, hoc ſcilicet argumento, quod eo pacto *propoſitum Villici indicatur, non domino laborantis, ſed emtori.* Vah, quantuli laboris eſſet ſic chartas meas complere mulierculis & centurionibus legendas. Nam *propoſitum*, quod narrat, & non ita eſt; & ſi eſſet, per utramvis lectionem aeque monſtraretur. Nobis nullum dubium eſt, quin *Daturas* Horatius ſcripſerit; & experiamur, an quod animo concipere videmur, eloqui poſſimus. Utraque quidem lectio ſatis proba eſt, & eodem ferme recidit: ac tanto difficilius eſt rationes reddere, cur hanc illi praetuleris. At primo id in propatulo ſitum eſt, codices vetuſtiores DATURAS agnoſcere, qui, ubi hinc & illinc aequa pondera ſunt, omnino ſunt audiendi; & illud quoque, ſi *Daturas* legeris, rotundiorem & elegantiorem fore conſtructionem; verique eſſe ſimilius ut pro *Daturas* Librarii *Daturus*, quam contra, ſubſtituerint. Jam autem *ſegetes*, non fruges, verum ipſa arva hic denotare vel ex adjuncto *occat* manifeſtum eſt. Ergo, inquit, *Orbii villicus, cum occat agrum tibi mox frumenta daturum*, tibi revera occat, & *te dominum ſentit. Dare* hic eſt, ferre, gignere, parere, praebere. Sic ſaepe ſcriptores rei Ruſticae. Virgil. Georg. II. 442.

Dant *alios aliae foetus: dant utile lignum*
Navigiis pinos. & 520.
Dant *arbuta Silvae.*

Omnia utique in hac lectione recte procedunt: Villicus ille, ſi occat ſegetes frumenta tibi *daturas*; utique tum, *cum occat*, te dominum habet. At, ſi occat, frumenta tibi *daturus*, non idcirco, *cum occat* hunc vel illum agrum, te habet dominum; quia fortaſſis in alio agro nata frumenta tibi venditurus eſt. Adde quod *Daturus*, parum proprie & accurate pro *venditurus* hic poneretur. Siquidem *emtor* dat, quippe prior & ultro praeſtinatum veniens. In verſu ſequente:

das *nummos, accipis uvam.*

& Serm. II, 4. v. 76.

dare *millia terna macello.*

v. 171. LIMITIBUS VICINA REFUGIT JURGIA] Libri quidem fere omnes *Refugit*. Et ſic hodie apud Servium fertur, ad Aen. VI, 603, ubi *Adſita* exponit *ſata*, ut *Ad* vacante; ut apud Virgilium *Adſimilis.*

qua populus adſita certis
Limitibus vicina refugit *jurgia.*

Quorſum autem *refugit*, tempore praeterito? ut ſic intellige, tamquam ea olim cauſſa manu ſata eſſet populus, ut litem de finibus inter vicinos ortam ſedaret. *Refugit* autem morate accipies, quaſi dominus *fugitans litium* cederet finibus vicino, ut vel periculum litis vel impendia evitaret. Sed Lambini aliquot codices & a manu ſecunda Petrenſis aliud quid ſuppeditant,

Limitibus vicina REFIGIT *jurgia.*

Et ſane tempus praeſens huic loco magis videtur accommodatum; praeſertim cum non unam aliquam litem, ſed plurative *jurgia* dixerit. *Refigit jurgia*, quae quovis tempore inter vicinos de finibus conſtituendis excitari poſſint. *Refigere* idem hic quod *Reſolvere:* ut Noſter Serm. II, 3. v. 103.

Nil agit exemplum, litem *quod lite* reſolvit. *Jurgia* enim ſunt *Lites*. Cicero De Leg. II, 8. *Feriis* jurgia *amovento*. & 14. *Feriarum feſtorumque dierum ratio in liberis requietem habet* litium & jurgiorum; *in ſervis operum & laborum.* Digeſt. X, 2, 57. *Licet arbiter ſententiam* jurgio peremto *non dixerit.* Varro de Re Ruſt. I, 15. *Fines praedii notis* arborum *tutiores ſunt, ne familiae* rixentur cum vicinis, *ac limites ex* litibus *judicem quaerant.*

v. 173. NUNC VI, NUNC SORTE SUPREMA] Editiones priſcae Venetae & Loſcheri MORTE habent; at illud SORTE ab Aldo ſubſtitutum omnes poſtea editiones occupavit: cum tamen compertum ſit codices Torrentii, Pulmanni, Berſmanni, Noſtros (adde, ſi vis, Lambini & Cruquii, qui hic tacent) miro conſenſu exhibere,

Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc
MORTE SUPREMA,
Commutet dominos, & cedat in altera jura.

Utra vero ex his melior ſit & Flacco adjudicanda, non cujuſvis eſt pronuntiare. Virgil. Aen. V, 190.

Hectorei ſocii, Troiae quos SORTE SUPREMA
Delegi comites:

Hinc opinor accepit, qui primus apud Horatium repoſuit *ſorte*. Prudentius Peri Steph. I, 53. [tima.

Stant parati ferre, quicquid ſors *tuliſſet* ul-
Lucan. VII, 172. [*rum,*
Omne malum victi, quod ſors *feret* ultima *re-*
Omne nefas victoris erit.

Avienus Arateis in Ophiucho:

In Styga decerſis parcarum ab origine fuſis
Merſerat Hippolytum ſors ultima.

Quintilianus Decl. V. *Paullisper aeger vidit propinquos: & quamvis* ſuprema ſorte *collabens, prius tamen luce vacli libera ſatiatus eſt.*

Amm.

Digitized by Google

Amm. Marcell. XXVIII, 5. *Stetere tamen mox conglobati*, extremaque ſorte *vires licet non integras ſuggerente, conſligere cogebantur.* Atque his quidem exemplis defendi poteſt lectio, quae nunc circumfertur: contra non deſunt quae & membranarum omnium ſcripturam ſuſtentare queant. Noſter Serm. I, 7. v. 13.

Hectora Priamiden animoſumque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ULTIMA *divideret* MORS.

Silius Ital. v. 417.

Flaminium imploraſſe tamen jam MORTE *Haud fruſtra fuit.* [SUPREMA

Boetius Conſol. Phil. II, 7. *Quid autem eſt, quod ad praecipuos viros, qui virtute gloriam petunt; quid, inquam, eſt quod ad hos de fama poſt reſolutum* morte ſuprema *corpus attineat?* Ibidem IV, 6.

Eadem rapiens condit & aufert
Obitu *mergens orta* ſupremo.

Ovidius Metam. III, 136. *dicique beatus*
Ante obitum nemo ſupremaque funera *debet.*

Ita *ſuprema buſta, noviſſima fata, ultima fata* paſſim Poetae. Alcimus Avitus lib. V.

Sentias Aegyptus, ſapiens vel morte ſuprema,
Quam nihil invitis proſit contendere divis.

& mox ibidem:

Quo monſtraſſet iter Phario mors ultima *regi.*

Idem tamen libro ad Sororem;

Quam licet hinc celeri tulerit ſors ultima *leto.*

Petronius de Troiae Haloſi,

hic graves alius mero
Obtruncat, *& continuat in* mortem ultimam *ſomnos.*

Quid jam fiet? nam utrinque vides paria fere teſtimonia. Meo quidem judicio *morte ſuprema* hic retinendum; cum quia quicquid eſt ſcriptorum codicum hanc lectionem tutantur; tum quia ex pleriſque omnibus locis illud licet animadvertere, non mortem ipſam *ſuprema ſorte* denotari, ſed periculum, diſcrimen, neceſſitatem ante mortem: plane ut Tacitus Hiſt. I, 72. *Accepto* ſupremae neceſſitatis *nuntio.* Atqui non ſupremo diſcrimine, ſed ſuprema demum morte novus heres ſuccedit. Adde huc, quod in his Flacci locis non tam perpetuum ac otioſum epitheton eſt, quam ex adjunctis natum eiſque connexum; adeo ut pro more quaſi in adverbium reſolvi debeat; *Aut prece*, inquit, *aut precio, aut vi, aut ſupremo*, poſtremo, denique, *morte*: & iterum, *Ira fuit capitalis*, tam implacabilis, *ut ultimo*, vix tandem, *mors eam divideret.* Ita Serm. II, 2, 132. *nos expulit illos*
Illum aut nequities aut vafri inſcitia juris,
Poſtremo *expellet certe vivacior heres.*

Hanc elegantiam non ceperunt, qui alterum illud *ſorte* per tot editiones propagarunt.

v. 176. ET HERES HEREDEM ALTERIUS] Semper mihi iners & inconcinnum viſum eſt illud *Alterius:*

Sic quia perpetuus nulli datur uſus; & heres
Heredem alterius *velut unda ſupervenit undam.*

Heres, inquit, *ſupervenit heredem* [*alterius*] *velut unda undam.* Oneratur profecto & polluitur ſententia; non paullo cultior & rotundior exitura, ſi τὸ *Alterius* auferatur. Omnis quidem heres eſt *alterius* heres, ut nihil opus fuerit tam ſupervacuo emblemate. Quid quod ambiguum quid hoc pacto legentibus obverſatur; dum incerti ſunt quo tendat oratio, *Heres heredem* ALTERIUS; quod prima fronte eſſet, Heres *Titii* heredem *Maevii*, ex alia gente & familia. Vide igitur, an ſic corrigendus ſit locus, puſilla & prope nulla mutatione;

& heres
Heredem ALTERNIS, *velut unda ſupervenit undam.*

Alternis, abſolute, fieri paſſim dicitur, quod vicibus & certa viciſſitudine fit. *Alternis* heres expellit & expellitur, *alternis* unda ſupervenit & ſupervenitur. Ovid. Met. XV, 180.

ſed ut unda impellitur unda,
Urgeturque prior venienti, urgetque priorem:
Tempora ſic fugiunt, pariter pariterque ſequuntur.

hoc eſt, *Alternis urget & urgetur unda*; urget priorem, urgetur ſequente. Neque enim neceſſe eſt, ut *alternatio* reciproca fit, ut unda ſequentem viciſſim urgeat, aut heres ſuum heredem ſuperveniat. Paſſim eo ſenſu *Alternis* apud ſcriptores uſurpatur, ubi viciſſitudo illa non reciprocatur, ſed progreditur. Ita credo olim hic legerat Porphyrion Scholiaſtes; cum ſic locum enarrat; *Si temporalis* viciſſitudo *ſervetur* (lege verſetur) *inter homines: ut fluctus ſuper ſe* invicem *veniunt, cum ex immenſo volvuntur mari.* Enimvero cum *viciſſitudinem* & *invicem* dicit, omnino interpretari videtur *Alternis*, non *Alterius*. Facillima vero erat Librariis erratio. Lactantius De Ira Dei c. 5. *Ut ira ſtatum mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent*, alternis *vultum maculet nunc ſuffuſus rubor, nunc pallor albeſcens.* Ita recte nunc editum fertur; at in vetuſtis, ut Juntina MDXIII, *alterius* mendoſe extat.

Digitized by Google

v. 182. SUNT QUI NON HABEANT; EST QUI NON CURET HABERE] Nescio unde aut quam ob caussam jam plures editiones occupet CURET; cum & editiones vetustae & scripti omnes meliorisnotae, in quibus Graevianus, Leidensis, Reginensis, Vossianus, magno consensu habeant,

Sunt qui non habeant; est qui non CURAT *habere.*

Volebant scilicet eodem Modo utrumque efferri, *habeant, curet.* Atqui latuit eos sententiae energia; sunt, inquit, qui non *habeant*, hoc est, *habere nequeunt*, cum tamen desiderent: est qui non *curat habere*, non desiderat. Recte igitur CURAT, ut Carm. I, 1.

Est qui *nec veteris pocula Massici*
Spernit.

v. 199. PAUPERIES IMMUNDA DOMUS PROCUL ABSIT] Locus elegans, sed in omnibus editionibus male acceptus & depravatus:

Pauperies immunda domus *procul absit: ego, utrum*
Nave ferar magna an parva, ferar unus & idem.

ubi quorsum obsecro *Domus*, cum de *Nave* hic sermo sit? absurdum utique, ut nihil supra, in eadem comparatione primo *domum*, postea *navem* ingerere. Nimirum hoc bellum emblema Librariorum liberalitas submini-stravit. Vetustissimi nostri Graevianus Vossianusque non agnoscunt τὰ *Domus*; sed mutilum versum exhibent,

Pauperies immunda procul absit: ego utrum.

Editiones autem priscae cum libro e Collegio Trinitatis inversa verba collocant,

Pauperies immunda procul domus absit.

ut vel hinc subodoretur, qui nasum habet, illud *Domus* a mala manu interpolatum esse. Tollit omnem dubitationem codex eximius inter Pulmannianos, in quo sic verbum geminatur, [*ego utrum*,

Pauperies immunda procul PROCUL *absit;*
Nave ferar magna an parva, ferar unus & idem.

Rectissime: quippe ubique fere, cum geminandum erat vocabulum, alterum omittebant Librarii; unde postea pro lectorum captu hiatus explebatur. Infinita hujus exempla tibi suppeditabit Nic. Heinsius in notis ad Ovidium & alios. *Procul procul*, eleganter, & ex formula; ut Graecis Ἐκὰς ἐκάς. Callimachus Hymno in Apollinem, v. 2.

Οἷον ὁ τῷ Πύθωνος ἐπεσπάσθη δράκοντος ὄρπηξ,
Οἷα δ' ὄλοι τὸ μιλάθρον· ἐκὰς ἐκὰς ὄφιες ἁλίρροι.

Ovid. Fast. II, 623. [*este.*

Innocui veniant. procul *hinc* procul *impius*

Virgil. Aen. VI, 258.

procul *o* procul *este profani.*

Statius Silv. III, 3.

procul *hinc* procul *ite nocentes.*

Ovid. Metam. VIII, 589.

procul *en* procul *una recessit*
Insula grata mihi.

& XV, 587. procul *ah* procul *omnia, dixit,*
Talia di pellant.

Arnobius lib. 1. p. 23. *Discedat haec longe atque a nobis* procul procul, *inquam, ut dicitur, averruncetur amentia.* Poteris etiam sic refingere,

Pauperies immunda procul, PRECOR, *absit.*

Haec enim a Librariis saepe confunduntur. Ovid. Heroid. XVII, 220.

Delicti fies idem reprehensor & auctor:
Terra, precor, *vultus obruat ante meos.*

ubi codex veterrimus Puteaneus aliique *Procul* pro *precor* substituunt, teste Heinsio.

v. 212. QUID TE EXEMTA JUVAT] Repone ex tribus Blandiniis apud Cruquium,

Quid te exempta LEVAT *spinis de pluribus una.*

quod & aptius est sententiae, & Horatio familiare: ut Epist. I, 8.

Nil audire velim, nil discere, quod levet *aegrum.* [*grum.*
Serm. II, 3. v. 292.
casus medicusve levarit
Aegrum ex praecipiti.

Epod. XI, 17.

Fomenta vulnus nil malum levantia.

& XVII, 26.

Levare *tenta spiritu praecordia.*

Carm. Saec. v. 63.

Qui salutari levat *arte fessos*
Corporis artus.

Scribonius Largus, 6. *Comitiali morbo correptos & caligine impeditos ex magna parte* levat. Plin. Hist. XXVIII, 4. *Capillus puerorum, qui primus decisus est, podagrae impetus dicitur* levare *circumligatus*; & sic alibi passim. Perperam igitur codices nostri omnes JUVAT: operae quippe pretium esset, unam de pluribus spinam eximi, si *levaret*; etiamsi non *juvaret*, quod altera majus quid & ampius est.

v. 216. LASCIVA DECENTIUS AETAS] Codex Colbertinus LICENTIUS; & sic vetustissimus Barthii Adv. XXXVIII, 18, quam ipse lectionem amplectitur. Ita sane Noster, Carm. I, 19. *Et lasciva Licentia.*

Sagacis-

Digitized by Google

Sagaciſſimus autem Nic. Heinſius in ora codicis ſui, Forte, inquit, FREQUENTIUS. Immo vero & ſana & egregia lectio eſt, quam editi ſcriptique praeferunt,

ne potum largius aequo
Rideat & pulſet laſciva decentius *aetas.*

Decentius laſciva, quam magis *decet* laſcivire & ludere, quam ſenectutem ſub vitae occaſu. Noſter Epod. XIII. *dumque virent genua,*

Et decet, *obducta ſolvatur fronte ſenectus.*

Carm. III, 5.

Non ſi quid Pholoen ſatis,
Et te, Chlori, decet: *filia rectius*
Expugnat juvenum domos. Juvenal. XI.
Spectent juvenes, quos clamor & audax
Sponſio, quos cultae decet *aſſediſſe puellae.*

Terent. Adelph. I, 2.

& tu illum tuum, ſi eſſes homo,
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet:
Potius quam ubi te exſpectatum ejeciſſet foras.
Alieniore aetate *poſt faceret tamen.*

Ubi Micio modeſtius *Licet*; noluit enim dicere *Decet*; ne ſeverum & iracundum fratrem gravius offenderet.

NOTAE AD ARTEM POETICAM.

V. 2. ET VARIAS INDUCERE PLUMAS] Sic in omnibus editionibus fertur; ſcriptique aſtipulantur, uno excepto. Videamus locum integrum:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere PLUMAS
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Ubi vereor, ne illud *varias inducere plumas* aliud prorſus Latinis auribus ſonet, quam vulgus interpretum opinatur. Plerique enim ſic accipiunt, *Si pictor quis capiti mulieris cervicem equi & alas volucris, & caudam piſcis velit jungere:* quae quidem ſententia ſic ſatis commode admitti poſſet, ni ipſa verba reluctarentur & repugnarent. Alarum quippe, *pennae* ſunt; *plumis* autem reliquae corporis partes velantur. Ovid. Met. II, 374. de Cycno transformato:

Cum vox eſt tenuata viro, canaeque capillos
Diſſimulant plumae: *collumque a pectore longum*
Porrigitur, digitoſque ligat juncturа rubentes:

Penna *latus veſtit*: *tenet os ſine acumine ro-* [*ſtrum.*
& XIV, 500.
Vox pariter vociſque via eſt tenuata, comaeque
In plumas *abeunt*: plumis *nova colla te-* [*guntur,*
Pectoraque & tergum: majores brachia pen- [*nas*
Accipiunt; cubitique leves ſinuantur in alas.

Ergo *inducere plumas membris* perinde erit, ac ipſum caput, cervicem, caudam, & cetera membra undique collata plumis obducere, & tegere. id enim eſt *Inducere.* Ovid. Met. X, 271. *& pandis* inductae *cornibus aurum,*
Conciderant ictae nivea cervice juvencae.
& IX, 391. *ſine, numine veſtro*
Contegat inductus *morientia lumina cortex.*

Jam vero illud omnia portenta & omnium aegrorum ſomnia longe exſuperet, ſi *mulieris* facies, ſi *equi* cervix, ſi cauda *piſtricis* plumis veſtiantur. Veſtram fidem, pictores; ubi terrarum, in qua uſquam pergula tam prodigioſa tabula proſtabat? Ipſe vero poeta, ſiquid ſapio, non levius exiſtimationis diſcrimen ſubit, qui tam abſurda fingere voluit, quam ille ſiquis eſt qui velit pingere. Quî, malum, *formoſa ſuperne* mulier, cui caput & tota facies plumis obducta erat? Elegans ſane formarum ſpectator, dignuſque cui talis Glycera vel Inachia cum plumeis genis de nocte veniat. Unde porro ſciet ſpectator, *piſcem* eſſe in tabula, ſi non ſquamis, ſed plumis totus obtegatur? Quî divinabit *atrum* eſſe *piſcem*, cui *variae* & diverſis coloribus *plumae* inductae ſunt? Id enim, ne neſcias, *variae plumae* tibi ſignificabunt: Propertius III, 11.

Aut variam *plumae verſicoloris avem.*

Plinius Hiſt. X, 38. *Meleagrides Africae, hoc eſt, gallinarum genus, gibberum,* variis ſparſum plumis. Varro de Re Ruſt. III, 9. *Gallinae Africanae ſunt grandes,* variae, *gibberae.* Tot, ut vides, abſurda, tot incredibilia vel Iſiacis pictoribus abneganda vulgatam lectionem ſequuntur. Levius quidem peccat codicis Regii ſcriptura, qui clare & ſine litura exhibet,

varias inducere PENNAS:

ſed nec haec ſagaci lectori fucum facere poterit. Cur enim *varias* obſecro? Non ſatis monſtroſum erat, ſi unius cujuſvis coloris *pennae* ſive alae appingerentur? Quis ferat in ipſis ineptiis tam ineptam & putidam diligentiam?

Digitized by Google

tiam? Numquam, mihi crede, sic desipuit Horatius; etsi jam olim in ejus libris haec menda inoleverit: sic enim tunc locum citat Joannes Saresberiensis Polic. II, 8. *Disjuncta*, inquit, *conjungit, ut si Humano capiti cervicem jungat equinam, varias inducens undique* plumas, *ut juxta Poetam, turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne.* Ubi *plumas* habet & codex scriptus Cantabrigiensis. Enimvero cui fama & salus Venusini nostri cordi erit, sic opinor mecum non invitus reponet:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere FORMAS
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne.

Levis est in recepta scriptura aberratio; quam si somniculosis librariis imputabis, cetera tibi praestare possum. Omnia enim, quaecumque non stulte fingere velis, in se continet haec nostra lectio; & plura utique, quam vulgatum illud *Plumas* vel *Pennas*. Quippe ex *variis formis* & *alas* si vis, & pedes, & dorsum, & ventrem adjungere poteris; ut omnes Scyllas & Chimaeras varietate naturarum facile antecellat. Siquis, inquit, humano capiti cervicem equinam addat, & sic porro varias formas inducat membris undique collatis, ita ut in piscem desinat, quae capite mulier erat. Recte autem *inducere formas membris*, ut Ovid. Met. VII, 624. de Formicis in homines mutatis;

Et maciem numerumque pedum nigrumque colorem [mam.

Ponere, & humanam membris inducere formam. Sic *inducere faciem*. Met. IV, 374.

Vota suos habuere deos, nam mixta duorum
Corpora junguntur; faciesque inducitur illis *Una.*

Sic & *trahere formas* Prudent. Apotheos. 1037.

omnia jussu
Imperitante novas traxerunt *edita* formas.

Varias autem *formas*; ut Idem Hamartig. 291.

Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis
Inludant varias *distincto stamine* formas.

Ovid. Met. XI, 613. de Somno deo:

Hunc circa passim varias *imitantia* formas
Somnia vana jacent.

XV, 137. *animam sic semper eandem*
Esse, sed in varias *doceo migrare* figuras.

& in Ibide:

Utque pater solitae varias *mutare* figuras.

Porro Quintilianus VIII, 3. *Vitium est*, inquit, *siquis sublimia humilibus, vetera novis, poetica vulgaribus misceat. Id enim tale est monstrum, quale Horatius in prima parte libri de Arte Poetica fingit, Humano capiti cervicem pictor equinam jungere si velit, & cetera ex diversis naturis subjiciat.* Adverte animum, ut *diversis naturis* dicat: magnum utique argumentum, non aliter eum olim legisse, quam nos hodie emendamus: siquidem perinde id est ac si dixisset, *Et cetera ex variis formis subjiciat.* Ipse denique Flaccus, cum apodosin seu redditionem sententiae facit, v. 8. *cujus vanae*, inquit, *fingentur species.*

ut nec pes, nec caput UNI
Reddatur FORMAE.

Utique cum in posteriore orationis *uni* dicit *formae*; vix aliter in priore membro dicere potuit, quam *varias formas*. Ceterum in versu tertio pro *atrum piscem* Gronovius pater Observ. I, 18, & Nic. Heinsius in codicis sui margine sic potius legendum suspicantur, *ut turpiter* ATRAM

Desinat in PRISTIM *mulier formosa superne.*

Quippe ita Virgilius & Claudianus de Tritone; ille Aen. X, 211; hic de Nuptiis Honorii v. 147.

cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert, in pristim *desinit* *alvus.*

Hispida tendebat bisido vestigia cornu,
Qua pristis *commissa viro.*

Verum, cum eodem pacto decem amplius aliorum poetarum loca contra fidem codicum immutanda sint, melius est manum abstinere: de quo consule, cum vacas, dissertissimum Broukhusium ad Tibullum I, 5.

v. 23. DENIQUE SIT QUOD VIS SIMPLEX DUNTAXAT ET UNUM] Ubi *quod vis* interpretantur, *quod instituis*, *quod componis*. Recte: sed & friget ea lectio, & in ambiguitatem incidit, & immodulatum reddit versum. Ego vero ex tribus nostris, Vig. Bat. & Moreti codice, & ex uno Statii, certissimam tibi lectionem promo, quae vel sine ope Membranarum & facile inveniri poterat, & admitti merebatur:

amphora coepit
Institui, currente rota cur urceus exit?
Denique sit QUIDVIS, *simplex duntaxat* *& unum.*

Pergit in similitudine: Amphoram incepisti, cur non amphora exit; sed partim amphora, partim urceus? denique *quidvis* sit, amphora, vel urceus, vel obba, vel cadus, vel dolium; modo unum sit & simplex.

v. 26. SECTANTEM LEVIA NERVI DEFICIUNT ANIMIQUE] Codex Achillis Statii,

Digitized by Google

tii, mutatâ literulâ, *Sectantem* LENIA *nervi*
Deficiunt animique.

Utram jam utri praeferemus? quippe haud minus ſenſu quam ſcriptura altera alteri propinqua eſt. LEVIA *carmina* Terentianus Maurus p. 2419.

Creticus in noſtris, ſi levia carmina *pangas,*
Raro invenitur: qualis hic Maronis eſt,
Inſulae Ionio in magno quas dira Celaeno:
Creticus offendit pes primus, & aſperat aures.

Ita quidem editiones: ſed ne ex adjunctis quidem ſciveris, *levia* ne an *lenia* dederit auctor; cum *aſperum* apud Latinos & *levi* & *leni* opponatur. Terent. Heaut. III, 51, v. 50.

aſperum,
Pater, hoc eſt: aliud lenius *ſodes vide.*

Lucretius V, 1379.

At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam levia carmina *cantu*
Concelebrare homines poſſent auresque juvare.

Propertius I, 9.

Plus in amore valet Mimnermi verſus Homero;
Carmina *manſuetus* lenia *quaerit amor.*

Verum utrobique turbant codices nonnulli, illic *lenia*, hic *levia* exhibentes; ut ad neutram partem haec loca facere queant. Favet illud magis, quod eadem metaphora Graeci Rhetores τὸ γλαφυρὸν & τὸ λεῖον, cui τὸ τραχὺ contra ſtatuunt, ſaepe praedicent: nam λεῖον utique *leve* eſt, non *lene*. Latinos tamen in hac ſententia *leve* & *lenitatem* paſſim alias mauiſſe pro comperto mox habebis: in hoc vero Horatii loco LENIA omnino legendum eſſe vel oppoſitionis ratio clare evincet,

ſectantem lenia nervi *Deficiunt.*

Ubi vides in orationis genere *Lene* opponi *Nervoſo*: recte hoc; at ineptus ſit, qui τῷ *levi* nervoſum oppoſuerit. Cicero in Bruto c. 48. de C. Julio: *Sunt ejus aliquot orationes, ex quibus, ſicut ex ejuſdem tragoediis,* LENITAS *ejus* SINE NERVIS *conſpici poteſt.* Noſter Serm. II, 1.

[*ultra*
Sunt quibus in ſatira videar nimis acer, *& ludo*
Lege intendere opus: ſine nervis altera,
quicquid
Compoſui, pars eſſe putat.

Vides τὸ *acre* hic opponi τῷ *ſine nervis*; atqui *acre* eſt contrarium *leni*, non *levi*. Cicero in Bruto c. 25. *Hoc in oratore Latino primum mihi videtur* lenitas *illa apparuiſſe Graecorum.* Ibidem c. 44. *Multa in ea oratione graviter, multa* leniter, *multa* aſpere, *multa facete dicta ſunt.* In Oratore c. 6. *Elaborant alii in* lenitate *& aequabilitate, & puro quaſi quodam & candido genere dicendi.* Ibidem c. 28. *Qui enim nihil poteſt tranquille, nihil* leniter, *nihil partite, definite, diſtincte, facete dicere.* Ibid. c. 30. *Nihil enim ample Cotta, nihil* leniter *Sulpicius, non multa graviter Hortenſius.* Ibid. c. 31. *Demoſthenes nihil Lyſiae ſubtilitate cedit, nihil argutiis & acumine Hyperidi, nihil* lenitate *Aeſchini & ſplendore verborum.* De optimo genere Orat. c. 2. *Sed & verborum eſt ſtructura quaedam duas res efficiens, numerum & lenitatem.* De Legibus I, 4. *Ut jam oratio tua non multum a Philoſophorum* lenitate *abſit.* Ad Herennium I, 7. *In exordienda cauſſa ſervandum eſt, ut* lenis *ſit ſermo, & uſitata verborum conſuetudo.* De Oratore II, 15. *Verborum autem ratio & genus orationis fuſum atque tractum, & cum* lenitate *quadam aequabili profluens, ſine hac judiciali* aſperitate, *& ſine ſententiarum forenſium aculeis perſequendum eſt.* Ibid. c. 29. *Harum trium partium prima* lenitatem *orationis, ſecunda acumen, tertia* vim *deſiderat.* Ubi vides *vim*, ſimiliter ac *nervos*, lenitati opponi. Caeſar de Terentio:

[*vis;*
Lenibus *atque utinam ſcriptis adjuncta foret*
Comica ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis, neque in hac deſpectus parte
jaceres.

Sic diſtingue, ut ſit *virtus Comica*, non *vis Comica*; de qua quae & qualis ſit fruſtra quaeſiverunt viri eruditi. Quintilianus IX, 4. *In Herodoto vero, cum omnia* leniter *fluant, tum ipſa dialectos habet eam jucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur.* Ibidem: *Haec enim* lenis *& fluens contextus decet.* Iterum: Lenia *ſpatium, ſublimia & ornata claritatem quoque vocum poſcunt.* Et mox, *Quo minus id mirum in pedibus orationis; cum debeant ſublimia ingredi,* lenia *duci,* acria *currere, delicata fluere.* Et rurſus: Aſpera *contra Iambis maxime concitantur, non ſolum quod ſunt e duabus ſyllabis, eoque frequentiorem quaſi pulſum habent, quae res* lenitati *contraria eſt.* Et denique: *Et certe nullum verbum aptum atque idoneum praetermittemus gratia* lenitatis. Idem X, 1. *Quoſdam elatior ingenii vis & magis concita & plena ſpiritus capit: ſunt & lenis & nitidi & compoſiti generis non pauci amatores.* Et X, 2. *Etiam hoc ſolet incommodi accidere his qui ſe uni alicui generi dediderunt; ut ſi* aſperitas *his placuit alicujus, hanc etiam in* leni *ac remiſſo cauſſarum genere non exuant.* Et mox: *Sintque alia* leniter, *alia* aſpere; *alia concitate, alia remiſſe; alia*

docendi,

Digitized by Google

docendi, alia movendi gratia dicenda. Idem XII, 10. *Nam & ſubtili plenius aliquid atque ſubtilius, & vehementi remiſſius atque vehementius invenitur: ut illud* lene *aut aſcendit ad* fortiora *aut ad tenuiora ſubmittitur.* Seneca Epiſt. XLVI. *Compoſitio virilis & ſancta; nihilominus interveniebat dulce illud & loco* lene. Epiſt. c. *Eſt decor proprius orationis* leniter *lapſae.* CXV. *Apte verba contexta, & oratio fluens* leniter. Seneca Controv. III, 19. *Compoſitio quoque Calvi in actionibus ad exemplum Demoſthenis riget: nihil in illa placidum, nihil* lene *eſt, omnia & citata & fluctuantia. hic tamen in epilogo, non tantum* leniter *componit, ſed & infracte.* Appulcius in Apologia: *Ut in illa oratione neque Cato gravitatem requirat, neque Laelius* lenitatem, *neque Gracchus impetum, nec Caeſar calorem, nec Hortenſius diſtributionem, nec Calvus argutias, nec parſimoniam Salluſtius, nec opulentiam Cicero.* Quid ergo? Satis jam opinor ſuperque fidem fecimus, non *levia*, verum LENIA deinceps hic reponendum eſſe; ſi ſapere tandem audebunt editores.

v. 32. AEMILIUM CIRCA LUDUM FABER IMUS, ET UNGUES EXPRIMET] Crucem interpretibus fixit ſceleratus ille *Faber imus:* ita in omnes partes ſe vertunt, in cauſſa vel nominis vel epitheti exquirenda. *Imum* inquit Porphyrion, *hoc eſt, in angulo ludi tabernam habentem.* Acron *nomen proprium* hic accipit; quod & in membranis ſaepe inter lineas adnotatum vidi: *alii tamen,* inquit, *dicunt Imum, brevem; alii, in extrema parte ludi poſitum.* Extra hos cancellos non egredi audent recentiores: nec id mirum; cum neque de homine neque de angulo illo ludi nunc quicquam amplius datur reſciſcere. Tu vero, contemtis his naeniis, ſic veram & veterem lectionem huc revoca; minima mutatione;

Aemilium circa ludum faber, UNUS *& ungues*
Exprimet, & molles imitabitur aere capillos,
Infelix operis ſumma.

Unus omnium optime capillos & ungues exprimet, cetera vero membra & totam adeo ſtatuam ponere non poterit. Quid clarius certiuſve? Eleganter illud *unus* ſic poni ſolet. Noſter Serm. I, 10. v. 42.

Arguta meretrice potes, Davoque Chremem
Eludente ſenem comis garrire libellos,
UNUS *vivorum, Fundani.*

Epod. II, 3. v. 24.

Hortos egregiaſque domos mercarier UNUS
Cum lucro noram.

Epod. XII. *Namque ſagacius* UNUS *odoror.* Nepos in Cimone: *Cum* UNUS *in civitate maxime floreret.* Virgil. Aen. II, 426.

cadit & Ripheus, juſtiſſimus UNUS
Qui fuit in Teucris, & ſervantiſſimus aequi.

Ubi recte Servius: UNUS, *non ſolus, ſed praecipuus.* Ergo faber iſte, omnium optime, praecipue, unice ungues & crines exprimebat, in ceteris deficiebat. Tolle vero vocabulum UNUS; & ſententiam ipſam una opera ſuſtuleris. Quid enim eſt *Exprimet ungues?* Qui ſcias ex iſto, utrum affabre & eleganter, an craſſe illepideque, an mediocriter expreſſerit? Atqui in exprimendis unguibus *praeſtantiam artificii* hic commemorari, vel ſententiae redditio fidem facit, ubi ex adverſo ponit in quibuſdam corporis partibus *formae excellentiam,*

Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

Ceterum UNUS clare exhibet codex Oxonienſis, qui Digbeanus vocatur; & a prima manu, prout ex litura conjicere licet, Graevianus & Regiae Societatis. Et ſic quoque locum citat Joannes Saresberienſis praefatione Libri VI. Viderat hunc Theodorus Marcilius: *Sed melius,* inquit, IMUS. Ita quidem: ſi *faber unus* idem eſſet ac *faber aliquis.* Sed elegantiam vocis non aſſecutus eſt.

v. 36. QUAM PRAVO VIVERE NASO] Reſtitue ex omnibus codicibus tam noſtris quam aliorum, verborum ordine mutato,

Non magis eſſe velim, quam NASO *vivere* PRAVO.

Illud vero, cum in editionibus priſcis, utraque Veneta & Loſcheriana, ſemel inſederat, patienter nimis ne dicam ignave perpeſſi ſunt interpretes. Siquidem praeterquam quod codices abjudicant, etiam invenuſtus ille trium ſyllabarum concurſus VOVIVE pravitatem ejus redarguit.

v. 46. HOC AMET, HOC SPERNAT] Difficilis locus, quique integer apponi debet, ut accuratius excutiatur; [*fallor,*

Ordinis haec virtus erit & Venus, aut ego
Ut jam nunc dicat; jam nunc debentia dici
Pleraque differat, & praeſens in tempus
omittat;
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.
In verbis etiam tenuis cautuſque ſerendis,
Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum.

Diſtinguunt plerique hodie & ſuſpendunt orationem a verſu medio, *ut jam nunc dicas:* deinde illud ordiuntur, quod cuivis magnam admira-

Digitized by Google

admirationem moveat: *Jam nunc debentia dici pleraque differat.* Enimvero ſi jam nunc dici *debent*, recte & ordine jam nunc *dicentur*. An jubes, ut quae in hac adnotatione jam nunc a me dici oportet, ea differam & omittam? Ergo aut tacendum mihi eſt, aut alia quaedam dicenda ſunt, quae nunc dici non debebant. Bellum ſane praeceptum; cui mihi illi cum maxime obtemperare videntur, qui hunc locum tam prave enarrare ſuſtinent. Ego vero, quam ut tam abſurda & ἀσύστατα commentarer, ſic potius diſtinguerem, quemadmodum olim Lambinus,

Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici;
Pleraque differat, & praeſens in tempus omittat.

Servatur, inquit, rectus ordo & lucidus; ſi jam dicas quae locus poſtulat ut jam dicantur; pleraque vero, quibus ſcilicet praeſens locus non eſt, in tempus aliud & locum commodiorem differas. Atqui haec Ordinis fuerit quaſi definitio generalis: Noſter vero *virtutem* hic quandam & arcanam ordinis *venerem* indicat, recondicam ſcilicet gratiam & venuſtatem, caute nec ſine periculo tentandam: inde eſt quod addit, *Aut ego fallor*. Atqui, ſi Lambinum ſequeris, haud verendum erat ut falleretur: immo adeo planum certumque eſt, ut ne praeceptione quidem opus ſit. Quid igitur? Enimvero falluntur hic Interpretes in tritiſſimis illis vocabulis *Jam nunc*: quae ubi ſemel veniunt, praeſens tempus denotant; ubi vero repetuntur, idem valent ac *Interdum*. Et in ſimplicibus quidem *Jam* & *Nunc*, vel pueris hoc notiſſimum eſt: Noſter Serm. II, 2. & Epiſt. II, 1.

Qui jam *conſento*, jam *laxo fune laborat.*
Nunc *athletarum ſtudiis*, nunc *arſit equorum.*

Sed & compoſito *Jam nunc* ſic utitur Perſius, perpetuus Noſtri imitator: Sat. V, 110.

Es modicus voti, preſſo lare, dulcis amicis?
Jam nunc *adſtringas*, jam nunc *granaria laxes?*

Quod ad exemplum, hunc de quo agimus locum interpretaberis;

Ut jam nunc *dicat*, jam nunc *debentia dici*
Pleraque differat, & praeſens in tempus omittat.

hoc eſt, ut *interdum* dicat omnia, *interdum* pleraque quae debebant dici & ad locum pertinebant differat in aliud tempus; ne mole ſcilicet & ἀσυστάτων obruatur lector, & narrationis filum amittat. Hoc ſi cum judicio fiet, ſingularem gratiam veneremque conciliabit. Jam vero illud quorſum obſecro pertinebit?

Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.

Promiſſum carmen eſt, nam & ſunt qui hoc male accipiunt, quod magnam ſui exſpectationem movit: Juvenalis VII, 82.

Curritur ad vocem jucundam & carmen amicae
Thebaidos, laetam cum fecit Statius urbem
Promiſitque diem.

Alibi hoc appellat Noſter *poema legitimum*: Epiſt. II, 2. v. 109.

At qui legitimum cupiet feciſſe poema.

Jam autem talis poematis auctor *Hoc*, inquit, *amet, hoc ſpernat*: Quaenam vero iſta ſunt *hoc* & *hoc*? nam ſunt qui ad praecedentia referre volunt. *Amet* igitur, ſi vis, jam dicere jam dici debentia: ſed quid eſt ſodes, quod *ſpernat*? An ſpernat *pleraque differre*? Atqui id non vetuerat Noſter, ſed praeceperat: non ut *ſpernendum*, verum ut *amandum* propoſuerat. Praeterea vide modo ſeriem & conſtructionem: *Ordinis virtus & venus erit, ut* auctor promiſſi carminis *amet hoc, ſpernat illud*; non perſentiſcis illud *promiſſi carminis* ſententiam labefactare? Quid enim? nullus erit ordo, nulla ejus norma vel ratio, niſi carmen *promiſſum* ſit? Nimirum hic opera luditur; neque ullo pacto verſiculum hunc cum prioribus poſſis connectere. Senſerunt hoc Interpretes quidam & nuper & olim: unde inviti licet & coacti eo demum recurrerunt, ut integrum hinc praeceptum formarent & cuderent, per ſe conſtans & a reliquis omnibus abſciſum:

Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.

Ita certe Servius ad Georg. II, 475. ME vero primum dulces ante omnia Muſae] *Suam perſonam pro quocumque ponit: ſic paullo poſt:* Rura MIHI placeant, *pro cuilibet. Sic in primo:* Non illa quiſquam ME nocte per altum Ire. *In tertio:* Ne MIHI tunc molles ſub divo carpere ſomnos: *Et hoc eſt quod dicit Horatius in Arte Poetica*, Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor. Et ad Aen. IV, 412. Improbe amor, quid non] *Exclamatio a* POETA *contra amorem: & hoc eſt quod Horatius dixit*, Hoc amet, *&c.* Et ad v. 415. Fruſtra moritura] *Fruſtra, ex judicio* POETAE *dictum eſt, ut Horat.* Hoc amet, *&c.* Ergo ex Servii ſententia hoc praecipit Horatius, ut poeta nonnumquam ex perſona ſua

Digitized by Google

loquatur, ſe rebus intermiſceat, ſuum judicium interponat. Vides, quo redactus ſit, ut ſenſum aliquem extunderet. Nam profecto neque ex his verbis praeceptum illud enaſcitur; nihil minus: neque quiſquam ſanus id generatim praecepti loco tradiderit. Quid enim in Comoedia Tragoediave fiet, ubi numquam Poeta ſe intermiſcet? Quin & in Epico carmine aliiſque fieri quidem poteſt; praecipi niſi inutiliter & ſtulte non poteſt. Deſerunt itaque Servium recentiores, & *delectum rerum ipſarum* hic intelligunt, *Hoc amandum, hoc ſpernendum eſt*; aliud probandum, aliud rejiciendum. Enimvero cum Chaerea exclamare libet,

Dixti pulchre: numquam vidi melius conſilium dari.

Hoc amato, inquit, *hoc ſpernito*: an tu in Poetica ut ſingulare quiddam mones, quod in omnibus negotiis, in omni vitae genere notiſſimum eſt, quaedam fugienda eſſe, quaedam petenda?

Hoc facito: recte ſane. Hoc fugito: callide. Quin & in culina aeque ac in libris locum habet: [*eſt parum:*

Hoc falſum eſt, hoc aduſtum eſt, hoc lautum
Illud recte eſt: iterum ſic memento.

Multo ſcilicet doctiores & ad Poeticam inſtructiores diſcedimus, hoc arcano praecepto onuſti. At nuper Cl. Dacierius, qui locum hunc ante ſuas Notas difficillimum & obſcuriſſimum fuiſſe confitetur, ſic pulchre rem expedire ſibi viſus eſt, cum ita enarrat; *ſpernat hoc, vel illud*, neque omnia ſingillatim exequatur, quae quovis modo in argumentum & narrationem *incidunt*. Novam rem, ſi Muſis placet, & intactam aliis dixit, cum *Incidentia* nominavit: quid hoc ſodes aliud eſt quam *delectus rerum*? quid aliud, quam quod verſu demum 150 habetur, *& quae*

Deſperat tractata nitescere poſſe, relinquit?

At neque bis idem diceret Noſter; neque tam mutus aut verborum pauper erat, ut praecepto illo de Incidentibus tam breviter leviterque defungeretur. *Hoc amet, hoc ſpernat.* Quid multa? Reſtituo huic verſui ſuum locum & ordinem jam plus mille annos, ut ex Servio paret, amiſſum; eoque indignius, quod de Ordine jam nunc tractatum erat.

Ordinis haec virtus erit & venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici;
Pleraque differat & praeſens in tempus omittat.

In verbis etiam tenuis cautuſque ſerendis,
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.

Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum.

Vides, unius verſiculi trajectio quas turbas dederit, quot coactas & ineptas Commentationes pepererit. Subtilis, inquit, & cautus ac difficilis in verbis admittendis, Hoc (verbum) amet, hoc ſpernat: hoc ut probum recipiat, illud ut κακοζηλίαν repudiet atque abjiciat, utcumque populari uſu quaſi civitate donetur. Sic & Epiſt. ad Florum II, 2. v. 109.

At qui legitimum cupiet feciſſe poema,
Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti:
Audebit quaecumque parum ſplendoris habebunt,
VERBA *movere loco, quamvis invita recedant,*
Et verſentur adhuc intra penetralia Veſtae:
Obſcurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem ſpecioſa VOCABULA *rerum, &c.*

Sentis, opinor, in promiſſo & legitimo carmine haec verba poetae *emanda*, haec *ſpernenda* eſſe. Quin & ſequentia illa, *Dixeris egregie*, jam cultius & concinnius poſt hanc emendationem feruntur: nam antea, cum ſic juncta ponerentur,

In verbis etiam tenuis cautuſque ſerendis,
Dixeris egregie notum ſi callida verbum;

Verbis utique & *verbum* tam propinqua repetitione meram ſcabiem & ſordes prae ſe ferebant. Jam autem ſimilis plane in pleriſque libris trajectio eſt Epiſt. I, 1. v. 57. illic tamen unus & alter codex rectam ſeriem ſervavit, hic nullus. Nempe prior & antiquior luxatio haec eſt, quam altera. Ceterum illud ſancte affirmare poſſum, me nullum uſquam aut Horatii aut cujuſvis poetae veteris manuſcriptum exemplar verſaviſſe, in quo ſcriba verſum aliquem caſu non omiſerit. Qui error, ubi aliquandiu latuit, in margine demum corrigitur: ubi ſtatim deprehenſus eſt, verſus extra ſeriem ſcribitur; & literulis A B ad ſuam ſedem revocandus notatur; ſcilicet ne librum venalem aut mercede ſcriptum litura dehoneſtet. Ubi vero hae in margine literulae negleguntur aut evaneſcunt; eo tandem res venit, ut longo temporis tractu Librarii unius erratio per omnia deinceps apographa propagetur.

V. 72. ET NOVA FICTAQUE NUPER HABEBUNT VERBA FIDEM.] *Ficta verba* habent codices noſtri, ut editiones omnes. recte

Digitized by Google

recte quidem, si alio loco esset. At nunc versu abhinc altero praecesserat eodem sensu *Fingere*. Quamobrem ne tam putida repetitione nitidissimum carmen maculetur, adsciscimus certissimam lectionem, quam Fabricii codices subministrarunt, [*fidem, si*

Et nova FACTA *que nuper habebunt verba*
Graeco fonte cadent.

Cicero in Oratore c. 20. *Ego autem etiam si quorundam grandis & ornata vox est poetarum, tamen in ea licentiam statuo majorem esse* faciendorum *jungendorumque* vocabulorum. Et c. 24. *Ergo ille tenuis orator, modo sit elegans, nec in* faciendis verbis *erit audax, & in transferendis verecundus, & parcus in priscis.* Et c. 52. *Est enim Isocrates, ut in transferendis* faciendisque verbis *tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior.* Idem De Oratore III, 38. Novantur *autem* verba, *quae ab eo qui dicit ipso gignuntur ac* fiunt. De Partit. Orat. c. 21. *Utendum erit iis in oratione singulorum verborum insignibus, quae habent plurimum suavitatis; id est, ut* factis verbis *aut vetustis aut translatis frequenter utamur.* De Finibus III, 15. *Cum uteretur Zeno in lingua copiosa* factis tamen nominibus ac novis. Et iterum: *Sed non alienum est, quo facilius via verbi intelligatur, rationem hujus* verbi faciendi *Zenonis exponere.* Gellius XIII, 15. *Qui* verba *Latina* fecerunt, *quique his probe usi sunt*, Humanitatem *appellaverunt id propemodum quod Graeci* τὸ φιλάνθρωπον *vocant.* Ita Graeci dicunt, φιλόλογος ἀνὴρ & πανσοφώτατος.

v. 59. SIGNATUM PRAESENTE NOTA] Etiam hic locus describi meretur;

ego cur acquirere pauca
Si possum invideor? cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum

Nomina protulerit. *Licuit semperque licebit*
Signatum praesente nota producere nomen.

Mirificum sane epiphonema: *Licuit semperque licebit nomen producere.* Cur igitur, si hoc ita certum & concessum erat, tot versibus defensionem parasti, quod *pauca* nomina produxeris. Vides, opinor, vitium; cum in hac acclamatione, ut nunc quidem fertur, nihil arguti sit, neque quidquam, quod non in ipsa narratione five narratione iisdem verbis continebatur. Illud etiam vide, *nomina protulerit* & continuo rursus *producere nomen:* quis ferat tam inficetam repetitionem tam brevi intervallo? neque enim aliud est *producere* quam *proferre.* Quamobrem, aut valde fallor, aut sic scripsit Horatius, *licuit semperque licebit*

Signatum praesente nota PROCUDERE NUMMUM.

Et *procudere* quidem firmatur ex scriptis, apud Lambinum, Achillem Statium, Jasonem de Nores, & Franciscum Luisinum: quorum novissimus & *Nummum* se libentius legere ait, sequentibus tamen editoribus non potuit hoc persuadere. Atqui ut lectio recepta, prout jam vidimus, inanis est & putida; ita quae nunc a nobis adsciscitur egregia prorsus & perquam venusta est. Claudit nempe argumentationem nota illa similitudine a Numma petita. Verba siquidem ut nummus sunt, cui forma publica est. Cum igitur nummum praesente nota signare semper licuit & licebit, quidni & idem jus erit verbis procudendis? Notissima, ut dixi, comparatio est sermonis cum Moneta; adeo ut nude apud Nostrum posita neque probatione neque accommodatione indigeret. Symmachus Epist. I, 4. *Unus aetate nostra* monetam *Latiaris eloquii Tulliana,* incude finxisti. Quintilianus I, 9. *Consuetudo certissima loquendi magistra: utendumque plane sermone, ut* nummo cui publica forma est. Curius Fortunatianus lib. III. *Vir perfectissimus dixit. Utendum est verbis, ut* nummis publica moneta signatis. Et iterum: *Aperte quomodo erit eloquutio? si utemur verbis propriis, usitatis, sicut* nummis, *ut dixi,* publica moneta signatis. Juvenalis VII, 55.

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta.

Seneca de Benef. III, 35. *Jam tempus est quaedam ex nostra, ut ita dicam,* moneta *proferri.* Recte autem NUMMUM SIGNATUM: ita Minucius Felix c. 22. *Literas imprimere,* nummos signare, *instrumenta conficere.* Tertullianus Apolog. c. 10. *Imagine* signatus nummus. Prudentius Peri Steph. II, 100.

Ni fallor, haud ullam tuus
Signat *deus* pecuniam.

Cicero in Topic. c. 13. *Si* pecunia signata *argentum est, legata est mulieri: est autem* pecunia signata *argentum; legata igitur.* Gellius II, 10. *Non rude aes argentumque, sed flatum & signata* pecunia. S. Hieronymus in vita Pauli Eremitae: *In quibus scabrae jam incudes & mallei, quibus* pecuniae olim signatae, *vi sebantur.* Seneca de Tranquill. c. 11. *Ego vero factum* signatumque argentum, *domum familiamque meam redde, restituo.* Recte itidem & SIGNATUM NOTA. Aurelius Victor in

Digitized by Google

Aureliano: *Monetae opifices delet; quod nummariam* notam *corrupiſſent.* Varro de Re Ruſt. II, 1. *Et quod aes antiquiſſimum pecore eſt* notatum. Plinius Hiſt. XVIII, 68. figurâte: *Dicebat hoc diſcrimen indubitatis* notis ſignaſſe *naturam.* Nota igitur in nummis idem eſt ac *forma,* cum in locis ſupra citatis, tum & illo Senecae de Benef. V, 29. *Non eſt malus denarius, quem barbarus & ignarus* formae publicae *rejecit.* Ergo, inquit Flaccus, ut cuivis actati licuit & licebit, vel *nummos* ex nova materia cudere, vel veteres jam tritos & obſoletos conflare ac praeſente nota denuo ſignare; ita *Verba* quoque licuit & licebit vel nova prorſus fingere & facere, vel antiquata & deſita recenti incude reformare, nova terminatione vel modulatione variare, nova junctura alio declinare & flectere.

V. 60. UT SILVAE FOLIIS PRONOS MUTANTUR IN ANNOS] Inſolens profecto loquendi genus, *Silvae foliis mutantur*; quodque nullo ut opinor, exemplo defendi aut excuſari poteſt. In hac conſtructione legerim potius, mutatione minima,

Ut ſilvae foliis pronos NUDANTUR *in annos.*

Cicero in Arateis:

Denudant foliis *ramos, & cortice truncos.*

Claudianus de Bello Getico v. 166.

Frigida ter decies nudatum frondibus *Haemum*
Tendit hiems veſtire gelu.

Sen. Hippol. 966.

Ut nunc canae frigora brumae
Nudent ſilvas: *nunc arbuſtis*
Redeant umbrae.

Severus, poeta Chriſtianus;

Quam multis foliis ſilva *cadentibus*
Nudatur, *gelidis tacta aquilonibus.*

Vel eadem prorſus ſententia legerim, levi item mutatione,

Ut ſilvae foliis pronos VIDUANTUR *in annos.*

Plane ut Noſter Carm. II, 9.

Aut foliis viduantur *orni.*

Virgil. Georg. IV, 518.

Arvaque Rhipaeis numquam viduata *pruinis.*

Silius Ital. III. 601.

Nec Stygis ille lacus, viduataque *lumine regna,*

& XII, 370.

Serpentum tellus pura, & viduata *venenis.*

Et ſunt quidem, ni fallor, qui utramvis ex his conjecturis plauſu excipere velint: ſed ubi contextum orationis accuratius conſidero, plane alia via incedendum eſſe video. Cum enim *Folia* hic, non Silvae, cum *Verbis* comparentur; oportet utique, ut id vocabulum caſu recto efferatur, & ducat ſententiam. Atque ita ſane locus hic citatur a Diomede p. 394. *Sed injecit,* inquit, *poſtera aetas manum; & veluti diſciplinam priſtini ſaeculi, ita & ſermonem faſtidire coepit, & nova parturire verba, quae juvenum ritu ipſa modo florent & vigent, ut ait Horatius,*

Ut FOLIA IN SILVIS *pronos mutantur in annos,* [aetas,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.

Adde & illud, quod dure admodum & inconcinne illa ſubnectuntur, *Prima cadunt*; niſi nominativum *Folia* in praecedentem verſum adſciveris. Qualis enim ſodes oratio eſt, *ſilvae mutantur foliis: prima cadunt?* Immo *folia mutantur ſilvis*, & tum demum apte commodeque ſubjunxeris, *Prima cadunt.* Heinſius quidem Daniel *non dubitaverit*, ut ait, *praeferre, quod a Diomede adducitur.* Utinam vero manuſcripti mihi codicis copia eſſet; veram opinor lectionem apud illum Grammaticum deliteſcentem reperirem. Nunc quia res conjecturis agenda eſt; non crediderim ab Horatii manu eſſe, quod profert Diomedes: quippe quod ita clarum ac facile eſt, ut incredibile ſit a Librariis noſtris interpolari potuiſſe. Illi etenim difficilia & recondita facilioribus, non contra, ſolent mutare: neque quiſquam inauditum illud *Ut ſilvae foliis mutantur* perverſe ſubſtitueret, ſi in exemplari ſuo inveniſſet quod extra omnem exceptionem eſt, *Ut folia in ſilvis.* Virgil. VI, 309.

Quam multa in ſilvis *auctumni frigore primo*
Lapſa cadunt folia. Manilius lib. V.

Quot delapſa cadunt foliorum *milia* ſilvis.

Quamobrem, aut valde fallor, aut ſic dedit Horatius;

Ut SILVIS FOLIA *pronos mutantur in annos.*

ubi ſyllaba brevis ſuſtentatur, tum Caeſurae ratione, tum ob binas quae ſequuntur conſonantes: qualia paſſim apud Virgilium & alios occurrunt. Hanc porro licentiam cum Librarii datam eſſe neſcirent; quid magis in proclivi, quam ut *ſilvae foliis* officioſe reponerent? Sed & aliud, opinor, hic mendum latet, in lucem jam protrahendum. Quid enim eſt *in annos pronos?* an vergentes, declinantes, ſub auctumno ſcilicet; ut *prona dies,* decedens, apud Statium Theb. II, 41.

Aſt ubi prona dies.

Hoc quidem Dacierius voluit: verum haud patitur hanc ſententiam indoles locutionis. ubicumque enim dicunt, *In horas, in dies, in menſes,*

Digitized by Google

menſes, in annos; totos & integros neceſſario denotant, non aliquam eorum partem. Ergo alii cum Acrone *pronos* in univerſum annos accipiunt, *volubiles* ſcilicet, *declivos, cito labentes, & inſtabiles*. Ita Seneca *praecipitem annum* appellat, Herc. Fur. v. 180.

properat curſu
Vita citato, volucrique die
Rota praecipitis *volvitur* anni.

Atqui apud Senecam morata oratio eſt: ubi enim de vitae brevitate querimur, belle ſane praecipitem annum & volucrem diem incuſamus: at alias iidem ut lenti nimis & morantes increpantur,

Et queritur tardos *ire relicta* dies.

Atqui nullus hic apud Flaccum moratae orationi locus eſt; & profecto cum *In annos* dicit, inepte prorſus utrumvis addidiſſet, ſeu *celeres*, ſive *tardos*, neque enim quiſquam in ſimili phraſi moratum epitheton uſquam adjunxit. Equidem ſic locum reſtituo;

Ut SILVIS FOLIA PRIVOS *mutantur in annos.*

Amavit hoc vocabulum Noſter, qui & alibi habet *priva triremis*, & *Turdus, ſive aliud privum*. Feſtus: *Privos privaſque antiqui dicebant pro Singulis*. Gellius x, 20. *Veteres Priva dixerunt, quae nos Singula dicimus*. Ut folia, inquit, *mutantur in ſingulos annos*; ita verborum vetus aetas interit, nova exoritur. Lucretius V, 275.

Aera nunc igitur dicam, qui corpore toto
Innumerabiliter privas mutatur in horas.

Quid autem? nonne gemina plane & germana ſunt, *Privas mutatur in horas*, & *Privos mutantur in annos?* Iterum V, 732.

Inque dies privos *aboriſci quaeque creata.*

Ceterum unum idemque eſt, utrum *in horas privas ſeu ſingulas*, an brevius *in horas* dixeris. Noſter infra in Arte v. 160.

geſtit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temere, & mutatur in horas.

Serm. II, 7, 10. *modo laeva Priſcus inani*
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas.

Ingere huc, ſi vis, quodcumque epitheton, praeterquam *privas* aut *ſingulas*: & putidiſſimam orationem efficies. Porro *in dies ſingulos, in menſes ſingulos, in ſingulos annos* paſſim apud Ciceronem, Livium, alioſque occurrunt; nec in tam notis exemplis eſt immorandum. *Privus* autem, & *Primus*, & *Pronus* ob compendioſam ſcribendi rationem facillime a Librariis permutabantur. Sic Epiſt. II, 2. v. 98.

Lento Samnites ad lumina prima *duello*.

Duo Blandinii apud Cruquium *prona*. Virgil. x, 242. Primus *in arma jube*. ubi Pieriani aliquot codices *Pronus*. Lucret. III, 373.

Illud in his rebus nequaquam ſumere poſſis
Democriti, quod ſancta viri ſententia penit;
Corporis atque animi primordia ſingula primis
Adpoſita, alternis variare & nectere membra.

Ita nunc ſcripti editique: ſed ſine dubio corrigendum eſt,

Corporis atque animi primordia ſingula PRI-
A.ipoſita. [VIS

hoc eſt, *Singula corporis primordia ſingulis animi appoſita*. His argumentis freti *privos in annos* apud Flaccum adſcivimus, non *pronos*. Nam quod *pronos annos* hic dictum opinantur, ut *pronos menſes* Carm. IV, 6; in eo judicium eorum & acumen deſidero:

Rite Latonae puerum canentes,
Rite creſcentem face Noctilucam,
Proſperam frugum, celeremque pronos
Volvere menſes.

Recte ſiquidem ubi *celerem* addidit & *volvere*, PRONOS hic menſes finxit, quaſi a capite ſummo ad imum per prona devolvendos. Silius Ital. XV, 235. *paſſim* per prona voluti.

Truncato inſtabiles fundebant corpore vitam.

Gellius II, 30. *Fluctus excitatos quaſi* per prona volvi. *Celer* enim Luna eſt comparatione Fratris, ut & ipſe Sol comparatione Saeculi; Seneca Oedip. 250.

Tuque, o ſereni maximum mundi decus,
Qui tarda celeri *ſecula evolvis* rota.

Haec omnia, ut vides, morate dicuntur, prout locus, cauſſa, perſona, ſententia variat: atqui idem Noſter ſi *In menſes* vel *In annos* dixerat, ubi *privos* vel *ſingulos* tacite ſubauditur, numquam, mihi crede, *pronos* addidiſſet. Quamquam & hoc loco ſuſpicio eſt Scholiaſtas veteres legiſſe olim,

celeremque PRIVOS *Volvere menſes:*

quippe uterque ſic enarrat, *Quia* SINGULIS *menſibus Zodiacum circulum Luna pertranſit*. Verum de hoc quiſque ſentiat, ut volet. Recte vero PRIMA *cadunt:* neque hanc quiſpiam lectionem ſollicitet, aut *priva* ſubſtituat. Hieronymus Praefat. ad II Librum Oſeae: *Poſtquam alia venerit generatio,* primiſque foliis cadentibus *virens ſilva ſuccreverit.*

v. 65. STERILISQUE DIU PALUS APTAQUE REMIS] Cum ex analogia & pronunciationis lege *Palus* poſteriorem ſyllabam producat; ut Virgilio,

Limoſoque palus *obducat paſcua junco.*
Cocyti tardaque palus *inamabilis unda.*

Dicitur

Digitized by Google

Dicitur & tenebroſa palus *Acheronte refuſo.*
Atque hinc vaſta palus, *hinc ardua moenia cingunt:*

gravat profecto Flacci manes ſceleratus hic verſiculus, *atque ignoratae premit artis crimine turpi:* ubi ſyllaba iſta Muſis indignantibus corripitur:

Regis opus: ſteriliſque diu palus *aptaque remis*
Vicinas urbes alit, & grave ſentit aratrum.

Neque vero ullum in codicibus ſubſidium eſt: hi omnes & Grammatici etiam veteres jam a mille annis lectionem hanc & notarunt & propagarunt. Servius ad Aen. II, 65. *Sane Tellus* US *longa eſt, & pauca ſunt, quae* US *producunt, ut Senectus, Juventus, Salus, Virtus, Palus, Servitus, Incus, Tus, Rus, Mus, Pus. Palus tamen brevis nonnumquam invenitur, quia in* DIS *exit genitivus: ut Horatius,* Steriliſque diu palus aptaque remis. Idem Aen. VI, 107. *In Palus bene Virgilius produxit* LUS, *quia Paludis facit; quod ſupra plenius diximus. Horatius corripuit: ut,* Steriliſque diu palus aptaque remis. Idem De ultimis ſyllabis p. 1813. US *vero, cum in genitivo creſcente longa permanſerit, producitur, excepto uno Palus, ut eſt hoc,* Steriliſque diu palus aptaque remis: Quae totidem verbis habentur apud Bedam De metris p. 2360. Denique & Priſcianus p. 718. *Palus tamen etiam correpta* US *invenitur apud Horatium de Arte Poetica,* Steriliſque diu palus aptaque remis. Vides hoc Noſtri loco omnes inniti, quodque pejus eſt, hoc uno; neque quemquam alium ſcriptorem ad partes vocare. Doluerunt itaque recentiores Horatii vicem, nullumque non lapidem moverunt, ut tam foedum a caro capite dedecus amolirentur. Alciatus hoc effugium reperit, ut *Palus* in unam ſyllabam coaleſcat, & quaſi *Plus* efferatur; quemadmodum apud Comicos *Meum, Tuum, Novum* ad monoſyllaba ſaepe rediguntur; cujus animum quidem laudes, commentum ut futile vituperes. Erythraeus vero cachinno excipiendus eſt, qui literam S abjiciendam putat, *palu' aptaque remis,* more veterum poetarum, qui *Hibernis paſtibu' pulſi, Subito ex infantibu' parvis,* & alia ad id exemplum paſſim uſurpabant; ignarus, hoc ante conſonantes ſolum, & ubi US natura breve erat, vel veteribus illis licuiſſe. Jam autem ſtrenue frontem perfricat Theodorus Marcilius, qui *ex veteribus* Horatii Priſcianique *membranis* veram, ut ait, lectionem profert, *Steriliſque palus aptataque remis.* Ubi enim gentium ſunt tales membranae? aut qui ſodes credibile eſt apud Priſcianum produci, qui ideo citat ut corripi oſtendat? quid quod *aptata remis,* minime quidem *palus,* ſed *navis* vel *ratis* recte dicitur: *Palus* vero *apta remis.* Ovidius Art. Amat. II, 126.

O quoties illum doluit properare Calypſo;
Remigioque aptas *eſſe negavit aquas.*

Claudianus Bello Get. v. 339. de Rheno & Danubio:

Ambo habiles remis, *ambo glacialia ſecti*
Terga rotis.

Quid igitur fiet? favebunt, ut bene ominor, qui Horatio bene volunt; ſi & ipſe in re jam deplorata & depoſita quid poſſim tentavero. Principio igitur nemo a me impetrabit, quin Grammaticos illos vitioſis exemplaribus deceptos eſſe credam: qualia pleraque Virgilii erant, teſte Gellio, diu ante quam illi naſcerentur. Incredibile enim eſt, ut *palus* corripuerit Flaccus, contra ſermonis genium & normam, omniumque aliorum morem, tam profecto quam ſi *Virtus* aut *Tellus* breviter eum extuliſſe contenderis. Poſito igitur & conceſſo, locum, ut hodie fertur, in mendo cubare; ſic reſtituendum & reponendum arbitror:

*Regis opus; ſteriliſ*VE *palus* PRIUS *aptaque remis*
Vicinas urbes alit & grave ſentit aratrum.

ubi illud VE ex Voſſiano, Graeviano, & Bateliano adſciſcimus; *Sive* Neptunus — *ſteriliſve* palus — *ſeu* annis curſum mutavit: ut Carm. IV, 2.

Seu *deos regeſque canit,* ——
Sive *quos Elea domum reducit* ——
Flebili ſponſae juvenem VE *raptum Plorat.*

Que vero nullum hic locum habet; ut miror hic tot editoribus ſomnum obrepſiſſe. Jam autem ut DIU in PRIUS mutaremus, & vocum ſimilitudo, praeſertim ubi *Prius* compendioſe ſcribitur, & ipſa ſententia monuerunt. Hoc enim ſine dubio voluit Flaccus, Quae *ab omni aevo* ſterilis palus fuerat, nunc exſiccata ſegetes fert. Atqui in hac ſententia rectius *prius palus* dixeris, quam *diu.* Noſter Carm. I, 3.

Semotique prius *tarda neceſſitas*
Leti corripuit gradum.

Prius ſemoti, nempe ab ipſis humani generis primordiis. Ovid. Metam. I, 135.

Communemque prius, *ceu lumina ſolis & auras,*
Cautus humum longo ſignavit limite menſor.

& II, 174.

Quae-

Digitized by Google

Quaeque polo posita est glaciali proxima serpens,
Frigore pigra prius, *nec formidabilis ulli,*
Incaluit.

Pone jam in his locis *Diu* pro *prius*; versus quidem aeque utrumque recipiet, sententia non item. Quippe *Diu* fuisse dicuntur, quae a longo tempore sic erant; vix quae ab omni: *Prius* vero utrique sensui ex aequo convenit. Virgil. Georg. III, 362. [*stae,*

Concrescunt subitae currenti in flumine cru-
Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius *patulis, nunc hospita plau-*

& Aen. x, 123. [*stris.*

innabant pariter, fluctusque secabant,
Quot prius *aeratae steterant ad litora prorae.*

Cum autem PRIUS a dormitante Librario in DIU mutatum esset, *steriliſque palus diu aptaque remis*; reliquum erat, ut proximus exscriptor ipsius, ut putabat, versus gratia verba illa inverteret.

v. 68. MORTALIA FACTA PERIBUNT, NEDUM SERMONUM] Spondere tibi ausim me inhonestissimam labem ex hoc loco abstersurum: in quo, ubi Noster magnifica & praeclara Regum opera enumerasset, hoc epiphonemate sententiam claudit,

mortalia FACTA *peribunt,*
Nedum sermonum stet honos & gratia vivax.

Belle sane, o Librarii; nimirum ut antithesis illa venuste exeat, *Facta* & *Sermonum*. Portus, inquit, invitis Neptuno & Tellure facti, paludes siccatae, flumina in novos alveos deducta, hae moles stupendae longo aevo fatiscent: denique, ut verbo dicam, mortalia *facta*, hoc est, strigiles, opinor, & calcei, peribunt. Quid mirum si *voces* ore & spiritu in auras diffiatae pereant, cum manibus *facta* nempe ollae & cacabi intereant? Satin' hoc tibi placet? putasne Nostrum tam nullius judicii, ut post illa ingentia quasi majus aliquid & mirabilius *facta* ingereret? Quid quod *Facta* ne Latinum quidem in hac sententia est; sed *Opera*. Livius I, 2. *Secundum inde praelium Latinis, Aeneae etiam ultimum* operum mortalium *fuit*. Lactantius VII, 15. *Nihil est humanis laboratum, quod non ab humanis aeque viribus destrui possit: quoniam* mortalia sunt opera mortalium. Seneca Epist. XCI. *Enumerare omnes fatorum vias longum est: hoc unum scio:* OMNIA MORTALIUM OPERA *mortalitate damnata sunt: inter peritura vivimus.* Nota illud *Omnia* apud Senecam, & meo periculo hic scribe;

mortalia CUNCTA *peribunt,*
Nedum sermonum stet honos & gratia vivax.

Quid in singulis memorandis moror? uno verbo *cuncta* mortalia peribunt; nedum ut sermones sint vivaces. *Mortalia* autem absolute & quasi substantive ponitur, ut Virgil. Eclog. VIII,

Nec curare deum credis mortalia *quemquam.*

& Aen. I, 466.

Sunt lacrimae rerum, & mentem mortalia
Ouid. Metam. XIII, 70. [*tangunt.*

Aspiciunt oculis superi mortalia *justis.*

Recte quoque *mortalia cuncta*; ut Prudentius Psychom. v. 493.

Omne hominum rapit illa genus, mortalia
Occupat. [cuncta

Idem contra Symm. I, 429. *& orbi*

Imperitas, & cuncta *potens* mortalia *calcas.*

& contra Symmachum II, 601.

Miscebat Bellona potens mortalia cuncta.

& 657. *nam cum* mortalia cuncta *vetustas*
Imminuat; mihi longa dies aliud parit aevum.

Ubi ipsam plane Flacci sententiam habes, *Vetustas cuncta mortalia imminuet*. Ammianus Marcell. XXIII, 6. De Abiis loquens: *Abii, genus pissimum, calcare* cuncta mortalia *consuetum*. Et XXV, 4. de Juliano: *Opum contemtor,* mortalia cuncta *despiciens*. Tacitus Annal. XIV, 54. *Quae quidem, ut* omnia mortalia, *infra tuam magnitudinem jacet*. Et ibidem I, 72. Cuncta mortalium *incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico*. Ceterum jamdudum hoc ex conjectura emendaveram, & cum amicis nonnullis communicaveram; cum postea in manus meas venit codex Galeanus, qui CUNCTIS sine ulla litura sex literis exaratum habet. Ceteri quidem omnes cum vulgatis faciunt, neque adeo mirum si *cncta* compendiose scriptum in *facta* transiret; praesertim cum arrideret nasutulis interpolatoribus bellum illud, ut videbatur, antitheton, *Facta* & *Verba*. Cave autem cum Achille Statio *Debemus* ex scripto Prisciani codice substituas v. 63. ubi scripti editique recte exhibent,

DEBEMUR *morti nos nostraque.*

Sic & Ovidius Metam. x, 32. ubi Manes alloquitur:

Omnia debemur *vobis: paullumque morati,*
Serius aut citius sedem properamus ad unam.

Debemur etiam Servius habet ad Aen. IX, 95. & scriptus Prisciani codex Cantabrigiae, Statiano melior.

v. 92. SIN-

Digitized by Google

v. 92. SINGULA QUAEQUE LOCUM TENEANT SORTITA DECENTER] Codex inter Blandinios vetuſtiſſimus cum altero apud Cruquium, & Vigornienſis noſter,

Singula quaeque locum teneant ſortita DECENTEM.

Elegantius meliuſque. Sic alibi Noſter, *Decens Venus, decens juvenis, decens motus, decentes Gratiae, decentes malae.* Certe & hoc pacto compoſitio dulcior eſt & τὸ *ſortita*, prout par eſt, active ſumetur; cum, ſi *decenter* legeris, vix eſt ut non paſſive contra morem accipiatur.

v. 96. TELEPHUS ET PELEUS, CUM PAUPER] Locus hic ab omnibus Interpretibus perperam intellectus eſt;

Interdum tamen & vocem Comoedia tollit,
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore:
Et Tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus & Peleus, cum pauper & exſul uterque,
Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.

In hac certe diſtinctione *Tragicus* eſt ipſe Poeta; & ſic enarrat Scholiaſtes Cruquii, *Scriptor Tragoediarum.* Atqui inepte quiſpiam dixerit, Poetam in Tragoedia dolere; quippe qui numquam ex perſona ſua loquitur. Vidit hoc, ut opinor, Cl. Dacierius: & idcirco *actorem* hic interpretatur, non *ſcriptorem.* Livius quidem Ariſtonem quendam *Tragicum actorem* memorat; verum nemo actorem abſolute *Tragicum* dixit, ſed *Tragoedum.* Tu lege & diſtingue,

Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri
Telephus AUT *Peleus: cum pauper & exſul uterque,*
Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.

Ubi conſtructio eſt, *Tragicus Telephus*, aut *Tragicus Peleus* plerumque humili ſermone dolet. Noſter Serm. II, 5. v. 91. *Davus* ſis *comicus.* Cicero in Piſonem c. 20. *Ego te non vecordem, non furioſum, non mente captum, non* tragico illo Oreſte aut Athamante *dementiorem putem?* Appuleius in Apologia: *Quamquam terrimum os tuum minime a* Thyeſta tragico *demutet:* ubi fruſtra ſunt, qui *Theſpi* aut aliud neſcio quid reponunt. Ita *Comici ſervi, Comici fenes*, apud Plautum. Propertius IV, 5, v. 44.

Sed potius mundi Thais pretioſa Menandri,
Cum ferit aſtutos comica moecha *Getas.*

Caecilius Epiclero apud Ciceronem in Laelio c. 26.

Hodie me ante omnes comicos *ſtultos* ſenes
Verſaris atque luſeris lautiſſime.

ubi pro *luſeris* Palatinus primus codex habet *unxeris:* unde corrigo certiſſime,

Verſaris atque emunxeris *lautiſſime.*

Litera M virgula tantum ſuperne notabatur, E a praecedente abſorbebatur: vides inde mendi initium & progreſſum. Recte igitur apud Noſtrum conjunximus, *Tragicus Telephus:* & agnoſcis credo pulchram oppoſitionem, In Comoedia iratus *Chremes* tumido, in Tragoedia *Telephus* pauper humili ſermone utitur. AUT vero pro ET adſcivimus, ſententia jubente, licet abnuant Librarii: ſic infra v. 104. *Telephe* VEL *Peleu:* & Cicero, ut jam vidiſti, *Oreſte* AUT *Athamante.*

v. 99. NON SATIS EST PULCHRA ESSE POEMATA, DULCIA SUNTO] Anxios & ſollicitos merito habuit hic locus Interpretes; cum obſcura ſit, quam ponit, oppoſitio inter *Pulchra* & *Dulcia.* Pulchrum enim quaſcumque carminis virtutes, etiam ipſam dulcedinem in ſe continere jure videatur. Noſter Serm. I, 10. de Lucilio:

Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera: *nam ſic*
Et Laberi mimos, ut pulchra poemata *mirer,*

Ubi vides *pulchra*, & facetum quod Lucilio tribuit, & *cetera* omnia comprehendere. Epiſt. II, 1. v. 72.

ſed emendata videri,
Pulchraque, *& exactis minimum diſtantia miror.*

Plerique *pulchra* ita *dulcibus* opponunt, ut illa ſint alta, elata, ſplendidis & magnificis verbis micantia. Quid autem? annon & exiles Elegi in ſuo genere pulchri eſſe poterunt? Neque vero de cothurno ſolum Tragico, ſed de Comoediae ſocco & ſermone pedeſtri jam verba fecerat Noſter; ut τὸ *pulchra* utrique ſtilo tam tenui quam grandi ex aequo convenire oporteat. Achilles Statius, qui huic libello eruditam operam impendit, *pulchra* accipit, quibus vis boni in ipſa forma eſt, ſed nullus adeſt cultus & ornatus: deinde & Dionyſium Halicarnaſſenſem in partes citat, qui τὸ καλὸν in oratione ſeparat ἀπὸ τοῦ ἡδέος, plane ut Noſter dulce a pulchro. Vix tamen ſe extricat; neque ego Lectori, quid ex his ſequatur & praeferat, praecipere volo. Novam tantummodo lectionem ex Vigornienſi codice producam, quae ſic habet:

Non ſatis eſt PURA *eſſe poemata: dulcia ſunto:*
Et quocumque volent animum auditoris agunto.

A prima manu, in contextu erat *Pulchra*; poſtea per raſuram *Pura* repoſitum eſt, & *pulchra*

Digitized by Google

cbra inter lineas pro varia lectione relegatum. Ergo hic, quicumque fuit, in alio exemplari *Pura* invenerat, & priori lectioni praetulit. Videamus quid sit, & quam apte cum praecedentibus cohaereat. Dixerat jam Nostri Telephum & Pelea, qui pauperes & exules inducuntur, non poeticis & sesquipedalibus verbis, sed pedestri & civili sermone uti. Recte hoc & ex decoro: sed addit tamen continuo:

Non satis est pura esse poemata: dulcia sanso.

Nondum autem de iisdem loqui desiisse, sequentia persuadent; ubi eosdem compellat v. 104.

Telephe vel Peleu, *male si mandata loqueris.*

Ergo hoc vult, Non satis est, ut puris & civilibus verbis utatur Telephus; etiam dulcibus loquatur, quae affectus moveant, quae auditoris animum quocunque volent ad miserieordiam, indignationem, dolorem, fletum rapiant. Jam autem *Pura* perinde esse ac civilia, popularia, quotidiana, locus insignis apud Nostrum tibi ostendet, quem nescio an ullus Interpretum recte assecutus sit, Serm. I, 4. 54. ubi de stilo Comoediae agit,

numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? ergo
Non satis est puris *versum perscribere* verbis,

(Nota illud, *Non satis est puris*, plane ut hic, *Non satis est pura esse*)

Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater.

Ubi liquido accipiendum est, *Puris*, usitatis, non poeticis, quibus quivis de plebe pater, ubi filium stomachans objurgat, pariter utatur. Apud Gellium XIII, 28. sugillaverat quidam illud Claudii Quadrigarii *Mortalibus multis* pro *Hominibus multis*, tamquam *nimis poetice* dictum: cui Fronto ibi respondet, *Nihil autem arbitrare causse fuisse, quod vir* modesti atque puri ac prope quotidiani sermonis *Mortalibus maluit quam Hominibus dicere?* Auctor ad Herennium IV, 8. ubi de tribus orationis generibus sive figuris agit: *Gravis est*, inquit, *quae constat ex verborum gravium laevi ac ornata constructione: Mediocris est, quae constat ex humiliore, neque tamen ex infima & pervulgatissima verborum dignitate: Attenuata est, quae demissa est usque ad usitatissimam* puri sermonis *consuetudinem.* Caesar de Terentio:

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris & merito; puri sermonis *amator:*
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis.

ubi *puri* & *lenis* accipies, non tumidi, non inflati, non poetici. Sic *lene* & *purum* conjunxit ipse Terentius, Prologo Heaut.

Si quae laboriosa est ad me curritur;
Si lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura *oratio.*

Quam hic *puram* vocat orationem, alibi *tenuem* ac *levem* appellat, Prolog. Phorm.

Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas
Tenui *esse oratione ac scriptura* levi.

Verum illic ex sua, hic ex adversarii persona loquitur; qui, ut aemuli & invidi solent, virtutem orationis finitimi & propinqui vitii nomine traducit. Satis tamen ostendit, quid *purum* sit, cui confine & proximum vitium est *tenue* ac *leve.* Hanc ergo, cui recepta non satisfacit, Vigornienſis codicis lectionem sequatur: nos, ut nihil pronuntiamus, ita non poenitebit in medium eam protulisse, & pro modulo illustrasse.

v. 101. UT RIDENTIBUS ARRIDENT, ITA FLENTIBUS ADSUNT] Legendum sine dubio, ut jam olim Michael Piccartus, Theodorus Marcilius, Tanaquillus Faber viderant,

Ut ridentibus adrident, ita flentibus ADFLENT
Humani vultus.

Mendum in vulgata lectione satis produnt Reginenſis & duo alii ex nostris qui ADSINT habent; magis illi, qui, teste Marcilio, ADFLANT. Ego vero, cum manuscriptos varii generis in bibliotheca Vigornienſi juvenis versarem, in Grammatico quodam anonymo versum hunc citatum obiter reperi, & clare habebatur ADFLENT. Ut, inquit, *adrident* ridentibus, ita *adflent* flentibus. Nihil certius: ut aut pervicaces sint, aut quod dicere nolo, qui ineptum illud *Adsunt* ulterius tueantur. Plautus Paenulo V, 2, 149.

Ut adflet, *quo illud gestu faciat facilius.*

& Persa I, 3. v. 72.

Et ut adflet, *cum ea memoret.*

Sic *Adgemere, adstupere, attremere.* Statius Theb. XI, 247.

Flent moesti retro comites, & uterque loquenti
Adgemit. & III, 406.
cui fida manus procereſque, ſocerque
Adstupet *oranti.* & ibid. 309.
terras, caelum, fretumque
Attremere *oranti.*

Ovid. Metam. III, 459. [notavi,
Cum risi, arrides: lacrimas *quoque saepe*
Me lacrimante, *tuas.*

Seneca de Ira II, 2. *Inde est, quod* arridemus ridentibus,

Digitized by Google

ridentibus, & contriſtat *nos turba* maerentium, & *effervescimus ad aliena certamina.*

V. 113. ROMANI TOLLENT EQUITES PEDITESQUE CACHINNUM] Vitioſa & inepta lectio, quamvis ab omnibus Librariis recepta & propagata: quippe quae & ſententia & dictione peccat. Nuſquam enim *pedites* dicebantur niſi militiae; vel in triumpho forte vel pompa: domi *populus* vel *plebs* appellabantur. Nemo, inquam, ſcriptorum aliter locutus eſt; niſi Plautus ſemel, opinor, in perſona ſervuli riſum captantis, Poenulo II, 4. v. 10. de aedibus lenoniis:

Quodvis genus ibi hominum videas, quaſi Acheruntem veneris:
Equitem, peditem, *libertinum, furem, an fugitivum velis.*

Nihil igitur iſte ad Noſtrum facit, qui & alias verniles facetias ſpernit, & nunc cum maxime rem ſeriam agit. Martialis VIII, 50.

Veſcitur omnis eques *tecum* populuſque *patreſque.*

Vides *populum* dicere, non *pedites*; etſi verſus hoc admittat: neque aliter quiſquam. Peccat deinde, ut dixi, in ſententiam: non enim id voluit Noſter, neque tam bene de populo exiſtimavit, extemplo eum cachinnos ſublaturum fore, ſiquid actor loqueretur perſonae ſuae inconveniens. Immo vero ſemper eum ab Equitibus ſecernit; hos cum Senatoribus ſolos poetarum arbitros praedicat, Plebem ut ineptam & indoctam procul arcet & ſubmovet. Serm. I, 10. v. 76.

Non ego: nam ſatis eſt equitem *mihi plaudere, ut audax*
Contemtis aliis explosa Arbuscula dixit.

Epiſt. II, 1. v. 182. [*tam,*
Saepe etiam audacem fugat hoc terretque poetam
Quod numero plures virtute & honore minores,
Indocti ſtolidique & *depugnare parati,*
Si diſcordet eques.

Hoſne tu ſtolidos tam acres & peritos fabularum judices credis, ut riſum repente tollant, ſi minimum quid contra τὸ πρέπον a poeta peccatum fuerit? Immo vero fidenter repone, Librariorum populo valere juſſo,

Romani tollent equiteſque PATRESQUE *cachinnum.*

Vel, ſi id mavis, *Equites Patreſque.* Non ita magna mutatio eſt; & proclive erat, ut poſt equites *Pedites* inducerent. Noſter infra v. 248.

Offendentur enim quibus eſt equus & pater & res:
Nec ſiquid fricti ciceris probat & nucis emtor,
Aequis accipiunt animis donantve corona.

Vides, opinor, *equites* & *patres*, ut locis in theatro, ita & judiciis, a populo diſcriminari: illos ſolos in his Muſarum donis legitimos & honeſtos cenſores eſſe; plebeculam cum cicere ſuo nihil hic ſapere.

V. 116. AN MATRONA POTENS, AN SEDULA NUTRIX] Impune jam per tot editiones nimis diu graſſata eſt inficeta lectio. AN *matrona* habent primae Venetae & Loſcheriana; inde per reliquas dominata eſt. At in ſuis pleriſque codicibus Achilles Statius, Pulmannus, Berſmannuſque ET *matrona* repererunt; contenti tamen id indicaſſe modo, quaſi nihil intereſſet hoc an illud legeris. Nos ne in uno quidem τὸ AN vidimus, niſi quod Reginenſis utrumque habet ET AN *matrona.* Poſtea igitur ſic opinor legemus:

Intererit multum, Divusne loquatur an heros;
Maturusne ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus; ET *matrona potens, an ſedula nutrix;*
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus an Aſſyrius; Thebis nutritus, an Argis.

Praecipit hic, ut decorum in perſonis ſervetur pro varietate naturae, aetatis, conditionis, vitae generis, nationis, gentis. Ergo bina hic inter ſe opponuntur, Deus & heros, ſenex & juvenis, matrona & nutrix, mercator & agricola, Colchus & Aſſyrius, Thebanus & Argivus. Recte hoc; & ſic quidem procedet oratio, ſi ET adſciveris: nam unum idemque eſt, ut hic vides, utrum NE in priore membro ponatur necne. Atqui ſi AN legeris, tum inter quattuor iſta fiet oppoſitio, *Multum interit, ſenexne an juvenis an matrona an nutrix loquatur.* An ſiquidem non dividit, ſed continuat: ut Carm. I, 12.

Romulum poſt hos prius, an *quietum*
Pompili regnum memorem, an *ſuperbos*
Tarquini faſces dubito, an *Catonis*
Nobile letum.

ubi vides quattuor iſtos Romulum, Numam, Tarquinium, Catonem inter ſe hic comparari. Jam autem putidiſſimus fuerit Noſter, ſi ſcriptori ut ſingulire quiddam cavendum praeceperit, ne fervidus adoleſcens eodem modo loquatur ac matrona vel nutrix: quis enim tam vacui capitis, ut hoc neſciat? Vides jam, quantum haec ab illa lectione diſtet: neque dubitabis, utra utri praeferenda ſit. Conſule quae diximus ad Serm. I, 2. v. 63. & II, 4. v. 10.

Digitized by Google

v. 120. SCRIPTOR, HONORATUM SI FORTE REPONIS ACHILLEM] Videamus locum integrum: [*finge,*

Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia
Scriptor, HONORATUM *ſi forte reponis Achillem;*
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.

Ubi multum ſe torquent recentiores (Scholiaſtae enim nihil de hoc verbo annotant) cur Achillem *Honorati* epitheto poeta donaverit. Expreſſit, aiunt quidam, Homericum illud ΔΙΟΣ Αχιλλεὺς, quod ſingulis fere paginis occurrit. Bene ſane: quaſi non alii quivis eodem titulo ibi honeſtentur, etiam ipſe adulter *Paris*, & bonus ille *Subulcus*, δῖος Ἀλέξανδρος & δῖος συβώτης. At Cl. Dacierius, *Latine*, inquit, *vertit epitheton τιμήεντα, quod ubique Achilli ab Homero datur.* Enimvero, ſi ſic agemus, facillime & nullo negotio curva omnia corrigentur: cum ter quaterve, non ſaepius, in toto Homero compareat id vocabulum, neque ſemel ad Achillem pertineat. Immo, ait Lambinus, idcirco *Honoratus* Achilles; quod Thetis Jovem oraverit, ut filium *honoraret*, Il. I, 508.

Ἀλλὰ σὺ μέν μοι ΤΙΣΟΝ, ὀλύμπιε μητίετα Ζεῦ.

atque id ſub exitu Iliados a Jove conceſſum eſt. Vide quo devenimus, in quas anguſtias compulſi. Quippe tota Ilias ob Μῆνιν illam Ἀχιλλῆος, quod in *nullo honore* haberetur, compoſita & ſcripta eſt; nulla omnino futura, niſi *contumelia* Achilli facta materiam & argumentum ſuppeditaviſſet. Ipſe Achilles jam a principio queritur, nec Jovem nec Agamemnonem ſe vel hilum *honoraviſſe*. I, 354. & 412.

Τιμὴν πῦρ μοι ὄφελλεν ὀλύμπιος ἐγγυαλίξαι
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης· νῦν δ' οὐδέ μοι τυτθὸν ἔπεσε.
Τιμῶν δὴ κεῖνός γε Ἀτρεΐδης εὐρυκρείων Ἀχαιμένων
Ἠδ' ἄτην, ὅτ' ἄρειον Ἀχαιῶν οὐδὸν ἔπεσεν.

Immo adhuc indignatur libro IX, ſe ut *nullius pretii* homunculum & *inhonoratum exſilem* ignominioſe tractatum eſſe: v. 642.

Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, ὅππότ' ἂν αἰνῶν
Μνήσομαι, ὡς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν
Ἀτρεΐδης, ὥστε τιν' ἀτίμητον μετανάστην.

hoc eſt, vertente Cicerone Tuſcul. III, 9.

Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris,
Cum decore atque omni me orbatum laude *recordor:*

Neque id ſolum in cauſſa Briſeidos, quam Agamemnon vi abduxerat: verum etiam cum in lento illo novem annorum bello tres & viginti urbes ſua manu jam cepiſſet, meliorem ait praedae partem abſtuliſſe Agamemnonem; ſibi nihil eximii ceſſiſſe, non magis quam ſi in caſtris otioſus ſediſſet. v. 319, 333.

Ἐν δὲ ἰῇ πρῷῃ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.
Δικαίμονος διὰ παῦρα δυσαντιβολῆς, πολλὰ δ' ἔχοιτο.

Eant igitur, & novas hujus vocabuli rationes excogitent. Ego vero, quantumvis *honoratus* ſit Achilles, utcumque alias juſtum aptumque fuerit epitheton, hoc tamen loco prave abſurdeque poni contendo. *Famam*, inquit, *ſequere, & ſi reponis honoratum Achillem; ſit impiger, iracundus, inexorabilis.* Atqui & illud *Honoratus*, uti cetera quae ſequuntur, *fama* acceptum eſt, & partem characteris conſtituit. Ergo ſtulte in priore ſententiae colo ponit, quod in poſteriore dicendum erat, hoc exemplo, *Si Achillem reponis, ſit* honoratus, *impiger*, &c. At nunc perinde eſt, ac ſi dixerit, Si *impigrum* Achillem deſcribis, ſit *iracundus*. Quis ferat ὕστερον πρότερον tam praepoſtere narrantem? & quis non ſentiat nullum in priore membro moratum & χαρακτηριζον epitheton eſſe collocandum? Ita recte in ceteris; *Medea ſit ferox, Ino ſit flebilis, Ixion ſit perfidus, Io ſit vaga, Oreſtes ſit triſtis:* nuda hic vides nomina. Pone jam adjectiva χαρακτηριζοντα, *Impudica Medea ſit ferox, Fidus Oreſtes ſit triſtis*; & ridicule in protaſi id anticipas, quod in apodoſi demum venire debebat. Atque hoc quidem adeo certum eſt & ſua luce clarum; ut Cl. Dacierius, utcumque in notis fruſtra incruſtare conatus ſit, in verſione tamen Gallica ſciens prudenſque τὸ *Honoratus* omiſerit. Recte tamen dicere poteris, *Medea* Colchis *ſit ferox*, Agamemnonius *Oreſtes ſit triſtis*; quia haec & ſimilia morem, indolem, ingenium, conditionem, characterem perſonae non monſtrant neque formant. Quid multa? reſtituo tibi ſinceram lectionem jam a multis ſaeculis deperditam: [*chillem.*

Scriptor, HOMEREUM *ſi forte reponis A-*

Hoc cum Librariis nuſquam lectum nec auditum eſſet, non mirum adeo ſi quod proxime accedebat *Honoratum* interpolaverint. Famam, inquit, ſequere, & *ſi reponis Achillem Homericum*; talem tu illum exhibe, qualem Homerus memoriae prodidit. Recte autem *Homereus* ſive Homericus: ſic enim & ceteri heroes, Ulixes, Agamemnon, Neſtor aliique, qui Homero ſoli nomen & famam apud poſtores

Digitized by Google

ſteros debent, paſſim nominantur. Cicero De Legibus I, 1. *Aut quod* Homericus Ulixes *Deli ſe proceram & teneram palmam vidiſſe dixit.* De Divinatione I, 30. *Ex quo & illud* Homerici Hectoris, *qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiat.* Tuſcul. Quaeſt. III, 26. *Hinc ille* Agamemnon Homericus, *idemque Accianus,*

Scindens dolore identidem intonſam comam.

Et ibidem IV, 23. *Quid* ACHILLE HOMERICO *foedius, quid Agamemnone in jurgio?* Seneca De Tranquillitate c. 2. *Qualis ille* HOMERICUS ACHILLES *eſt, modo pronus, modo ſupinus, in varios habitus ſe ipſe componens.* Appuleius De deo Socratis. *Species quam ſolus Socrates cerneret, ita ut* HOMERICUS ACHILLES *Minervam.* Quintilianus II, 3. *Sit ergo tam eloquentia quam moribus praeſtantiſſimus, qui ad* Phoenicis Homerici *exemplum dicere ac facere doceat.* Gellius IX, 9. *Atque illud impenſe Probum eſſe demiratum in Virgilio dicebant, quod* Homerica quidem Λητὼ *gaudium gaudeat* (lege ex codice Lutetiae regio *gaudebat*) *genuinum & intimum.* Ammianus Marc. XXVII, 8. *Ut* Ulixes Homericus *apud Phaeacas ob difficultatem nimiam replicare formidat.* Et XXVIII, 1. *Ut inter innumera multa* Ajax quoque Homericus *docet, optans perire potius luce, quam pati formidinis augmenta nocturnae.* Juvenalis XIII, 113.

Tu miſer exclamas, ut Stentora vincere poſſis,
Vel potius quantum Gradivus Homericus.

At Noſter, quia *Homericum* verſu dicere non potuit, ad Graecam & rariorem inflexionem confugit, ut HOMEREUM diceret. Epigrammate in Catalectis LXVIII hortorum Deus loquitur:

Ruſticus indocte ſiquid dixiſſe videbor,
Da veniam: libros non lego, poma lego.
Sed rudis hic dominum toties audire legentem
Cogor, HOMEREAS *edidicique notas.*

ubi in ſcriptis codicibus cum mendoſe *meracas* ſit (teſte Heinſio ad Naſonem Epiſt. Sabini tertia) quaedam olim editiones *Homeraeas*, aliae *Homeriacas* praeferunt. Utrum voles ab auctore ſit (nam alterutrum ut ſit neceſſe eſt) aeque huic Noſtri loco conveniet: *Scriptor Homereum*, vel, ſi forte mavis, *Scriptor Homeriacum*, ut ab Helleſponto *Helleſpontiacus*, a Tarteſſo *Tarteſſiacus* & alia ſimilia. Nos *Homereum* ideo praetulimus, quod Graecis Ομήρειος magis placuiſſe comperimus. Inde Latine *Homerēus*, ut ab Ἀχίλλειος Ὀρέστειος *Achillēus Oreſtēus* & alia infinita Poetis familiaria. Sic Arati Phaenomena a ſe verſa Cicero ARATEA inſcripſit. Callimachus Epigr. VI. ΟΜΗΡΕΙΟΝ δ' καλέουσιν

Γράμμα. Κριναφίλη, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα.

Ita legunt Euſtathius ad Iliad. p. 250. & auctor Etymologici p. 240. At apud Sextum Empiricum I, 2. Ομήρου νῦν δὲ hodie fertur. Anthologia III, 14. Acerati.

Ἕκτορ ΟΜΗΡΕΙΗΣΙΝ αἰεὶ βιβρωθέντα βίβλοις.

& IV, 9. in Ulixen.

Τί πλέον; εἰ ἐπέεσσιν ΟΜΗΡΕΙΟΙΣ ἐδάσθην
Εἰκὼν ἀφθάρτοις ἐλλεφάρῳ σελίσι.

& alibi.

Τίς δ' ΟΜΗΡΕΙΟΙΣ ἀνεφίεσθε λόγοις;

& Μηδ' ἐς ΟΜΗΡΕΙΗΝ σελίδ' ἐμβάλητε, μηδ' ἐλαχεῖτε.

Stetimus, opinor, promiſſis, & revocatam ex oblivione veram lectionem ſatis firme conſtabilivimus; unum modo adjiciemus, idque haud levis momenti, vix aliter olim legiſſe veteres Scholiaſtas. Sic enim enarrant: *Reponis*, inquiunt; *itidem ſcribis. Si ergo Achillem, de quo ſemel* HOMERUS *ſcripſit, velis ſcribere; talem debes ſcribere, qualem* HOMERUS *oſtendit. Aut Reponis, ad imitationem* HOMERI *deſcribis.* Quorſum ſodes haec pertinent, niſi ad *Scriptor* HOMEREUM? At iidem, quod ad *Honoratum* faciat, nihil omnino habent.

V. 133. NEC VERBUM VERBO CURABIS REDDERE] Ita nunc paſſim editores, *verbum verbo*; & eodem ordine bis profert Servius ad Aen. I, 227. & XI, 1. Hieronymus ad Pammachium de optimo genere interpretandi: *Sed & Horatius vir acutus & doctus hoc idem in Arte Poetica erudito interpreti praecipit, Nec* verbum verbo *curabis reddere fidus interpres.* Ubi obiter notandum, falli hic eruditiſſimum Patrem; ac male accepiſſe, quemadmodum & multi hodie, verba Flacci. Non enim praecipit Interpreti; verum praecipit Scriptori Tragico, *ne interpres velit eſſe.* Huc alludit & Boethius in Porphyrium I, p. 46. *In quo quidem vereor, ne ſubierim fidei* (lege *fidi*) *interpretis culpam, cum* verbum verbo *expreſſum comparatumque reddiderim.* Alio tamen ordine verba collocant editiones principes, Venetae ambae & Loſcheriana, quibus accedunt veterrimi codices, Voſſianus, Graevianus, Leidenſis, Reginenſis cum aliis noſtris, ut & pluribus aliorum.

Nec VERBO VERBUM *curabis reddere.*

Utrum ex his auctor dederit, arbitrio aurium dijudicandum eſt. Claudius Quadrigarius apud Gellium IX, 13. *Manlius animo magis quam*

Digitized by Google

quam arte confisus scutum scuto *percussit, atque statum Galli conturbavit.* Ita nunc quidem fertur: sed Regius Lutetiae codex cum altero Morellii *scuto scutum* ibi habent; & sic opinor alii. Livius de eadem pugna VII, 10. *Romanus, mucrone surrecto, cum* scutum scuto *imum perculisset.* Sic hodie editores: verum olim dederant, *cum scuto scutum imum:* quod & compositio videtur poscere. Cicero Tuscul. IV, 35. *Etiam novo quodam amore veterem amorem, tamquam* clavo clavum *ejiciendum putant.*

V. 135. UT SCRIPTOR CYCLICUS OLIM] Reginensis a manu prima, & Vossianus secundus,

Nec sic incipies, ut scriptor CYCLIUS *olim.*

Recte: quippe Graecis κύκλιοι scriptores illi dicuntur. Euripides Helena v. 1329.

ΚΥΚΛΙΩΝ χορῶν ἔξω παρῆιμεν.

Aristophanes Nubibus:

ΚΥΚΛΙΩΝ τι χορῶν ἀσμοβελεμπέδων.

& Ranis:

ΚΥΚΛΙΟΙΣΙ χορεῦσιν ὑπαύλων.

& Avibus, ΚΥΚΛΙΑ μέλη, & Κυκλοδιδάσκαλος. Atque haec quidem ad *Cyclios Melicos* spectant: alii erant *Cyclii Epici*, qualem unum hic memorat Flaccus. Epigramma in Apollodori Bibliothecam: [ᾠδὸν ἀοιδῶν

Μὴ ΚΥΚΛΙΩΝ ζήτει πολύθρυλλον ἔπος· εἰς μέσ
Εὐρήσεις τὸ ἔμοὶ πάνθ' ὅσα κόσμος ἔχει.

Anthologia II, 40. In Poetas: [λήρους.

Τὰς ΚΥΚΛΙΟΥΣ τούτους, τὰς αὐτὰρ ἔπειτα
Μισῶ λεπταλέους ἀλλοτρίων ἐπέων.

Et hi quidem interdum Κυκλικοὶ vocantur apud Graecos Scholiastas, si non mendosa sunt exemplaria. sed tutius est vetustiores sequi; & suavius sonat *Cyclius olim*, quam *Cyclicus.*

V. 139. PARTURIENT MONTES] Ita codices nostri cum editis, excepto Regio, quisine litura exhibet, ut & duo Pulmanniani,

PARTURIUNT *montes, nascetur ridiculus mus.*

Valerius quidem Probus p. 1468, & Servius ad Aen. VIII, 83. *Parturient*, ut nunc quidem feruntur. Contra, S. Hieronymus contra Jovinianum lib. I. *Non est contentus nostro, id est, humano more loqui: altius quiddam aggreditur.* Parturiunt *montes, nascetur ridiculus mus.* Recte, & ita hic reponendum. Quippe illa omnia quae in URIO desinunt, *parturio, nupturio, micturio, esurio*, quae Meditativa recte vocant Grammatici, etiam in primo tempore Futuri vim habent. *Parturio* perinde est ac si dicas, *meditor parere, inibi est ut pariam.* Ita quae Graeci ἐπιθυμητικὰ *Desiderativa* vocant in ΕΙΩ exeuntia, qualia γαμητεῖω, βρωσείω, πολεμησείω, χασείω, habere dicuntur ἔμφασιν τοῦ μέλλοντος *significationem futuri.* Perperam igitur & indocte Librarii nostri, quia *Nascetur* continuo sequitur, *Parturient* eadem forma interpolarunt. Nam id ipsum, o boni, quod quaeritis, jam habetis. *Parturiunt* enim idem est, ac *jam parient:* & sic mus *nascetur.* At si *Parturient* substituitis, hoc est, olim meditabuntur parere; quando erit obsecro, ut mus iste nascatur?

V. 140. CAPTAE POST TEMPORA TROJAE] Codex pervetus Achillis Statii MOENIA, non *Tempora*; & ita noster Vigornienſis *Moenia* in contextu, *Tempora* inter lineas pro varia lectione ponit. Ausonius in Periocha I Libri Odysseae: [*Trojae*

Dic mihi, Musa, virum, captae post MOENIA *Trojae*
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Ita codices Ausoniani; quod ex vulgatis Horatii libris Mariangelus Accursius primus interpolavit. Recte vero *Moenia*, quod figuratius & πομπικώτερον; & *Captae* Trojae moenia, pro *captae*: qua locutione nihil poetis frequentius. Unde vero talis lectio, nisi auctor dedisset, a. Librariis excogitari potuit? *Post moenia capta*, ut Virgil. XI, 279.

Nec mihi tum Teucris ullum post eruta *bellum*
Pergama. Sabinus Epist. II.
Quicquid mito fuit post diruta Pergama.

Ovidius Fast. III, 438.

Fulmina post ausos *caelum affectare* gigantas
Sumta Jovi: primo tempore inermis erat.

Claud. Eutrop. II, 11.

veteri post obruta *morbo*
Corpora, *Paeonias nequicquam admoveris herbas.*

Equidem siquid hic mutatum vellem, *Funera* potius dicerem quam *Tempora*, ut Noster Carm. I, 8.

Sub lacrimosa Trojae Funera.

Lucretius V, 377. [jae

Cur supera bellum Thebanum & funera Tro-
Non alias alii quoque res cecinere poetae?

Sabinus Ep. I. [jae

Nunc primum Pallas versae post funera Tro-
Visa mihi: medium temporis ira tulit.

V. 145. ANTIPHATEN, SCYLLAMQUE, ET CUM CYCLOPE CHARYBDIN] Non ita belle disjungitur Scylla a Charybdi; & satis erat Charybdin ponere, ut Scylla agnosceretur. Quare nequeo non suspicari sic potius ab auctore fuisse; [*Charybdin.*

Antiphaten CIRCAMque, *& cum Cyclope*

Nam

Nam nulla ibi *miracula tam ſpecioſa* ſunt quam *Circae:* quae homines in brutorum formas virga magica vertebat. Quaerant, quibus antiquorum codicum eſt copia.

v. 154. SI PLAUSORIS EGES AULAEA MANENTIS] Vide modo locum:

Si plauſoris *eges aulaea manentis, & uſque*
Seſſuri, donec cantor, vos plaudite, *dicat.*

Numquam quiſquam a me impetrabit, ut hanc inhoneſtam ſcabiem Horatio imputem: *Plauſoris*, qui ſedeat uſque ad *Plaudite*. Sentis opinor ruſticam inconcinnitatem. Et ſane in pleriſque codicibus illud *Plauſoris* correctoris manum paſſum eſt. Graevianus primum habuit *plus oris*; Voſſianus *Pluſoris:* unus Oxonienſis *Plaſoris:* in Reginenſi integrum verbum in litura demerſum eſt, & ſuppoſitum alia manu *Plauſoris*. Repone, eadem quidem ſententia, verbo tamen hic commodiore,

Si FAUTORIS *eges aulaea manentis, & uſque*
Seſſuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat.

Noſter Epiſt. I, 18. v. 66.

Fautor *utroque tuum laudabit pollice ludum.*

& alibi, *Fautor Lucilii, Fautor veterum.* Utrumque junxit Epiſt. II, 1. v. 88.

Ingeniis non ille favet plauditque *ſepultis.*

Quin & in theatro *Fautor*, pariter ac *Plauſor*. Plautus Prol. Amphit. v. 67.

Nunc hoc me orare a vobis juſſit Juppiter,
Ut conquiſitores ſinguli in ſubſellia
Eant per totam caveam ſpectatoribus;
Si cui FAUTORES *delegatos viderint,*
Ut iis in cavea pignus capiatur togae.—
Virtutes ambire oportet, non FAVITORIBUS.
Sat habet FAVITORUM *ſemper, qui recte facit.*

Tacitus Annal. XIII, 25. *Luditram quoque licentiam &* fautores hiſtrionum *velut in proelia convertit.* Et iterum 28. *Quod immodeſtos* fautores hiſtrionum *& a praetore in vincula ductos tribunus omitti juſſiſſet.* Cicero pro Roſcio Comoedo c. 10. *Quod ſtudium, & quem* favorem *ſecum in ſcenam attulit Panurgus? Quod Roſcii fuit diſcipulus, qui diligebant hunc, illi* favebant. Appuleius in Floridis: *Cum primis hoc ſpectandum eſſe, quid in Theatro deprehendas: nam ſi Mimus eſt, riſeris; ſi Funerepus, timueris; ſi Comoedia eſt,* faveris; *ſi Philoſophus, didiceris.*

v. 157. MOBILIBUSQUE DECOR NATURIS DANDUS ET ANNIS] Ego vero quaenam illae ſint *mobiles naturae*, parum intelligo:

Aetatis cujuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſque decor naturis dandus, & annis.

Quippe variae hominum naturae, unde fit ut alii aliis iracundiores, audaciores, tardiores ſimus, adeo non ſunt *mobiles*, hoc eſt facile mutabiles; ut nulla quidem induſtria mutari poſſint. Eleganter Lucretius III, 308.

Sic hominum genus eſt: quamvis doctrina politos [quit
Conſtituat pariter quoſdam, tamen illa relin-
Naturae *cujuſque animi veſtigia prima.*
Nec radicitus evelli mala poſſe putandum eſt;
Quin proclivius hic iras decurrat in acres,
Ille metu citius paullo tententur; at ille
Tertius accipiat quaedam clementius aequo.
Inque aliis rebus multis differre neceſſe eſt

Naturas *hominum varias, moreſque ſequaces.* Vides naturarum ſingularum veſtigia nulla doctrina nec inſtitutione penitus deleri poſſe; tantum abeſt ut *mobiles* ſint & ſe ipſae itentidem mutent. Ovidius Epiſt. Hypermneſtrae v. 55.

Femina ſum & virgo, natura *mitis &* annis:
Non faciunt molles ad fera tela manus.

mitis annis, quia *virgo*; mitis natura, quia *femina:* ut non magis natura, quam ipſe ſexus ſit mobilis. Infinita ſunt apud Philoſophos, Ciceronem praeſertim, huc facientia; unde ſcias naturas & ingenia per totam vitam manere, ſtudia & cupiditates pro aetate variare. Quorſum igitur *Naturae* hic apud noſtrum, ubi varios tantum *aetatum mores* commemorat? Phidippus ſenex, Terent. Hec. II, 2.

Aliud fortaſſe alii vitii eſt: ego ſum animo leni natus;
Non poſſum adverſari meis.

Antipho adoleſcens, demiſſus & timidus. Phorm. I, 4.

Non ſum apud me: Non poſſum immutarier.

Ea Phidippo lenitas, Antiphoni timiditas a *natura* erat. An tu omnes ideo ſenes in ſcenam induxeris *lenes* & obſequentes? juvenes autem, *modeſtos* & meticuloſos? Immo hoc ipſo in loco praecipit Noſter, ut *difficiles, queruli* inducantur ſenes, juvenes autem *ſublimes, cupidi*, feroces. *Oſtendit Antipho*, ait Donatus, NATURAE *ſuae timiditatem nullis adhortationibus ejici poſſe.* Vides jam aliud eſſe vitium *aetatis*, aliud *naturae:* & tam falſo *naturas mobiles* hic dici, quam inepte cum *annis* & *aetatum moribus* conjungi. Et ſenſiſſe quidem haec incommoda videntur ſagaciores Interpretum; dum ſollicite quaerunt & reſpondent, quid hic *Naturae* ſibi velint. At Cl. Dacierius ita nulla hic difficultate offenſus eſt, ut *bellum eſſe verſum* exclamet, *Naturas*

Digitized by Google

turam autem hic esse *Aetates*. Belle sane: tu tamen, si me audis, hoc bellum admiratori suo relinque, & sic ocius repone:

Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor, MATURIS *dandus & annis.*

Maturis annis, hoc est seniorum, *Mobilibus*, hoc est juniorum, suus quibusque decor tribuendus est: quod quomodo fiat, per singulos aetatum gradus fuse mox persequitur. *Maturi*, inquam, anni sunt seniles & viriles. Noster supra v. 115.

Maturusne senex, *an adhuc florente juventa*
Fervidus. & Carm. IV, 4.
Natosque maturosque patres.

Virgil. Aen. V, 73.

Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus *Acestes.*

Ovid. Met. VIII, 617.

Lelex animo maturus & aevo.

XIV, 617. *Remulus* maturior annis.

XV, 210.

Excipit Auctumnus, posito fervore juventae
Maturus *mitisque inter juvenemque senemque.*

Tacitus Ann. I, 4. *Tiberium Neronem*, maturum annis, *spectatum bello.* Sic *matura aetas*, *maturitas aetatis*, *matura senectus*, passim. Cicero de Senectute c. 10. *Sua cuique parti aetatis tempestivitas est data; ut & infirmitas puerorum, & ferocitas juvenum, & gravitas* jam constantis *aetatis, & senectutis* maturitas *naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat.* Ubi obiter nota illud *Constantis aetatis*; ut & infra c. 20. *Sunt & ineuntis adolescentiae studia; num ea* constans *jam requirit* aetas, *quae* media *dicitur? sunt etiam hujus aetatis: ne ea quidem quaeruntur a senectute.* Inde enim discas, quae & quamobrem *mobilis aetas* dicatur: *constans* enim & *mobilis* sunt Opposita. Cicero pro Q. Roscio. c. 16. *Venit ad Cluvium: quem hominem? levem? immo gravissimum:* mobilem? *immo* constantissimum: *familiarem? immo alienissimum.* Ergo ut *maturi anni* constantem & senilem aetatem, ita *mobiles* puerilem juvenilemque denotant. Virgil. Georg. III, 165.

Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, *dum* mobilis aetas.

Atque hanc equidem emendationem jam olim ex conjectura feceram; postea vero nactus Vigornienſem codicem, ut vidi, ut delectatus sum, cum inter lineas ibi pro varia lectione adscriptum reperi, *Aliter* MATURIS. Codici igitur huic fidem habeat, qui argumentis & rationibus duci non potest. Quin & olim inter Scholiastas erant qui sic legerent, ut ex laceris illis reliquiis divinare possis. Enarrator Cruquianus: *Naturis*] *aliud enim puerum decet, aliud adolescentem, aliud* MATURUM *senem.* Acron: *Puero, adolescenti, &* MATURO *seni* (sic MS. non sene) *τὸ πρέπον, id est, decorum cuique proprium tribuendum est.* Profecto qui haec commentati sunt, non *naturis*, sed *maturis* interpretari jure videantur. Jam autem praeter sententiae virtutem, etiam compositionem hoc pacto dulciorem & nitidiorem esse, qui aurem purgatam habet facile agnoscet.

v. 172. DILATOR, SPE LONGUS, IRES, AVIDUSQUE FUTURI] Quid illud *spe longus* hic sibi velit, anxie quaerunt, neque se expediunt Interpretes. Experiamur & nos, si majorem forte lucem obscurissimae dictioni possimus affundere. Principio illud pro comperto habendum est, in his aetatum characteribus ut Aristotelem Naturae, ita Nostrum Aristotelis vestigiis institisse. Is igitur Rhet. II, 13, senes δυσέλπιδας esse tradit, hoc est, *desperantes, vix & tarde & tenuiter sperantes*; idque cum ob *experientiam*, quod pleraque in vita male cecidisse meminerunt, tum ob *timiditatem.* Idem senectutis vitium & Cicero perstringit, Epist. ad Fam. II, 16. *Recordor enim* desperationes *eorum, qui* senes *erant, adolescente me. Eos ego fortasse nunc imitor, & utor* aetatis vitio. *Spe longus* itaque idem apud Nostrum notare debet, quod apud Graecum δύσελπις; id vero qui fieri possit, aut non contrarium potius significet, haud ita manifestum est. Phrasi quidem hac *spe longus* nemo quisquam qui hodie extant veterum usquam est usus: id tamen quodammodo aut pene certo quid sibi velit scire possumus, si *spes longa* quae sit semel rescierimus. Noster Carm. I, 4. [longam

Vitae summa brevis spem *nos vetat inchoare*
Jam te premet nox, fabulaeque Manes,
& I, 11. *sapias, vina liques, & spatio brevi*
Spem longam *reseces: dum loquimur, fu-*
Aetas. (gerit invida.

Seneca Epist. XXII. *Facile est occupationes evadere; si occupationum praemia contemseris: illa sunt, quae nos morantur & detinent. Quid ergo? tam* longas *spes relinquam? ab ipsa messe discedam?* Idem alibi, *O dementiam in brevi aetate* spes longas *inchoantium!* Sic Ελπίδες μακραὶ Plutarcho Περὶ τῆς εἰς ἔκγονα φιλίας.

Digitized by Google

φιλίας. p. 881. De muliere infantem alente. Τίνων ταῦτα μισθῶν ἢ χρεῶν ἐκείνοις; ἀλλ' ὑδὲ τοῖς νῦν· καὶ γὰρ ἐλπίδες ἄδηλοι τῷ μακρᾷ. Statius Theb. II, 321.

exedere animum dolor iraque demens,
Et qua non gravior mortalibus addita cura,
Spes *ubi* longa *venit.*

& I, 322. eleganter; Spes *anxia mentem*
Extrahit, & longo *consumit gaudia voto:*

quod pari elegantia expressit & variavit Claudianus in Prob. & Olyb. v. 65.

non anxia mentem
Spes *agit, &* longo *tendit praecordia voto.*

Juvenalis I, 133.

Vestibulis abeunt veteres lassique clientes,
Votaque deponunt: quamquam longissima *cenae*
Spes *homini: caulis miseris atque ignis emendus.*

Sallustius apud Servium: *Et Metello procul agente* longa spes *auxiliorum.* In his omnibus locis *spes longa* eadem est quae *sera, longinqua*, quae in longinquum extenditur. Tacitus Annal. XIII, 37. *Posse illi regnum stabile contingere, si omissa* spe longinqua & sera, praesentem *potioremque sequeretur.* Livius V, 6. *Insuescere militem nostrum, non solum parta victoria frui; sed, si res etiam lentior sit, pati taedium, & quamvis* serae spei *exitum expectare.* Statius Silv. II, 1. v. 52.

O *ubi* venturae spes non longinqua *juvenes*

& Theb. XII, 339. [*tae?*

gratum est fortunae: peracta est
Spes longinqua *viae.*

Quamobrem, si *spe longus* (id quod ne dubitandum quidem est) is demum recte dicitur, qui *spes longas*, longinquas, seras solet concipere; minime omnium hoc senibus competit, qui in extremo vitae curriculo non nisi *praesentes* & propinquas audent assumere. *Spe longus* igitur alterius aetatis vitium notabit, minime senilis. Virgilius de juvene: X, 547.

Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo
Crediderat, caeloque animum fortasse ferebat;
Canitiemque sibi & longos *promiserat annos.*

At senibus contra spes curtae brevesque sunt, in certae & necessariae mortis confinio positis: ἐλπὶς γὰρ ἔστι μέλλοντός τινος· τὸ δὲ μέλλον ἔστι τῷ γεγόνοτι τὸ μέλλον ὀλίγον, ait Graecus; *Spes siquidem futuri est; at in vita* senum *quod futurum est, parvum est.* Ubi nunc sunt, qui imperiose jubent *spe longus* δύσελπις accipere? Sententia quidem hoc & natura ipsa jubet; verba vero refragantur & reclamant, immo contraria prorsus sunt; cum, ut satis jam vidimus, *spe longi* juvenes merito dicendi erunt, senes autem *spe breves.* Quid ergo? Hoccine ut Horatio credamus excidere potuisse? Tentandum certe aliquid est, si forte damnatum hominem & sub furca caedendum calumnia periculoque liberemus. Id quidem in propatulo est, LONGUS & LENTUS passim a Librariis permutari solere. Noster, ut vulgo nunc fertur, Epist. I, v. 21. *Dies longa*; sed ibi Barthii codex *lenta* praefert. Ovid. Fast. II, 722. *lentas moras*; ubi alii codices *longas.* Trist. IV, 1. v. 86. *Tempora lenta*; sed plures ibi membranae *longa.* In Claudiani loco jam citato,

& longo tendit praecordia voto:

sunt ibi, quae *lento* exhibent, teste Heinsio: & pari modo variatum est in scriptis quibuscumque. Tu igitur, si Horatio faves, idem hoc in loco facinus admissum crede, & sic mocum restitue:

Dilator, spe LENTUS, *inops, aviduſque futuri.*

Lentus siquidem tardus est, & *spe lentus* recte dicetur δύσελπις, qui tarde, aegre, difficulter ad spem erigi potest. Et *lenta* quidem *spes* utramque significat, & *longam spem* & *tardam*; & quae longe porrigitur, & quae diuturna mora trahitur, & quae tarde assumitur, & quae timide fovetur. Livius V, 5. *Brevis enim profecto res est, si uno tenore peragitur; nec ipsi per intermissiones has intervallaque* lentiorem spem *nostram facimus.* Idem VI, 8. *Quae postquam nulla eruptione impediri videt; minus esse animi ratus in hoste, quam ut in eo tam* lentae spei *victoriam exspectaret.* Idem XXX, 28. *Quum assuessent per aliquot annos bellum ante oculos aliis atque aliis Italiae partibus* lenta spe *in nullum propinquum debellandi finem gerere.* Ovid. Heroid. II, 9.

Spes *quoque* lenta *fuit: tarde quae credita laedunt,*
Credimus: invita nunc & amante nocent.

In his locis *spes lenta* est, quae longa mora extrahitur: at alibi est, quae lente, segniter, & cunctanter inchoatur. Idem Heroid. XVII, 107. ubi Helena Paridi:

Si te vidissem, primus de mille fuisses.
Judicio veniam vir dabit ipse meo.
Ad possessa venis praeceptaque gaudia serus.
Spes *tua* lenta *fuit; quod petis, alter habet.*

Ubi palam est, *spem lentam* esse; aut quae sero nimis & tarde incepta est, aut quae timide frigideque nutrita: ut sit aut *Prinsquam* tu

tardus

tardus ſpem mei aliquam cepiſti, aut *Dum* dubitas, cunctaris, & ceſſas, alius te praevenit, & me uxorem duxit. Utrovis autem ſenſu, ſive potius utroque, *ſpe lentus* erit δύσελπις, & ad ſenes pertinebit; qui & *tarde* & *timide* ſperant omnia. LENTUS SPE, caſu auferendi, vel *Lentus ſpei* caſu patrio; *ſpe.* enim, ne id forte neſcias, genitivi caſus poterit eſſe, ut alibi apud Noſtrum *Conſtantis fide*, & ſic apud alios. Silius Italicus III, 136.

Dum lentus coepti *terra cunctaris Ibera.*

Ita *Pronus ſpei*, Appul. Metam. III & VIII. Ita *felix operum*, *laetus laborum*, & alia id genus Poetis frequentiſſima. Verbo ut dicam, *Lentus ſpe* erit & tardus & timidus; *Longus* vero neutrum.

Ibidem v. 172. INERS, AVIDUSQUE FUTURI] Nondum nobis conceſſum eſt, pedem hinc proferre: quid enim illud obſecro eſt?

Dilator, ſpe lentus, iners, AVIDUSQUE *futuri.*

Interpretes quidem tam veteres quam novi, *futuri avidum* vitae cupidum accipiunt, ut idem ſit quod Ariſtoteles dixerat, φιλόζωοι, καὶ μᾶλιστα ἐπὶ τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ, *ſenes vitae appetentes, & praeſertim ſub ſupremo vitae die:* atque hoc dicto, probe & egregie rem explicuiſſe ſe arbitrantur. Atqui, o boni, unde nobis *futuri* perinde erit ac *vitae?* Certe qui *avidus futuri* eſt, & odit praeſentia, & ſperat in poſterum meliora. An igitur *ſupremo die* ſenex eſt futurorum cupidus, cum mors adeſt praeſoribus, & januam pulſat? quomodo igitur φιλόζωος? an ideo futuri cupidus, quia craſtina ſemper meliora ſperat? quomodo ergo δύσελπις? Haec inepta ſunt & plane ἀσύστατα. Ego vero jam olim vidi legendum;

Dilator, ſpe lentus, iners, PAVIDUSQUE *futuri.*

poſtea in eximio codice Reginenſi literam unam animadverti ante τὸ *avidus* jam eraſam eſſe; quae nulla alia praeterquam P eſſe potuit. Noſter Serm. II, 2. v. 110.

An qui contentus parvo, metuenſque futuri,
In pace ut ſapiens, aptarit idonea bello.

Evander ſenex apud Virgilium VIII, 580.

Dum curae ambiguae, dum ſpes incerta futuri.

Lucretius III. 837. de Anima loquens:

Praeter enim quam quod morbis cum corporis aegret,
Advenit id quod eam de rebus *ſaepe* futuris
Macerat, inque metu *male habet*, curiſque
Ovid. Metam. VI, 137. [*fatigat.*
ne ſis ſecura futuri.
IX, 423. *Venerem quoque* cura futuri
Tangit. & XIII, 363.
Tu vires ſine mente geris; mihi cura futu-
Noſter Serm. I, 1. [ri *eſt.*
haud ignara ac non incauta futuri.

Omnia haec, ut vides, ad curam & metum futuri ſpectant. *Pavidus* ergo *futuri*, id ipſum quod Ariſtoteles de Senibus tradit, δειλοὶ ἐν πάσῃ ἀσφαλείᾳ, *meticuloſi & de omnibus futuris paventes.* Attende autem, ut pulchre jam omnia ſibi conveniant, & eodem collimment: *dilator, lentus ſpe, iners, futuri pavidus:* nempe hic habes, cunctationem, ſegnitiem, timiditatem, deſperationem, propinqua & cognata vitia. At illa quam incommode conjunguntur, *iners* & *avidus?* ſiquidem inertis eſt, nihil cupere. Poſtremo ipſa, ni fallor, dictio a natura & ſenſu abhorret. *Avidus futurorum* fortaſſe dici poteſt, qui rerum novarum cupidus eſt, cui praeſentia diſplicent aut in faſtidio ſunt: at *avidus futuri*, ubi *Temporis* opinor ſubauditur, nemo hominum aut fuit aut dictus eſt. Quod ſi idem eſſe *futuri* ac *futurorum* contenderis; at non aetatis demum id vitium erit, verum indolis aut conditionis: neque ſenibus magis, immo minus conveniet, quam natu minoribus.

v. 185. NEC PUEROS CORAM POPULO] Ita hodie NEC paſſim circumfertur; at editiones veteres, Berſmanni codices tres, noſtrique praeter duos ex recentiſſimis omnes, NE; quam veram eſſe lectionem locus ipſe demonſtrabit; *multaque tolles*

Ex oculis, quae mox narret facundia praeſens;
NE *pueros coram populo Medea trucidet.*

Tolles, inquit, ex oculis; *ne*, ἵνα μὴ, coram populo nefaria illa & atrocia & incredibilia oſtendantur. Ut paullo ante v. 176.

Multa ferunt anni venientes commoda ſecum,
Multa recedentes adimunt; NE *forte ſeniles*
Mandentur juveni partes.

Vide Ser.n. I, 1. v. 94. Amat hanc conjunctionem Horatius.

v. 197. ET REGAT IRATOS, ET AMET PECCARE TIMENTES] Sic quidem editiones omnes, ſed, aut valde fallimur, aut gomino mendo laborat locus hic de Choro:

Ille bonis faveatque & conſilietur amice,
Et regat iratos, & amet peccare timentes:
Ille dapes laudet menſae brevis, ille ſalubrem
Juſtitiam legeſque, & apertis otia portis.

Qui Graecos Tragicos & Senecam verſaverunt, nihil in his haerebunt, quantum ad rem attinet: eſt vero quod in dictione jure vitu-

Digitized by Google

peremus. Quinam enim illi ſunt *peccare timentes?* non a bonis opinor diverſi ſunt. At jam dixerat *faveat bonis*, quod aut idem aut plus eſt, quam *amet bonos*. Quid igitur novi ad ſententiam haec conferunt? Noſter Epiſt. I, 16. v. 52.

Oderunt peccare boni, virtutis amore:
Tu nihil admittes in te, formidine poenae.

Ubi boni, ut vides, *oderunt peccare:* prava vero & ſervilia ingenia *timent peccare:* illos *amor virtutis* retinet, hos *poenae formido* coercet. Quid ergo? Jubeſne ne ut hos chorus amet & laudet? Quid, quod ipſum illud *Amet* nimis inops & languidum videtur; neque attingit ad felicitatem Horatianam. Praecipit enim, quid chorus dicat, non quid ſentiat; quid laudet, cui faveat & conſilium det, non quem *amet:* quod, cum intra pectus verſetur, nihil ad ſpectatores attinet. Faceſſant igitur haec; & meliora illa reponantur,

Et regat iratos, & amet PACARE TUMENTES.

Pacare Manuſcripti aliquot Statii, unuſque Cruquii exhibet: Graevianus *Pecare*, prope verum. At Pulmanni liber utrumque praefert, *Pacare tumentes*. Regat, inquit, iratos, & *amet*, ſive ſoleat, tumentes lenire, *pacare*, ſive *placare*; nam haec unum fere idemque ſunt, & variant plerumque codices ſcripti. Noſter Serm. II, 8, 5.

Quae prima iratum *ventrem* placaverit *eſca.*

ubi quinque ex noſtris *placaverit* habent, ſeptem *pacaverit*. Virgil. Aen. I, 142.

Sic ait, & dicto citius tumida *aequora* placat.

Claudianus IV Conſ. Hon. v. 225. de Virtute:

Hanc tamen haud quiſquam, qui non agnoverit ante
Semet, & incertos animi pacaverit aeſtus,
Inveniet.

Recte vero *Irati* & *Tumentes* junguntur. Virgil. VIII, 40.

Nec belli terrere minis. tumor *omnis & irae*
Conceſſere deum.

ubi vett. edd. male *timor*. Expreſſit hic Virgilium Statius, Theb. V, 435. de Minyis Lemnum advenientibus.

Eminus abrupto quatiunt nova litora ſaltu,
Magnorum decora alta patrum, jam fronte ſereni,
Noſcendique habitu, poſtquam tumor iraque *Vultibus.* [ceſſit

Ita legendum, non *timor*, quod & editi & quattuor noſtri codices exhibent. Virgilius VI, 407. de Charonte:

tumida *ex* ira *tum corda reſidunt.*

& ibidem 49. de Sibylla: [ment.

Sed pectus anhelum, Et rabie *fera corda* tu-

Noſter ſupra v. 64.

Iratuſque *Chremes* tumido *delitigat ore.*

Seneca Thyeſte. 519.

Ponatur omnis ira, *& ex animo* tumor
Eraſus abeat. & Phoeniſſ. 352.

Tumet *animus* ira, *fervet immenſum dolor.*

Capitolinus in Pertinac. c. 11. *Sed cum unus e Tungris* in iram & tumorem *milites loquendo adduxiſſet.* Ita recte emendavit Salmaſius, cum vulgo eſſet *timorem.* Livius XXXI, 8. *Multis in Italia contactis gentibus Punici belli ſocietate*, iraque *inde* tumentibus. Lactantius De ira Dei c. 18. *Dediſſet* irae *ſpatium; ut reſidente per intervallum temporis* animi tumore, *haberet modum caſtigatio.* Arnobius lib. I. *Nullus* tumor indignationis *in diis eſt.* Quintilianus Declam. XIII. *Etiamſi diverſis regibus* (apum) *coorta ſeditio ad bellum inflammavit* iras, *exiguo pulvere vel unius poena ducis reſedit omnis* tumor. Seneca de Ira III, 2. Rabies *infanda civitatem tulit; nec datum tempus, quo reſideret* tumor *publicus.* Statius Theb. IX, 79. de Polynice manus ſibi illaturo.

exuerat vagina turbidus enſem,
Aptabatque neci: comites tenuere, ſocerque
Caſtigat, bellique vices ac fata revolvens,
Solatur tumidum.

Ubi *ſolari tumidum* plane idem eſt ac *pacare tumentem:* &, ut iterum diſcas quam proclive eſſet Librariis locum hunc Flacci interpolare, codex Statii Petrenſis *timidum* nobis & hic obtrudit. Jure igitur, opinor, lectionem hanc adſcivimus: quam ne forte incuſes ut nimis prope ad *iratos* accedentem, & bis fere idem dicentem (etſi & hoc inique feceris) ſcias *tumentes* hic non *ira* modo, ſed dolore ac quavis recenti animi commotione recte accipi; immo ubi varius & mixtus eſt aeſtus irafcentis, dolentis, pudentis, dedignantis; ubi, ut in Turno Mezentioque, *aeſtuat ingens*

Uno in corde pudor, mixtoque inſania luctu.

Ita *tumor* de dolore & luctu Cicero Tuſcul. III, 12. *Et quidem inveterato malo, cum* tumor animi *reſediſſet.* Et 31. *Erat enim in* tumore *animus, & omnis in eo tentabatur curatio.* Et IV, 29. *In Conſolationis libro, quem in medio moerore & dolore conſcripſimus: quodque vetat Chryſippus ad recentes quaſi* tumores animi *remedium adhibere, id nos fecimus.* Hos igitur *pacare* amat Chorus, non irafcentes modo ſed & *dolentes:* Claudianus XLIX de fonte Apono:

Pacatur-

Digitized by Google

Pacaturque *aegro luxuriante* dolor:
immo & *metuentes* quoque; ut qui velit, etiam illud vindicare poſſit, *Et amet pacare timentes*, quod plures codices agnoſcunt. Seneca Epiſt. LIX. *Nil ſtultitia* pacatum *habet; tam ſuperne illi* metus eſt, *quam infra: utrumque trepidat latus.* Et huc trahi forte poteſt illud Manilii, IV, 182.

Et pacare metu *ſilvas, & vivere rapto.*

V. 202. TIBIA NON, UT NUNC, ORICHALCO VINCTA] Illud VINCTA recentioribus magis placuit; at editiones vetuſtae cum majore parte membranarum JUNCTA praeferunt: quorum utrumque, tam ſenſu conſimile, quam literarum ductu videtur. Tibia vero haec, quam *ſimplici* opponit, ex variis materiis *compoſita* vel inde exiſtimanda eſt. Malumus igitur JUNCTA; ſive ferruminatam, ſive alio modo aptam & compactam intelligis. Plinius Hiſt. XXXIII, 5. *Plumbum nigrum albo* jungitur, *ipſumque album ſibi oleo.* Et iterum XXXIV, 16. Jungi *inter ſe plumbum nigrum ſine albo non poteſt, nec hoc ei ſine oleo.* Ubi *Jungi* accipe, ferruminari. Digeſt. VI, 1. 23. *Caſſius dicit, ſi ſtatuae ſuae* ferruminatione junctum *brachium ſit, unitate majoris partis conſumi.* Virgil. Eclog. II.

Pan primus calamos cera conjungere *plures*
Inſtituit.

Et Eclog. III. *aut umquam tibi fiſtula cera*
Juncta *fuit.*

Joannes Saresb. Prologo VI Polic. *Nam quis a ſemipagano* tibiam orichalco junctam & aemulam tubae *grandioris exſpectet?* Vide ad Carm. III, 19. V. 17.

V. 209. ET URBEM LATIOR AMPLECTI MURUS] Ita editi ſcriptique LATIOR; ſed id perinde eſt ac *Craſſior*, quod minime hic vult Horatius. Curtius lib. V. de muro Babylonis: *Spatium triginta & duorum pedum* in latitudinem *amplectitur.* Hyginus Fab. CCXXIII, de eodem: Murus *in Babylonia, quem fecit Semiramis*, latum *pedes* XXV, *altum pedes* LX. Juvenalis XII, 59.

Confiſus ligno, digitis a morte remotus
Quattuor; aut ſeptem, ſi ſit latiſſima *teda.*

Repono igitur, minima mutatione;

Poſtquam coepit agros extendere victor, & urLAXIOR *amplecti murus.* (bem

Latus pro *Laxus* paſſim interpolarunt Librarii: Ovidius Faſt. II, 456, & Amor. II, 10. V. 18.

Carceris Aeolii janua laxa *patet.*
Et medio laxe *ponere membra toro.*

Ubi major pars codicum *lata* & *late* exhibent. Aurelius Victor in Aureliano: Muris *urbem quam validiſſimis* laxiore ambitu *circumſepſit.* Victor Schotti in eodem: *Hic* muris *validioribus &* laxioribus *urbem ſepſit.* Quintilianus Declam. XII. *Exhauſta eſt civitas funeribus, & deſolatae domus, triſte florentis quondam fortunae indicium,* LAXI MURI. Seneca de Beneficiis VII, 10. *Aedificia privata* laxitatem *urbium magnarum vincentia.* Conſol. ad Marciam, c. 17. *Videbis Syracuſas, ipſam ingentem civitatem,* laxius *turritam, quam multarum urbium fines ſunt.* Ita Cicero, Laxe *habitare:* Velleius Paterc. II, 8. *Quo* laxior *fieret ipſius domus.* Plinius Hiſt. VI, 27. *Charax, oppidum Perſici ſinus intimum — III mill. paſſ.* laxitate. Recte igitur, *Laxior murus amplecti coepit*, hoc eſt, amplior, ſpatioſior.

V. 260. IN SCENAM MISSOS MAGNO CUM PONDERE VERSUS] *Hic locus, ſiquis alius in hoc auctore, non parum,* ut ait ipſe, *D. Heinſium exercuit:* *Hic & in Acci*

Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.
In ſcenam miſſos magno cum pondere verſus,
Aut operae nimium celeris curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.

Rem tandem expedire ſibi viſus eſt, mutata diſtinctione, *apparet rarus: & Enni*

In ſcenam miſſos magno cum p. &c.

Ego vero, quid profit, aut ut laboranti loco medeatur haec diſtinctio, nullus video. Ligat quidem & coagmentat orationem, diſſolutam alioquin & hiantem: ipſam vero difficultatem intactam relinquit. *Hic*, inquit, pes Iambus, *rarus apparet in Accii trimetris; & premit verſus Enni crimine ignoratae artis.* Quid narras? An *verſus* aut ſciunt, aut ignorant artem metricam? Quis ita ſentit, quis umquam ſic locutus eſt? Illud quoque quale eſt? *premit verſus crimine operae celeris & neglegentis.* An *verſus* ſe ipſi faciunt, & metri curam habent; ut crimen incuriae ipſis, non auctori impingatur? *Iambus* vero, inquit, *accuſat verſus cum magno pondere miſſos:* quomodo ſodes is accuſat aut *crimine premit*, qui non *apparet?* Haec & in vulgata & in Heinſiana diſtinctione vitia ſunt; qualia quidem nec defendi nec excuſari poſſunt. Tu vero lege mecum & diſtingue,

Hic & in Acci,
Nobilibus trimetris apparet rarus & Enni.
In ſcenam MISSUS CUM MAGNO *pondere verſus*
Aut operae nimium celeris, &c.

Digitized by Google

Cum Iambus, inquit, ex artis & muſicae ratione ter in unoquoque trimetro apparere debeat, in ſecunda ſcilicet & quarta & ſexta ſede; neglexerunt hoc poetae veteres Accius, Ennius ceterique; contenti enim ſextum modo pedem Iambum facere (ſine quo nullum verſus veſtigium eſſet) in ceteris ſuſque deque habuerunt: adeo ut Iambus extra pedem ultimum rarus apud illos appareat. Sic in his Ennii Acciique apud Ciceronem:

Argo, qua vecti Argivi delecti viri:
Colchis imperio regis Peliae per dolum:
Fremebunda ex alto ingenti ſonitu & ſpiritu:
Ita dum interruptum credas nimbum volvier:

in his inquam, omnibus nullus eſt Iambus, praeterquam in loco ſexto. At, inquit Noſter, hujuſmodi *verſus, cum magno* ſpondeorum vel Anapaeſtorum *pondere in ſcenam miſſus, premit* ſcriptorem aut incuriae crimine, aut ignorantiae. Verum quidem hoc eſt: non tamen ignorantia, ſed neglegentia & ſpe veniae peccabant veteres. Cum enim Latinus ſermo pauciores habeat breves ſyllabas, quam Graecus: qui primi Graeca verterunt, labore & difficultate territi, ſimulque & ſpectatorum imperitia fidentes atque abutentes, ſpondeos paſſim pro Iambis intruſerunt. Cumque in re nova nemo eſſet qui correctius ſcriberet; ſine comparatione pulchriorum vel deformia illa ſatis pulchra videbantur,

Et data Romanis venia eſt indigna poetis.

Poſtea tamen ſub Horatii aetate, cum Graeca paſſim in manibus eſſe coeperunt, non ulterius aequis auribus accipiebantur tarde volventes ſpondei, ſed coacti ſunt poetae ad artis legem & normam Graecorum modulatius ſcribere. Quod cum ex Senecae Tragoediis jam licet cognoſcere, tum ex Fragmentis quae ex Ovidii, Varii, Gracchique Fabulis hodie ſuperſunt. Ovidius Medea, apud Quintil. VIII, 5.

Servare potui, perdere an poſſim rogas?

Varius Thyeſte, ibid. III, 8.

Jam fero infandiſſima.
Jam facere cogor.

Gracchus Thyeſte apud Priſcianum VI, p. 719.

Merſit ſequentis humidum plantas humum.

Ita legendum arbitror, non *plantis*. *Humum* nominativus eſt, generis neutrius. Idem Atalanta, ibidem p. 683.

O grata cardo, regium egreſſum indicans.

Hi trimetri, qui ſoli nunc reſtant ex Horatio ſupparibus Tragicis, exactiſſime ſervant leges Graecorum; ut ex his de integris Fabulis idem exiſtimare liceat. Vides jam, opinor, claram liquidamque eſſe quam dedimus emendationem, [ſus.

In ſcenam miſſus cum magno pondere *ver-* Ubi inſuper *cum magno pondere* ex omnibus ſcriptis & noſtris & Berſmanni adſcivimus. *Minus ſcite codices*, CUM MAGNO PONDERE, inquit Berſmannus: non advertit ſcilicet & alias ſic ſolere Noſtrum (vide Serm. I, 10. v. 49.) & hic Venerem quandam in ipſa pronuntiatione ſtudio quaeſitam eſſe: *Cum magno pondere*; quae dum profers, ipſum illud pondus & lente ambulantes ſpondeos voce & ſpiritu perſentiſcis. Lapſus autem graviter eſt optimus Victorius, ad Ciceronis Fam. V, 2. ubi ex manuſcriptis quibuſdam reponi hic jubet, *hic & in Asci*

Mobilibus *trimetris apparet rarus & Enni.* Nihil infelicius dici potuit. Eſto enim ut Iambi ſive Trimetri, ubi puri ſunt, citi, celeres, mobiles, praepetes appellentur: at hic utique, ubi rarus iſte pes Trimetros ingreditur, ſed ſtabilibus ſpondeis loco cedere cogitur; tantum abeſt ut *mobiles* & incitati fiant Trimetri Enniani, ut tarde, lente, graviter, ponderoſe incedant, quod ipſum hic queritur & vituperat Flaccus. Recte igitur *Nobilibus*, εἰρωνικῶς; quos iſti fautores & admiratores veterum in caelum ferebant. Ceterum hunc locum diu correxeram; cum poſtea deprehendi, & Theodorum Marcilium illud MISSUS priorem ex conjectura dediſſe, & Cl. etiam Dacierium in illius ſententiam recte & prudenter conceſſiſſe.

V. 265. SCRIBAMQUE LICENTER, AN OMNES VISUROS PECCATA] Difficilis locus, & ab Interpretibus vexatus; quique eos viciſſim multum torſit & fruſtratus eſt:

Et data Romanis venia eſt indigna poetis.
Idcircone vager, ſcribamque licenter? an omnes
Viſuros peccata putem mea, tutus & intra
Spem veniae cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui.

Ubi Grifolus, Luiſinus, & Marcilius aliam diſtinctionem inducunt, *an omnes*

Viſuros peccata putem mea? tutus & intra
Spem veniae cautus, vitavi denique culpam.

Rectior quidem haec, quam quae hodie circumfertur: neque tamen difficultatem tollit. Nimirum legendum erat UT pro AN, quod & codex Statii exhibet, & Battelianus noſter pro varia lectione profert:

Idcircone vager, ſcribamque licenter? UT omnes
Viſuros

Digitized by Google

Viſuros peccata putem mea, tutus & intra
Spem veniae cautus?

Quod Statius in hanc ſententiam explicat; *Itane licenter ſcribam, contemtis omnino & diſjectis numeris, ut omnes id & ſentiant & ignoſcant tamen.* Non perſenſit vir eruditus UT poni hic pro *Quamvis, licet, poſito & conceſſo:* quo ſenſu infinitis locis apud ſcriptores occurrit: Ovid. Epiſt. Didûs v. 15.

Ut *terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?*

Ergo hoc voluit Horatius: Indigna venia data eſt immodulatis Trimetris; non omnes auditores peccatum ſentiunt, & qui ſentiunt, ignoſcunt. quid tum? *Ideone* ſciens prudenſque ab artis praeceptis *vager, & ſcribam licenter? tutus* nimirum futurus, *& intra ſpem veniae cautus,* quamvis *omnes putem peccata mea viſuros?* minime vero: nam, utcumque haec metri vitia condonari & ignoſci ſoleant, at certe eo pacto *culpam* tantummodo *vitavi,* veniam modo impetravi, *non laudem merui. Vos* vero, O Piſones, quibus virtus eſt animuſque ad laudem erectus, *exemplaria Graeca ſtudioſe legite* atque imitamini. Clara profecto haec eſt, & egregia ſententia: unde & Grifoli ceterorumque interpunctio facile redarguitur; & Lambini gravis error refutatur, qui fidenter interpolabat, an *omnes*

Viſuros peccata putem mea, tutus & EXTRA
Spem veniae cautus?

Et ſane, ſi AN hic legeris, & oppoſitionem in his eſſe finxeris, *Scribamne licenter, an* contra *non peccabo ſpe veniae; quandoquidem omnes mea peccata viſuros putem,* ſpeciem veri habebit Lambini correctio. Verum haec interpretatio cum ſequentibus pugnat: qui enim accurate ſcribit, omni peccatorum venia ſibi praeciſa, non *culpam* modo *vitat,* ſed & *laudem meretur.* Nimirum ea, quam jam adſciſcimus, lectio ſola rem omnem expedit: *Tutus &* in tantum, eatenus, hactenus *cautus,* ut veniam non deſperem, *etſi* omnes mea peccata animadverſuros exiſtimem. Vides jam, quid ſibi velit *Intra ſpem veniae cautus.* At mirificus plane eſt Dacierius, qui Lambini quidem enarrationem ſequitur, retinet tamen INTRA; contenditque *Intra ſpem* perinde eſſe ac *Extra ſpem,* ſive *ſine ſpe veniae.* Arrigamus aures: ut novum hoc & inauditum vel ſero diſcamus. Sic, inquit, apud Florum *Intra gloriam* idem eſt ac *ſine gloria.* Hoc vero vix minus admirandum eſt, quam illud alterum. Videamus locum I, 3. ubi de Horatio agitur, qui ſororem poſt ejus victoriam flentem ferro occiderat; *Citavere leges nefas: ſed abſtulit virtus parricidam; & facinus* INTRA GLORIAM *fuit.* Quid ergo? an hoc *ſine gloria* interpretabimur? haud vidi magis. Immo idem hic *Intra,* quod ubique alias ſignificat. Facinus *intra gloriam* fuit, non exceſſit victoriae gloriam, obruebatur & extingebatur a gloria, ſic ut reus abſolveretur. At ſi *ſine gloria* erat facinus; mirum adeo ni reus damnaretur. Faceſſant igitur febriculoſae explicationes; & vera lectione reperta conquieſcamus: quam & Scholiaſtae olim Acroni cognitam & probatam conjicere licet. Sic enim ille enarrat: *An debeo ſecurus eſſe, data venia,* QUAMVIS *palam eruns peccata mea?* Certe qui haec commentabatur, non AN, verum UT, ſicut nos hodie, legebat.

V. 270. AT NOSTRI PROAVI PLAUTINOS] Ita nunc fere editores, *Noſtri proavi:* cum & editiones principes & omnes fere omnium membranae, noſtrae certe meliores, Graevianae, Voſſianae, Leidenſes, Reginenſes cum aliis habeant,

At VESTRI *proavi Plautinos & numeros &*
Laudavere ſales; nimium patienter utrum-
Ne dicam ſtulte, mirati. [que,

Quid autem attinet a codicum auctoritate diſcedere; ut lectionem, ſi non deteriorem, at certe nihilo meliorem adoptemus? *Veſtri proavi, o Piſones;* nam hos jam compellaverat:

Vos *exemplaria Graeca*
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
At veſtri *proavi Plautinos &c.*

Nihil profecto hic eſt, quod quempiam offendat. At illud *Noſtri proavi* magna circumveniunt incommoda. Quippe omnium ſe cachinnis expoſuiſſet Noſter; ſi patre libertino, homine Graeculo, ut equidem puto, vel Syro forte aut Afro natus, *Noſtros* proavos ſeu incaute ſive glorioſe dixiſſet: quaſi ipſe Paullus vel Meſſalla vel Pompilius ſanguis eſſet. Id quod olim Victorius Lambinuſque recte judicarunt. At manum injicit Theodorus Marcilius, qui, *Perperam,* ait, *correxere* VESTRI: *nam civi & equiti & tribuno militum fas erat dicere* Noſtri proavi; *quemadmodum Seneca, quamquam Iberici generis,* Noſtris majoribus *dixit.* Atqui, o bone, non *veſtri,* ſed illud tuum *Noſtri* a correctoribus eſt; cum & ſcripti libri & primitus cuſi prius agnoſcant. Senecae vero dictum huc pertrahere, & ut par vel ſimile huic proponere, cujus eſt judicii? Epiſt. I ad Lucilium: *Tu tamen malo ſerves tua,*

Digitized by Google

tua, & bono tempore uti incipias: nam, ut visum est majoribus noſtris, *ſera parſimonia in fundo eſt.* Quinam hic *Majores?* an dictum hoc vetus, ex Heſiodo ductum, ad ſolos *Romanos* attinebat? verum, eſto ut ad eos ſolos: Seneca, ut notum eſt, equeſtri genere eſt ortus, Cordubae, coloniae veteris Romanae, ob primorum colonorum nobilitatem Patriciae cognominatae; ut nihil obſtet, quin Senecae majores vel a Regibus uſque Romani fuerint. Hunc tu in Familiae quaeſtione Noſtro comparas, qui, *nullis majoribus ortus*, primus ſuorum ingenuus erat? Immo ut ſcias quo hominum riſu, quo ſuo ſtupore *Noſtri proavi* dicturus hic eſſet Flaccus; vide modo Vopiſci locum in Caro cap. 4. ubi contra eos qui Carum Mediolanenſem fuiſſe tradiderant, *Ipſe*, inquit, *ut epiſtola ejus indicat, Romanus vult videri.* Verba Epiſtolae ſunt, *Majores* NOSTRI *Romani illi principes* &c. Et mox, *Fac igitur majoribus* NOSTRIS, *id eſt Romanis non diſcrepemus viris:* ad quae Vopiſcus, *Vides*, ait, *quod tota epiſtola majores ſuos Romanos vult intelligi.* Hoc, opinor, exemplo, ſi *noſtros proavos* Flaccus appellaſſet, qui olim in ſcena Plautinas fabulas admirati ſunt, utique *majores ſuos Romanos* voluiſſet intelligi. Sed totam hanc quaeſtionem ut inutilem reſcindit Dacierius: nimirum *Noſtri* legendum eſſe; non tamen Horatii haec, ſed Piſonum eſſe verba, qui priora illa de exemplaribus Graecis evolvendis impugnant: quibus ille continuo reſpondet, *Nimium patienter utrumque &c.* Atque hoc demum ille pacto miram quandam huic loco venerem accreſcere putat. Suum ſcilicet cuique eſt judicium. Nam quod huic tam venuſtum eſt, a Grifolo olim excogitatum, Victorio duriuſculum viſum eſt, Var. Lect. XV, 13. Adde vero, ſi vis, & abſurdiuſculum videri: praeter cetera enim, quae mitto, vide modo illa quae ſequuntur,

nimium patienter utrumque
Ne dicam ſtulte, mirati; ſi modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto, &c.

Attende ſodes ad illud *Vos*, o Piſones. Perquam ſcilicet venuſte reſpondet Noſter; ſi eos qui (ut vult Dacierius) jam Plautum Graecis oppoſuerant, eos inquam ipſos ſtatim appellat, ut ſecum ſentientes & Plautum haud magni aeſtimantes.

v. 277. VEXISSE POEMATA THESPIS QUAE CANERENT] Locus hic ab annis amplius mille turpiſſimo mendo inquinatus, ſi mea opera tandem emaculetur priſtinumque & ſanum colorem recipiat, ecquid erit a lectore pretii? Contemplemur, qualis hodie circumfertur;

Ignotum Tragicae genus inveniſſe Camenae
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.

Ita omnes ubique ſcripti editique exhibent: ita citat Diomedes Grammaticus p. 485. ita Donatus Prolegomenis ad Terentium, ubi tres vetuſtas ante annum MD editiones conſulens nihil a recepta lectione diverſum reperi. Quale tamen obſecro illud eſt, *vexiſſe plauſtra* POEMATA? hoc eſt, ut enarrat Acron, *Tam multa ſcripſiſſe, quae poſſet plauſtris advehere.* Mirum hoc profecto: poteratque Theſpis, ut poſtea Caſſius Hetruſcus, capſis libriſque propriis comburi ac funerari, quo heres ligna lucraretur. Verum eſto, ut tot poemata ſcripſerit: quid opus, ut ea plauſtris circumveherentur? an ex libro tum recitabant actores fabularum? Ridiculum: ne poſtea quidem hoc factum eſt, cum poetae ſuas Tragoedias ſcripto vulgarent. At nihil quicquam literis mandaſſe Theſpin, quaeque illi tribuunt Plutarchus, Pollux, Clemens Alexandrinus, & Noſter adeo ipſe Epiſt. II, 1. v. 163, ubi populum narrat Romanum poſt Punica demum bella coepiſſe quaerere,

Quid Sophocles & Theſpis & Aeſchylus
utile ferrent,

omnia iſta ſpuria & ab Heraclide Pontico ſuppoſita eſſe, multis argumentis oſtendi in Diſſertatione ad Phalaridis Epiſtolas; quam qui poteſt aut vacat poterit conſulere. Quid ergo? an plauſtris vehebantur *poemata*, quae ſub illa Tragoediae infantia vix domi quidem ſcribebantur? vel, ut ſcripta fuerint, *domi* certe relinquebantur, & de plauſtris memoriter canebantur? Et ſenſiſſe quidem abſurditatem hanc videntur melioris notae Interpretes. *Poemata*, inquit Luiſinus, *pro ſcena nominavit, cauſſam ut aiunt pro cauſſato.* Dignus utique ſua laude eſt, qui non tam obeſae naris erat, ut receptae interpretationis foetores toleraret. Tu vero ſic mecum repone meliora longe ac certiora,

Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis
QUI *canerent agerentque, peruncti faecibus ora.*

Ubi ordo eſt, *Vexiſſe plauſtris* [eos] *qui canerent agerentque poemata, peruncti ora faecibus.* Hiſtriones igitur in plauſtris vehebat, non ut ſtulte vulgo creditum, poemata. Ceterum elegantior

elegantior paullo locutio, quamquam eruditis hodie notiſſima, qua pronomen accuſativum non exprimitur ſed ſubauditur, fraudi hic fuit bonis Librariis: & ſane vix aliter eveniſſe potuit, quam ut QUAE interpolaverint: ita hoc aptum & neceſſarium, ita illud male Latinum & ἀσύνθετον grammaticaſtris illis videbatur. *Vexiſſe qui canerent:* ut Terentius Heaut. III, 2.

Eho quaeſo laudas, qui *heros fallunt? In loco*
Ego vero laudo. Ovid. Faſt. III, 533.
Invenies *illic*, qui *Neſtoris ebibat annos*,
Quae *ſit per calices facta Sibylla ſuos.*

Sed putidum eſt in re trita exempla corradere.

v. 294. PERFECTUM DECIES NON CASTIGAVIT AD UNGUEM] Sic olim editi; & major pars membranarum. At vetuſtiſſimus Blandinius Cruquii cum altero, probiores aliquot Statii, Mureti unus & Vaticanus apud Lambinum,

PRAESECTUM *decies non caſtigavit ad unguem.* Rectiſſime: & miror extitiſſe editores, qui hoc reperto alterum amplecterentur. Unde enim Librariis tam non communis monetae vocabulum? Ipſa quoque conſtructio, ſi advertis animum, pene flagitat, ut hoc quodcunque eſt adjectivum ad illud *Unguem* referatur. Ideo autem *praeſectum* unguem; ut ipſe non ſcaber, non inaequalis, ſed docta manu pene ad vivum reſectus, aut fallentis junctarae levorem, aut minimam ſiqua exſtet ſalebram lapſu morave perſentiat. Tracta autem a marmorariis ſimilitudo eſt; ut interpretes notarunt, qui pluria ad rem illuſtrandam loca produxere. Quibus unum addam Sidonii Apollinaris, Epiſt. IX, 7. *Tota denique verborum ſtructura liquida prorſus & ductilis; veluti cum chryſtallinus cruſtas aut vuychimtinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe ſi nihil eum vimoſis obicibus exceptum tenax fractura remoretur.*

v. 318. ET VERAS HINC DUCERE VOCES] Et veteres editiones, & omnes Statii, Cruquii, Pulmanni, Berſmanni, noſtrique codices

Reſpicere exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatorem & VIVAS hinc ducere voces.

Acron MS. & editionis Venetae. VIVAS, *veras*. Poſtea vero in contextum recepta eſt vox *Veras*; & inverſo ordine Acron Fabricianus, VERAS, *vivas*. *Veras* quidem *voces* ſacpius apud ſcriptores legas: Lucretius III, 57.

Quo magis in dubiis hominem ſpectare periclis
Convenit, adverſiſque in rebus noſcere quid ſit.
Nam verae voces *tum demum pectore ab imo*
Eliciuntur; & eripitur perſona, manet res.

Lucanus I, 360.

Si licet, & jus eſt veras *expromere* voces.

Ovid. Rem. Amor. 125.

Aggrediar melius, tunc cum ſua vulnera tangi
Jam ſinet, & veris vocibus *aptus erit.*

Ammianus Marcellinus XXV, 7. *Exploratorum perfugarumque* veris vocibus *docebatur.* Manilius lib. III.

Hinc ades, o quicumque meis advertere coeptis
Aurem oculoſque potes, veras *& percipe* voces.

Virgil. Aen. I, 413.

Quid natum toties crudelis tu quoque falſis
Ludis imaginibus? cur dextrae jungere dextram
Non datur, ac veras *audire & reddere* voces?

In his locis palam eſt, *veras* accipi non falſas, non fictas, non compoſitas, non fucatas, non mendacea. Atqui hoc minime hic voluit Horatius. Qui enim vitae & morum exemplar reſpicit, ut cuique perſonae convenientia ſciat reddere; ſaepe ei uſu veniet, ut non *veras voces*, ſed falſas, fraudulentas promat, ubi aut ſycophantae Phormionis, aut veteratoris Syri vel Davi perſonam inducit. Quare melius eſt, ut membranarum lectionem ſervemus, *vivas voces*; quales ſcilicet ipſe Syrus aut Phormio, vel cujuſcumque conditionis alius, vivus loqueretur. Noſter Serm. I, 4. v. 53.

Numquid Pomponius iſtis
Audiret leviora, pater ſi viveret?

Ergo ardens ſtomachanſque in Comoedia pater ſimilibus verbis in ſcena iraſcetur; ac cum in vita verus, non perſonatus pater, non poetae ſed ſua & *viva voce* filium objurgat. Quintilianus II, 2. *Licet enim ſatis exemplorum ad imitandum ex lectione ſuppediret, tamen* viva illa ut dicitur vox *alit plenius; praecipueque ejus praeceptoris quem diſcipuli & amant & verentur.* Seneca Controv. I de Cicerone loquens: *Et quod vulgo de alio dici ſolet, ſed de illo proprie debet, potui* vivam vocem *audire.* Sic Luciano ἔμψυχος λόγος, *vivus, animatuſque ſermo.* Cum autem *Exemplar* & *Imitatorem* & *Ducere* dicit Noſter, a Pictura ſimilitudinem ducit; Virgil. VI, 849.

Credo equidem, vivos ducent *de marmore* [*vultus.*
Vidi artes, veterumque manus, variiſque Statius Silv. I, 3.
Viva *modis.* [*talla*

Scio equidem in Pictura *verum* perinde fere eſſe ac *vivum*. Plinius XXXV, 33. *Gladiatorum*

Digitized by Google

rum omnium veris imaginibus *redditis*. Et 35. *Plaſtem Poſim, a quo facta poma & uvas, ut non poſſes diſcernere a* veris. Et c. 8. *Tabula paſtoris ſenis cum baculo; de qua Teutonorum legatus reſpondit, interrogatus quanti eam aeſtimaret, ſibi donari nolle talem* vivum verumque. Nolim tamen ad hoc exemplum *veras voces* hic adoptare; cum quia in ambiguum, ut vidimus, incidit oratio, tum quia ſcripti quos ſciverim omnes reclamant.

v. 326, 328. DICAT FILIUS ALBINI, SI DE QUINCUNCE] Locus non admodum difficilis, pluribus tamen mendis obſitus.

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Uncia, quid ſuperat? poteras *dixiſſe, Triens. Eu,* [*quid ſit?*
Rem poteris ſervare tuam. redit uncia:

Morata eſt oratio, & magiſtrum inducit ſic pueros interrogantem: ubi primo DICAS repono, pro *Dicat:* illud enim ſequentia poſtulant. *Dicas filius Albini*, hoc eſt, Dicas tu qui Albini filius es. Mutavere Librarii, quia *Filius*, non *Fili*, hic haberetur. Atqui & ſupra ſic loquitur, v. 292. Vos o

Pompilius *ſanguis, carmen reprehendite.*

& ſic alii frequenter. Deinde pro *ſuperat*, unus & alter ex noſtris *ſupereſt*, Zulichemianus SUPERET. Probiſſime. *Dicas*, quid de quincunce *ſuperet* ſive ſuperſit, ſi uncia remota eſt. Sic Serm. I, 1. v. 49.

vel dic, *quid* referat *intra*
Naturae fines viventi, jugera centum an
Mille aret. Virgil. Eclog. III.
Dic, *quibus in terris inſcripti nomina regum*
Naſcantur *flores, & Phyllida ſolus habeto.*

Porro pro *poteras* quattuor Berſmanni, & quinque ex noſtris POTERAT. Nimirum Horatius jam loquitur, non Magiſter. *Poterat*, inquit, *dixiſſe, Triens?* continuo infit Magiſter, *Euge, rem tuam ſervare poteris.* Unde jam paret, & *dicas* ſupra corrigendum fuiſſe. Si enim *Dicat* admiſeris; conſequens erit, ut perſona itidem tertia ſubjungas, *Rem poterit ſervare ſuam.* Ceterum qui *Poteras dixiſſe* legunt, & Magiſtri verba eſſe volunt, diſcipulum corripientis quod haeſitanter & tardiuſcule reſponderet; ii quid urbanum ſit in narratione, quid putidum, haud ſatis dignoſcere videntur.

v. 330. AD HAEC ANIMOS AERUGO ET CURA PECULI] AD HAEC Editiones; una tamen & altera AT HAEC. Lege cum tribus vetuſtiſſimis Blandiniis, quod & Statius ex conjectura protulerat,

AN, *haec animos aerugo & cura peculi*
Cum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & levi ſervanda cupreſſo.

Ubi ordo eſt, *An ſperamus carmina* &c. *cum haec aerugo ſemel animos imbuerit?* Ceterum SPERAMUS habet eximius codex Reginenſis cum aliis quinque; Graevianus vero, & Leidenſis, & Voſſianus cum aliis itidem quinque SPEREMUS. Sic & in tribus ſuis Pulmannus reperit; ceteri Interpretes tacent: Utrumque probum eſt, ut neſcias utrum utri praeferendum ſit: niſi quod, ubi aequae utrinque ſunt lances, locum ſervare ea lectio debet, quae prior occupavit. Si *An ſperamus* adſciſcis, ſpem habitam ſed inanem reprehendis; ſi *An ſperemus*, ſpem omnino omnem vetas & abſcindis.

v. 337. OMNE SUPERVACUUM PLENO DE PECTORE MANAT] Verſus ſuſpectus. Solebant olim ſententioſa hujuſmodi in margine allinere, quae poſtea in contextum irrepſerunt:

Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.

Ubi *corpore* habet codex Digbeanus Oxonii, Sammonicus c. XXXV. de Haemorrhagia:

Si modicus pleno manat de corpore *ſanguis,*
Subvenit: at nimius cum vita funditur ipſa.

Certe & nullius eſt veneris hic verſiculus, & ab ambiguitate male laborat. Si enim *ſupervacua* tantum effluunt; quid pericli erit, ſi in *praecipiendo* longior prolixiorque fueris? Ergo nocet magis ſententiae, quam auxiliatur. Deinde illud vide Epiſt. I, 19. v. 44.

ſidis enim manare *poetica mella*
Te ſolum, tibi pulcher:

& videbis te contrariis verbis recte dicere poſſe; *Omne* eximium & egregium *de pleno pectore manat.* Nam & poetis ipſis, Noſtro puta & Virgilio, ubi e divite vena fundunt opes, luculenta illa carmina *de pleno* & fecundo pectore *manare* dicentur. Vereor igitur, ne monacho potius quam Flacco verſiculus debeatur. Ejuſdem quoque commatis videtur ille, Serm. II, 2. v. 38. de quo dicere, ubi locus erat, neſcio quo caſu oblitus ſum:

Jejunus raro ſtomachus vulgaria temnit.

Quippe ibi & orationis curſum male intercipit; & in ambigui vitium incidit. Jam olim enim a Scholiaſtis dubitatum eſt, utrum *raro jejunus* an *raro temnit* ſit accipiendum. Nimirum aut fallor, aut hae ſententiae ex libris trivialibus, qui tum pueris praelegebantur,

nunc

Digitized by Google

nunc perierunt, desumtae sunt: & cum in exemplaris ora velut loco appositae & consimiles a quopiam notarentur, posterioribus Librariis fucum fecerunt. Eadem mihi suspicio est de Juvenalis loco XII, 50. ubi narrat, ut Catullus suus in summo naufragii discrimine, quo navem levaret, pretiosissimam supellectilem in mare projecerit:

Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento praeferre caput, rebusque salutem?
[*Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,*
Sed vitio caeci propter patrimonia vivunt.]
Jactatur rerum utilium pars maxima: sed
Damna levant. [*nec*

Vides hic in mediam narrationem sententiolas has intrudi, putide prorsus & perquam inscite. Quorsum enim hic *Quidam*? cum jam dixerat, ne unum quidem ulla mundi parte vitam patrimonio praeferre. Quale autem illud, *facere patrimonia?* quae scabies locutionis? Quam alienum & pannosum illud *Vitio caeci?* quod eo tantum assuitur, ut versiculi cento sarciatur. Ergo obelo configendos hos versus censeo; etiamsi vetus ibi Scholiastes, ut hic quoque apud Nostrum, pro genuinis agnoverit. Denique, ut magis scias sententias illas passim mala manu inferciri; narro jam tibi distícha Epimythia, quae singulis Avieni fabulis subjunguntur, omnia suppositítia esse τῷ καλοῦ κἀμοῦ, & in Galeano quo usus sum codice nulla comparere.

v. 339. NEC QUODCUMQUE VELIT POSCAT] NEC editiones jam ab annis amplius centum: at principes illae cum pluribus codicibus, vetustioribus certe omnibus, Graeviano, Leidensi, Reginensi, (Vossianus hic deficit)

Ficta voluptatis caussa sint proxima veris:
NE *quodcumque volet, poscat sibi fabula credi.*

Ita loqui amat Noster: vide supra v. 185.

v. 353. AUT HUMANA PARUM CAVIT NATURA. QUID ERGO?] Codices & nostri omnes & aliorum, ut etiam editiones principes Loscheriana & Venetae, verbum substantivum hic adscíscunt;

Aut humana parum cavit natura. quid ergo EST?

Neque video, cur a recentioribus ejici meruerit. Livius XLIV, 22. Quid ergo est? *primum a prudentibus monendi imperatores sunt.* Cicero pro Quintio: Quid ergo est? *primum magnitudo periculi &c.* Iterum: Quid ergo est? *Cum ei natura nihil melius &c.* Et mox: Quid ergo est? *vereor mehercule &c.* Et rursus: Quid ergo est? *homines erant ab hoc omnes alieníssimi.* Ita hic, & alii passim.

v. 355. ET CITHAROEDUS RIDETUR] Non ET, sed UT habent Lambini quidam codices, & ex nostris Colbertinus, Battelianus, & pro varia lectione Vigornienses:

Ut *scriptor si peccat idem librarius usque,*
Quamvis est monitus, venia caret; UT *citharoedus*
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

Miror neminem ex editoribus hanc lectionem praeripuisse. Ut *scriptor librarius*, Ut *citharoedus*. Quis non sentiat suaviorem & vividiorem fieri orationem, si UT repetatur? Sic alibi Epist. I, 13. *ne forte sub ala*

Fasciculum portes librorum, ut *rusticus agnum*,
Ut *vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae*,
Ut *cum pileolo soleas conviva tribulis.*

Et Epist. I, 2.

Ut *nox longa quibus mentitur amica, diesque*
Lenta videtur opus debentibus; ut *piger annus*
Pupillis, quos dura premit custodia matrum.

Pone in his ET pro UT, & magna ex parte vis & venus orationis evanescit.

v. 358. QUEM BIS TERQUE BONUM CUM RISU MIROR] Codex Regius, & solus quod sciam, rectíssime habet,

Quem bis terve bonum cum risu miror, & idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.

Nam sine dubio hoc vult, Choerilum *raro* evigilare & bonum esse, contra raro dormitare Homerum: ergo ridere se, quandocumque ille bonus est; indignari vero, quandocumque hic dormitat. Atqui & ratio & usus te docebit, *Bis terque*, ut *Terque quaterque*, semper habere significationem crebritatis; raritatis autem *Bis terve*. Quamobrem omnino hic legendum, *Quem* bis terve *bonum*. Vide quae diximus ad Epod. V. v. 33. atque iis adde locum Senecae Epist. LXXXVI. *Parum est sumere unguentum; ni* bis *die* terque *renovetur, ne evanescat in corpore:* ubi indicat, saepe, crebro, frequenter renovari.

v. 360. VERUM OPERE IN LONGO FAS EST OBREPERE SOMNUM] Ita malunt hodie, & sic scripti aliquot, in quibus Reginensis noster. At vetustae editiones, & multo melior pars membranarum, Cruquiani libri omnes, Leidensis, Graevianus a manu prima &c.

Digitized by Google

ma &c. *operi longo* exhibent. Utrumque quidem probe: nam *obrepere* & absolute ponitur. Ovidius Epist. Herus:

Sed movet obrepens somnus *anile caput.*

Lactantius De opificio Dei c. XVIII. *Dum intenta est mens in ea de quibus cogitat, repente* somnus obrepit. Et dativo quoque jungitur. Ovid. Fast. III, 19.

Blanda quies furtim victis obrepit ocellis.

Seneca Troad. 441.

Brevisque fessis somnus obrepsit genis.

Quare, cum utrumvis legitimum sit, ob codicum auctoritatem retinemus hic dativum:

Verum OPERI LONGO *fas est obrepere somnum.*

At somnus, inquies, non *operi*, sed auctori subrepit. Recte quidem: & idcirco cum hoc figuratius sit & dictu insolentius, a Librariis immutatum esse credibile est; illud tam planum & facile numquam sollicitaturis, si a principio in codicibus reperissent. Ceterum simili figura Statius Theb. VIII, 218.

nox addita curas
Obruit, & facilis lacrimis irrepere *somnus.*

lacrimis, ut *operi*, *obrepere*; hoc est, dum flemus, dum opus facimus: nam *lacrimae* utique non magis dormiunt, quam *opus* dormit. Hieronymus ad Pammachium & Oceanum: *Quod siquis Judas Zelotes opposuerit nobis errores ejus, audiat libere, Interdum magnus dormitat Homerus*; *Verum* OPERI LONGO *fas est obrepere somnum.* Ita omnes doctissimi patris editiones, & codex scriptus in Collegio Emmanuelis Cantabrigiae.

v. 387. IN METII DESCENDAT JUDICIS AURES] Editiones recentes *Metii*. Et *Metius* quidem sive *Mettius* passim in Historicis, & Nummis, Marmoribusque occurrit. Nos tamen maluimus,

in MARCI *descendat judicis aures.*

Ita plane Graevianus *Maecii*, Leidensis *Mecii*; Reginensis *Meci*, licet a manu secunda; prout ex suis Lambinus & Cruquius ediderunt. Is ipse est, quod & viderunt Manutius Lambinusque, de quo Cicero Epist. Fam. VII, 1. *Reliquas vero partes diei tu consumebas his delectationibus quas tibi ipse ad arbitrium tuum comparas: nobis autem erant ea perpetienda, quae Sp.* Maecius *probavisset.* Quod si ita est; oportet ut *Maecius* hic non verus & vivus, sed figurate quivis alius legitimus & peritus judex accipiatur. Quippe scripta est Epistola illa Ciceronis quadraginta prius annis, quam Ars haec Poetica. Ceterum prava hic interpunctio editores omnes decepit;

nonumque prematur in annum.
Membranis intus positis, delere licebit
Quod non edideris: nescit vox missa reverti.

Nam hac utique distinctione, bis idem dicitur in eodem orationis colo. Quid enim aliud est *Membranis intus positis*, quam *Quod non edideris?* alterutrum sententiae satisfacit; utrumque onerat polluitque. Tu vero sic tolles hanc maculam, pausa immutata:

in Maeci descendat judicis aures,
Et patris & nostras; nonumque prematur
in annum,
Membranis intus positis. Delere licebit,
Quod non edideris: nescit vox missa reverti.

v. 402. TYRTAEUSQUE MARES ANIMOS IN MARTIA BELLA VERSIBUS EXACUIT] Hic quidem locus sanissimus est facillimusque: verum hac occasione fas erit depravatissimum L. Ampelii locum emendare, c. XIV. de Ducibus Lacedaemoniorum: *Othryades vir bellator — tropaeum suo sanguine scripsit*, tertiusque *Messenio bello, ex oraculo Apollinis dux ab Atheniensibus per ludibrium missus*, poenateas vota, *militum animos concitavit, ut tam diuturnum praelium victoria consummarent.* Corrige, TYRTAEUSQUE — *dux per ludibrium missus*, POEMATE SUO ITA *militum animos concitavit*, ut *tam* &c. Vide rem apud Justinum III, 5.

v. 410. NEC RUDE QUID PROSIT VIDEO INGENIUM] Veteres aliquot apud Lambinum codices & unus apud Franciscum Luisinum, *Quid* POSSIT; atque sic locus citatur a Joanne Saresb. Metal. I, 8, ubi & editi & MS. *possit*. Rectissime. Sic Carm. I, 26.

Pimplea dulcis, nil sine te mei
Possunt *honores.*

ubi vide quae adnotavimus; & eis adde Carm. IV, 14. *didicere nuper,*
Quid *Marte* posses.

Et Epist. I, 9.

Quid possim, *videt & novit me validius ipso.*

Plaut. Asin. III, 3. v. 46.

Videtin' viginti minae quid pollent, quidve possunt?

Quid possit, τὶ δύναται, quid laudabile, quid egregium pariat. At *quid prosit*, τί ὠφελεῖ, minus est humiliusque, quam quod poscit sententia. Nam & Choerilo, cum incultis versibus aureos Philippos abstulerat, *prosuit* quidem rude ingenium; quantillum vero erat, quod *potuit*, vidit optima judex Posteritas.

v. 416. NUNC SATIS EST DIXISSE, EGO MIRA POEMATA PANGO] Percipe sodes.

Digitized by Google

ſodes intento animo filum ductumque orationis:

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer; ſudavit & alſit;
Abſtinuit venere & vino: qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magiſtrum.
NUNC *ſatis eſt dixiſſe, Ego mira poemata*
pango:
Occupet extremum ſcabies: mihi turpe relinqui eſt,
Et quod non didici ſane neſcire fateri.

Qui, inquit, Olympia certat Curſor, qui Pythia cantat Tibicen, non audet in certamen deſcendere ſine longa & aſſidua ſub magiſtro exercitatione: NUNC *ſatis eſt dixiſſe* &c. NUNC vero ſine ulla doctrina vel uſu quivis Poeticam ſibi arrogat. Quorſum obſecro illud *Nunc?* cum nulla hic temporum, ſed ſtudiorum duntaxat oppoſitio eſt. Non enim praeſentes poetas cum antiquis in ſtadio curſoribus, cum priſcis tibicinibus comparat: nam & qui nunc, inquit, STUDET *metam contingere*, quique nunc CANTAT *Pythia*, prius arte ſe & labore formant praeparantque. Vides jam, opinor, τὸ ἀναχρόνισμον; vides illud NUNC & nihil ad rem facere, & ſententiam ſubvertere. Enimvero, ſi NUNC *ſatis eſt* voluiſſet Horatius; conſequens erat, ut non in diverſis Artibus, ſed in una eademque comparatio inſtitueretur, hoc modo: Olim quidem homines non ſine magno apparatu, ſine multo doctrinae inſtrumento & ſupellectile *Poeticam* attingere auſi ſunt; *Nunc* ſatis eſt dixiſſe, Ego Poeta ſum, & ſic illotis pedibus ad Muſarum fores accedere. Quid ergo fiet? Sine dubio mendoſum erit illud NUNC; & ſane codex Digbeanus Oxonii NON; at Vigornienſis noſter, alterque ex bibliotheca Epiſcopi Elienſis NEC clare exhibent. NUNC vero pro NEC proclive erat, ut Librarii ſubſtituerent; cum minimum ſcriptione differant *uc* & *nec*. Certiſſima igitur emendatio eſt;

qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magiſtrum.
NEC *ſatis eſt dixiſſe, Ego mira poemata pango.*

In nulla, inquit, arte ſine labore & ſtudio nomen nanciſcéris: Nemo aut curſu aut cantu palmam ſibi ſpondere audet ſine legitima exercitatione: NEC in Poeſi *ſatis eſt dixiſſe*, &c.

v. 423. ET ERIPERE ATRIS LITIBUS IMPLICITUM] *Atrae* quidem *lites* ſatis bene dici poſſunt, ut *atrae curae, atri luctus*, & ſimilia. Atqui eo pacto vagum tantummodo perpetuumque erit epitheton: cum tamen in promtu erat aliud aptius & ſingularius, quod ex ipſo ſolo enaſcitur, & quod adjunctis vocabulis vim mutuam donat debetque. Neque enim dubito, quin ſic dederit Horatius;

Si vero eſt unctum qui recte ponere poſſit,
Et ſpondere levi pro paupere, & eripere ARTIS
Litibus implicitum.

Ideo *Artis litibus* (ſic enim olim ſcribebant, non ut prave nunc *Arctis*) quia dixerat *Implicitum*: haec enim ſe mutuo reſpiciunt: ſtrictis, nodoſis litibus, unde eripi & liberari cute ſalva difficile eſt, implicatum & irretitum. Prudentius Peri Steph. x, 202.

Qui ſi citetur legibus veſtris reus
Laqueis *minacis* implicatus *Juliae.*

Lucretius V, 1146.

Sponte ſua cecidit ſub leges artaque jura.

Statius Silv. III, 5.

Nulla foro rabies, aut ſtrictae jurgia legis.

Juvenalis VIII, 50.

Qui juris nodos *& legum aenigmata ſolvat.*

Plinius Hiſt. XVI, 5. *Additae* leges artae, *& ideo ſuperbae.* Cicero pro Sextio c. 41. *Ut illum exſultantem & tripudiantem* legum, *ſi poſſet*, laqueis *conſtringeret.* Pro Cocho c. 70. *Eo maleficio erant* implicati, *ut ex nullius* legis laqueis *emittendi viderentur.* In Vatinium c. 5. *Cum homines negotia gerentes judiciis iniquiſſimis* irretires. Et rem & verba habes apud Ammianum Marcell. XXX, 4. de Rabulis forenſibus: *Qui inter ſollicitudines judicum per multa diſtentas* irreſolubili nexu vincientes *negotia, laborant ut omnis quies* litibus implicetur, & nodoſis quaeſtionibus *de induſtria judicia circumſcribunt: quae cum depravantur,* foveae *ſunt fallaces & caecae, in quas ſi* captus *ceciderit quiſquam, non niſi per multa exiliet luſtra, aduſque ipſas medullas exſuctas.*

v. 435. QUEM PERSPEXISSE LABORENT] Et veteres Editiones, & plerique omnes codices, *Laborant*. Revocetur itaque; & deinceps ſcribamus:

Reges dicuntur magnis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe LABORANT,
An ſit amicitia dignus.

In duobus ſolis reperi *Laborent*; quorum in uno emendatum erat, *Laborant*. Sane quid modus ſubſtantivus hic faciat, non video.

v. 441. ET MALE TORNATOS INCUDI REDDERE VERSUS] *Tornatos* quidem *verſus*, notiſſima & aptiſſima tranſlatione, recte alias dici numquam negaverim. Sic enim & Propertius II, 25. v. 43.

Incipe jam anguſto verſus includere torno.

Digitized by Google

Lucanus in Panegyrico Piſonis:

hinc exornata figuris
Advolat excuſſo velox ſententia torno.

Gellius IX, 8. *Hanc ſententiam memini a Favorino inter ingentes omnium clamores* detornatam incluſamque *verbis his pauciſſimis.* Ubi obiter nota illud *Incluſam*: inde enim firmatur recepta lectio in ſuperiore Propertii loco, contra Scaligeri ſententiam, qui *verſus includi torno* recte poſſe dici negabat. Appuleius in Floridis, IX. *Meum vero unumquodque dictum acriter examinatis, ſedulo penſiculatis, ad limam & lineam certam redigitis, cum* torno *& cothurno iterum comparatis.* Sic & Graeci eadem metaphora ἀποτορνεύειν *tornare periodum.* Philoſtratus in Polemonis vita: Καὶ ὅτι ἀποτορνεύοι τὰς ᾠδάς, τὸ ἐπὶ πᾶσιν αὐτῷ κῶλον σὺν μειδιάματι φέρειν, *Et cum* detornaret *periodum, poſtremum ei colon renidente vultu inferebat.* Plutarchus Περὶ δ' ἀκύσεως; *In Lyſiae,* inquit, *oratione De Amore laudat id Plato,* ὅτι τὰ ὀνόματα σαφῶς καὶ στρογγύλως ἕκαστα ἀποτόρνευται, *quod verborum unumquodque clare & rotunde* detornaretur. Platonis ipſius verba in Phaedro habentur: Ὅτι σαφῆ δεῖ στρογγύλα δὲ ἀκριβῶς ἕκαστα τῶν ὀνομάτων ἀποτόρνευται. Quin & figura fere ſimili γλυπτοὺς καὶ περιττὰς λόγους *ſculptas & caelatas orationes* bis dixit Dionyſius Halicarnaſſenſis; De Compoſitione Verborum p. 30. Ἄλλως τε καὶ τῶν τότε ἀνθρώπων ἐγραπτοῖς, ἀλλὰ γλυπτοῖς δὲ περιττοῖς ἰσοκώλοις ἐμφερόντων λόγους. & De Demoſthene p. 194. Ὁρῶν τὰς κεκλεισμένους λόγων πυκνὰς ἰαμιζομένας, Ἰσοκράτην δὲ Πλάτωνα, γλυπτοῖς καὶ περιττοῖς ἰσοκώλοις ἐμφέροντας λόγους. Crinagorae Epigramma in Callimachum:

Καλλιμάχου τὸ περιτὸν ἔπος τόδε.

Ariſtophanes Theſmoph. v. 995.

Ἀλλ' εἶ' ἐπ' ἄλλ' ἀνάδριφ' εὐρυθμῷ ποδί,
Τόρνευε πᾶσαν ᾠδήν.

Ubi tamen Τόρνευε reponendum arbitror, ut loco convenientius: *Verum age, alio te converte compoſito pede*; Torna *totam cantilenam.* Idem in ſimili ſententia pluria de fabrili opificio ſumſit vocabula, verſu ibidem 58:

Κάμπτῃ δὲ νέας ἀψῖδας ἐπῶν·
Τὰ δὲ ΤΟΡΝΕΥΕΙ. τὰ δὲ κολλομιλεῖ,
Καὶ γναμπτυπεῖ, κἀνθρομάζει,
Καὶ κηροχυτεῖ, δὲ γογγυλίζει,
Καὶ χοανεύει.

Ubi obiter ob Anapaeſti legem emendandum erit, Καὶ γογγυλίζει: ut φάρυγι correpte pro φάρυγγι & ſimilia dixerunt: *Flectit autem nevas verſuum curvaturas*; *Nunc* tornat, *nunc conglutinat*; *Nunc ſententias ponit, nunc antonomaſias, Nunc incerat, nunc rotundat, nunc conflat.* Quod vero hic particulatim dixit, ſingula fere fabrilis officinae memorans inſtrumenta; ſummatim alii dixerunt, *Fabros* carminum Poetas appellantes: ut Cratinus in Eumeniſi Comoedia, apud Schol. Ariſtoph. Equit. v. 527. Τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων. & Pindarus Nem. III. Μελιγαρύων τεκτόνες κόμων παντί. Porro ex eadem officina traducta ſunt, quae paſſim occurrunt, *Opus limatum, politum, expolitum,* & alia id genus: ut ineptus plane ſit & in veterum ſcriptis hoſpes, qui *verſus tornatos,* quod apud Noſtrum nunc circumfertur, in univerſum ſigno atro notaverit. Nihilo tamen minus jam diu eſt, cum elegantioris ingenii homines Horatium culpant; non quod *tornatos verſus* dixerit, ſed quod *incudi reddere* parum caute addiderit; reſque plane diverſas, *Tornum* & *Incudem,* una conjunxerit;

Et male tornatos incudi reddere verſus.

Recte illi quidem & vere: quid enim torno cum incude? Siquidem hoc eſt, quod ipſe jam dixerat,

Delphinum ſilvis appingere, fluctibus aprum.

Ego vero Venuſinum noſtrum, ſubtili ſiquis alius & caſtigato judicio poetam, extra culpam eſſe dico; codices autem a dormitantibus Librariis eſſe depravatos. Videamus locum integrum:

Quintilio ſiquid recitares, Corrige ſodes
Hoc, aiebat, & hoc. melius te poſſe negares,
Bis terque *expertum fruſtra? delere jubebat,*
Et male tornatos *incudi reddere verſus.*

Enimvero corrigendum aio,

Et male TER NATOS *incudi reddere verſus.*

Ubi leviſſima ſane mutatio eſt, ſententia vero jam clara & perſpicua. Quereris, inquit Quintilius, te bis TERque fruſtra conatum eſſe verſus iſtos lambendo & fingendo meliores reddere? Tu vero, qui TER male exierunt verſus prorſus abjice: neque jam limam amplius adhibe ad eos fruſtra poliendos, ſed incude potius utere formandis & fabricandis novis. Recte autem, *Verſus ter* MALE NATOS: ita Noſter alibi, Epiſt. II, 1. v. 233.

Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerilus, incultis qui verſibus & MALE NATIS
Rettulit acceptos regale nomiſma Philippos.

Haec ubi ante ſedecim ferme annos in Notis ad Callimachum, & iiſdem pene verbis, dixeramus; niſi quod plura nunc Veterum loca produ-

cimus;

Digitized by Google

cimus; cum ibi obiter tantum, hic rem ex induſtria agamus: diverſis, ut fieri ſolet, hominum judiciis conjectura haec excepta eſt. Plures & in his omnes χαριέστεροι & honeſtiores aſſentire & plaudere; GRAEVIUS praecipue ὁ μακαρίτης, & natura & diuturno uſu judex acerrimus, ut quantivis eam pretii ſodalibus laudare; literis ad me datis IV Non. Dec. MDCCII, *non conjecturam* dicere, *ſed certam emendationem; quam qui videat & non probet, eum in his rebus caeciorem eſſe quavis talpa.* Recte ſane natura comparatum eſt, ut in re literaria ſemper vilis annona ſit iſtiuſmodi Talparum; qui doctis atque oculatioribus & oblectamento ſint, & comparatione pretium famamque augeant.

In his Gronovius *nomen profitetur ſuum,* qui Notis ad A. Gellium IX, 8. contra hanc emendationem cornicari aliquid voluit; quodque jam a decennio conſueverat, contumelioſis me verbis accipere. Videamus, an forte per obſcurae & faeculentae orationis nebulas, quid demum ſibi velit, perſpicere valeamus. Ergo id primum velle dicere videtur (nam de mente ejus hariolandum eſt) perperam a nobis fundamenti loco poſitum, *Res plane diverſas eſſe Tornum & Incudem:* quippe ejuſdem officinae utrumque inſtrumentum eſſe; torni uſum eſſe in ferro & ceteris metallis; & ferramenta quae ſub torno male proceſſerunt, ad incudem denuo revocari ſolere. Sane in hoc & alios ſe multo ſagaciores ſecum habet ſentientes. Dacierius quidem hoc eviciſſe ſibi viſus eſt ex Strabonis loco ſub finem lib. XIII: Ἴδιον δ' ἐστὶ Κιβύρᾳ, τὸ τ' σίδηρον ΤΟΡΕΥΕΣΘΑΙ ῥᾳδίως: *Id Cibyra habet peculiare, quod ferrum facile apud eos* TORNATUR. Ita verſio Latina, quae vulgo circumfertur, Strabonis. Nimirum evellendus eſt ex animis hominum communis ille error, qui Lexica omnia tam vetera quam recentia occupavit, quique & mihi ipſi dum ſcribo & mentem forte aliis intentam habeo, cum res iſta non agatur, ſemel iterumve ſubrepſit. Omnes enim a prima adoleſcentia falſo docemur, ΤΟΡΕΥΕΙΝ Latine eſſe TORNARE, atque idem eſſe quod ΤΟΡΝΕΥΕΙΝ: cum tamen certiſſimum ſit, τορεύειν apud Graecos nuſquam aliud ſignificare, quam *caelare, ſculpere:* inde *Toreutae,* & *Toreutice* Plinio; *Toreumata* Ciceroni & Martiali: Clemens Strom. I. ὁ τ' ἐν πᾶσι σφραγῖσιν ἐντυπωμάτων τορευτικός: Τορεύειν contra, nihil aliud eſſe, quam *tornare, rotundare.* Quod ita fuſe eruditeque oſtendit Salmaſius in Plinianis, ut vix quidquam addi poſſit, atque eo lectorem remittimus. Ergo locus ille Strabonis ſic erat vertendus; *Quod ferrum facile apud eos* CAELATUR. Neque vero vel unus apud veteres Scriptores locus extat, quo Τόρνος vel *Tornus* metallis elaborandis adhibetur: ſed lignis tantum, & lapidibus, ebori, vitro, *&c.* idque ſola *rotundatione* vel circulari ſcalptura. Etymologicon Magnum. Διαφέρει λίχνος, περιτμήσεως, περιττὸς ἢ τροχύλος· δίνος δὲ ὁ πέρας. Appuleius De Mundo. *Ut in* tornando *artifex ſolet forcipe materiam comprehenſam* reciproco volumine rotundare. Plinius Hiſt. XVI, 40. *Thericles calices ex* Terebintho *ſolitus facere* torno. XIII, 9. Lignum (Cuci) *firmae duritiae, ex quo velares* detornant *anulos.* XI, 39. *Hippopotami* corii *craſſitudo talis, ut inde* tornentur *haſtae.* XXXVI, 13. *Turbines ita librati pependerunt, ut* puero circumagente tornarentur *columnae.* Ibidem 18. *Albos* lapides torno *duriores, quam Parios.* Et 22. *In Siphno* lapis *eſt, qui cavatur* tornaturque *in vaſa coquendis cibis utilia.* Et 26. *Vitrum aliud flatu figuratur, aliud* torno teritur, *aliud argenti modo caelatur.* Virgilius Georg. II,

Nec *tiliae leves &* torno raſile buxum.

Idem Eclog. III. de poculis faginis:

Lenta quibus torno facili *ſuperaddita vitis*
Diffuſos edera veſtit pallente corymbos.

Quem locum egregie explicabat idem Salmaſius: *Superaddita facili torno,* caſu dativo: hoc eſt, ligno prius torni ope excavato, vitis & edera caeli arte ſuperaddebantur. Fruſtra ſunt, qui aliam interpretationem hic quaerunt. Quid ergo? Num aut lignea vitreave pocula, aut columnae lapideae, aut haſtae coriaceae incudibus parabantur? An jam tandem ſentire incipis, *diverſas plane eſſe res* Tornum & Incudem? Nam ſuavis ſane eſt Dacierius; qui ideo Tornum ad incudem & folles pertinere contendit, quod Propertius loco dicto *Tornare* & *Ignes* conjungit,

Deſine Achilleo componere verba cothurno,
Deſine, & ad molles mémbra reſolve choros:
Incipe jam arguſto verſus includere torno:
Inque tuos ignes, *dure poeta, veni.*

Ubi *In tuos ignes veni* interpretatur, *Remitte tuos verſus in fornacem, ut meliores inde exeant.* Obſtupebam equidem, cum haec primum legerem. Quis enim neſcit *ignes* perinde eſſe ac *Amores,* notiſſima Poetis figura, ut *Meus ignis Amyntas?* Praecipit igitur Lyncee, poetae Epico qui in amorem nuper inciderat,

Digitized by Google

ut relicto Heroico & grandi carmine, *choros* & *amores* anguſtis Elegis ſcribat. Quid hoc facit ad *fornacem*? Immo vero, ut concedamus illis, & Tornum fabricando ferro olim inſervisſe, & τορνεύειν *tornare* idem eſſe nonnumquam ac τορεύειν *caelare, ſculpere*; quorum illud inauditum eſt, hoc falſum: numquam tamen efficient, rectum probumque eſſe quod in Flacco nunc habemus, *Male tornatos verſus incudi reddendos eſſe.* Nam ſi id acciſiunt, *Ferrum tornari ſolitum*: at numquam uſu venire poteſt, ut ferrum tornatum ad incudem revocandum ſit. Quippe tornus *facilis* eſt, ut jam apud Virgilium habuimus, inſtrumentum omnium certiſſimum, quod ipſius turbinis ratione ſemper paret artifici, nulli errori obnoxium. Numquam igitur a torno & turbinibus ad incudem reverti opus erat; ut vel Fabrorum pueris riſum deberet Noſter, ſi ex eorum officina tam prave & imperite ſimilitudinem traheret. Quod ſi alterum jam malunt, ut *Tornatus* idem fuerit ac *ſculptus, caelatus:* pari vel majore potius incommodo mactabuntur. Ain' tu? tunc praeceperis Polycleto aut Pyrgoteli vel Myroni aut Mentori, ut ſiquid iis ſub manu non ad votum ſucceſſerit, incudi redderetur? Quid, malum, ſculptoribus cum incude? quorum opus materiam licet cariſſimam longo intervallo ſuperabat. At ſi opus, inquis, male ceſſerit, quidni incudi materia reddatur? Gemmam ne reddes aut argentum incudi? immo ferrum vel aes. Quantum vero lucellum in tantula aeris materia? Quae tam inepta parſimonia, quae exiguum ſigillum vel annulum denuo conflaverit? In tenui illis labor erat: & infeliciſſimus omnium artifex fuerit, cui vel aberrantis manus tam incaſſum ceciderit opus, ut nihil prorſus nudae materiae precii accederet. Stultus itaque ſit, qui ſculptorem ſibi parum ſatisfacientem ad folles & incudem ire jubeat; praeſertim cum ea domi inſtrumenta non habeat, utpote alterius artis & officinae. Ergo, ut omnia illis dederimus, nihil tamen rei erit ſeu torno ſive caelo & γλυφάνῳ cum incude. Satis, opinor, liberales fuimus; ut tamen plus eis largiamur, eſto ut opus aliquod tornatum revocari queat ad incudem: multum tamen aberit, ut defendi queat totum illud,

Et male *tornatos incudi reddere verſus.*

Illud enim a me accipe, & in imum pectus demitte; Quamquam in ipſis operibus fabrilibus & *infabre ſculptum* & *durius fuſum*, & *neglegentius limatum*, & contra ἐξεργον, & εὐπερίλητον ſaepe memorantur; fore tamen omnium abſurdiſſimum, ἀτόπωτον plane & ſecum pugnans, ſi quis in metaphoris a Fabrili arte petitis MALE TORNATOS ſive *male Limatos* verſus appellet, quos incultos & male factos ſignificare velit. Quippe omnia illa per eandem ſimilitudinem huc tracta. *Tornatus, Limatus, Politus, Expolitus, Raſus*, habent in ſe notionem Perfecti, abſoluti, ſuis partibus ac numeris expleti: adeo ut *male tornatus* dicere, perinde fuerit, ac *male bonus, inutile perfectus.* Atque inde eſt, quod non modo non *male tornatus, male limatus* (πολλοῦ γε καὶ δεῖ) ſed ne *bene* quidem *tornatus, bene limatus* μετὰ φορτικῆς dictum apud quemquam ſcriptorem invenias; quippe & hoc aeque putidum & otioſum foret, ac *bene abſolutus.* Et idcirco in locis ſuperius citatis, τὸ τορνευτὸν ἔπος, γλωττὰς δὲ τορευτὰς λέγων, &c. ipſum illud per ſe τορνευτὸν virtutem operis ſatis deſignabat, abſque τῷ Εὖ vel τῷ Καλῶς, vel ullo alio adverbio. Sic & ubi *Lima* vel *Limatus* in hac tranſlatione occurrit; nudum id & ſolum ſine ope adverbii perfectionem indicat. Noſter ſupra v. 291.

ſi non offenderet unum
Quemque poetarum limae *labor & mora.*

Et Serm. I, 10. v. 65. de Lucilio:

fuerit limatior *idem*
Quam rudis & Graecis intacti carminis auctor.

Ovid. Pont. I, 5. [Hor.

Scilicet incipiam lima *mordacius uti:*
Et ſub judicium ſingula verba vocem. II, 4.
Utque meus lima *raſus liber eſſet amici.* IV, 6.
Quae tibi tam tenui cura limantur. I, 5.
Cur ego ſollicita poliam *mea carmina cura?*

Martial. V, 82.

Quem cenſoria cum meo Severo
Docti lima *momorderit ſecundi.* X, 2.
Nota leges quaedam, ſed lima *raſa recenti.* VI, 64.
Sed tibi plus mentis, tibi cor limante *Minerva*
Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenae.

Perſius Sat. I, 85.

Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina raſis
Librat in antithetis.

Gellius XIX, 9. *Verſus, quibus mundius, venuſtius*, limatius, *verſius, Graecarum Latinarumve nihil quicquam reperiri puto.* Verum omnium maxime metaphoris hiſce delectatus eſt Cicero; apud quem paſſim habes, *Limatus oratione, Limatulum judicium, Limatum dicendi genus, Perpolita, polita, expolita omnia*; & alia

id

id genus ὅση κόνις. Sic & Graecis in hac translatione, καπρίσηρμένα, ἀπιξεσμένα, ἀπεσταλιγμένα, ipſa per ſe excellentiam ſignificant. Ariſtoph. Ranis de Euripide v. 930. Τὸν μὲν ἀστεῖόν τ' λίξαι & καπρίσηρμένον, *Feſtivum quid & limatum.* Syneſius in Dione: Καὶ τὸ λίξαι καθῆκέ τι καὶ ἀπομιλίσαι, *Dictionem purgare & ſcalpro polire.* Dioſcorides Epigram. in Aeſchylum;

Αἰσχύλος ἐξύψωσε, τορμιλεύσατο χαράξας
Γοργωπαῖα.

Sic olim recte emendavimus τορμίλευτα, *nove ſculpta verba.* Quin & ſimiliter a fabris Lignariis accepta, ſed traducta alio verba, *Edolatus, Exaſciatus,* nativam poteſtatem ubique ſervant, neque uſquam τὸ *Bene* aut *Male* ſibi aſſumunt. Plautus Aſin. II, 2. *Jam hoc opus eſt* exaſciatum. Cicero ad Attic. XIII, 47. *Ea quae in manibus habebam, abjeci: quod jusſeras,* edolavi. Varro Bimargo, apud Nonium. *Quum Quintipor Clodianus tot comoedias ſine ulla fecerit Muſa; ego unum libellum non* edolem, *ut ait Ennius?* Denique in ejuſmodi Metaphoris a quavis re ſumtis & tranſlatis, *Enucleatus, Defaecatus,* &c. ut Cicero ſaepe, *Acre, acutum,* enucleatum; Enucleate & *polite*; *Elegantes* enucleateque; *Subtiliter, preſſe,* enucleate; Plautus quoque, ut Aulul. I, 2.

Nunc defaecato *demum animo egredior domo:*

in his, inquam, omnibus τὸ *Bene* per ſe ineſt, ut vides; neque opus eſt adverbiis, quibus ἅμα illud indicetur: nedum ut uſquam gentium fuerit quis, qui *male enucleatus, male defaecatus, male edolatus* dixerit. Uſus enim ſenſuſque repugnant, neque talem loquendi ſartaginem verborumque chaos patiuntur, ut contraria prorſus inter ſe,

Frigida jungantur calidis, humentia ſiccis.

Sentis itaque jam tandem, aut nihil ſentis, hujuſmodi verba non eſſe τῶν ῥέπων, ut Grammatici vocant, quae in utramvis partem ſeu bonam ſive malam flecti poſſint: & ut nimius, putiduſque fuerit, qui *Bene tornatum* verſum diceret, ita ſtultum plane ac dementem fore, qui *Male tornatum.* Faceſſat igitur hoc, unde malum pedem promoverat; & revocemus tandem lectionem, ſolam utique Horatio dignam,

Et male TERNATOS *incudi reddere verſus.*

Contenti enim erimus *incude* ex officina fabrili petita, ſine bello illo emblemate *Tornatos.* Sic & Ovidius Triſt. I, 7.

Ablatum mediis opus eſt incudibus *illud:*
Defuit & ſcriptis ultima lima meis.

Sidonius Apoll. IX, 13. *Praeter hoc poſcis, ut* Horatiana incude *formatos Aſclepiadeos tuos quoſpiam, quibus inter bibendum pronunciandis exerceare, tranſmittam.* Et IV, 1. *Cujus* Philoſophica incude *formatus, nunc varias nobis rerum ſermonumque rationes, ipſo etiam qui docuerat probante, pandebas.* Ubi nota ſodes illud *Formatos* & *Formatus.* Idem verbum habet Acron ad locum: *Ferramentum male ductum redditur incudi, & bene ibi* formatur. Et Porphyrion: *Incudi reddere; hoc eſt, Denuo verſus ſcribere, quomodo ferramentum* male formatum *incudi redditur, ut ibi reformetur.* Et vetus Annotator in Graevii codice: *Tractum eſt a fabris, qui ferramentum* non bene formatum *iterum incudi committunt.* Hinc jam tibi facillimam correctionem promam: quam mirabor equidem, ſi Gronovius & Gronoviani noſtrae illi non anteferant,

Et male FORMATOS *incudi reddere verſus.*

Auſcultabimus quid ſentiant muſſitentque, pone tabulam latentes; & ſi ſimiles ament labra lactucas, non invidebimus. Interea delectat nos homo comis & facetus; qui, quod ipſe in proſa explicatione, non *male ter natos,* ſed *ter male natos* uſurpaveram, a me petitum telum in me torquet; negatque ſecundum Latinorum & Flacci ipſius morem τὸ *Male* a Participio, Verbo, Adjectivo ſuo vel in verſu poſſe ſejungi; & idcirco inter *male* & *natos* male interponi *ter:* cum Flaccus alibi *male diſpari, male ominatis, male pertinaci, male feriatos* & alia, junctim ubique proferat. Numquam profecto, niſi hoc monitore, tam ridiculo argumento ſponte occurreram: itaque eo nomine me demeretur, quia neſcio an alios lectores habeam nihilo naſutiores. Ain' igitur, τὸ *male* non poſſe a verbo, cui ſenſu cohaeret, verſu ſeparari? Quid ergo illud Serm. II, 3. *Nam* male *re* geſta *cum vellem mittere?* & II, 1. *Cui* male *ſi* palpere, *recalcitret?* Quid & illud Carm. III, 27. *Pendulum zona* bene *te* ſecuta *elidere collum?* & IV, 12. *Quod* male *barbaras Regum eſt* ulta *libidines?* Et ne hoc ultimum tu *male barbarus* cavilleris, quid illud Naſonis Amor. II, 1.

Cum male *ſe tellus* ulta *eſt, ingeſtaque* O- [lympo?
& iterum Arte II.

Et male *peccantem Tyndaris* ulta *virum?*

Sic hi ſcriptores aliique, ſingulis fere paginis. Pudet quidem talibus immorari: ſed quid facias? Ut adverſarii ſunt; ita morem geras, & infra te nonumquam deſcendas, neceſſe eſt. Idem iterum in ſuo Gellio IV, 11. fugillare

Digitized by Google

gillare me voluit, quod in Callimachi verſu,

Καὶ κυάμου λὰξ χεῖρας ἔχειν ἀλίωρον ἴδιαζ.

repoſui ἀβίωζ' τ' ἴδιαζ. *Quae*, inquit, *vel exigua propinquitas eſt inter* ἀβίωζ' τ' *&* ἀλίωρον? *Si ſcribas* ἄπινυσσι, *videre potes viciniam literarum.* Ita ſemper literas apiceſque crepat; has penſando & comparando correctiones venatur, ſententiae interim ſecurus ignaruſque: velut hic, cum ἄπινυσσι ſubſtituit, & eo pacto *piſces*, qui ἄπινυσσι ſunt, Pythagoreis comedendos ſtolide apponit. Sed ain' vero ſerio, ἄπινυσσι tuum receptae lectioni vicinius eſſe, quam illud noſtrum? ΠΝΕΥΣ prope accedere ad ΝΙΩΝ? Os durum. Sed mitto hoc; & ad illud potius, quod in proximo eſt, 1x, 5. oculos converto; ubi in caelum laudibus effert *viri maximi Pearſoni* conjecturam; (ipſum quidem jure merito, conjecturam vero *renuit negitatque Sabellus*) quod Hieroclis Stoici rotundum & tornatum in Epicureos dictum ſic refinxerit, Ἡδονὴ τέλος, πόρνης δόγμα· οὐκ ἔστι σοφοῖσι ἡδύ, πόρνης δόγμα (*Voluptas ſummum bonum, meretricis dogma: non eſt providentia nihil, meretricis dogma*) cum antea pro σοφοῖσι inepte haberetur πορνίσι. Atqui ſcias, o Zenodote, jam ab annis tredecim in ſcripto Anglico verius hoc concinniuſque a me emendatum eſſe. Nam ut ſcabiem dictionis condonem, οὐκ ἔστι σοφοῖσι ἡδύ; cum paſſim οὐκ εἶναι σοφοῖσιν Epicureorum dogma veniat, neque caudam trahat ἡδύ: falſum omnino eſt Meretrices providentiam tollere; cum in omnibus Comoediis Veneri ceteriſque Diis, pariter ut Matronae ſolent, vota & rem divinam faciant. Quid quod in tota hac, vel ut nunc corrigitur, ſententia nihil argutum, nihil acre ſit; ut *in ore eam atque lingua* ſemper haberet philoſophus Taurus. Quid multis opus? tu, ſi capis, mecum corrige; &, ut ſoles, *literarum viciniam* contemplare; Ἡδονὴ τέλος, πόρνης δόγμα· οὐκ ἔστι σοφοῖσι, ἡδὺ πόρνης δόγμα: *Voluptas ſummum bonum, meretricis dogma: Non eſt providentia, ne meretricis quidem dogma.* Nimirum bina ſimul Epicureorum decreta belliſſime confodit; illud meretrice dignum eſſe, hoc vel infra meretricem eſſe. Sentis jam aculeum? confiteberis hoc rite excogitatum? an perges, uti coepiſti, quaecumque mea ſunt rodere; limamque miſer, ut in fabula eſt, ſibilante quidem lingua, ſed & dolente lambere? Pergat vero, ſi volet, & quod ultimum invidiae & telum & perfugium eſt, plagiarium me inſimulet, ut & Heroa τὸ μιαιφόνον EZECHIELEM SPANHEMIUM. Et fas quidem hic eſſet indignari; niſi jam utrique noſtrum ſatis ſupplicii dediſſet. Nam quod rurſus nupero libello me oblique impetivit, ut & alter neſcio quis; uterque ſane operam & oleum perdiderunt: nondum enim eorum ictus tanti facio, ut iterum a me vapulent:

Multo majoris colaphi mecum veneunt.

Praeſertim cum eos corio eſſe videam ſupra omnes Comicos ſervos craſſo & ad plagas exercitato; ſic ut ab ipſis flagris animos ducere videantur, & ferociores mox prodeant. Adeo aut nihil ſentiunt, aut, quod haud minor eſt virtus, nihil ſentire prae ſe ferunt. Hos igitur mittam, & terminum hic ſtatuam. Fuſius quidem prolixiuſque hanc annotationem deduximus: cum quia primum hoc ſpecimen & quaſi pignus noſtrarum in Flaccum emendationum accuratius mihi tuendum erat; tum ut vel hinc ſciant, ſiqui in his noſtris examinandis ingenii aleam ſubibunt, adhuc plures nobis ſagittas, καθὰ τὸ Πίνδαρον, in pharetra ſupereſſe, quibus recte dicta, ſi uſus ferat, defendere valeamus: quae enim prava invenientur, ut peccare ſane & hominis eſt & praeſertim aliud ſaepe agentis, ea primus ipſe projicio, cuilibetque impune redarguenda vel rodenda deſtituo.

v. 450. NEC DICET, CUR EGO AMICUM OFFENDAM IN NUGIS] *Nec dicet* propagatum eſt huc uſque ex editionibus priſcis. At codices ſcripti, ut apud Pulmannum Berſmannumque videre eſt, ex noſtris certe decem, & in his omnes vetuſtiores;

Fiet Ariſtarchus: NON *dicet, cur ego amicum Offendam in nugis.*

Quod, ſi aures conſulis, plenius fortiuſque exit; quin & ſententiae quoque ponderis nonnihil gravitatiſque addit.

v. 461. SI QUIS CURET OPEM FERRE] Neſcio quis fuerit, qui primus contra veterum editionum omniumque codicum fidem lectionem hanc induxit. Lege ut illi jubent noſtri certe omnes, & Berſmanni Pulmannique, ut de reliquis conjectare poſſis,

non ſit, qui tollere curet.

Si curet quis *opem ferre & demittere funem.*

Eandem tmeſin alibi habet Noſter: Serm. I, 4.

magnum documentum, ne *patriam rem Perdere* quis *velit.*

& I, 16.

Nec timuit ſibi ne *vitio* quis *verteret.*

II, 8.

Quam ſi *cum lumbis* quis *edit.*

Cete-

Digitized by Google

Ceterum, cum ad ſcanſionem hic nihil interſit, ad ſuavitatem tamen & varietatem non nihil refert. Siquidem hac lectione prius *cúret* accentum in prima habet, poſterius *curét* in ſecunda. Sed in vulgata, priorem utrobique ſyllabam occupat accentus; quod evitare voluit Noſter.

v. 462. QUI SCIS, AN PRUDENS HUC SE DEJECERIT] Sic editiones principes Loſcheri & Venetae; unde omnes poſteriores haec lectio perambulavit. Atqui & multo plures codices, & omnes paullo vetuſtiores habent:

Si curet quis opem ferre & demittere funem:
Qui ſcis an prudens huc ſe PROJECERIT, *atque*
Servari nolit, dicam.

Dejecerit hic interpolarunt, quia de *puteo foveave* agitur. Atqui & *projicere* illic uſurpatur, ubi per pronum vel in praeceps quis deicit. Ita Virgil. V, 859. Somnus Palinurum,

cum puppis parte revulſa,
Cumque gubernaclo liquidas projecit *in undas*

Praecipitem, *ac ſocios nequicquam ſaepe vo-* [cantem.
Noſter Epiſt. I, 20.

Qui male parentem in rupes protruſit *aſellum.*

Ubi eodem errore irretiti primi editores Veneti & Loſcherus *Detruſit* ſuppoſuerunt. Jam autem, ideo hic praeferendum erat *Projecerit*; quia *projicere animam, projicere ſe*, quae in bonis Scriptoribus crebro occurrunt, ubique habent ſignificationem *voluntarii diſcriminis*; deque eo dicuntur, qui *ſervari* aut *nolit* aut deſperet. Loco itaque & ſententiae hoc aptius eſt, quam *Dejecerit*. Quin & illud in tam culto poemate non eſt nihili faciendum; quod in recepta lectione *Démittere funem, Déjecerit atque*, duobus verſibus continuis eadem ſyllaba *De* eandem metri ſedem & ſtationem occupat. Qui naevus hic, ubi omnia niteut, curioſis oculis deprehenditur; quamvis alibi fortaſſis inter plures ejuſmodi maculas facile latere poſſit.

FINIS NOTARUM.

ADDENDA.

P. 9. col. 2. v. 30. *Diſtinet oras*] Et Senecae Conſolat. ad Marciam. c. XVIII. *Quid — vinculum terrarum* Oceanus, continuationem gentium triplici ſinu ſcindens, *& ingenti licentia exaeſtuans?*

P. 14. col. 2. v. 47. *dedit ratibus*] Sed ecce in aliam jam conjecturam incidi, quam praeſtare tibi auſim certam liquidamque. Cum enim veterrimi codices Gemblacenſis, Lipſienſis, Venetus uno conſenſu praeferant,

geminata per agmina ponto;

in illis utique veſtigiis emendatio inſtituenda eſt. Repono igitur, *geminataque* PERGAMA *ponto.* Eleganter, & argutia vere Maniliana. Sic Claudianus de Bello Get. v. 387. [Cannae.

Et Trebiam *ſocio* geminaſſent *funere*

P. 18. col. 2. v. 2. *Pauſanias in Atticis* c. 22.] Statius denique, ubi hoc deorum certamen memorat, Theb. XII, 632. [*ingens*

Ipſe quoque in pugnas vacuatur collis, ubi
Lis ſuperum, dubiis donec nova ſurgeret arbor
Rupibus, & longa refugum mare *frangeret umbra:*

Satis clare, opinor, indicat Neptunum *mare* tum creaviſſe: quamvis Lactantius ibi, prorſus repugnante Poeta, *Equum* ex recepta traditione ſubſtituit. *Collem*, inquit, *Acropolin dicit arcem Thebarum* (immo vero lege, *Athenarum*) *de qua Neptuno & Minervae dicitur fuiſſe certamen: percuſſa Neptuno terra Equum dedit indicium belli, Minervae vero Olivam pacis inſigne. Magnitudinem arboris oſtendit ex umbrae aequalitate qua obſcurat.* Ubi iterum repone, *umbrae quantitate.*

P. 20. col. 1. v. 14. *Eo verbo ſignabatur*] Ovidius quidem, ut nunc ibi fertur, Faſt. I, 26. de Germanico Caeſare:

Si licet & fas eſt, vates rege vatis habenas;
Auſpice te, felix totus ut annus eat.

At editiones vetuſtae, & ſcripti plerique codices, in quibus unus eſt doctiſſimi amici HADRIANI RELANDI, rectius habent,

Digitized by Google

AUSPICIO *felix, votus ut annus erit.* Ut infra v. 168.

Totus ab auſpicio *ne foret* annus *iners.*

P. 21. col. 2. v. 26. *nunc* ILLE *ſiniſtra*] Et Homerus, cum ἄγε ſic uſurpat Odyſſ. B. 326. & alibi:

Ἦ ποτε δὴ Πύλου ἐξ ἀμφιρύτης ἠγερέθοντο,
Ἦ ἅγε ἐς Σπάρτηθεν, ἐπεὶ νυ πυρ ἵκῃ αἰνῶς.

P. 25. col. 2. v. 36. *Catonis gener erat?*] Non ipſe Auguſtus adverſus Catonem calamum ſtrinxit, libro cui titulum indidit *Reſcripta Bruto de Catone?* Vide Suetonium Aug. c. LXXXV. Illud quoque Macrobii expende, Saturn. II, 4. *Venit*, inquit, *forte Auguſtus in domum, in qua Cato habitaverat: dein Strabone* (is Seius eſt Seiani pater) *in adulationem Caeſaris male exiſtimante de pervicacia Catonis*, &c. Vides hic, quid auribus Auguſti tum dare ſolerent Aulici. Is quidem ibi compoſito vultu ſatis honorifice de Catone, *Quiſquis*, ait, *praeſentem ſtatum civitatis commutari non volet, & civis & vir bonus eſt.* Nimirum jam vetus imperandi & ſibi hoc dicto cavit, & Strabonem leniter repulit. At ſi Strabo ipſe vel hoc vel ſimile quid Catonis honori ultro dediſſet, vix credo tacitam offenſionem friguſque principis effugiſſet.

P. 26. col. 2. v. 23. *Vomer in arvis*] Propertius I, 2. [*res,*

Adſpice, quot ſubmittat humus formoſa colo-
Et veniant hederae ſponte ſua melius:

Surgat & in ſolis *formoſius arbutus* antris. Ubi illud, ſi vigilas, animadvertiſti, *Formoſa* & *Formoſius* indecora repetitione cultiſſimum poetam dehoneſtare. Poterat dixiſſe metaphora eleganti:

Surgat & in ſolis ANIMOSIOR *arbutus antris.* Placet enim hic adjectivum magis, quam adverbium. Vel propius ad receptam lectionem hoc modo;

Surgat & in ſolis FRONDOSIOR *arbutus antris.* Illud enim in Arbuto notatur, quod pauca fronde eſt. Virgilius Ecl. VII, 46.

Et quae vos rara *viridis tegit* arbutus *umbra:* ubi Servius, *Genus arboris frondibus raris.* Ceterum ad hanc Flacci emendationem imprimis facit Homericum illud, Iliad. P. 53.

Οἷον δ' ἠΐθεος ἔρνος ἀέξεται ἠλιβάτοιο
Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ, τῷ δ' ἄλις ἀναβόρυσεν ὕδωρ
Καλὸν, τηλεθάον.

ubi χώρῳ οἰοπόλῳ, eſt *ſolo & occulto arvo.* Scholiaſtes, Οἰοπόλῳ, ἐρήμῳ & μοναχῷ. Appoſite Euſtathius: Φασὶ τὸ ἐν ἐρημίᾳ καὶ μονάζοντι φυτὸν μᾶλλον θάλλειν. *Aiunt arbores in loco deſerto ac ſolo plurimum creſcere.* Huc itaque res redit; Si *creſcit occulto arvo* adſciſcis, perinde erit ac *Celeriter, cito creſcit:* Sin *occulto aevo*, idem erit ac *Lente tardeque.* Et *celeritatem* quidem in hac metaphora quaeſivit Homerus Iliad. Σ. 57. de Achille:

ὁ δ' ἀναΐξας ἔρνεϊ ἶσος,
Τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασκε φυτὸν ὡς γυναῖκ' ἀλαοῦ.

& Quintus Smyrnaeus de eodem, VII, 645.

ὁ δ' ἅτε δένδρεον ἔρνος ἐριθηλὲς βλαστῇ
Ἔρτος ὅπως ἐθάλλε κάλυξεν.

Jam autem ſi cum pleriſque interpretum Marcellum hic intelligis Octaviae filium, qui jam tum, cum haec ſcriberet noſter, florente adoleſcentia erat; omnino conſequens erit, ut ARVO hic ſubſtituas. Atqui repugnat locus ipſe ſerieſque orationis, quae Marcellum veterem quinquies conſulem hic accipi flagitat; cujus ſeri nepotes cum in familiam Juliam adſciti fuerint, dat hic Auguſto, ut ejus famam ſuperſtitem indies florere dicat, & *uſque poſtera laude recentem creſcere.* Nihil igitur mutandum, & rectiſſime habet AEVO.

P. 27. col. 2. v. 17. *Theſſalici jacent*] Ovid. Metam. IX, 794.

Poſtera lux radiis latum *patefecerat* orbem.

P. 28. v. 19. NEC MALIS DIVULSUS QUERIMONIIS] Ego vero ſine codicum auctoritate tam commodam lectionem non moveo. Tamen, aut fallor, aut elegantior exiret ſententia, ſic leviter immutata:

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die:

Ita Noſter alibi, Carm. III, 9.

Quid ſi priſca redit Venus,
Diductoſque *jugo cogit aeneo.*

& II, 17.

Me *nec Chimaerae ſpiritus igneae*
Divellet *unquam.*

& I, 36. *nec Damalis novo*
Divelletur *adulterο.*

Ubi omnia, ut vides, ad amatores, non ad ipſum amorem referuntur.

P. 29. col. 2. v. 2. *amborum morſu*] Et Homerus Odyſſ. I. 136.

Ἐν δ' λιμὴν εὔορμος, ἵν' ἀμφοτέρωθεν ἐπ' ἀκτῆς
Οὔτ' ἄνεμοι βάλλουσιν, ὅτε πρυμνήσι' ἀνδήσῃ.

& N. 100. ἔνθεν δ' ἄπλοον ἔστι μάλιστα
Νῆας ἐΰσσελμους, ὅταν ὄρνυσι νότος ὑετοῖ.

P. 31. col. 2. v. penult. *Divellet unquam*] Et Carm. III, 21.

Te

Te Liber, & si laeta aderit Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiae,
Vivaeque producent lucernae.

P. 32. col. 1. v. 9. *repulsa dabunt*] Et ex Statio, Theb. VIII, 221.

gemina aera *sonant, Idaeaque terga,*
Et moderata sonum vario spiramine buxus.

P. 34. col. 1. v. 6. Licentia *nodo*] Poteris etiam non minus eleganter reponere,

Et lasciva LIBENTIA.

Libentia enim vel ipsa Venus est, vel Dea quaepiam in Veneris comitatu. Plautus Asinaria, II, 2.

Ut ego vos lubentiores faciam quam Luben- & Sticho II, 2. [tia *est.*
Itaque omnium pectus porro laetitia lubentiaque.

Gellius XV, 2. *Nam cui* Libentiae *Gratiaeque omnes convivierum incognitae sunt.* Quae ex Gellio sublecta iisdem verbis habentur apud Macrobium Saturn. II, 8. Varro de Lingua Latina lib. V. *A libendo, libido, libidinosus, sic alia ut Libentina.* Sic quidem editi, at Vossii codex scriptus: *libidinosus, ac Venus* Libentia, *& Libitina, sic alia.*

P. 38. col. 1. v. 15. *partem tulit*] Columella VII, 6. de pecore caprino; *Nam nec* rubos *aversatur, nec* vepribus *offenditur.*

P. 48. col. 2. v. ult. *Grammaticus Latinus*] Sed & cum propriis Nominibus copulant Cicero aliique; *Nobilis Sylla, Honoratus & nobilis Thucydides, Nobilis & clarus Demetrius.* Recte tamen alias dicere poteris *Nobiles libros:* ut Noster in Arte, *Nobilibus Ennii trimetris:* & Martialis VII, 46.

Nam me diligit ille, proximumque
Turni nobilibus *putat* libellis.

Sententia igitur, utramcumque lectionem sequeris, eadem recidit: in illa tamen constructio est mollior & venustior.

P. 52. col. 2. v. 34. *relegente vetustos*] Et ex Paulino quoque in Natali XI, v. 602.

Diximus, ut fugiens non fugeris; neque
redactis
Passibus emensos sua per vestigia cursus
Incassum totiens volvente relegerit *orso.*

P. 58. col. 1. v. 4. *Servitium dextra*] Virgilius Aen. I, 626.

genitor *tum* Belus *opimam*
Vastabat Cyprum & victor ditione tenebat.

P. 58. col. 2. v. 21. *neque recusumo*] Persius Sat. V, 10. [*camino,*
Tu neque anhelanti, coquitur *dum* massa
Folle premis ventos.

P. 61. col. 2. v. 38. *Romuli Remique*] Chirinus, adolescens luxu perditus, apud Plautum Mercat. Prol. v. 59.

Objurgare pater haec me noctes & dies: —
Convitium *tot* me *annos jam se pascere.*

P. 63. col. 2. v. 7. *Conticuere domus*] Tacitus Hist. III, 85. *Vitellius in Palatium regreditur vastum desertumque — Terret solitudo & tacentes loci.*

P. 65. col. 2. v. 44. *Parum interest, sed potius sequamur vetustos*] *Dele ista, & haec repone:* Retinemus tamen AGET cum recentioribus. Cum enim haec, si recte rationes ponimus, circa annum Horatii XL, Augusto VIII & Tauro II Coss., scripta sint, Proculeius tum & diu post in vivis erat, ut ex Historia notum. Ergo *aget fama superstes* post mortem; quam is, narrante Plinio Hist. XXXVI, 59, *in maximo stomachi dolore gypso poto sibi ultro conscivit*; postquam Horatius ut opinor, ad plures abierat.

P. 67. col. 2. v. ult. *vitae portio*] Propertius II, 14. v. 7.

Quid si jam canis aetas *mea* caneret *annis?*
Et faceret scissas languida ruga genas?

Ita codices ibi, *caneret:* quod adsciscunt Scaliger & Broukhusius, dictumque olim volunt utraque conjugatione *Canére* & *cánere*, ut *Fervére* & *fervere*, ac alia similia. Durissimum vero istud, & a nullo auctore proditum. Sed esto, quid tum postea? quale demum erit illud, *canéres canis?* Apage tam illepidum & ignavum schema, quale neuter istorum in suis versibus passus fuisset. Repone, ut hic Horatius,

Quid si jam canis aetas mea curreret *annis?*

P. 68. col. 1. v. 29. *abstulit annos*] Seneca Consol. ad Marciam c. XX. *Quo quisque primum lucem vidit, iter mortis ingressus est, accessitque fato propior: & illi ipsi, qui* adjiciebantur *adolescentiae* anni, *vitae* detrahebantur.

Ibid. col. 2. v. 25. *recedentes adimunt*] Poteris etiam, eadem sententia, propius ad vulgatam lectionem refingere;

Et illi, QUOT *tibi demserit,*
Apponet annos.

P. 70. col. 2. v. 23. *suscitat Phoebus*] *Musa* autem *Citharae*, ut alibi Noster, Carm. II, 1.

Paullum severae musa Tragoediae
Desit theatris.

P. 82. col. 2. v. 14. πολυχεύσω μέλη] Alexander tamen Aetolus, ut in his sane peregrinis nominibus major est licentia, priorem in Τυ-

Digitized by Google

γης corripuit, Epigrammate in Alcmanem, quod vitiose editum apud Plutarchum Περὶ φυγῆς, correctius & integrius dedit ex Anthologia inedita Lucas Holstenius ad Steph. Byzantium:

Καὶ μύσας ἰδέαν Ελικανίδας, αἴ μοι τυράννων
Θῆκαν Δασκύλεω μείζονα τὸν Γύγεω.

Ita nunc fertur utroque loco Δασκύλεω: mendose tamen, nisi auctori errorem potius quam Librariis impingas. Quippe Dascylus sive Dascyles Gygis pater non tyrannus erat, sed privatus. Aut scripsit, aut scripsisse debuit;

Θῆκαν Καινδαύλεω μείζονα Γύγεω.

De Candaule & Gyge tyrannis nota est historia.

P. 90. v. 44. NEC FALERNA VITIS ACHAEMENIUMQUE COSTUM] Illud QUE non editiones modo, sed & codices quos viderim universi exhibent. Corrigendum nihilominus;

Nec *purpurarum sidere clarior*
Delinit usus, nec *Falerna*
Vitis, Achaemeniumve costum.

Nec, nec, ve vel *aut*, in disjunctionibus rite usurpantur; ut ostendemus ad Epod. XVI, 6. & Serm. I, 6. v. 68.

P. 91. col. 2. v. 37. *significationem haberet*] Sulpicius tamen Severus II, 21. *Dei spiritu praevalentes, ut* intaminata *ab ore corrupto & falsis vera miscente intra sua tantum mysteria contineretur historia.* Ubi, si fides editionibus constat, *intaminata* perinde est atque *incontaminata, inattaminata.*

Ibid. v. 44. *utcumque deflectitur*] Lucanus IX, 200.

Juvit sumta *virum, juvit* dimissa *potestas.*

P. 94. col. 1. v. 38. QUA *nebulae*] Seneca tamen *terminos* de mundo usurpat, Epist. ex. *Animum in sordida & humilia pertraximus, ut relicto* mundo terminisque ejus, *& dominis cuncta versantibus, terram rimaretur.* Ut proinde illud *Quicumque* non sit temere sollicitandum: quamquam, si *Quacumque* adsciveris, jam & illud *Terminus* vim & potestatem pluralis numeri in se habere possit.

P. 99. col. 2. v. 48. *Gallorum auxilia*] Gellius denique I, 25. *Quid enim dicemus, si induciis mensum aliquot factis* in oppida castris concedatur, *nonne tum quoque induciae sunt?*

P. 101. col. 2. v. 18. *umbrarum rape*] Et Hercule Oetaeo, v. 1478.

hic tibi, emenso freta
Terrasque & umbras, *finis extremus datur.*

P. 102. col. 1. v. 22. πεφυμμένην] Noster Epist. I, 16. v. 69.

Vendere cum possis captivum *occidere noli:*
Serviet utiliter: sine pascat *durus* aretque.

Ibid. col. 2. v. ult.] Hic autem, si Glareani sententiae quis accesserit, corrigendus insuper erit locus hunc in modum.

Si non perirent immiserabiles
Captivae pubes.

P. 108. col. 1. v. 47. *arte perducere*] Seneca Controvers. I, 2. *Excipitur meretricum osculis:* docetur *blanditias, & in omnem motum corporis* confingitur. Ita codd. Palatini apud Gruterum: male nunc circumfertur, *Confringitur.*

P. 127. col. 2. v. 1. *si effregit*] Cui adde Plautum in Mil. Glor. IV, 6. ubi meretrix loquitur:

Immo opperiamur, dum exeat aliquis. Durare nequeo,
Quin eam intro. Occlusae sunt fores. Effringam. *Sana non es,*
Si amavit umquam, aut si parem hic sapientiam habet ac formam:
Per amorem *si quid fecero, clementi mi animo ignoscet.*

P. 128. col. 2. v. 2. *esse crediderim*] Non incommode tamen tueri poteris *Majorum*, si genere neutro acceperis, τὸ μειζόνων, τὸ πλείονων: ut Theocrit. Idyll. XVI.

ἀνέρμων· Μ οἱ τὸ
Ἀργυρος· αἰεὶ δ' πλείονων ἵεται ἵμερος αὐτὸν
& immensum ei sit
Argentum: plurium *vero* cupido *semper eum habeat.*

P. 137. v. 2. NASCENTE LUNA, RUSTICA PHIDYLE] Editiones principes Venetae & Loscheri, *Philyre.* Sed codices, praesertim vetustiores, *Phidyle*, vel *Phidile.* Tu vide, annon reponendum sit,

Nascente Luna, rustica PHIDYLI:

ut sit a recto *Phidylis*, Φείδυλις, eadem forma, qua *Thestylis, Xystylis, Erotylis, Archylis* apud Terentium, ut ad Ciceronis Tusculanas correximus; *Hedylis* apud Martialem, ut jam corrigemus, I, 46.

Cum dicis, Propero, fac si facis, Hedyli—
Hedyli, *si properas, dic mihi, ne properem.*

Ubi Ramiresius *Aedila*, Gruterus & Scriverius *Hedyle*; ille nomine errans, hi sexu. Quemadmodum autem ab Ἡδυλος femininum fit *Hedylis*, ita a Φείδυλος erit *Phidylis.* Fatendum tamen est, si illud *Phidyle* analogiam

Digitized by Google

servet,

ſervet, gratius libentiuſque in Creticum pedem hoc carmen exire, quam in Dactylum.

P. 140. col. 2. v. 4. *poſſe firmantes*] Verum omnem rem conficit inſignis Julii Firmici locus, Aſtrolog. I, 4. de Zonis: *Harum zonarum quae media eſt*, coruſci ſolis *incenſa luminibus, & ſempiterni ardoris aduſtione* torrida, *ignito colore perpetui* ruboris *inficitur: duae vero quae* extremas *mundi continent partes*, dextris laeviſque *lateribus inhaerentes, caeruleo colore ſignatae*, atris *ſemper* nubibus (*lege* imbribus) *inundantur*, & concreta (*lege* concretae) glacie *& ſempiternis pruinis*, & DURATIS GELU NIVIBUS *obſidentur*. Quippe ut priora illa manifeſte de Virgilio ſumta ſunt, Georg. I, 233.

Quinque tenent caelum zonae, quarum una
coruſco
Semper ſole rubens, *&* torrida *ſemper ab igni:*
Quam circum extremae dextra laevaque *trahuntur,*
Caerulea glacie concretae atque imbribus atris:

ita poſtrema iſta *Duratis gelu nivibus* ex hoc Horatii loco clare petita ſunt. I nunc, & nega nobis στοχάσαι adfuiſſe; quamvis, cum illa ſcriberemus, haec Firmici verba de memoria exciderant. Nam certe hinc tam compertum eſt de noſtra emendatione, quam ſi ex mille annorum codice nunc erueretur.

P. 141. col. 2. v. 15. *labore durarunt*] Idem de Tranquill. c. 1. *Non eſt quod dicas, omnium virtutum* tenera *eſſe principia, tempore ipſis* duramentum *& robur accedere.*

P. 147. col. 1. v. 14. *Nam ea vox minime artificem, ſed poſſeſſorem plane indicat.* Et mox, *Fruſtra: neque enim quiſquam eo modo locutus.* Dele iſta, & v. 19. adde. Virgil. Georg. II, 444. [*ſtris.*

Hinc radios trivere *rotis, hinc tympana plaus-*

Ubi Servius; *Trivere: tornavere, compoſuere de torno.* Gloſſarium Philoxeni: *Tritor*, τορευτής. Plinius Hiſt. XXVI, 36. *Vitrum aliud flatu figuratur, aliud* torno teritur. Vide Salmaſium fuſius haec proſequentem ad Solinum & Lampridium. Ergo recte ſatis procedet illud *Evandri manibus tritum*, hoc eſt, tornatum, caelatum, fabricatum. Tamen codex, *&c.*

P. 148. col. 2. v. 48. *numquam invenies*] Quin, ubi ſententia non eadem eſt, amant *vitio carentem* ſingulari numero efferre. Juvenalis XIV, 69.

Illud non agitas, ut ſanctam filius omni
Adſpiciat ſine labe domum, vitioque carentem.

Seneca Conſol. ad Marc. c. XXIII. *Victorem omnium voluptatum animum, emendatum*, carentem vitio.

P. 149. col. 1. v. 18. *de bove verſus erat*] Sic & Lucianus in dialogo Zephyri & Noti. Ταῦτα οὖν Φοινίκης ἄχει τὴ Κρήτης ἐγένετο· ἐπὶ δὲ ἐπέβη τῷ ταύρῳ, ὁ μὲν ταῦρος οὐκ ἔτι ἐφαίνετο· ἐπλανᾶτο δὲ τὸ χερὸς ὁ Ζεὺς ἁπτόμενος τῆ Εὐρώπης ἐς τὸ Δίκταιον ἄντρον, ἐνθελοῦσαν ἤδη καὶ ἐρῶσαν. *Simul autem atque inſulam Cretam attigit*, taurus *quidem non amplius* comparebat. Juppiter *vero, manu Europae arrepta, deduxit eam in Dictaeum antrum erubeſcentem oculiſque in terram dejectis.*

P. 170. v. 29. PAULLUM SEPULTAE DISTAT INERTIAE CELATA VIRTUS] Ego vero vix ſatis capio, quid ſibi velit aut quomodo ſententiam juvet illud *Sepultae:* immo vereor, ne officiat magis quam proſit. Et inde opinor eſt, quod Scholiaſtae veteres ſic enarrant, *Non laudata virtus ſimilis eſt inertiae*; omiſſo illo emblemate *ſepultae*. Et quidem illud probe intelligo, *celata virtus paullum diſtat inertiae:* ſin autem *ſepultae* addidero, continuo ſententiae caligo neſcio quae oboritur. Quid enim vis? an *ſepultae* erit, ut vulgo interpretantur, extinctae, oblivione obrutae? Atqui celata virtus haud magis a viva & vigente inertia diſtat, quam ab extincta: quippe *virtus celata* habet ſpeciem *inertiae patentis:* ſicut inertia bene diſſimulata habere poſſit larvam virtutis. Et ut illud addam; *inertia ſepultus* recte quidem dici de ignavo homine & deſidioſo: verum ipſam *inertiam ſepelire* erit hominis ſe erigentis & ad bonam frugem evigilantis. Ita *Somno vinoque ſepultus* ſcimus quid velit: at ipſum *ſomnum ſepelire* perinde eſt ac abigere, excutere. Plaut. Moſt. V, 3. v. 1.

Ubi ſomnum ſepelivi *ommem & obdormivi*
crapulam.

Ergo hoc ad exemplum *ſepulta inertia* valebit idem ac *excuſſa, depulſa*; quod loco huic alienum & prorſus contrarium eſt. Vide igitur, an levi immutatione ſanior ſic exeat verſus;

Paullum ſepultae diſtat INERTIA
Celata virtus.

Ubi ordo eſt: *Virtus inertiâ* poetarum, ſcriptorum, teſtium *celata, paullum diſtat* virtuti *ſepultae*. Atque hoc pacto novum ſibi colorem ſententia inducit, totique orationi, ni fallor,

Digitized by Google

lor, magis accomodatum. *Vixere*, inquit, *multi fortes ante bellum Trojanum: sed ignoti jacent & longa nocte urgentur*, eorumque *virtus* aeterna oblivione *sepulta* est, *quia vate sacro carent*. Quin & viva *virtus inertia* & neglegentia scriptorum *celata paullum distat sepultae*. Quare ne *tot tuos labores* similis olim *carpat oblivio*, *non silebo* &c. *Inertiâ celata*, ut Quintilianus Instit. I, 1. *Scidit deinde se studium*, & inertiâ factum *est*, *ut artes esse plures viderentur*. Terentius Prol. Adelph.

Furtumne factum existimetis, an locum
Reprehensum, qui praeteritus neglegentiâ *'st.*

Ita passim apud Classicos, ut & Jurisconsultos.

P. 232. col. 1. v. 72. VILLIUS IN FAUSTA SYLLAE GENER.] Scholiastae ad locum; *Villius*, inquiunt, pro *Annio* ponitur, ut Carm. II, 12. v. 13. *Licymnia* pro *Terentia*; *eodem numero syllabarum commutationem nominum fecit. Quippe Fausta Syllae filia T. Annio Miloni nupta est.* Et quidem Faustam Miloni nuptam fuisse bona fide narrant Scholiastae; neque dubitare debuit optimus Torrentius. Asconius in Argumento orat: Milon: *Milo*, inquit, *rheda vehebatur cum* uxore Fausta *filia L. Syllae Dictatoris*. Et iterum: *Postulaverunt familiam Milonis, item* Faustae uxoris ejus, *exhibendam*. Servius ad Aeneid. VI, 612. *Sallustium significat, quem* Milo *deprehensum sub servi habitu verberavit in adulterio* uxoris suae, *quae fuerat* Fausta *Syllae filia*. Idem indicat & Cicero Epist. ad Atticum V. 8. Atqui eo ipso, quod fides in hac re Scholiastis constat, in altera eis abneganda est, cum *Annium* tecto nomine *Villium* hic vocari volunt. Non enim hic de *maritorum*, sed *Moechorum* incommodis periculisque Noster agit; ut bene animadvertit Lambinus: Ergo *Villius* iste, quicumque fuerit, erat adulter Faustae, non conjux. *Villius in Fausta Syllae gener*, eleganter dictum; ut Tacitus Annal. III, 24. *D. Silanus* in nepti *Augusti adulter*. Quamobrem si fictum *Villii* nomen existimarem, *Fulvium* potius, notum Faustae adulterum, perstringi hic crederem: de quo Macrobius Saturn. II, 2. *Faustus Syllae filius, cum* soror ejus *eodem tempore duos moechos haberet*, Fulvium *Fullonis filium & Pompeium Maculam; Miror, inquit, sororem meam habere maculam, cum fullonem habeat*. Sed quorsum opus erat, ut *moechum* falso nomine celaret Noster, cum *Faustam* suo & vero prodiderit? Hoc plane ineptum est. Quare aut FULVIUS hic pro VILLIUS reponi poterit; cum demta litera initiali proxime accedat ad scripturam receptam: aut fortasse ipsum *Villium* habemus, Cicer. Epist. Fam. II, 6. *Nondum erat auditum te ad Italiam advenisse, cum Sextum* Villium, Milonis mei familiarem, *cum his ad te literis misi*. Nota enim moechorum ars, in mariti se familiaritatem insinuare, cum ad uxorem viam affectant.

P. 244. col. 1. v. 36. *interpellat & obturbat*] Porro quam proclive fuerit Librariis *Impellat* pro *Impedias* substituere; vel inde discas, quod alias vice versa *Impedit* supposuere pro *Impellit*, apud Senecam De constantia Sapientis, c. IX. *Adjice nunc, quod injuriam nemo immota mente accipit, sed ad sensum ejus perturbatur: caret autem perturbatione vir erectus, moderator sui, altae quietis & placidae. Nam si illum tangit injuria; & movet, & impedit.* Ubi liquido legendum est, *Et movet, &* IMPELLIT.

Ibid. vers. ult. *verti debet.*] Nisi potius in loco Gellii legendum sit cum Henrico Stephano, *οἰκονομίας*, *oeconomiae imperiti*.

P. 238. v. 10. HABEBAT SAEPE DUCENTOS SAEPE DECEM SERVOS] Vossianus codex, cujus variantes lectiones serius ad me pervenerunt, pro *Habebat* corrupte habet *Halebat*; unde tamen fortassis emendandum est, ALEBAT

Saepe decem servos.

Alere servos eleganter, ut Graeci ad verbum *Βόσκειν οἰκέτας*; Aristoph. Lysistrata v. 1205.

Εἰ δέ τῳ μὴ σῖτον ἱκανὸν ἔνι, ΒΟΣΚΕΙ
δ' ΟΙΚΕΤΑΣ
Καὶ σφίγγει πολλὰ πυκνά.

Quod si qui vestrum parum cavet, & servos alit
Multosque parvos liberos.

Terent. Andr. I, 1. v. 30.

Ut minimum ad aliquod studium adjungant, aut equos
Alere, *aut canes ad venandum, aut ad philosophos.*

& Heaut. IV, 3. v. 3.

Illaccine mulierem alere *cum illa* familia.

Plaut. Menaech. I, 1. v. 22. [*eas*
Nam illic homo homines *non* alit, *verum edu-*
Recreatque.

P. 259. col. 1. v. 28. *dixeris longe*] Illud deinde excute, quod omnes codices & editiones maculavit. *quid oportet*

Nos facere a vulgo longe longeque remotos?

Nihil profecto pravius tetriusque vidi. Quid enim

enim narrat? Nos, hoc est, cum aliis SE tam longe a vulgo remotum? quemne hoc ipso Sermone confitetur *libertino* esse *patre*, & *nullis majoribus?* quo vero nomine tam remotum? non genere, non re, non loco & conditione. At ingenio fortasse dices & virtute atque doctrina: apage sodes inanem jactantiam. Non cognosco Nostrum tam superbum & glorioſum. Quin, si oculos animumque advertis, videbis hoc pugnare cum totius orationis filo & contextu. Non ideo, inquit, o Maecenas, quia ipse summo genere natus es, contemnis homines novos & ignobiles; ut EGO SUM: quorum multos recte tibi persuades & privatim probos & egregio publico vixisse: contra aliquot praeclaris parentibus, ut Laevinum Valerium, non uno propterea asse pluris habitos esse, vel populo ipso judice, qui ceteroqui genus & proavos, imagines & titulos, maxime admirari solet. Quod si vulgus tam recte judicat; quanto magis id oportet

V*os facere a vulgo longe longeque remotos? Vos* dico *Augustos, Maecenates, Pollliones, Messallas*, &c. non quali quisque sit natus parente, sed quo ingenio, qua virtute sit, quaerere oportet. Sentis opinor emendationem; quam orationis ductu abreptus, priusquam constitueram, insciens posui. Quod si NOS substituatur, pessum ibit tota sententia: quippe haud SE inter generosos numerat, qui de hominibus novis candide & aeque judicent; sed se istis novis accenset, qui aequa nobilium judicia sperare sibi & polliceri audeant.

P. 265. col. 1. v. 43. *Latino alienum*] Cum haec scripsissem; sero animadverti, virum longe doctissimum, Gatakerum nostratem Adversar. II. 2. de Hebraismo hoc plura adnotasse; quem neque Latinis prorsus insolentem fuisse ex priore hoc Flacci loco conatus est ostendere: cui & addidit Livii illud, XXII, 35. *Romae juri dicundo urbana sors Pomponio:* inter *cives Romanos* & inter *peregrinos P. Furio Philo evenit.* Ita quidem olim ferebatur: at jamdudum est, cum meliorum codicum jussu posterius illud *Inter* de Livio exulavit. Aliud vero suggerit Marcilius, ex Cicer. Paradox. I. *Sic te ipse abjicies atque prosternes, ut nihil* inter *te atque* inter *quadrupedem aliquam putes interesse?* Equidem nescio, ex qua cloaca foetorem hunc excitaverit; cum & editiones quas viderim omnes, & codices Gracvio visi rite habeant, *Inter te atque quadrupedem.* Quid igitur? inquis: duras & indignas Horatii voces praedicas; si ex omnibus aliis eluctur, in illo solo macula residet? Ego vero, si Horatio contra Librarios faves, facile suppeditare possum, quod & huic tam inhonestam labem abstergat: in priore loco, si sic legas,

Hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. OLIM
Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors.

in posteriore vero, si sic refingas:

Nestor componere lites
PRIMUS *Peliden festinas & inter Atriden.*

At haec nimium quantum, inquies, a vulgata lectione recedunt. Fateor equidem; verum haud una est mendorum origo: alia literarum similitudini, alia interpretamentis debentur. Et, si tu dicis causa mihi concedes OLIM & PRIMUS ab Horatio prodiisse; qui evenire potuerit, ut *Inter* & *Inter* interpolatum sit hodie, jam ego tibi ostendam. Cum enim ista legerent olim, *Hectora atque inter Achillem, Belidem & inter Atridem*; novitate constructionis attoniti, prioribus illis accusativis *Inter inter* lineas apponebant: quo factum, ut ab aliis demum exscriptoribus in versum recipieretur *Inter*, quia forte fortuna cum metri rationibus apte quadraret. Ita alibi bis terque peccatum est; vide nos ad Carm. III, 25. v. 2. Epod. XI, 4. Epist. II, 1. v. 31.

P. 265. col. 2. v. 18. *cum honestate*] Auctor ad Liviam v. 301.

Par bene compositum, *juvenum fortissimus alter,*
Altera tam forti mutua cura viro.

P. 268. col. 1. v. 24. *Vaticinata vias*] Et illa apud Tibullum I, 7.

Sic fieri jubet ipse deus: sic magna sacerdos
Est mihi divino *vaticinata* sono.

Haec ubi Bellonae motu est agitata; *nec acrem*
Flammam, non amens verbera torta timet.

P. 274. col. 2. v. 29. *legisse non memini*] Lucanus tamen, VI, 39.

Frangunturque montes, planumque per arduа
Ducit opus: [*Caesar*

ubi Codex Collegii Trinitatis, notae sane optimae, TENDIT OPUS.

P. 278. col. 1. v. 9. *timidusque procellae*] Vel denique, praeter *Mirum ut*, vel *Mirum ni*, etiam tertium quid substitui poterit,

mirum,
SI ne-

Si *neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos.*

Sic Propertius II, 7. v. 28.

Inferior multo cum ſim vel matre vel armis,
Mirum ſi *de me jure triumphat amor.*

Quintil. Declam. XIII, de Apibus. *At extra imperia poſitum eſt.* Mirum *hercle*, ſi *negato commercio ſermonis humani ſunt in ceterorum animalium forma.*

P. 286. col. 1. v. 51. *Theſeu parentis*] Et Hypſipyle apud Statium Theb. V, 602.

huc magno curſum rapit effera luctu,
Agnoſcitque nefas; terraeque illiſa *nocenti*
Fulminis in morem, non verba in funere primo,
Non lacrimas habet.

ERRATA

Paucula, ſive Operarum, ſive Noſtrae incuriae, ſic corrigantur.

Pag.	*Col.*	*verſ.*	*Errat.*	*Corrig.*
16.	1.	12.	ut Homerus—πολύτροπον.	*dele*
21.	1.	10.	APTET	GESTET.
	2.	5.	poſitum *eſt*	*ſit.*
22.	1.	14.	*quam* miror	*quod.*
25.	2.	47.	poterit	poſſit.
32.	2.	ult.	Hinnuleae	Haeduleae.
36.	2.	27.	potuit	potuerit
48.	2.	18.	NOBILIS	NOBILES
49.	1.	4.	quia	qui à
	2.	4.	Syram	Syriam
54.	2.	7.	poterit	poſſit
58.	2.	42.	juvenumque	niveumque
62.	2.	16.	quotque	quotquot
66.	2.	45.	*adde*	CARMEN IV.
69.	1.	ult.	Larine	Iarine.
70.	1.	22.	*ſic* in	*alterum illud* in
71.	1.	ult.	membranis	codicibus
74.	2.	16.	Et parentis	Et nefaſto
113.	2.	16.	praeſertim—deſcribenda	*dele*
117.	2.	29.	recurſurus	recurſurum
122.	2.	5.	torquere *eum*	*illud*
128.	2.	49.	Et mei	& meae
139.	1.	4.	optandum *eſſe*	*fuiſſe.*
159.	2.	penult.	Agathemeris	—merus.
160.	2.	40.	infra fines	intra fines
169.	1.	12.	Septingenteſimo	M & DCC
175.	2.	10.	quae non	qui non
176.	1.	16.	hunc uſque	huc uſque
192.	1.	23.	Caeſari	Caeſarianis
197.	1.	5.	Earundem	Eorundem
204.	1.	24.	Perdoluit	perdoluerit
	2.	28.	unum	unam
206.			ECLOGA	EPOD.
221.	2.	46.	agnoſcant	agnoſcunt
224.	1.	10.	acervum	acervo
233.	1.	50.	Excelſum	Excelſam
236.	1.	22.	voluit	voluerit
237.	1.	20.	quo	quod quo
240.	1.	14.	loco	Flacci loco
		40.	carpent	carpant
242.	1.	43.	tamen	*dele*
243.	1.	4.	vocalem C.	conſonantem C.
247.	2.	52.	quoad unum	ad unum
250.	2.	10.	Faerno	Faernio
252.	2.	7.	ſupervacuum	—cuus
279.	1.	4.	caſſare }	*dele*
	2.	10.	caſſabit }	
280.	1.	36.	lectionem *hanc*	*illam*
294.	1.	25.	perſcripſi	diſcripſi
310.	2.	28.	poterit	poſſit
320.	2.	5.	nactus	nactum
337.	1.	4.	Cypria *deus*	*ficus.*
339.	2.	5.	noſter	*dele*
352.	2.	5.	mihi	nihil.
355.	1.	32.	Cornieularia	—lana.
356.	2.	24.	Vulteii	Vulteio
372.	2.	29.	Quintiliano	Suetonio
399.	2.	3.	Protulimus,	protulerimus
400.	2.	44.	ambulacro	tabulato
406.	1.	3.	tunc locum	hunc locum
414.	2.	37.	ut miror	ut mirer
435.	2.	47.	ſubſtantivus	ſubjunctivus

INDEX

Digitized by Google

INDEX

SCRIPTORUM, qui in his NOTIS obiter emendantur.

A.

ALcaeus apud Athenaeum, 90
apud Hephaeſtionem, 119
Ampelius Lucius, 434
Anacreon, 38. 82
Anthologia Epigrammatum, 40. 82. 143. 194. 376. 444. 446
Marcus Antoninus, 332
Apollodorus, 87
Appuleius, 331. 416
Ariſtophanes, 3. 436, bis.
Ariſtoteles Rhet. 321
Athenaeus, 90
Avieni Feſti, verſus ſpurii, 433

B.

Boethius De Conſolat. Philoſ. 320

C.

Caper Grammaticus, 27
Catullus, 174. 188
Cicero De Nat. Deor. 57
Epiſt. Fam. 103. expl. 241
Laelio, 416
Claudianus, 43. 105
Curtius, 151. 383

D.

Digeſta, ſive Pandect. 30. 275

E.

Empedocles apud Antoninum, 332
Ennius, expl. 215, 216
Euripides Bacchis, 144

F.

Firmicus Julius, 445
Fulgentius Planciades, 348

G.

Gellius, 245. 279. 400, 401. 440
Gratius in Cyneget. 371

H.

Hephaeſtio, 119
Heſychius, 8. 21. 216. 290
Hyginus, 87

I.

Inſcriptiones, Gruteri, 51. 69. 308
Juvenalis exp. 84. em. 106. 195
verſus ſpurii, 433

L.

Latinus Pacatus, 91
Livius, 106, 107. 124
Lucanus, 3. 87. 286
Lucianus, 8
Lucilius apud Nonium, 145
Lucretius, 8. 26. 83
Lycophron, 8

M.

Macrobius, 108. 330
Maecenas in Sympoſio, 136
Mamertinus in Panegyrico, 259
Manilius, 14. 93. 395. 441
Martialis, 75. 444

N.

Naevius apud Priſcianum, 87
Nonius, 53, 145

O.

Oppianus, 8
Ovidius, 19. 22. 52. 73. 89. 104. 106. 117. 151, 152. 154. 157. 173. 241. 278. 283. 298. 324. 368. 441. expl. 35
Auctor Conſol. ad Livium, 323

P.

Perſius, 3, 4. 85. 284. 307. 364. Expl. 236
Pindarus, 2
Plautus 288. 321. 388. expl. 289
Plinius Hiſt. Nat. 67. 297. bis. Notatus, 311
Plinius Panegyr. 275
Plotius Grammat. 10. 11
Plutarchus 175
Pollux, 167
Priſcianus, 87. 113. 219. 301. 428
Propertius, 18. 95. 175. 436. 442. 443

Q.

Quintilianus, 103. 249

R.

Rutilius Itiner. 384

S.

Scholiaſtes Heſiodi, 87
Horatii, 119. 134. 197. 217. 242. 249. 309. 311. 348. 403. 423
Statii, 441
Seneca, Hercule Oetaeo, 30. 68
Oedipode, 14
Thyeſt. 341
de Beneficiis, 55. 390
de Conſtantia, 446
Controverſ. 219. 444
Nat. Quaeſt. 158

Digitized by Google

Servius, 55. 136. 217
Sextus Empiricus, 2
Silius Italicus, 57, 58. 75. 214. 286. 305
Spartianus, 308
Statius, Silvis, 60. 155. 328
Theb. 94. 215. 307. 351. 426
Expl. 331, 332
Suetonius, 249
Suidas, 216

T.

Tacitus, 260
Terentius, Adelph. 270
Heaut. 321
Tibullus, 221. 236

V.

Valerius Flaccus, expl. 37. em. 105. 133. 345. 384
Varius apud Macrobium, 108
Varro apud Nonium, 53
De Re Ruſtica, 226
Velius Longus, 86
Virgilius Aen. 23. 53. 86. 186, 187
Georg. expl. 78. 266. em. 307
Ciri, 41

INDEX

VERBORUM quae in his NOTIS explicantur.

A.

ABlativus in I exit, Igni, ungui &c. 256. 369
Ablativus Comparativorum in RE exit, 270
Ablativus Participiorum in NS exeuntium per NTE profertur, 42, 43. 186. 230
Ab dis, 128
Ab labore, 210
Ab ſe, 104
Abnormis ſapiens, 282
Abſorbere, 306
Ac ne, 33
plus Ac, i. e. quam, 224
Acrior vis, 191
Acroceraunia, 9
Acutae, aduncae, nares, 239. 240
Ad hoc, 192. Ad haec, 261
Adflere flentibus, 417
Adjudicare arvis, 371
Aedes ſing. templum; plur. privatae, 400
Aeneas pius, Aeneas pater, 167, 168
Aequus animus, 375
Aera ducere, cudere, 394
Aere ſuo, meo, 295
Aetolae, Aeoliae plagae, 370
Aevo occulto, 26. 442
Affigere, affligere humo, 286
Affigere lecto, 225
Afflare, 335
Ait eſſe paratus, 352
Alere ſervos, 446
Alite malo, mala, 194
Alloquia dulcia, 202
Alma, alentia, τεθραμμένα, 311
Almus, albus dies, 167
Alpinus turgidus, 272
Alternis, 403
Altis ripis, rivis, 183
Altrix, nutrix, 97
Alyattei regnum, Αλυάττεια, 130
Amat, ſolet, 253
Amicus Baccho, 68
Amor capit, rapit, 274
Amore percuſſus, non perculſus, 199
Amphipolis Phyllidos ſepulchrum, 143
An & ne, 310. 364. 414
Ancus pauper, an dives, 168
Angit malus pudor, 293
Animus opeſque, Animus vireſque; 163
Animus contemtor, victor, rector, rex, dominus, liberator, aeſtimator, deprecator, contemplator, admirator, corruptor, carnifex, proſcriptor, adulter, ſpeculator, cenſor, conſul, 170, 171
Animus, virtus, 206
Anſer alba, 335
Antrum Muſarum, 51
Aper, furens, currens, Laurens, 186
Appias, Appiades, 35, 36
Apricus Aulon, 69
Apta, aptata remis, 414
Aptare, 338
Aqua jugis, dulcis, 363
Arbuſcula, 273
Arcana Ceres, ſacra, 91, 92
Arces Pallados, 16
Archiaci,

Digitized by Google

Archiaci, non archaïci lecti, 348
Arctoum frigus, 133
Ardere aliam, aliâ, 143
Arenae, arentes, urentes, ardentes, 98, 99
Argiva, arguta, Thalia, 167
Arto lare, 26
Artum fruticetum, 122
Arvo occulto, 26. 442
As, aes, obolus, drachma, laquei pretium, 288
Aſclepiadei verſus ratio, 169
Ἀσυνάρτητος verſus, Archilochei, 197, 198
Ἀσύμμετρος, ἀσυμφώνους, 8
Attollere oculos, 8
Auctor murorum, 95
Avertere, averrere menſa, 312
Avet mens, animus, 362
Avida auris, 76
Avidi, intemperantes aegri, 254
Avidum mare, 47
Aura arbores fovet, 37
Auſpice Phoebo, 20
Auſpice Teucro, *male*, 20
Aut, aut; 132. 194. 199. 223

B.

BAlatroni donare, 299
Balbus 241
Barathro donare, damnare, 298
Barine, *nomen ſuſpectum*, 69
Belus genitor, 57
Bibaculus Furius, 272
Bis terve, bis terque, 186. 433
Bis trium ulnarum, non Ter, 184
Biſtonis, Βιστωνὶς, media longa, 41
Bolanus, 267
Bone dux, bone rex, 165
Bruma ſuperbiae inſperata, 172
Butra, nomen Prop. 349
Byzantia orca, thynni, ſcombri, 318

C.

CAecus furor, caecus furore, 190
Caelatum opus, 399
Caeſura ſyllabam brevem producit, 28. 109. 128
Calena vitis, non falx, 49
Calor oſſa reliquit, 209
Candentes humeri, 4
Capere dona, 112, 113
Cari lapides, 174
Caſta ſacra, 124
Catus jaculari cervum, 122
Cauti nummi, 390
Cedere male, bene, 275, 276
Cedere, pro incedere, 278. concedere, 388
Κιχεχαρήνον, 376
Celer excipere aprum, 122
Celeris fuga, 75
Cerea brachia, *male*, 27
Cheragra, 330
Chia, Libertina, 174
Cicirrus, 256
Circa volente, 209. 320
Citae ſiniſtrorſum puppes, 193
Clari lapides, 175
Clarus dux, 124
Clarus eques, 34
Clarus poſtgenitis, 339
Colcha venena, 74. 75
Colores mutare, 366
Color ora reliquit, 209
Colubrae, 32
Comes fortunae fides, 56
Comiſſari in domum, 153
Commetare, 321
Compoſitum par, 265. 447
Conópium, conopéum, 191
Conſequitur mors fugacem, 90
Conſortem fallere, 141
Conſtruere divitias 294
Contemta res, 128
Contemto Othone, 184
Contendere oculos, oculo, 336
Contundere articulos, 330
Conviva certus, ſerus, 356
Corrector, 364
Coruſcum fulmen, 100, 101
Cotiſo -ſonis, 111
Craſſus (Gracchus) & Mucius, 398
Crepitant flammae, 173
Creſſa nota, 59
Creticum paſſum, 59
Κόββα pro Κύμβα, 290
Cum multâ, cum magno, 273
Cumera frumenti, 353
Cupa, copa, 291
Cupreſſus IV declinationis, 78
Cura, *amor*, 69, 70
Curam reddere, impendere, 394
Curatus capillos, 339
Curtii nobile letum, 25, 26
Curtum, certum, parcarum ſubtemen, 201
Cyathus, menſura, 132
Cyclius, Cyclicus ſcriptor, 421
Cytherea Venus, 10

Digitized by Google

D.

DAunia, non *Daunias*, unde Datum sentis? 35, 36 284
Decedens sol, 364
Decens motus, non color, 175
Decentius lasciva, 405
Decipitur laborem, 76, 77
Dedere se hostibus, 103
Demersa exitio, non excidio, 128
Demetere ferro, 230
Demissus homo, 242
Densèri, 47
Depellere, propellere, famem, 229
Deprensa navis, 29, 30
Depulsus lacte, ab ubere, 159
Descendere in forum, 380
Descriptae sedes, 76
Destinata sedes, finis, 83, 84
Dicere pretium muneri, 168
Dies alba nota signandus, 59, 60
Differtus, confertus, refertus, 350
Diffingere, diffindere, defringere, diffidere, 278, 279
Dignus, indignus, 281
Dii, Sic Dî voluere, 25
Dilapsa in cineres fax, 176
Dionysius Libertus, 250
Dirus Hannibal, 109
Discretae sedes, 76
in Dispar ferus, 190
Dissidens plebi, an plebis, 66
Dissimilis sui, 323
Dissociabiles terrae, 9, 10
Dissociabilis Oceanus, *male*, ibid.
Dissors Tanais, an Discors, 150
Divina anus, 268
Divulsus amator, amor, 442
Doctor, ductor Thaliae Phoebus, 167
Doctus sermonis, sermones, 109, 110
Domina, diva meretrix, 341
Donare & perdere, 300
Ducere, discere, succos, 93
Ducere emtorem, 234. 389
Ducere noctem 341. somnum, 342
Ducere notam, 157
Ductor murorum, 95
Ductum, dictum, nomen, 284
Ducuntur Thebae, *male*, 18
Duplex Ulixes, duplex Amathusia, duplex Hylaeus, 14
Dura necessitas, non dira, 138
Durae sollicitudines, 200
Durare aequor, 29
Duratae gelu nives, 139, 140. 445
Durum ingenium, 136
Durus Hannibal, 71, 72

E.

EArine, 69
Edonis, 2 brevi, Statio & Lucano. 143
Edónis Euias, 143
Ejus, humile verbum in Carmine, 117
Elidere collum, fauces, 149
Elliptis particulae, Quod, Te, Tua, Sive, 273
Emirari, 12, 13
Enisus, 92
Equites patresque, eq. peditesque, 418
Equus victor coronatus, 154
Erubescendus amor quis, 46
Esse, cum dativo, 251, 252. Videri, 368
Et item, etiam, 386
Eunt res recte, 288
Excidium genti, 31
Exempli, cas. gen. 102
Exesa medulla, 188
Exigere, eximere, otium, 179
Exilis domus Plutonia, 12
Exit halitus, spiritus, 118
Exitium gentis, 31
Expeditus curis, 35
Expugnare domos, & effringere fores, meretricum mos, 127
Exsomnis Euias, *male*, 142

F.

FAbulae manes, 12
Fabulosae palumbes, 97
Fabulosus Hydaspes, 35
Facilis janua, cardo, 40
Facta, ficta verba, 411
Fallit, λανθάνει, 139
Fama, famae dare, 287
Farra nutrit Ceres, 164, 165
Fas est, fas sit, 85
Fastidia expulit, extulit, extudit, 282
Fastus, & Fastos, 130
Fautor, plausor, in Theatro, 422
Felix, lustrum, saeculum, 221
Fertilis Baccho, 68, 69
Fervidi aestus, ictus, 78
Fi cognitor, 319
Fide constantis, 109
Fidenter tutari, 373
Fides, lyra, chordae, 95, 96
Fingere opprobria, 363
Fingitur artibus, 108
Firmandae studiis mentes, 139, 140

Digitized by Google

Flamma, furens, virens, vivens, 210
Flexus precibus, 166
Floreum nemus, 155
Fodicare latus, 350
Forda bos, vacca, 146
Formandae ſtudiis mentes, 139
Formidolae ſylvae, ferae, 189
Fors obtulit, 260
Fortes bonique, 162
Forum campuſque, 351
Frequens populus, an fremens, 55
Fufius, 293
Fulgens imperium, imperio, 129
Fulgur, *fulmen*, 70
Fulmen coruſcum, non caducum, 100
Fultura, fulcire cibis, 296
Furens in Aetna flamma, 211
Futuri pavidus, avidus, 425

G.

GAlliambi verſus, 38
Galliae non paventes, 178
Gargonius, 229
Gementes ripae, 147
Genetyllis, Lucina, Diana, 216
Genitales dii, 215, 216
Glomus —eris, 361
Gorgonius, Gargonius, 229
Grex ſpadonum, 61
Gyges, gigas, centimanus, 81

H.

HAbilis, 133. 134.
Haeduleae, 32, 33
Hagna, non Agna, libertina, 241
Heu me! 199
Hirrus, 241
Homeréus, honoratus, Achilles, 419
Homericus Hector, Ajax, *&c.* 420
Horribiles catenae, 48
Horrida dumeta, Horridus Silvanus, 150
Hydropicis currendum, vigilandum, 343
Hymettiae trabes, columnae, 82

I.

JAceo ad quartam, 262
Jam nunc, jam nunc, 409
Janus Quirinus, Quirini, 178, 179
Janus ſummus ab imo, 337
Ictus crebri, 40
Ilios, Ilion, *gen. fem.* 93
Ille, 327
Immorſus, 314, 315
Immunis manus, 137
Impedire, impellere, legentem, 244
Incaleſcere vino, 136
Inclamare, 270
In diem vivere, dicere, 151
Indignum, 322, 349
Indomitus Auſter, indomitum mare, 176
Inducere formas, plumas, 406
Infantes ſtatuae, novellae, 319
Infeſta arma, 111
Infinitiva poſt Adjectiva, 2. 309
Infringere flores, 247
Ingentia facta, fata, 383
Injuſſus reddet, 149
Innixus, 92
Inominata verba, 126
Inquit, inquis, 252. 284. 288
Inſanire in aliqua, 231
Inſanire ſtultitiam, 307
Inſcitus, 392
Inſignis humerum, 34
Inſuevit hoc me, 253
Intaminatus incontaminatus, 91. 446
Inter & inter, Idiotiſmus, 265. 340. 447
Intermiſſa bella, non Venus, 193
Introrſus, introrſum, 367
Invecta, inventa, licentia, 391
Inverecundus Bacchus, 46
Invidus notus, 163
Inultae preces, 48
Io Triumphe, 156
Iobacchi Archilochi, 237
Ionicus verſus, 119
Iratae preces, ungues *&c.* 325
Iſque, 156, 157
Iterare, Io bacche, 338
Ithace, Ithaca, 354
Juncta orichalco tibia, 427
Juncta ſororibus Gratia, 133
Jurare numen, 384
Juſti dei, 124

L.

LAbeo juriſconſultus, 246.
Labienus orator, 246
nullo Labore, 225
Laborare ab avaritia, 251
Laborat in Charybdi, 46
Labores, id eſt, amores, 127
Lacerare opprobriis, 281
Lactea brachia, 27
Laetus animi, 81
Laevius, Livius, 388
Lare curto, certo, 355
Largus acmulus, 193
Lapi-

Digitized by Google

Lapides cari, clari, 175
Lapilli, nivei, virides, 232
Latens in alvo, 166
Lati campi, 117
Latius, lautius, laxius, largius uti, 288
Latrare, allatrare, 280
Latus, lentus ſpatiari, 300, 301
Latus orbis, 27
Lavimus, lavimur, 255
Laurens aper, 186
Laurum guſtare, 152
Laxior, latior murus, 427
Lenis, levis oratio, 407
Lenis, levis, ruina, 86
Lenis riſus, lentus, 80, 81
Lenta, longa dies, 336
Lepus fecunda, 313
Levare aegrum, &c. 404
Leviore lyra, chorda, plectro, 65
Libentia dea, 443
Licentia dea, 33. 34
Licymnia, vero nomine Terentia, 72, 73. Sic Lesbia, pro Clodia; Cynthia, pro Hoſtia; Delia pro Plania, Perilla pro Metella, pari numero & quantitate ſyllabarum.
Lippis & tonſoribus notum, 264
Lippus, Horatius, non Criſpinus, 228
Liquidi rivi, 123
Lites artae, atrae, 435
Littus Aſſyrium, 99
Locum condere, *male*, 257
Longa nox, 40
Longe longeque, 259
Luctuoſus Medus, 111
Lugubres cantus, 38. 39
Lunae orbis, lunae ortus, 157
Luſtrum claudere, condere, 67
Luxére Hectorem, 207, 208
Lymphati metus, 62
Lymphae deſiliunt, an Nymphae, 123
Lyncei, Lynceis, oculis, 234
Lynces timidi, timidae, 77
Lyra Romana, Auſonia, 157

M.

MAecius, Metius, judex, 434
Magica venena, 189
Magiſtra culpa, cuppa, cupa, nulla, 290, 291
Malchinus, Malthinus, 229
Male inominatis, 126
Male nati, male ter nati verſus, 435
Male pertinax, 21
Male tornati verſus, *male*, 435
Manibus portare, 308
in Manibus eſſe, 387
Marſi pedites, 5
Maturi anni, 413
Mauri jaculi, 35
Mauri imbelles, 5
Media de nocte, luce, 373
Medicandus, 366
Medios per enſes, medios per ignes, 177
Meditatur, minitatur diluviem, 177, 8
Medulla exſucta, exſucca, exuſta, exhauſta, exſecta, exeſa, 188
Melici, 391
Mens, θυμὸς, ira, 344
Minimo provocare, 349
Mirum ut, Mirum ni, 278. Mirum ſi, 448
Miſcere, 317
Mitis animum, 116
Mixtis lyrâ carminibus, 153. 191
Mobiles anni, naturae, 422, 423
Mobiles Quirites, 3
Monſtrare viam, 344
Morboſi, 61
Mors ſuprema, 403
Mortalia cuncta, facta, opera, 415
Morte, vita, venalis, 124
Mos palaeſtrae, 22
Mota urna, 268
Movere, monere hiſtorias, 109
Movet me, 273. 318
Multum facilis, 40. multum demiſſus, 243
Mulvius, 330
Murorum, auctor, ductor, ſtructor, augur, ſator, parens, 95
Muſa citharae, 70
Muſtela & Mus, fabula, 354
Muſtum Falernum, 312
Mutare terras, &c. 79, 80. 333
Myrtale libertina, 51
Myrtus IV declinationis, 78

N.

NArdum Achaemenium, nardus Achaemenia, 200
Naſidienus, πτερονύλλαβος, 333
Natus, notus, ſine crimine, 358
Navium aera, ora, 185
Ne, encliticon, 231
Ne, ἵνα μὴ, 226. 425. 433
Ne nunc quidem, 307
Nec, nec, ve. Nec, nec, aut, 204. 260, 261. 446
Nec, neque, 118
Neceſſitas, ſaeva, an ſerva, 55, 56

Nectere

Digitized by Google

Nectere vincla gutturi, Innectere vinclis gutturi, 214
Nefas ſcire, 22
Negitare, 368
Neglegens, 112
Nigra Arcadia, 174
Nihilo deterius, 256
Nitedula, mus agreſtis, 354
Nobiles juvenes, 174
Nobilis evehere, 2, 3
Nobilis, Panaetius, an liber, 48. 443
Nodo cohibere, 136
Nodo religare, in Nodum colligere, 71
Nomen filiae relictum, 148
Nomina certa, recta, bona, &c. 390
Non felix, 200
Non ſecus ac, 144
Non ſtultus, 298
Noſter, 326
Noſtri, id eſt, Romani, 104
Nota artium facies, 176
Notam ducere, trahere, 157
Notus, animi, operum, militiae, 66
Nudari foliis, 412
Numen, nomen, Auguſti, 385
Nummi cauti, ſcripti,
Nummo provocare, addicere, 249
Nutrit farra Ceres, 164
Nutus, vultus, divitis, 370

O.

O Pudor, Prò pudor, 104
O quis, quis volet, 139
Obrepit operi ſomnus, 434
Octuſſibus emtum, 297
Oculi incerti, ingrati, 393
Ofellus, Ofella, 282
Offenſus, 203, 204
Officina venenorum, 212
Ominibus, votis, precibus, 164
Omnibus precibus, 164
Onus urit, urget, 360
Operata divis, ſacris, 124
Opertos equos inſpicere, 233
Opprobria, probroſi, 61
quantum Opus eſt, 224
Opus intendere, tendere, 274
Ora Orientis, 27
Orcus rapax, capax, 84
Ordinare, ſcribere, συντάττειν, 64
Ornare moenibus, moribus, 382
Ornytus, non Ornithus, 113
Ὀφθαλμοὶ ἀφθαλμοί, 8
ad Ortum ſolis, ad Ortus ſolis, 179
Oſcula fragrantia, flagrantia, 73
Othonis lex Roſcia, 184

P.

PAcare tumentes, timentes, 425, 426
Pactumeius, non Partumeius, 213
Pactus erat, 397
Pagus feſtus, 132
Palatinae arces, arae, 220
Pallas Jovi proxima, 24
Palumbi, columbae, 4
Palus, *ultima longa, brevi*, 414
Panis inops, farris inops, 254
Parare animum, 375
Pardus cum bove, *Monachorum commentum*, 131
Paſſer aſſus, 334
Pater Latinus, 271
Patres populuſque, 105
Patria, numquam pro Senatu, 106, 107
Pavidus futuri, 425
Pauper aquae, 152
Pellax, 109
Penelopa, 320
Penetrare oras claſſe, 62
Per aevum, 218
Per laborem, 155
Percuſſus amore, 199
Perdere arma, 368
Perferre in lucem, 111
Pernimio major, 310
Phidyle, Phidylis, 444
Pii luci, pia arva, 96
Pimpleis Muſa, non *Pimplea*, 45
Pingue muſtum, merum, 316
Piorum ſedes, luci, arva, 96
Pitholeon, Pitholaus, 271
Placida, ſenectus, quies, 219
Planius ac melius, 340
Plenum corpus, 353
Plenus amator, lector, 380
Plerumque, 54
Plurimum nemus, 155
Podager, podagroſus, 344
Poetae in Bacchi tutela, 377
Pomaria Tiburtina, 19
Populuſque patreſque, 105
Poſilla, Puſilla, 304
Poſt moenia Trojae, 421
Potens, manus, dextra, 219
Potis, ἕξις, δύναμις, 131
Praefluere, 157
Praelibare, Praelambere, 328
Praeponere olivam fronti, 16, 17

Prae-

Digitized by Google

Praepositio in priore orationis membro omittitur, 142, 199. 386
Praefectum ad unguem, 431
Praevidere, pervidere, 239
Preſſa malo navis, 30
Privatus, 112
Privos in annos, dies, horas, 413
Procedere, 157, 230
Procudere nummum, 411
Procul procul, 404
Prodere & deſerere, 368
Proelia audax, *Pallas, non Bacchus*, 24
Projectus, 114. 195. 196. 294
Projicere, 441
Promiſſum carmen, 409
Pronomen, caſu antecedentis, Quo noſti, Quorum conſueſti, Quibus dixti, 258
Pronus dies, menſis, 413
Proſequi, 267
Pulſus fugit, 258
Pupius, non Puppius, 338
Pura, pulchra, poemata, 416
Pura verba, pura oratio, 417
Purpureum os, 92
Purum Jovis numen, an Durum, 116
Putuit orca, muria, 317

Q.

QUA, 177. 266. 285
Quacumque, 113
Quadam prodire tenus, 336
Qualiacumque ſunt, an Sint, 274
Quam rem agis, 325
Quandocumque, aliquando, 268, 269
Quî, quo, 247
Quicquid, quiſquis, Deorum, 185
Quid ergo eſt? 433
Quid tam magnum, parvum, egregium? 307
Quid tibi vis? 325
Quidvis ſatis eſt, 294, 363
Quirini populus, Quirimus, 6
Quo mihi fortunam, 349
Quod expediat, 205
Quod ſentio, quid ſentiam, 302
Quotus, quota, 132
Quumcumque, 13, 14

R.

RAeti & Vindelici, 159
Raetis Alpibus, 160
Ravi leones, 206
Recoctum, recuſum, retuſum ferrum, 58
Recti oculi, 7, 8
Reddere oppidis cohortes, 99
Redigere ad verum, in verum, 62
Redigere pecuniam, 18
Redit in, ad faſtos, 387
Reducis Ulixei, 15
Redux fuga, 75
Refigere, refugere jurgia, 402
Refixa caelo ſidera, 207
Relecti curſus, non *relicti*, 52. 443
Remotus in auras, 47
Remugit nemus, ſinus, 115. 195
Reparare oras, *male*, 62
Repreſſus, 160
Res melior, an Rus, 361
Reſcribere nummos, 294. 390
Reſonarint, 267
Reſpicere, 339
Reſpondere, 269
Reſponſor, 367
Revictus, 161
Rhode, libertina, 134
Rhoetus, Rhoecus, Rhuncus, 86, 87
Rivi & nemus, 144
Rivi Tiburis, non ripae, 155
Ruſo, non Druſo, 246

S.

SAcratum opus, 400
Samii ἐπιγράμμα, 306
Sancta paupertas, 26
Sancta penetralia, 161
Sapiens Stoicus, imperioſus ſibi, totus in ſe ipſo, teres & rotundus, 332
Sapiens utitur quaeſitis, 223
Satis eſt, 313; 314
Satum nemus, 114
ἀπὸ Σχοίνου verſus, 119
Sceleſta plebs, 67
Sciens citharae, cithara, 113
Scribere, reſcribere nummos, 390
Secures ad januas effringendas, 145
Securis Pontificum, 137
Sedula nutrix, 98
Semel, ſimul, 334. 356
Senſus communis, 244
Sepulchrum Carthago, 193, 194
Sepulta inertia, virtus, 445
Sermones, λόγοι, 110
Serpentes atri, Afri, 335
Seu, ſive, ve, 287
Si, *in precibus*, 50
Si, ſi, Si, ſin, 180
Si *deficit*, 326. *pro* An, 346
Sic poſitum, 360
Sicci oculi, 6

Digitized by Google

Signatus nummus, ſignatus nota, 411
Signum πυρόσπασον, 331
Silüa, prima brevi, 37
Singularis numeri verbum poſt duos vel tres nominativos. 39. 127, 178. 250. 263, 4. 266. 324.
Siquae fors, ſiqua fors, 324
Siqui, ſiquis, 252. 261
Socii operum, 392
Socium fallere, 141
Sodalis hiemis Eurus, non Hebrus, 43, 44
Sors ſuprema, 402
Sotadicus verſus, 120
Spes longa, lenta; Spe longus, lentus, 423, 424
Sponſor, 367
Stricti ungues, 15
Structor murorum, 95
Sufflare, 309
καθ' Συναίρεσιν verſus, 119
Super adde, 330
Superba pellex, 189
Superbum merum, pavimentum, 77
Superna, ſuperne, mutor, 88, 89
Supinum Tuſculum, ſupernum, 181
Suſpicere, 339
Sunt-quos, erit-quae, ὑφ' ὧν, 2

T.

TAcens Muſa, cithara, 70
Tacens regia, 62, 63
Tantum diſſimilis, 308
Tantum magnus, 309
Tapeta Libyca, 358
Tardus, pinguis, 242
Ταρμύσσειν, 8
Tendere, extendere noctem, 348
Tendere opus, 274. 447
Terrae, an, Turres, vicinae, 345
Tetra, tenta libido, 230
Thia, 174
Threſſa nota, 59
Thyiades, Thyades, θυιάδες, 86
Tigranes, 372
Tillius, Tullius, 259
Tincta cruoribus, 63
Tithonus an mortuus ſit, 47
Τορεύειν, 437
Tornati verſus, 435, &c.
Tornus, τορνεύειν, 436, 7, 8
Totum nemus, 32
Tragicus Peleus, 416
Trauſius, Troſius, 288
Trepidant flammae, 173
Trigonis pila, luſus, 263
Trimetri nobiles, 428
Tritus, tortus, ſculptus, 147. 445
Trochaeum in Alcaico & Sapphico ſpondeo mutavit Hor. 86. 90. 102
Turba media eruere, eligere, eripere, arripere 250, 251
Turbidum laetatur, 84, 85
Turbidum mare, 9
Turbo, nom. prop. 308
Turgidum mare, 9
Tuta oppidi, 3
Tutus, cautus, 278. Tutus, ſanus, 296
Tyndaridarum fortiſſima, 227

V.

VAcuae aedes, 401
Vadatus, 269
Variae plumae, 405
Varii racemi, variae uvae, 67
Uda Pleias, 22
Ve, an in compoſitione augeat, 236
Venire ad vina, 165
Venit poema, 389
Venter, infans, 213
Vepallidus, *male*, 236
Vepris inhorruit, 37, 38. com. gen. 365
Verare, 370
Vernaliter, verniliter, 327
Verni nimbi, 158
Veri inſcitia, 346
Verrere, vellere piſces, 305
Vertere, neutrale, 172
Vertere humanas vices, 190
Veſtigia contracta, contacta, non tacta 395
Verſat, vexat diſcordia, 265. 398
Verſus, tornati, limati, edolati, &c. 436, 7, 8
Verſus luxati, 337. 396. 409
Verſus ſpurii, 169. 432, 433
Veternus, hydrops, 343
Vetula faex, 127
Vexiſſe qui canerent, 430
Victa furore pietas, 148
Victus precibus, 166
mundus Victus, domus & Victus, 347
Vicem, vice, 212
Viden' ut, 338
Videre videor, 64
Viduari foliis, 412
Villius in Fauſta adulter, 446
Virus grave, 392
Vis tu? 270. 327
Viſit officinas, 11

Digitized by Google

Vitale, 329
Vitio carere, 148, 445
Vivae, verae voces, 431
Vivet, absolute, 66
Vividus, vivus, impetus, 158
Vivitur, 269
Ultimi Britanni, 57
Ultimus orbis, 57
Ummidius, Umidius, 226
Uncta cruoribus, 63
Unctus, vinctus, 381
Unus, praecipuus, unicus, 408
Uret officinas, *male*, 11
in URIO meditativa verba, 421
servus Ut, captivus ut, 304, 306
Ut in populo, 261
Ut, *pro* adeo ut, ita ut, 226. 231. 292. 397
Ut si, 203
Ut cantat, *dum cantat*, 255. 267
Ut qui, 254. 266
Ut, Ut tamen, 373
Ut, ut, 433
Utriusque linguae, sermonis, 110
Uvidus Notus, 263. 195
Vultu prodente, profitente, 323
Vultu celare, tegere, premere, simulare, 323

EPIGRAMMA VETUS,

Omnia metra Horatiana continens.

Filia Solis
Aestuat igne novo,
Et per prata juvencum
Mentem perdita quaeritat:
Non illam thalami pudor arcet,
Non regalis honos, non magni cura mariti:
Optat in formam bovis
Convertier vultus suos,
Et Proetidas dicit beatas:
Ióque laudat, non quod Isis alta est,
Sed quod juvencae cornua in fronte elevat.
Siquando miserae copia suppetit;
Brachiis ambit fera colla tauri,
Floresque vernos cornibus inligat,
Oraque jungere quaerit ori.
Audaces animos efficiunt tela Cupidinis,
Inlicitisque gaudent.
Corpus includit tabulis efficiens juvencam;
Et amoris pudibundi malesuadis
Obsequitur votis, & procreat (heu nefas!) Bimembrem:
Cecropides juvenis quem perculit fractum manu,
Filo resolvens Cnossiae tristia tecta domus.

EADEM

Digitized by Google

EADEM METRA HORATIANA,

ARCHILOCHI,

ALCAEI,

ET

SAPPHUS

Versibus expressa.

1 Πότνια θυμόν. Sapp.
2 Ἀχνυμένη σκυζάλη. Arch.
3 Νῦν δ' ἀβρῶς ἐρόεσσαν. Alc.
4 Οἶνε δ' ἐξέπιον κάδον. Alc.
5 Φαινόμενον κακὸν οἰκάδ' ἄγεσθαι. Arch.
6 Ἔσπερε πάντα φέρων, ὅσα φαίνολις ἐσκέδασ' αὐώς. Sapp.
7 Ἐκ με λάσας ἀλγέων. Alc.
8 Τίς σὰς παρήειρε Φρένας; Arch.
9 Λαῖφος δὲ πᾶν ἄδηλον ἦδη. Alc.
10 Χαίροισα νύμφα, χαιρέτω δ' ὁ γαμβρος. Sapp.
11 Τῶδ' ἆρ' ἀλώπηξ κερδαλῆ συνήντετο. Arch.
12 Ἀνδρες γὰρ πόλιος πύργος ἀρήιος. Alc.
13 Ποικιλόφρον ἀθάνατ' Ἀφροδίτα. Sapp.
14 Τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδει. Alc.
15 Ναὶ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ. Alc.
16 Μηδὲν ἄλλο φυλθύσης πρότερον δένδρεον ἀμπέλω. Alc.
17 Οὐκ ἔτες ὦ γυναῖκες. Aristoph.
18 Δεῦτε νῦν ἀβραὶ Χάριτες καλλίκομοί τε Μοῖσαι. Sapp.
19 Ἐμὲ δείλαν, ἐμὲ πασᾶν κακοζάπων [πεδέχοισαν]. Alc.
20 Τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ἦτορ καρδίην ἐλυσθείς. Arch.
21 Ἀλλά μ' ὁ λυσιμελὴς, ὦ 'ταῖρε, δάμνα πόθος. Arch.
22 Ὦ 'ταῖρε δάμνα πόθος ἀλλά μ' ὁ λυσιμελής. Vide Notas, pag. 197.

LECTORI

Digitized by Google

LECTORI.

NE paginae hae prorſus vacarent, exhibuimus tibi ex Cruquio & Pithoeo Epigramma veteris Grammatici in PASIPHAEN, quo omnes verſus Horatianos non ineleganter expreſſit. Porro, quia ſemel iterumque uſu venerat ut ea de re in Notis ageremus, eadem Metra eodemque ordine ex reliquiis trium Scriptorum, quos Noſter ſequi profitetur, undique collecta dedimus; ut re ipſa videas qua fide ille dixerit, Ep. I, ult.

Quod timui mutare modos & Carminis artem. Verſum vero illum XVII *Illicitiſque gaudent*, cui Flacci iſte reſpondet *Lydia dic per omnes*, ex Ariſtophane penſavimus, cum apud iſtos hodie non reperiatur. Neque tamen dubium eſt, quin Alcaicus ſit, fide Grammaticorum Latinorum; etſi ex Ariſtophane potius citaverit Hephaeſtio p. 29. ideo, ut videtur, quia apud Lyricos Proôdi duntaxat vicem egit, apud illum continenter & jugiter uſurpatus eſt. Illud vero majoris eſt momenti, quod verſu XVIII conſulto νῦν circumflexum repoſuimus,

Δεῦτ νῦν ἀβ | ραὶ Χάριτες καλλίκομοί τ Μοῖσαι,

ut cum Flacci metro congrueret,

Te deos, o | ro, Sybarin cur properes amando.

Quippe apud Sapphonem. (Hephaeſt. p. 30.) νυν breve & Encliticon eſt; adeo ut pes primus, pariter ac duo ſequentes, Choriambus ſit;

Δεῦτί νυν ἀῦ | ραὶ Χάριτες | καλλίκομοί | τ Μοῖσαι.

Quale Choriambici exemplum adducunt Diomedes p. 510. & Terentianus Maurus p. 2424. Atque inde eſt, quod litem Horatio intendit Marius Victorinus p. 2614. ob immutatum in verſus principio pedem: *Quod metrum*, inquit, *ſive errore ſeu ſtudio poetae, ſecus quam ratio eſt, proceſſit. Etenim ſi imitatus eſſet Alcaeum; ita protuliſſet*, Te deus o, *non* Te deos o. *Tamen, ſi non ſtudio factum eſt, habet excuſationem, quod legem quam ipſe ſibi caſu aliquo dixerat, uſque ad ultimam Aſmatis partem obſervando produxit.* Atrocius vero in Noſtrum invehitur Attilius Fortunatianus p. 2683, *ignorantiam, ſalebram, errorem, duriſſimumque pedem* increpitans. Conſitendum quidem eſt, non jam amplius Choriambicum eſſe Verſum Flacci; ſed in aliud metri genus migrare, Πολυχημάτιστον puta vel Ασυνάρτητον. Studio tamen, non errore, id feciſſe Noſtrum, nulla mihi dubitatio eſt; & in hoc quoque Alcaeum & Sapphonem magiſtros ſibi ac duces habuiſſe crediderim, etſi in tam pauculis Fragmentis nullum hodie exemplum exter. Quippe hoc metrum, ex gemino jam colo conſtans,

Te deos oro Sybarin | cur properes amando,

& ſuave numeroſumque eſt; priuſque ejus membrum, quod ſolum in Noſtro redarguunt Grammatici, ſaepe apud Eupolin & Ariſtophanem habetur: ut in Parabaſi Nubium v. 508. & ſeq.

Ω Ϛεύμενοι, καπρῶ | πρὸς γ' ὑμᾶς ἱλευθέρως.
Τοῖς σοφοῖς ὧν ἔνεκ' ἐγὼ | ταῦτ' ἐπεσπεύσαμην.

& cum diverſo colo junctum apud Euphorionem Cherſoneſiotam, Hephaeſt. p. 60.

Οὐ βίβλος, ἀ πλείστοι | Ϛ νέοι Διονύσου.

Jam autem Aeolica haec metra eſſe, & proinde de Sapphone atque Alcaeo petita, vel illud indicio eſt, quod primus pes diſſyilabus utriuſque coli (ſeu Spondeus ſit, ſive Trochaeus aut Iambus) indiſcriminatim ponitur arbitrio Poetae: qui proprius eſt Aeolici carminis character: ut in illis Ariſtophanis & Eupolidis,

Ος μοί ποτ' ἦσθ' ὅτε Κλείων' | ἵππευε' | εἰς τὴν ϛρατιάν.
Ο σὺ | φρουν τι χοὐ καβρύ | γων ἀ' | γιε' ἐκπεσούσ' ἐλῶ.

Praeterea quoque, cum hoc metrum nihil aliud ſit quam Trochaicus Archilocheus ſecunda ſede fractus & inverſus; quemadmodum ille quem jam dedimus, ſi ωγε ponis vice ἐγὼ, rotundiſſimus exit Tetrametrus,

Τοῖς σοφοῖς ὧν ἔνεκ' ωγε ταῦτ' ἐπεσπεύσαμην,

vel inde etiam conjicias Aeolicum fuiſſe metrum. Amabant enim Aeolenſes recepta metra ſic infringere & variare; ſicut Heroicum verſum Alcaeus & Sappho nunc primo pede per Trochaeum, Iambum, aut Pyrrichium; nunc quarto pede per Anapaeſtum infuſcabant;

Υψὶ | δὴ τὸ μέλαθρον ἀίρρειπ', πίπτοις ἄνδρες.
Κέλο | μαι σέ πυκ Ϛ χαρίεντ' Ἀθάνα καλέσαι.
Καθιάσκε, Κυθήρη, ἄ | θεος Ἄδω | νις· τί κε Ϛείμεν;
Καπνύσ' ἐσθι, κόρα, Ϛ | καβρήγ' ὑδὲ χιτῶνας.

Ergo, pace tandem Grammaticorum, neque errore Noſter, neque immodulate, nec ſine duce & auctore hoc metrum adhibuit.

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google